


Gryphius in Isag. de Scriptoribus Historiam Sec. 17. illustrantibus, pag. m. 2.
Rerum publicar. singularum triumphos, pompas funebres, hastiludia, ex histo-
ria superiorum Seculorum Fr. Modius in duobus Pandectar. Triumphal. volumi-
nibus ex optimis Scriptoribus magno cum judicio collegit, dignus profecto, &c.

Lerch von Durnstein, Ordo equestris Germanicus Caesareus bello-
politicus, 1626. f.

# PANDECTAE TRIVMPHALES, siue,

# POMPARVM, ET FESTORVM AC SOLENNIVM APPARATVVM, CONVIVIORVM, SPECTACVLORVM, SIMVLACRORVM BELLICORVM EQVESTRIVM, ET PEDESTRIVM; NAVMAchiarum, ludorum deniq; omnium nobiliorum; quot hactenus vbiq; gentium re bello bene gesta, itemq; in inaugurationibus, nuptijs, amicis congressibus, aut ingressibus, funeribus postremum Imperatorum, Regum, Principumque edita concelebrataque sunt,

## TOMI DVO.

*QVORVM PRIOR DE TRIVMPHIS ET SPECTACVLIS LVDISque tam veterum quàm recentiorum heroum, de inaugurationibus Pontificum Maximorum, Imperatorum, Regum, & Principum omnium præcipuorum per Europam, de nuptijs denique & funeribus triumphalibus accuratè tractat:*

POSTERIOR PRIMO HASTILVDIORVM PER GERMANIAM tradit initia, originem, causas, exemplaq; & editiones omnes ab Henrico I. Imperatore cognomento Aucupe, ad nostra hæc vsq; tempora; adiectis vrbibus in quibus sunt celebrata, & nominibus insignibusq; gentilitijs omnium ferè Principum, Ducum, Marchionum, Comitum, Baronum, Equitum, cæterorumque nobilium, qui eisdem interfuere, suaque præsentia, & corporis animiq; virtute indictos eorum causa conuentus cohonestauere. deinde continet præter hæc etiam alios libros duos, quibus de ludis item equestribus, pedestribusq;, deque duellis & singularibus ex prouocatione certaminibus nobilioribus vbicunq; terrarum editis ex ordine agitur.

*OPVS CVM OMNIBVS OMNIVM ORDINVM HOMINIBVS, TVM INprimis Principibus & equestris ordinis viris non solum delectabile & iucundum valde, verum etiam summè vtile futurum; ideoq; nunc primum studio maximo partim ex infinitis, cum veteribus, tum recentibus scriptoribus collectum, partim ex varijs monimentis, publicis, priuatis; cusis, scriptis; Germanica, Italica, Gallica, Belgica lingua loquentibus conuersum & Latinitate donatum, hocq; ordine digestum, à*

FRANCISCO MODIO I.C. BRVGENSI.

ad

*AMPLISSIMVM ET SPLENDIDISSIMVM GERMANICI NOMINIS Equestrem Ordinem, Nobilitatemq; inprimis Franconicam, Sueuicam, & Rhenanam.*

INSERTIS SVIS LOCIS SCITISSIMIS FIGVRIS; IN QVIBVS quæ verbis minus efficaciter exprimuntur, oculorum sensibus subijciuntur.

*CVM FAMILIARVM OMNIVM PRAECIPVARVM ET INprimis Germaniæ, Galliæ, Belgicæ, Italiæ, Poloniæ, Hungariæ, Boemiæ, Angliæ, &c. Indicibus.*

Schmidius. 1728.



Cum gratia & Priuilegio speciali Sacræ Cæsareæ Maiestatis.

*Francofurti ad Mœnum, impens. Sigismundi Feyrabendij.*

M. D. LXXXVI.



# AD AMPLISSIMVM, SPLENDIDIDISSIMVM, ET GENEROSISSIMVM ORDINEM EQVESTREM totius Imperij & Germanici nominis, Nobilitatemq; inprimis Franconicam, Sueuicam & Rhenanam.

*FRANCISCI MODII BRVGENSIS I.C.*

*in*

## Pandectas ſuas Triumphales præfatio.



*Vod non tantum veſtris auſpicijs hoc quidquid eſt operis prodire voluerim,* Ampliſſimi & Splendididiſſimi Ordinis Equeſtris nominis Germanici viri; *verum etiam totum illud iam à principio in gratiã potiſſimum veſtram adornarim, collegerim, cõuerterim, digeſſerim; neminem mirari decet. Cum enim tamquam naufragio eiectus patria vi & tempeſtate belli ciuilis pernicioſiſſimi pariter & pertinaciſſimi, à veſtri ordinis hominib. benignè ſuſceptus, ſuſtentatus, ornatus deniq; per multos annos fuerim; quid par erat, niſi vellem eſſe haberiq; homo hominum quot ſunt ingratiſſimus, præſtitaq; mihi humanitate indigniſſimus, quid, inquam, par erat potius me facere, quam in eam cogitationem incumbere, vt ſplendidiſſimo Ordini veſtro, à quo tot tantaq; beneficia accepiſſem, qualemcunq; gratiam referre voluiſſe ſaltem videri poſſem? Nam illud ſi quis nunc me roget, qui illi ſint ex ordine veſtro generoſiſſimo bono reip. nato & inſtituto, quorũ priuata liberalitas me non tantum ipſis deuinxit datoribus, ſed etiam publicè vniuerſo Equeſtri ordini obligatũ & obſtrictum reddidit; næ ille egregiè ignorat quæ & quanta in me contulerit cũ piæ memoriæ olim* Adolphus Hermannus Riedeſelius ab Ayſenbach, Archimareſcallus Haſſiæ, &c. *per menſes nouem, decem, quibus in contubernio illius ſuauiſſime vixi; tum nuper ampliſſimæ dignitatis vir,* Eraſmus Neuſtetterus, cognomẽto Sturmerus, Præpoſitus Combergenſis, Eccleſiarumque Bambergenſis & VVirzeburgenſis Canonicus, &c. *qui me domi ſuæ ſingulari libera-*

*litate & prope pietate non tantum honestè perpetuo triennio, sed etiam splendide habuit: ignorat qua me sæpius municificentia affecerit* Reuerendissimus & Illustrissimus Princeps Iulius, Episcopus VVirtzeburgensis, & Franciæ Orientalis Dux &c. *natus ex generosa & veteri* Echterorum *familia: ignorat qua humanitate & benignitate vsus sit nuper erga me* Reuerendissimus & Illustrissimus Princeps Martinus Episcopus Bambergensis, *nuncque etiam vtatur in absentem illius in Episcopatu successor, laudatissimæ vitæ Princeps*, Reuerendissimus & Illustrissimus Ernestus, *ille ex antiquissima* Eybiorum *hic ex generosissima* Mengersdorffiorum *equestri prosapia: ignorat deniq; quantis me sibi officijs dum in* Germania *vixi deuinxerint honestissimæ & splendidissimæ vestri ordinis familiæ aliæ; vbi quid* Thungenos, Cotvuitzios, Felbergios, VVirtzburgios, Iarsdorffios, Seckendorffios, Zevvitzios, Huttenos, Seinshemios, Liechtenstenios, Stettenos, Herbilstadios, Voitos, Creylshemios, Scotthos, Giechios, VVallenfelsios, Leonrodios, Rheinstenios, Grunradios, *aliosque infinitos commemorem? Dies me, vox, & latera ante defecerint, quam vel nomina eorum fando percurrere possim, qui ex ordine vestro amplissimo splendidissimoque vicissim in me ornando certarunt. Quæ res fecit, vt merito mihi cogitandum putauerim serio tandem aliquando quo pacto, si non ex asse parem gratiam referre (quod à me fieri non posse pro dignitate ingenue fateor) saltem contestationem animi neutiquam ingrati qualemcunque publicè quasi deponere possem; futuram perpetuum erga vniuersum Ordinem Equestrem Germanici nominis obseruantiæ meæ monimentum. Qua in cogitatione dum sum totus, & animi corporisque oculis omnia excutio, omnia collustro; incidi fortè in eos commentarios* Germanica *lingua ab armorum Rege* Georgio *Ruxnero conscriptos, quibus continentur ludi Equestres solennes à maioribus vestris per annos fere sexcentos in* Germania *olim editi & concelebrati; quorum lectione cum viderem potissimum honestissimas & generosissimas* Germanici *nominis familias posse etiam extra patrium solum innotescere, & quondam virtutum suarum debitum fructum capere, qui cōsistit in peruagata nominum suorum gloria; si illi ijdem Commentarij lingua ea loquerentur, cuius vsus aut omnibus aut certe quam plurimis gentibus nationibusque communis esset: Ilicet, omissis rebus omnibus alijs, id operam dare cœpi, vt illi à nobis Latinitate donati primo quoque tempore in omnium mortalium manus oculosq; exirent. nec hic constiti; sed ne nudi hi quasi indices, destituti omni verborum & narrationum lenocinio (in quo mihi ingenium meum exercendum pluribus eisq; iustissimis ac grauissimis de causis non putaui)*

*putaui) parum grati in vulgus essent, ideoq́ paucíorum fortè manibus tererentur; collegi pro re nata labore ſane non paruo quæcunq́ non iniucunda lectu, nec aliena omnino eſſent alioqui à triumphalib. ludis equeſtribus* Germanicis, *adiunxiq́ quæcunq́ adÿcienda putaui; ſic quoq́ tamen ad ampliſſimi veſtri ordinis laudem ſemper reſpiciens, & ad hanc veluti Cynoſurã curſum hic meum dirigens. Iuncta aũt ea q̃ dixi omnia, qualiacunq́ tandem illa, etſi nondum matura ſatis, edere tamen ꝓperaui, ſtudio repræſentandi ex parte ſaltem, quod nimis diu ampliſſ. veſtro Ordini debeo; nuncq́ edita ita vt videre eſt, ob eas quas dixi cauſas Tui ordinis ampliſſimis & ſplendidiſſimis viris,* inclyta Germanica nobilitas, vobis *inquam,* potiſſimum Franconici, Sueuici, Rhenani nominis proceres, equeſtris dignitatis columina, more maiorum has Pandectas triumphales & cum ijs vna me ipſum quoque Do, dico, addico. *Qua in re ſi vobis hunc animum veſtri ampliſſimi Ordinis ſtudioſiſſimum ꝓbauero, abunde magnum me & eiuſce meæ obſeruantiæ, & laboris mei, quiſquis in hoc opere exantlandus fuit, ſatis, inquam, magnũ horum fructum me tuliſſe putabo. Nam ad eos quod attinet, q hæc me ꝓſecutum ſtudioſe, et ſelegiſſe etiam calũniabuntur, q̃ vt minimi momenti, et tantum non inania, non ſolum cum venia, ſed etiam cum laude ab Hiſtoricis omitti ſolent; id an ita ſit, veſtra æquitas iudicabit. Quæ pro ſua prudentia facile diſpiciet, ſi verum eſt quod illi dicunt, fruſtra videri Romanos triumphorum ſuorum tam ſtudioſos fuiſſe, vt non tantum in tabulas publicè eos retulerint, faſtis inſeruerint, in æs inciderint; verum etiam erectis arcub. triumphalibus ſaxis lapidibusq́ indiderint; artificiq́ celo exprimendos curarint. Quales triumphi licet pleriq́ noſtri nõ ſint, cum non re contra hoſtem bene geſta concelebrati hi fuerint, ſed in inaugurationib. aut feſtis ingreſſibus Principum, tamen hanc hi cum illis cognationem habent, quod perinde à ſubditis non illibenter & inſtruuntur & ſpectantur, quod principib. ſuis, vt legitimis protectorib. & quorum tutiſſimo in p̃ſidio ſuauiſſime acquieſcant, tam præſentib. q̃ qui fuere gratiam hanc referre cupiant. vbi ſi quis in triumphis alioqui mihi ſatis æquus id obÿciendum putabit, vitioq́ vertendum, quod videor ſatis accuratè ludos exſequi & ſpectacula edita olim etiam contra decus regium ab ipſis potentib. rerum; etiam cum labe morum: is cogitet, quisquis tandem erit, Dionem virum conſularem, dum in Neronis vita hæc talia pluribus perſequitur, adeo non putare hoc præter rem aut intempeſtiuè inepteuè à ſe fieri, vt diſertè etiam dicat; quemadmodum opus non eſt ea q̃ dicta factaue non ſunt ſcripto complecti, ac pro dictis factisue narrare; ita ea quæ de Neronis ſpectaculis, vulgiq́ in ÿs acclamationib. pluribus narrauerit, nihil quidquam tantillum omittẽdo aut ſubtrahendo, adeo*

*non esse aliena ab historia, aut ea indigna, grauitatique eius parum conuenientia, vt potius, dum nihil rerum talium reticetur, decus atq; ornamentum præcipuum historiæ afferant. & apertius in vita Commodi Gladiatoris verius quã Imperatoris:* Neq; vero quisquam existimare debet *(inquit, vbi verbosissime ludos & munera ab eo mõstro edita describit)* me propterea minuere grauitatem historiæ, quod hæc scribo: nam cum ea ab Imperatore facta sint, affuerimq; ipse præsens, viderimq; singula, audiuerim & collocutus sim, nihil reticendum putaui. sed ea perinde volui atq; si maxima essent, apprimeq; necessaria posteris memoriæ prodita relinquere. Itaq; *(pergit)* cætera quæ hac ætate facta sunt accuratius diligentiusq; perscribam, quam superiora, partim quod ipse eis interfui, partim quod illa nemini eorum, qui aliquid memoria dignum possint scribere, melius quam mihi cognita esse putem. *Lubenter igitur & huius tanti viri, & accuratissimi Gallici scriptoris Froissardi diligentiam æmulatus sum in hac historiæ parte; & quæ potui quoquomodo in tanta temporis angustia, tantaque negotiorum mole, quantam mihi vel inuito nunc imponit grauis domina necessitas, in vnum quasi corpus contraxi quidquid ad hanc materiam trahi posse non inepte videbatur; nouo quidem exemplo, & quo, quod sciam tantum, nemo ad hunc diem mihi præierit, sed, vt spero, non illaudabili vel ob id præcipuè, quod ad nominis laudem amplissimi vestri Ordinis, in nullius mortalium omnium iniuriam in eo spectent et dirigantur omnia. Accipite igitur* Viri splendidissimi, generosissimiq; *has Pandectas Triumphales vobis dignis animis, nostriq; si quæ erunt sermonis maculas vestra abstergat auctoritas, nostram obscuritatem vester splendor illustret: & olim fortasse eadem hæc non paulo politiora, auctiora, augustioraq; iisdẽ vestris faustissimis auspicijs lucẽ videbunt. Quod dum fit, vos, à quibus in bona parte Pax Germaniæ pstatur, etiã Pacis alumnas litteras ab iniuria & omni indignitate strennue vindicate, horumq; librorum lectione hoc etiam lubentius vos oblectate, quod plerique in eo, imo omnes fere, maiorum vestrorum splendide aut fortiter gesta inuenietis. quo nomine si pictis triumphis tabulisq; adeo delectamur, vt passim iis principum aulæ insigniantur: quãto magis legi hæc talia debent, cum pictura sculpturaque oculos tantum pascat, libri animum mentemq; instruant. cum pictura mutam, inanem, & sæpe falsam (vtpote à pictoris ingenio iudicioq; profectam) descriptionem contineat, libri viuentem præceptionem, atq; exactam spondeant. Adde huc quod tabulas etiam imperiti pingunt, litterarum monimenta non nisi docti, & multa lectione rerumq; & verborum copia instructi conficiũt; vnde rectè illud conficitur, tanto esse litteras pingendi arte præstantiores,*

*res, quantum docti indoctis, viui mortuis antecellũt. quod quia nec vobis ignotum est* Viri splendidissimi; *hæc atq; alia modo commemorata non paruam mihi spem faciunt, triumphale hoc opus vestra vobis cognitione non indignum visum iri: in quo vel solo votorum meorum summa facile acquiescet. Hauete* Viri proceresq; amplissimi, *& strennuè, quod soletis, Germana, hoc est verè vestra, vestroq; ordini propria virtute ad gloriam eam contendite, quæ vos & vbiq; gentium fama nominis quam celeberrimos, & olim, exacta per omne virtutis genus laudabiliter vita, in cælis beatissimos reddat. Cuius voti compotes vniuersos & singulos faciat vos Deus Opt. Max. cui ego non minus summisso & deuoto animo vos vestraque omnia commendo, quam me meaq; vobis. Datum Francofurti ad Mœnum, ipsis Kalendis Septembribus anni* CIↃ.IↃ.LXXXVI.

# FR. MODIVS IC. BRVG.

## CL. VIRO MARCO SCHVVEICKHERO, I. V. DOCTORI, ET SPLENDIdissimi Ordinis Equestris, Nobilitatisq; Circuli Franconici Aduocato S. P. D.



Vm, absoluto in scholis Louaniensib. Duacensibusq; sub celeberrimis Antecessoribus & Præceptoribus legitimo Iuris vtriusq; studiorum curriculo, inibi iam essem, vt non ineptus deinceps viderer, qui reipublicæ more maiorum meorum adhiberer, & rebus gerendis interesse inciperem; vbi ea in vsum publicum conferrem & meditarer, quæ olim didicissem; clariss. *Schuueickhere*, calamitas Belgicæ nostræ subito hanc spem corrupit, & planè extinxit; adeò, vt cum non viderem vbi disciplinam Iuris cum dignitate & tuto exercere possem, patria mœrens excesserim. In quo tamen, initio hoc mihi pro re nata nõ infeliciter euenire visum est; quod cum Coloniam Agrippinam Vbiorum primum me mea fortuna detulisset, ibi inciderim in illustrem *Carolum Egmondanum*, non vnam iam, sed solam ferè Belgicæ nostræ spem de tot olim Principibus; qui tum in ea vrbe puer in studijs educabatur. Ab huius enim moderatoribus in familiam eius receptus sum honoris mei causa, officia ei aulica exhibiturus. Vbi cum per annum vixissem in otio literario, erepta est huic principi puero per summum scelus à nefarijs quibusdam hominibus totum illud, quo se ad eum diem totamq; familiam & comitatum suum sustentauerat. Vnde coactus alia mihi ratione prouidere, in familiam me dedi generosi *Adolphi Hermanni Riedeselij*, cui fortè innotueram, cum per illud tempus versaretur Coloniæ in comitatu Reuerendissimi Domini, & Illustrissimi Principis, *D. Iulij*, Episcopi VVirtzeburgensis, Franciæ Orientalis Ducis: apud quem *Riedeselium* cum fuissem satis ex sententia per aliquot nouem, decem menses, & cupidus intelligendi quid in Belgica ageretur, cum *Riedeselij* bona venia Coloniam excurrissem, repperi ibidem Comitis *Caroli Egmondani* (qui tum cum paruo admodum comitatu pro præsenti copia agebat Moguntiæ) Procuratores; qui cum frustra multa per litteras diu tentassent, me opere maximo orare cœperunt, vt legationem Principis pueri sui nomine susciperem ad Ordines Belgicę, & Principem Aurasinum: ad quam rem promittebant adiumenta ab Illustrissimis aliquot Germanis Principibus propinquis nostri Egmondani. Quid quæris? passus sum mihi imponi eam prouinciam, eo facilius quidem, vt priuatim rebus etiam meis, si qua possem, consulerem; Acceptis igitur capitibus legationis meæ, & commẽdatitijs litteris Illustrissimorum longe Principum; *Ludouici* Comitis Palatini, Septemuiri Electoris; & Ducis *Ioan. Casimiri* fratris ipsius; itemq; Ducis *Richardi* Simmerensis, cõtendo recta in Belgicam. sed, vt rem in pauca conferam, biennio fere sumptibus maximis, nec minore periculo in itineribus difficillimis conficiendis, & aula consectanda consumpto, contritoq; arte, & fraude, machinationeq; quorumdam, qui ex alieno incommodo suum parabant commodum, re nulla impetrata, nisi quod semel non adspernanda summa pecuniaria per illud idem tempus Illustris *D. Caroli* mei præsentem tum prope egestatem subleuandam curaui, in Germaniam inanis ipse redij; & eodem Comite *Carolo* se conferente ad Ducem Iuliacensem, Cliuensem, &c. parabam redire ad *Riedeselium*, qui mihi huius rei quandocunq; vellem liberam potestatem litteris multo ante dederat; sed nactus mox eundem *Riedeselium* Francofurti ad Mœnum in solenni mercatu, intellexi eum, quod me rediturum post tantum temporis interuallum desperasset, alium quendam è nobilitate Thuringiaca in familiam suam adsciuisse ante paucos menses, ad quod etiam adactus esset occasione filiæ suæ vnicæ, quam nuptum elocare constituisset; cernẽs igitur me hinc etiam exclusum; rem omnem ad Doctorem *Posthium* Archiatrũ tum Vuirtzeburgicum, qui cum magna mihi familiaritas Colonię fuerat, perscribo; eoq; cõciliante insinuo me mox in gratiã Reuerẽdi Dom. & Amplifs. rebus omnib. viri *D. Erasmi Neustetteri* cognomẽto *Sturmeri, Præpositi Combergensis, &c.* qui me ita, vt scis, triẽnio domi suæ habuit, vt filio præstare amplius nihil potuerit: discedentemq; etiam in patriã, quò

post pere-

post peregrinationem octo annorum propinquorum litteris precibusq; reuocabar, eo viatico prosecutus est, quod nō tantū ad iter in Belgicum abunde mihi suffecit, verum etiam ad visendas bibliothecas aliquot nobiles, & inprimis Fuldensem illam tota Europa celeberrimam, vbi per menses etiam aliquot (antiquissimorum voluminū causa, quæ ibi partim exscripsi, partim cum cusis exemplaribus contuli) substiti. Vnde cū tandem in patriam spe plenus, quia Pax per idem tempus tota ferè Flādria publicata dicebatur, velis remisq; contenderem; sero intellexi mihi data esse verba. nam ô me miserum, quam nihil ibi pacatum repperi; coactus tribus septimanis Curtraci, quod oppidum diei vnius itinere abest Brugis nostris, subsistere, & exspectare quorum commeatu tuto deducerer, infestis passim itineribus, propter & per eos qui Slusis & Oosthendæ maritimis præsidijs incubant aduersarum partium; vixq; comitatu triginta, quadraginta hastatorum equitum, & trecentorum aliquot sclopetariorū, præter innumeram multitudinem negotiatorum, institorum, & aliorum viantium, iterq; quaqua causa facientium, itidem ad vim propulsandam bene armatorum, vix tandem, inquam, Brugas perueni. Vbi cum putarem mihi omnia processura ex sententia, repperi vrbem exhaustam & exsanguem, fameq; planè cōfectam, & à re pecuniaria ita imparatam aut potius destitutam, vt pretia rerum, quæ solebant esse centenaria, vix iam essent denaria. damnata igitur tam intēpestiua reuersione, post maximas iacturas & damna rei familiaris, cum fundos villasq; adhuc partim sub salo fluctuare, partim ob hostium propinquitatem & subsessas coli & elocari non posse viderem, collectis rursum sarcinulis redij vnde pedem extuleram. in hanc puta vrbem Francofurtensem, mihi & ob Mercatus semestres, & ob alias multas commoditates cum maxime idoneam visam, vbi de genere vitæ in posterum, saltem temporario, cōsilium caperem & deliberarem. quod faciens cū prouiderem, cōscius quo in statu res publicas priuatasq; in Belgica reliquissem, domo annis aliquot proximis perparum subsidij pecuniarij exspectandum mihi esse; tandem illud constitui, operam meam omnem conferre ad litteras, & si qua possem rem typographicam adiuuare; ad quam rem olim etiam emendatos & notis meis illustratos edideram *Q. Curtium Rufum* de rebus gestis Magni Alexandri; Trogi Pompeij abbreuiatorem *Iustinum*; scriptores de re militari *Vegetium, Frontinum, Aelianum*, alios. Atq; eo consilio etiam nunc hic viuo, fortuna præsente contentus dum meliora fors feret. vel ob hoc sanè felix interim, quod nactus hic sum studiorū meorum patronum & adiutorem insignem *D. Henricum Kellnerum*, patricium huius vrbis, verum Fichardi non tantum in syndicatu patriæ suæ & officio publico, verum multo magis in humanitate, comitate, hospitalitate successorem. quem virum si hic non nactus essem, nihil quidquam de me polliceri, nihil præstare publicè potuissem. Vere enim illius auxilio mea omnia innituntur, sine ipsius ope nunquam ad consiliorum meorum explicationem peruenire equaluissem. Quis autem alius tanta facilitate tantum laborem caperet, quantum hic vir optimus cepit, vt integram mihi suam bibliothecam, atq; eam quidem instructissimā, non tantum aperiret, sed etiam domum ad me deferendam curaret, idq; tanta constantia, vt neq; negotijs, quibus plurimis & maximè arduis premitur, neq; vllis reb. alijs ab officio hoc auocari se patiatur? Equidem profiteor lubens, & passim professurus sum, si quid ex lucubrationibus meis vtilitatis in remp. vmquam redundabit; si quid; eius bonam imo potissimam partem iure consultissimo Dom. Doctori *Kellnero* deberi, qui instrumenta ad hæc talia vnica assiduè mihi suppeditet, sine quibus non magis possim aliquid in hoc genere præstare, quam artifex quiuis sellularius manu victum quærens sine norma. Cæterum huius illi clarissimo viro fructus alibi vt spero constabit; nunc hic hęc ad te, consultissime *Schuueickhere*, præfari volui potissimum, vt intelligeres qua in spe & re hic nunc viuam; etsi diuturna ea vita mihi hic neutiquam futura videatur, reuocante mecum maximè dum hęc scriberem ad se honestissimis conditionibus Illustri Comite meo *Carolo Egmondano, Principe Gaueræ. &c.* quem videor in Italiam mox aut comitaturus aut certè secuturus: quod per te illis significatum velim, quibus significandū putabis. apud quos etiam has *Pandectas* meas *Triumphales*, de quib. satis multa alibi dixi, dicamq;, de meliore scilicet nota, si merentur, commendabis. Vale amicissime *Schuueickhere*, & notis omnibus amicisq; verbis meis salutem plurimam imperti. Francofurti ad Mœnum ipsis KL. Septemrib. anno à Christo sospitatore cIↄ. Iↄ. LXXXVI.

IOAN-

## IOANNIS POSTHII, ARCHIATRI PALAT. Septemuiralis, in Pandectas triumphales Fr. Modij.

*LVdicra Germanus tractans certamina quondam*
*Erudijt fortes ad fera bella manus.*
*Sed neglecta diu iacuere prioribus annis,*
*Et vix iam patrio nota fuere solo.*
*Ecce nouam Modius lucem impiger attulit istis,*
*Romano vulgans Teutonis acta sono.*
*Multaq; præterea Regum monumenta Ducumq;*
*Germanæ prudens addidit historiæ.*
*Sidere felici totum quæ fusa per orbem*
*Auctoris celebrant nomina clara sui.*
*Virtutem colite ô proceres; hæc vna superstes*
*Permanet, vt fumus cætera dispereunt.*

## ALIVD EIVSDEM.

*Pandectas Francisce tuos cultissime poscit*
*Nobilium quicquid Teutonis ora fouet.*
*Jamq; suum Modium iuuenesq; senesq; loquuntur,*
*Historico & statuunt præmia digna suo.*
*Sume animos, operose ModI, tua fama vigebit,*
*Donec in orbe aliquid nobilitatis erit.*

PANDE-

# PANDECTARVM TRIVMPHALIVM
## Tomi Primi liber Primus.
## *BENEVOLO LECTORI S.*

POtest fieri, fateor, beneuole & amice Lector, vt alij alia euētu meliore scripserint, litterarumq; monimentis tradiderint; verum qui conatu cōfidentiore omnes omnium gentium triumphos militares, inaugurales, nuptiales, funebres; qui ludos omnes omnis generis tam equestres quàm pedestres, & singulares ex prouocatione congressus, quam ipse nuper aggressus sum, sit colligere & vulgare ausus, quod sciam fuit nemo. Quippe ab hinc anno (neque omnino amplius) non vnius populi, non gentis, non principis, non reipublicæ (quamquam pręcipuè & ab initio iam & mox per opus vniuersum ad Germanici & Belgici inprimis nominis laudem respexisse me fateor) sed omnium omnino qui sub sole sunt triumphos, reliquaq; quæ triumphos consequi solent concelebranda & cōmemoranda suscepi; eo consilio, vt, si fata deusque siuerint, ab omni æuo in hoc genere vbiq; terrarum visa spectataque, quæ modo ad nostram notitiam quoquomodo peruenissent, ad nostra hæc tempora retraherem. Et iam non paruo successu pro copia rerum & temporis bona pars erat laboris huius exhausta, comparataque habebam ad eius perfectionem non pauca adiumenta; cum veritus ne magnitudo operis gratiæ obstaret, si tam longa rerum tam variarum explicatio vno ederetur, atq; eo necessario inmenso & immodico volumine; subitus quidam impetus cepit me horum saltem quos vides, lector candide, librorum in apertum & lucem solemque referendorum: qui non tam relationem, quàm typum haberent earum rerum, quas in hoc opus triumphale referre meditamur. Quod vos, viri Principes, Illustres Comites, Baronesq;: splendidi & generosi equestris ordinis, eq; reliqua nobilitate proceres, quod, inquam, vos serio rogatum volo, vt si quid hic animos vestros offendat, exerratumque sit (vt facile & procliue factu fuit in nomenclatione inprimis familiarum propter exemplarium nūc corruptelam nunc variationem, quæ me animi sæpe incertum reddiderunt) de eo me tempestiuè admoneatis, vt proxima editione hæc talia corrigātur. Amplius obtestor vos (& quicunque alij cuiuscunq; conditionis aut gentis homines hæc nostra sibi cognoscenda puta bunt) vt si quid domi habeatis quo opus hoc nostrum auctius ornatiúsve prodire mox possit, hanc vobis laudem ne inuideatis, sed mittatis in hanc vrbem quidquid id erit, ad virum bono reip. litterariæ natum, Sigismundum Feyrabendium; & nos quod poterimus vindicare omnia strēnuè ab obliuionis iniuria conabimur. In quo nolim aliquem in hunc vrsinum partum, quem abijcere coactus sum multis de causis, inspicere; & sic iudicium de nobis facere: sed in maturiores quosdā ingenij & iudicij nostri fœtus; quorum nos, si quid bonis & doctis viris quibusdā credere fas est, pœnitere aut pudere adhuc non debet. Quos doctos viros primum inprimis librum & quartum tomi prioris Pandectarum nostrarum (nostrorum debui ex arte dicere; sed malui in hoc receptum errorem sequi, quo iam pridem genus ea vox apud Latinos vulgo mutauit, quam cum paucis sapere velle videri, quibus hæc non scribimus) hoc est, eos qui sunt de triumphis & ludis spectaculisque veterum, conniuentibus velim oculis percurrere; & nō vt à nobis scriptos, sed exscriptos habere tantisper, dum ex nostri (aut certè aliorum accuratiorum in hoc genere, quam illi fuerint vnde ista ad tempus mutuati sumus) ingenij quamuis satis exigui officina alia damus, paulo, vt speramus, de tota hac re & pleniora & meliora. Reliqua ferè omnia, præterquam quod quædam hinc inde saltuatim ex historiarum monimentis excerpsi; reliqua, inquam, pleraq; ex Germanica, Gallica, Italica inprimis linguis vtcumq; à me conuersa sunt. in quibus si quid commissum aut admissum erit; non tam imbecillitati iudicij nostri, quam præproperæ scriptioni & festinationi imputari id velim: re vera aliquando omnibus probaturus, si Deus Opt. Max. vitam mihi suppeditauerit, & cupiuisse & potuisse me hæc ornatiora longè edere, sed temporis, vt dixi, iniuria prohibitum; & ad illud, in hoc opere magis alienæ cupiditati, quam meæ voluntati obsequi necesse habuisse. Haue & vale, quisquis es lector, & si quid erit quo institutum nostrum adiuuare ornaréve poteris, fac quod boni solent. Iterum Haue & Vale.

PANDE-



# PANDECTARVM TRIVMPHALIVM TOMI PRIMI LIBER PRIMVS, QVI EST *de Triumphis veterum.*

## TRIVMPHVS VNDE NOMEN HABEAT; A quo fluxerit mos triumphandi, & cui demum Romæ triumphare fas fuerit.

1.



*Riumphare, inquit Varro, appellatum, quod cum Imperatore milites redeuntes clamitant per vrbem in Capitolium eunti, Io triumphe: à* θριάμβῳ *Græco Liberipatris cognomento, quod vt testis Plinius, Liber pater primus triumphum inuenerit. Lege autem fuit cautum, ne quis triumpharet, qui minus quam quinque hostium milia vna acie superasset. Catoq; & Martius tribuni plebis altera lege pœnã statuerũt his, qui in relatione rerũ à se gestarum mentirẽtur. Vnde ingressuri vrbem triumphaturi, apud quæstores vrbanos de veritate scripta iurabant. Legibus item ac pro consuetudine fuit obseruatum, vt pro aucto tantum imperio, non pro instaurato triumpharetur. Itaq; nec P. Scipioni recuperatis Hispaniis, nec M. Marcello captis Syracusis triumphus est concessus. Primus autem apud Romanos in triumpho Liberum patrem imitatus est Titus Tatius, qui triumphans de Sabinis, princeps omnium ouans vrbem ingressus est: quoniam rem leuiter absque cruore gesserat, myrtoq; Veneris Victricis coronatus incessit, quæ postea fuit ouantium corona. Cæterum apud Maiores nulli licuit triumphare, qui nec dictator, nec consul, neque prætor res gessisset; quod cum L. Lentulo obiectum esset, qui proconsul in Hispania rem bene gesserat, ouans in vrbem ingressus est. Et hinc à Scipione ob res bene gestas magis tentata est triumphi spes quam petita pertinaciter, quia neminem ad eum diem triumphasse, qui sine magistratu res gessisset, constabat. Nouoq; etiam exemplo, C. Manlius de plebe primus dictator, de Etruscis populi iussu sine*

Triumphare qd denotet.

Cui triumphare licuerit.

Cuis triumphare potuerit.

*autoritate patrum triumphauit: & solus Gneus Pompeius, quod multi scripsere, eques Romanus, & prius quam per ætatem consul fieri posset, bis triumphauit, quod in delubro Mineruæ in titulis Pompei apparuisse Plinius affirmauit. Erat & alia lex siue consuetudo triumphaturis, vt prius reportarent exercitum, prouinciamque in qua res gesserant successoribus redderent quietam. Vnde ait Liuius, Lucius Manlius consul ex Hispania redierat, cui postulanti à senatu in æde Bellonæ triumphum, rerum gestarum magnitudo impetrabilem faciebat, exemplum obstabat, quod ita comparatum more maiorum erat, ne quis qui exercitum nõ deportasset, triumpharet, nisi pacatam perdomitamq́ue successori prouinciam tradidisset.*

## DE MODO TRIVMPHANDI ET habitu triumphantis.

### I I.



*Vrru autem semper peruectos fuisse, qui triumpharẽt, constat: duarum tamen rotarum, quales Romæ in Titi Vespasiani arcu ad sanctam Mariam nouam, & in sanctæ Martinellæ sacello L. Veri Antonini marmori incisos ad iustam prope mensuram extare adhuc constat: ducitúrque vterque dictorum imperatorum currus equis quatuor, præter equos tamen taurósque, vtrosque albos, elephantis postea ducendo currui nonnulli ex principibus sunt vsi. Nam Pompeij triumpho Aphrico elephanti currum traxere. Quem in hoc sicut & in cæteris Cæsar superauit, qui, vt ait Suetonius, Gallici triumphi die ascendit Capitolium ad lumina, elephantis quadraginta, dextra leuáque lychnos gestantibus. Et sic Capitolinus quadrigas elephantorum Gordiano decretas scribit, vt qui Persas vicisset, triumpho Persico triumpharet. Cæterum Flauius Vopiscus etiam ceruorum meminit in Aureliano, dum ait; Fuit & alius currus quatuor ceruis iunctus, qui fuisse dicitur Regis Gothorum, quo vt multi memoriæ tradunt, Capitolium Aurelianus inuectus est, vt illic cæderet ceruos, quos cum eodem curru captos vouisse Ioui optimo maximo ferebatur. Obseruabatur & hoc, vt si triumphus ob rerũ transuehendarum multitudinem vna die perfici non poterat, alij dies perficiendo adhiberentur. Titum enim Quintium Flaminium de Macedonibus & Græcis triduo triumphasse scriptores testantur; & hinc Suetonius de Cæsare ait; eodem mense quater sub diuersis Ducibus triumphauit. & de Augusto: curules triumphos tres egit Dalmaticum; Acciacum, Alexandrinum, continuo triduo. In ipsoque triumphantum curru filios*

*filios sedere solitos fuisse, Cicero pro Muræna confirmat, & Æmilium Paulum speciosissime in triumpho filium duxisse legimus, quem triduo post amiserit. Gratius tamen egisse videtur Hadrianus, cui cum triumphum senatus, qui Traiano debitus erat, detulisset: recusauit ipse, atque imaginem Traiani curru triumphali vexit, vt optimus Imperator, ne post mortem quidem triumphi amitteret dignitatem. At Parthico triumpho quem duxerunt simul Lucius & Marcus Antonini fratres, etiam puellæ virgines Marci filiæ vectæ sunt eodem triumphali curru. è contra verò impurus ille & brutus homo Commodus Antoninorum & imperatoriæ maiestatis ac nominis inquinator, Romã vt rediјt, impuro suo Antero post se in curru collocato ita triumphauit, vt eum Anterus ceruice reflexa publicè oscularetur. cõtra pie rursus fecit Seuerus Apher, qui Parthicum deferẽtibus patrib. triumphum idcirco triumphare ipse recusauit, quod consistere in curru affectus articulari morbo non posset, sed filiјs concessit, vt triumpharent. Erat autem ideo triumphus gratissimus populo Romano, quia nihil est victoria dulcius, nihil victoriæ testimonio iucundius: quid enim delectabilius, quam si, quos sæpe metueris, eosdem victos ad supplicium duci iubeas. Etenim qui triumphant, ideo viuos hostium duces seruant, vt his per triumphum ductis pulcherrimũ spectaculum fructumq́; victoriæ populus Romanus percipere poßit, quo facto cum de foro in Capitolium currum flectere incipiunt triumphantes, illos duci in carcerem iubent. Idemq́; dies & victoribus, imperiј, & victis, vitæ finem facit. Sequebantur autem laureati milites triumphantes, vt quasi purgati à cæde humana intrarent vrbem, quod laurus omnibus suffitionibus adhiberi soleat; deinde boni ominis causa, vt sicut illa omni tempore viret, sic similiter resp. semper floreat: vnde ait de lauro Plinius: Laurus triumphis propriè dicatur: Cæsarum Pontificumq́; sola domos exornat, & ante limina excubat. Idem tamen Plinius, morem dicit triumphantium olim fuisse, vt vterentur corona Etrusca ex auro, quæ a tergo sustineretur a seruo, annulum autem in digito ferreum haberent, quasi æqua esset fortuna triumphantis, & serui coronam sustinentis. Sicq́; triumphasse de Iugurtha Caium Marium refert, qui tertio demum consulatu aureum sumpserit annulum: sed in his quæ nunc extãt marmoreis triumphantium figuris, fortuna alata non seruus, coronam sustentat, quam quidem fortunam inaurato corio, aut aliter depicto fuisse crediderim: colorem enim suum nunc habet marmor, & de re ipsa nihil apud scriptores reperire est. Tunica autem aurea triumphasse Tarquinium Priscum, Plinius aliíque auctores sunt. Hoc verò moris fuit, non legis, vt imperatores belli ciuilis victoria quantumuis magna, non triumpharent, quia ciues non hostes occiderant. Atque hinc nec Nasica,*

*Tiberio Gracchо cum suis perempto, nec Metellus Caio Opimio, neque Antonius Catilina, superatis triumpharunt. Lucius verò Sylla cum de Græcis vrbibus captis, & simul de ciuibus Marianis superatis triumpharet, sola vrbium captarum spolia, in triumphum prætulit. In vsu præterea fuit, vt sequentes triumphalem currum milites, scommata in imperatorem suum iacerent. Sicq; Gallico triumpho Cæsaris milites, inter cætera carmina iocularia, etiam illud vulgatißimum pronunciarunt: Gallias Cæsar subegit, Nicomedes Cæsarem: & Ventidium Bassum Parthici triumphi die secuti milites decantarunt: Qui mulos fricabat factus est consul. lege autem cautum erat, vt Plutarchus in Pauli Æmilij vita tradit, Ne quis Dux ante triumphum, vrbem ingrederetur. vnde etiam in Vaticano necessarios triumpho apparatus facturi expectabant; Triumphos autem omnes Romæ & nusquam alibi præter duos fuisse ductos atque celebratos constat: mirumq; in tanta rerum & imperij euersione, in tanta principum & tyrannorum insolentia, in tanta sedium & locorum mutatione, quantam pene singuli fecerunt imperij moderatores, neminem fuisse eorum, qui aut Mediolani, aut Aquileæ, aut Constantinopoli voluerit triumphare. Lucium autem Pisonē tradit Plinius scripsisse: Papyrium Cursorem primum in monte Albano triumphasse de Corsis: Et Papyrium Masonem, cum triumphum Romæ non impetrasset, in Albano mōte triumphasse; Triumphosq; ipsos omnes viginti & trecentos fuisse, Paulus Orosius, omnium qui stantis adhuc Romani imperij gesta scripserunt vltimus, est autor.*

DE IIS QVI ROMAE EX ORDINE TRIumpharint, stricta & summaria narratio.

III.

*PRimum apud Romanos Titum Tatium Regē, Dionysii imitatione triumphum duxisse diximus, & alium è Regibus Tarquinium Priscum pariter triumphasse, Plinium scribere supra item ostendimus; sed quales hi fuerint triumphi, à nemine tradi vidimus. Cæterum Publius Valerius consul, primus pulso Tarquinio, & Veijs Tarquiniensibusq;, post Bruti mortem, superatis, reges pulsos in hoc, sicut & in plerisque, imitatus, triumphauit. Etsi verò nonnullos ex triumphis, qui visi ampliores pro tempore atq; speciosiores describere seorsum in animo est, maiorem tamen eorum partem summatim colligendo perstringemus, seruato temporum ordine, vt crescentē populi Romani potentiam, triumphorum quoque amplitudinem imitatam fuisse appareat, vtq; omnibus constare poßit, quo tempore Romana potentia seipsam sub Pompeio, & Cæsaribus ferre non potuit, triumphos fuisse ductos,*

*ctos, qui deorum potius quam hominum opulentiam fastumq́ imitati sint. erit autem hic nobis à Camilli triumpho initium; de quo sic habet Liuius. Aduentus quoque dictatoris omnibus ordinibus obuiam effusis celebratior quam vllus vnquam antea fuit: triumphusq́ omnem consuetum honorandi diei illius modum aliquantum excessit: maxime conspectus ipse est curru equis albis iuncto, vrbem inuectus: parumq́ id non ciuile modo, sed humanum etiam visum: Iouis Solisq́ equis æquiparatum dictatorem, etiam in religionē trahebant. Triumphusq́ eam ob vnam maxime rem, clarior quam gratior fuit. Quem triumphum etsi Liuius magnis effert laudibus, à nulla tamen alia eum, quam equorum alborum parte laudare potuit, quod præda (vt assolebat) transferendæ, populo erat distributa: Et nulli erant digni magnates, quos ante currum captiuos ducere potuerit.*

*Alius autem triumphus post multos annos, à Papyrio Cursore dictatore de Samnitibus ductus, et si aliquid decoris, nullam tamen habuit prædam cum captiuis ordine traducendam; sic enim scribit de eo quoq́ idem Liuius. Dictator ex senatusconsulto triumphauit; cuius triumpho longe maximam speciem, captiua arma præbuere: tātum magnificentiæ visum in ijs, vt aurata scuta dominis argentariorum, ad forum ornandum diuiderentur. inde natum initium dicitur fori ornandi ab ædilibus cum tensæ ducerentur.*

*Nec maioris fuit apparatus triumphus, de quo sic habet lib. decimo Patauinus, Q. Fabius Deciano exercitu relicto in Etruria, suis legionibus deductis ad vrbem, de Gallis Etruscisq́ ac Samnitibus triumphauit: milites triumphantem secuti sunt. Celebrata inconditis carminibus militaribus non magis victoria Q. Fabij quam mors præclara P. Decij est; excitataq́ memoria parentis æquata euentu publico priuatoq́ filii laudibus. dati ex præda militibus æris octogeni bini, sagaq́ et tunicæ præmia illa tempestate militiæ haud quaquam spernenda.*

*Primus post hos triumphus fuit Papyrii Cursoris tunc consulis, de quo libro eodem decimo ita traditur, Consul exercitum de Samnio deduxit; venienti Romam triumphus omnium consensu est delatus. Triumphauit in magistratu insigni, vt illorum temporum habitus erat, triumpho primū equites peditesq́ insignes donis transiere, ac transuecti sunt: multæ ciuicæ coronæ, vallaresque ac murales conspectæ: inspecta spolia Samnitium, & decore atque pulchritudine paternis spoliis, quæ nota frequenti publicorum ornatu locorum erant, comparabantur. ducti nobiles aliquot captiui clari suis, patrúmque factis: æris grauis transuecta vicies centum milia, & triginta tria milia: Omne æs argentúmque in ærarium conditum: militibus nihil datum ex præda est.*

*Maioris ergo lætitiæ & gloriæ prædictis, triumphum duo Coss. simul Claudius Nero & Liuius Salinator, deuicto occisoq; Hasdrubale, duxerunt, quem Liuius extollere est adnisus. Cum tamen huic etiam triumpho, plura non affuerint magnifacienda, quam quæ superiores habuisse docuimus.*

Sic enim lib. XXVIII. *Liuius: Ita consociatus triumphus, cum vtrique, tum ei magis, qui quantum merito anteibat, tantum honori collegæ cesserat, gloriam auxit. Illum equitem aiebant, sex dierum spatio träscurrisse longitudinem Italiæ; & eo die cum Hasdrubale in Gallia signis collatis pugnasse, quo eum castra aduersus sese in Apulia posita habere Hannibal credidisset. ita vnum consulem pro vtraque parte Italiæ aduersus duos duces, duos imperatores, hinc consilium suum, hinc corpus opposuisse: nomen Neronis satis fuisse ad continendum castris Hannibalem. Hasdrubalem vero qua alia re quam aduentu eius obrutum, atque extinctum esse? Itaq; iret alter cos. sublimis curru multiiugis, si vellet, equis: vno equo per vrbem verum triumphum vehi: Neronemque etiam si pedes incedat, vel parta eo bello, vel spreta eo triumpho gloria, memorabilem fore. hi sermones spectantium Neronem vsq; in Capitolium prosecuti sunt. Pecuniæ in ærarium retulerunt, sestertiûm tricies octuaginta milia æris. militibus M. Liuius quinquagenos senos asses diuisit, tantundem C. Claudius absentibus militib. suis est pollicitus, cum ad exercitum redisset. Sed libet multos alios ex triumphis transire minoribus, vt ad maiores citius veniatur. Igitur Scipionis triumphum* XXXII. *libro Liuius sic describit: Pace terra marique parta, exercitu in naues imposito, in Siciliam Lilybæum traiecit: inde magna parte militum in nauibus missa, ipse per lætam pace non minus quam victoria Italiam, effusis non vrbibus modo ad exhibendos honores, sed agrestium etiam turba obsidente vias, Romam peruenit, triumphoq; omnium clarissimo in vrbem est inuectus. Argenti tulit in ærarium pondo centum milia* XXIII. *militibus ex præda quadragenos æris diuisit: morte subtractus est, spectaculo magis hominum quam triumphantis gloriæ Syphax. Hæc Liuius, sed lubet eundem triumphum ab Appiano diligentius descriptum ita repetere.*

*Scipio, inquit, post hæc ex Libya in Italiam profectus, vniuersas copias classe traduxit, Romámque ad triumphum reuersus est, quem omnium ante se splendidissimum dicitur egisse. Eius forma, vt nunc fit, ab illo seruata est; fuit autem huiusmodi: Sertis redimiti omnes præcinentibus tubis, currus spolijs refertos deducebant. ferêbantur & ligneæ turres, captarum vrbium simulacra, aurum deinceps & argentum, partim rudibus massis, partim signatum:*

*Coronæ*

*Coronæ præterea, quas virtutis gratia vrbes dedissent: candidi subinde boues & elephanti illos sequebantur. Post hos Carthaginensium ac Numidarum principes bello capti. Imperatorem lictores præibant, purpureis amicti vestibus, tum citharœdorum ac tibiarum turba ad Etruscæ similitudinem pompæ: hi succincti coronísque aureis redimiti, suo quisque ordine canentes psallentésque prodibant, hos Lydios appellant, vt facile crediderim Etruscos à Lydys sumpsisse originem: horum in medio quispiam talari veste fimbrys ac armillis auro splendentibus amictus, gestus varios edebat: hostibúsque deuictis insultans, risus vndique ciebat. Post thuris & odorum copia Imperatorem circumsteterant, quem curru deaurato multifariamque refulgenti, candidi vehebant equi, auream capite gestantem coronam capillis ornatam, gemmisque. is vestem succinctus purpuream patrio more aureis intextam sideribus, altera manu eburneum sceptrum, altera laurum præferebat, quæ Romani victoriæ insignia profitentur. Vehebantur & cum eo pueri virginésque, & ad habenas hinc inde cognati iuuenes: demum qui exercitum secuti erant stipatores, ministri scutiferi: postremo exercitus in turmas aciesque diuisus, currum sequebatur. Milites quoque lauro redimiti, laurum manu ferentes, quibus meritorum insignia adiuncta. Aderantq́ qui hos quidem laudibus ferrent, hos salibus insectarentur, nonnullos infamia notarent. simplex denique triumphi forma, & quam vnusquisque sermone facile explicare queat. cùm in Capitolium ventum esset, Scipio deposito apparatu, epulum amicis (vt mos erat) in templo præbuit.*

*Post hunc haud diu M. Porcius Cato triumphum ex Hispania duxit, superioribus parem, de quo Liuius* XXXIIII. *M. Porcius Cato ex Hispania triumphauit; tulitq́ in eo triumpho argenti infecti viginti quinque milia pondo, auri mille quadringenta: militibus diuisit in singulos ducenos septuagenos æris: triplex equiti.*

*Per idem tempus L. Quintius triumphum triduo duxit continuo, his qui postea sub principibus ducti sunt simillimum, de quo sic habet idem Liuius lib.* XXXIIII. *Postquam Romam ventum est, senatus extra vrbem Quintio ad res gestas edisserendas datus est. Triumphusq́ meritus ab lubentibus decretus, triduum triumphauit; die primo, arma, tela, signáque ærea, & marmorea transtulit; plura Philippo adempta, quam quæ ex ciuitatibus cœperat. Secundo die argentum aurúmque factum, infectúmque & signatum. Infecti argenti fuit* XVIII. M. *pondo, & ducenta septuaginta: facti vasa multa omnis generis, cælata pleraque, quædam eximiæ artis, & ex ære multa fabrefacta: ad hoc clypei argentei decem, signati argenti octuagin-*

*octuaginta quatuor milia fuere Atticorum, tetradrachmam vocant; trium ferè denariorum in singulis argenti est pondus. auri pōdo fuerunt tria milia septingenta, decem & quatuor: & Clypeus vnus ex auro totus: & Philippei aurei nummi quatuordecim milia quingēti, quatuordecim. Tertio die coronæ aureæ, dona ciuitatum, translatæ centum & quatuordecim, & hostiæ ductæ, & ante currū multi nobiles captiui obsidesq́, inter quos Demetrius regis Philippi filius, & Armenes Nabidis tyranni filius, Lacedæmonius. Ipse deinde Quintius in vrbem est inuectus, secuti currum milites frequētes, vt exercitu omni ex prouincia deportato: ijs duceni quinquageni æris, in pedites diuisi, duplex centurioni, triplex equiti: præbuerunt speciem triumpho capitibus rasis secuti, qui seruitute exempti fuerant.*

*Hinc suum diu post triumphum P. Cornelius Nasica de Boijs duxit, in mediocribus numerandum, quem sic Liuius describit: In eo triumpho Gallicis carpentis arma, signa & spolia omnis generis trāsuexit, & vasa ænea Gallica: & cum captiuis nobilibus, equorum quoque captorum gregem traduxit: aureos torques transtulit, æris* M.CCCC. *septuaginta, ad hoc auri ducenta quadraginta sex, argenti infecti quod in Gallicis vasis non infabre suo more factum* CCCLX. *pondo: bigatorum numerum* CXXXIII. M. *militibus qui currum secuti sunt, centenos vicenos quinos asses diuisit, duplex centurioni, triplex equiti.*

*Nec omittendum duximus M. Flauij triumphum, de quo Liuius lib.*XXXVIIII. *sic habet: Triumphare mense Ianuario statuerat, sed cùm audisset consulem Æmilium literis M. Abury tribuni plebis acceptis de remissa intercessione, ipsum ad impediendum triumphum Romam venientem, ægrum in via substitisse, ne plus in triumpho certaminum quam in bello haberet, prætulit triumphi diem. Triumphauit ad* X. *Calendas Ianuarias de Ætolis, & de Cephalenia, aureæ coronæ centū* XII. *pondo, ante currum latæ sunt, argenti pondo milia octuaginta tria: auri pondo* CCXLIII. *tetradrachmar. Atticar.* CXVIII. *milia: Philippei nummi* XII. *milia* CCCCXXII. *signa ænea* CCLXXXV. *signa marmorea* CCXXX. *arma, tela, cætera spolia, hostium magnus numerus. Ad hæc catapultæ, balistæ, tormenta omnis generis: duces aut Ætoli & Cephalenes, aut regii ab Antiocho ibi relicti, ad septem & viginti. Multos eo die priusquā in vrbem inueheretur, in circo Flaminio tribunos, præfectos, equites, centuriones, Rom. sociosq́, donis militaribus donauit. Militibus ex præda vicenos quinos denarios diuisit, duplex centurioni, triplex equiti.*

*Sed & paulo post alius apud Liuium ponitur triumphus, quem nos vltimum afferre decreuimus. Extremo, ait, anni magistratib. iam creatis, ad*

*tis, ad tertium Nonas Martias G. Manlius Volso de Gallis, qui Asiam incolunt triumphauit. serius ei causa triumphandi fuit, ne Q. Terentio Culleone Prætore causam lege Petilia diceret: & incendio alieni iudicij, quo L. Scipio damnatus fuerat, conflagraret: eo infensioribus in se quam in illum iudicibus, quod disciplinã militarem seuere ab eo conseruatam, successor ipse omni genere licentiæ corruperat. neque ea sola infamiæ erant, quæ in prouincia procul ab oculis facta narrabantur; sed ea etiam magis, quæ in militibus eius quotidie conspiciebantur. Luxuriæ enim peregrinæ origo, ab exercitu Asiatico inuecta in vrbem est. Ii primum lectos æratos, vestem stragulã preciosam, plagulas & alia textilia, & quæ tum magnificæ supellectilis habebantur, monopodia, & abacos Romam aduexerunt: tunc psaltriæ sambucistriæque, & conuiualia ludionum oblectamenta addita epulis. Epulæ quoque ipsæ, & cura & sumptu maiore apparari cœptæ; tum coquus, vilissimum antiquis mancipium æstimatione & vsu, in precio esse; & quod ministerium fuerat, ars haberi cœpta. Vix tamen ea, quæ tum conspiciebantur, semina erant futuræ luxuriæ. In triumpho tulit G. Manlius coronas aureas ducentas duodecim: pondo argenti* CCXX. M. *auri pondo* CIↃ. CIↃ. III. *tetradrachmûm Atticorum* CCXXVII. M. *Cistophorum* CCL. *Philippeorum nummorum* M. XVICCCXX. *& arma spoliaque multa Gallicis carpentis traducta. Duces hostium duo et quinquaginta ducti ante currum: militibus quadragenos binos denarios diuisit, duplex centurioni: & stipendium duplex in pedites dedit, triplex in equites: multi omnium ordinum donati militaribus donis, currum secuti sunt. Carminaque à militibus ea in imperatorem dicta, vt facile appareret in ducem indulgentem ambitiosumque ea dici; triumphumque esse militari magis fauore, quam populari celebrem. Hæc Liuius. quibus ita breuiter traditis, maiores attingamus triumphos, in quibus antequam ad Romanos veniatur, duos, tres prius externos videamus.*

## DE TRIVMPHALI INGRESSV IN GRAEciam Xerxis, magni illius Persarum Regis, qui trepide postea in regnum refugere coactus est. IV.

*ORdo & pompa Xerxis Græciam ingredientis (cuius tum non minor nominis terror erat, quam postea contemptus virium fuit) hic fere erat: Præcedebant qui sarcinas portabant & impedimenta. Post hos omnigenarum gentium non distinctæ, sed promiscuæ copiæ, numero vltra dimidium (erant autem omnes copiæ eius pedestres*

*decies septies centena milia hominum, inter quos* lxxx. *milia erant equitum) exercitus. Post has intercedebat interuallum: neq; enim cum rege miscebantur. Præibant enim mille equites è Persis omnibus delecti; secundum hos totidem hastati, & hi delecti ex omnib. versis deorsum in terram spiculis. Post hos equi decem quam pulcherrimè ornati, qui Nisæi dicuntur, ideo sic dicti, quod est ingens Medicæ regionis campus nomine Nisæus qui grandes fert equos. Hos decem equos sequebatur sacer Iouis currus, quem octo equi albi trahebant, pone auriga comitante, qui pedibus ingrediens habenas tenebat. Hanc enim sellam nemo mortalium inscendit. Post quem ipse Xerxes vehebatur curru equorum Nisæorum, præcedente auriga, cui nomen erat Patiramphi, Otanis filio, viri Persæ. Hunc quidem in modum Sardibus processit Xerxes: sed è curru, quoties ratio exigebat, in essedum transcendebat. Eum sequebantur hastati Persarum optimi ac nobilissimi mille è more pila gestãtes. Dehinc è cæteris Persis decem milia peditum delecta, quorum mille in lanceis pro coronis gestabant mala Punica argentea; gerebant item aurea qui in terram versus spectantia spicula habebant mala, & qui Xerxem proximè sequebantur. Hæc decem milia ordine subsequebatur equitatus è decem milibus Persarum. Relicta post hos duorum stadiorum intercapedine, mox ibat cætera multitudo promiscua.*

## DE TRIVMPHALI ITINERE DARII contra Alexandrum Magnum tendentis. V.

*Patrio more Persarum traditum est, orto sole, demum procedere, die iam illustri; signum è tabernaculo Regis buccina dabatur. Super tabernaculum, vnde ab omnib. conspici posset, imago solis crystallo inclusa fulgebat. Ordo aũt agminis erat talis: ignis, quem ipsi sacrum & æternum vocant, argenteis altaribus præferebatur. magi proximi patrium carmen canebãt. Magos trecenti & sexaginta quinq; iuuenes sequebantur, puniceis amiculis velati, diebus totius anni pares numero: quippe Persis quoq; in totidem dies descriptus est annus. Currum deinde Ioui sacratum albentes vehebant equi. hos eximiæ magnitudinis equus, quem Solis appellabãt, sequebatur. aureæ virgæ, & albæ vestes regentes equos adornabant. Haud procul erant vehicula decẽ, multo auro, argentoq; celata. Sequebatur hæc equitatus duodecim gentium varijs armis, & moribus. proximi ibant, quos Persæ immortales vocãt, ad decem millia: cultus opulentiæ barbaræ non alios magis honestabat. Illi aureos torques, illi vestem auro distinctã habebant, manicatasq; tunicas, gemmis etiam adornatas. exiguo interuallo, quos cognatos Regis appellant,*

*appellant, decem & quinq; millia hominum. Hæc verò turba muliebriter propemodum culta luxu magis, quam decoris armis conspicua erat: Doryphori vocabantur. Proximum his agmen, soliti vestem excipere regalem. Hi currum Regis anteibant, quo ipse eminens vehebatur. Vtrunq; currus latus deorum simulacra ex auro argentoq; expressa decorabant: distinguebant internitentes gemmæ iugum: ex quo eminebãt duo aurea simulacra cubitalia, quorum alterum in alterum belli gerebat effigiem. Inter hæc aquilam auream, pinnas extendenti similem, sacrauerãt. Cultus Regis inter omnia luxuria notabatur. Purpureæ tunicæ medium album intextũ erat: pallam auro distinctam aurei accipitres, velut rostris inter se corruerent, adornabant; & Zona aurea muliebriter cinctus acinacem suspẽderat, cui ex gemma erat vagina. Cidarim Persæ regium capitis vocabant insigne: hoc cærulea fascia albo distincta circuibat. Currum decem millia hastatorum sequebantur: hastas argento adornatas, spicula auro præfixa gestabant. dextra læuaq; Regem ducenti fermè nobilissimi propinquorum comitabantur. Horum agmen claudebatur triginta millibus peditum, quos equi regis quadringenti sequebantur. Interuallo deinde vnius stadij matrẽ Darij Sisygambim currus vehebat, & in alio erat coniunx. Turba fœminarũ reginas comitantium equis vectabatur. Quindecim dein, quas Armamaxas appellabant, sequebantur. In his erant liberi regis, & quæ educabant eos, spadonumq; grex, haud sanè illis gentib. vilis. tum pellices regiæ trecentæ & sexaginta vehebantur, & ipsæ regali cultu ornatuq;. post quas pecuniam regis sexcenti muli, & trecenti Cameli vehebant, præsidio sagittariorum prosequente. Propinquorum, amicorumq; coniuges huic agmini proximæ, lixarumq; & calonum greges vehebantur. Vltimi erant cum suis quisque ducibus, qui cogerent agmen, leuiter armati.*

## TRIVMPHALIS MAGNI ALEXANDRI ingressus Babylone. VI.

*Babylonem procedenti Alexandro, Mazæus, qui ex acie in eam vrbem cõfugerat, cum adultis liberis supplex occurrit, vrbem seq; dedens. Gratus aduentus eius regi fuit, quippe magni operis futura videbatur obsidio tam munitæ vrbis. Ad hoc vir illustris, & manu promptus, famaq; etiam proximo prælio celebris, & cæteros ad deditionem sui incitaturus exemplo videbatur. Igitur hunc quidem benignè cum liberis excepit. Cæterum quadrato agmine, qđ ipse ducebat, velut in aciem irent, ingredi suos iubet. Magna pars Babyloniorũ constiterat in muris, auida cognoscẽdi nouum regẽ. Plures obuiam egressi sunt: inter quos Bagophanes arcis & regiæ pecuniæ custos, ne studio à Mazæo vin-*

*ceretur, totũ iter florib. coronisq́ cõstrauerat, argenteis altarib. vtroq́ latere dispositis. q̃ non thure modo, sed omnib. odorib. cumulauerat. Dona eum sequebãtur, greges pecorum equorumq́: leones quoq́ et pardales caueis ferebantur. Magi deinde suo more carmen canẽtes. Post hæc Chaldæi, Babyloniorumq́, non vates modo, sed etiam artifices cum fidib. sui generis ibant. Laudes hi regum canere soliti. Chaldæi siderum motus, & statas vices temporum ostẽdere. Eqtes deinde Babylonij suo equorumq́ cultu ad luxuriã magis, q̃ ad magnificentiam exacto, vltimi ibant. Rex armatis stipatus, oppidanorum turbam post vltimos pedites ire iussit. Ipse cum curru vrbem, ac deinde regiam intrauit. Postero die supellectilem Darij, & oẽm pecuniam recognouit. Cæterum ipsius vrbis pulchritudo ac vetustas non regis modo, sed etiam omnium oculos in semet haud immerito conuertit. Semiramis eam condiderat, vel (vt pleriq́ credidere) Belus: cui⁹ regia ostẽditur. Murus laterculo coctili, bitumine interlitus, spatium* XXX. *& duorum pedum latitudinem amplectitur, quadrigæ inter se occurrentes sine periculo cõmeare dicuntur. Altitudo muri* L. *cubitorum eminet spatio. Turres denis pedib. q̃ murus altiores sunt. Totius operis ambitus* CCCLVIII. *stadia complectitur. singulorum stadiorũ structuram singulis dieb. pfectam esse memoriæ pditum est. Ædificia nõ sunt admota muris, sed ferè spatiũ iugeri vnius absunt. Ac ne totam quidem vrbem tectis occupauerunt. per* lxxx. *stadia habitabatur, nec omnia continua sunt, credo, qa tutius visum est plurib. locis spargi. Cætera serunt coluntq́, vt si externa vis ingruat, obsessis alimenta ex ipsius vrbis solo subministrẽt. Euphrates interfluit, magnæq́ molis crepidinib. coercetur. Sed omnium operum magnitudinem circumueniunt cauernæ ingentes in altitudinem pressæ ad accipiendum impetum fluminis: qđ vbi appositæ crepidinis fastigium excessit, vrbis tecta corriperet, nisi essent specus lacusq́, qui exciperent. Coctili laterculo structi sunt: totum opus bitumine astringitur. Pons lapideus flumini impositus iungit vrbem. hic quoq́ inter mirabilia Orientis opera numeratus: quippe Euphrates altum limũ vehit, quo penitus ad fundamenta iacienda egesto, vix fulciendo operi firmum reperiunt solum. Arenæ autem subinde cumulatæ, & saxis quib. pons sustinetur, annexæ, morantur amnem, q retentus, acrius q̃ si libero cursu mearet, illiditur. Arcem quoq́ ambitu* XX. *stadia cõplexam habet:* XXX. *pedes in terram turrium fundamenta demissa sunt: ad* lxxx *summũ munimenti fastigium pvenit. Super arcem vulgatum Græcorum fabulis miraculum, pensiles horti sunt, summã murorum altitudinem æquantes, multarumq́ arborum vmbra & proceritate amœni. Saxeæ pilæ, quæ totum onus sustinent, instructæ sunt. Super pilas lapide quadrato solum stratum est, patiens terræ q̃ altam iniiciunt, & humoris quo rigant, ad-*

*coq́*

*eoq́ validas arborum sustinent moles, vt stipites earum* VIII. *cubitorum spatium crassitudine æquent, in* l. *pedum altitudinem emineant, & frugiferæ æquè sint, ac si terra sua alerentur. Et cum vetustas non opera solum manufacta, sed etiam ipsam naturam paulatim exedendo perimat, hæc moles, quæ tot arborum radicib. premitur, tantiq́ nemoris pondere onerata est, inuiolata durat: quippe* XX. *lati parietes sustinent,* XI. *pedum interuallo distantes, vt procul visentib. siluæ montib. suis imminere videantur. Syriæ regẽ Babylone regnantẽ hoc opus esse molitum memoriæ proditum est, amore coniugis victum, quæ desiderio nemorum siluarumq́ in campestrib. locis virum cõpulit naturæ genium amœnitate huius operis imitari.*

## ALEXANDRI MAGNI TRIVMPHVS Indicus ad æmulationem Liberi patris.

### VII.

*ALexander æmulatus patris Liberi nõ gloriam solum, quam ex illis gentibus deportauerat, sed etiam famam, siue illud triumphus fuit, ab eo primum institutus, siue bacchantium lusus, statuit imitari, animo super humanum fastigium elato. Vicos, per quos iter erat, floribus coronisque sterni iubet: Liminibus ædium crateras vino repletos, & alia eximiæ magnitudinis vasa disponi: Vehicula deinde constrata, vt plures capere milites possent, in tabernaculorum modum ornari, alia candidis velis, alia veste pretiosa. Primi ibant amici, & cohors regia varijs redimita floribus coronisq́. Alibi tubicinum cantus, alibi lyræ sonus audiebatur. Item in vehiculis pro copia cuiusque adornatis comessabundus exercitus, armis, quæ maximè decora erant, circumpendentibus. Ipsum conuiuasque currus vehebat, crateris aureis, eiusdemq́ materiæ ingentibus poculis prægrauis. Hoc modo per dies VII. bacchabundum agmen incessit. Parata præda, si quid victis saltem aduersus comessantes animi fuisset; mille hercule viri modo & sobrii* VII. *dierum crapula graues in suo triumpho capere potuerunt. Sed fortuna, quæ rebus famam pretiumq́ constituit, hoc quoque militiæ probrum vertit in gloriam, & præsens ætas, & posteritas deinde mirata est, per gentes nondum satis domitas incessisse temulentos: Barbaris, quod temeritas erat, fiduciam esse credentibus.*

## M. MARCELLI TRIVMPHVS DE GALlis Insubribus & Germanis.

### VIII.

*MArcellus, cum ei soli triumphum decreuisset senatus, triumphum in vrbem duxit, cum cætero splẽdore, diuitijs spolijsq́ & captiuorum mole corporũ cum paucis alijs admirabilem; tum*

*iucundißimũ nouo spectaculo, quod ipse barbari arma Deo offerens conspiciebatur. Quercus enim votiuæ truncum montanum ingentem excisum in trophæi formam dolauerat: ab eo trophæo sublato quadrigis inuectus, imaginem armatam victi hostis pulcherrimam aspectu inferebat per vrbem. Exercitus currum sequebatur, armis indutus elegãtißimis, accinens compositas cantilenas, pæanasq; victoriæ testes, quibus Deos & Ducem celebrabant. Ita ad templum Iouis Feretrij pgressus, spolia Deo suspendit: tertius à condita vrbe eorum, quibus hoc facere obtigisset. Primus enim opima retulit Romulus spolia ab Acrone Ceninensi, secundus Cornelius Cossus à Tolumnio Tyrrheno, tertius Marcellus a Virdumaro Gallorum rege: neq; post hunc quisquam. Deus cui ea consecrantur, Feretrius vocatur Iupiter, vel (quæ est quorundam sententia) quod trophæum id feretro gestaretur, hoc est, ferculo: (nam eo tempore multa erant Latino sermoni inmixta Græca vocabula) vel a feriẽdo, quod fulmina iaceret. Alij ab ictib. qui in pugna ingeruntur dictum autumant: quod hodie etiam mutuo clamore se ad feriendum hostẽ hortantur. Spolia hæc Opima peculiari appellatione dicuntur. Non desunt, qui Pompilium Numam in commentarijs mentionem primorum, secundorũ, tertiorumq; opimorum spoliorum fecisse perhibeant: & iußisse, prima Ioui, altera Marti, tertia Quirino sacra esse: referẽtiq; prima asses ccc. secunda cc. tertia centum asses præmium statuisse. Communis tamen sermo obtinuit, ea tantum in honore esse, quæ acie instructa prima leguntur de imperatore hostium, manu imperatoris occiso.*

## ALTER EIVSDEM M. MARCELLI Triumphus de Syracusanis. VIIII.

*MArcellus ad bellum in Italia gerendum a Romanis euocatus, pleraq; & pulcherrima Syracusis donaria abstulit, quæ & triumpho suo splendori, & Romæ ornamento essent. Quippe antea neq; habuerat neq; nouerat Roma quicquam elegantis & artificiosi operis, neq; venusta illa, nitida, & grata in vrbe erant tum ornamenta: armis barbarorum & spolijs cruentis repleta, triumphorumq; monumentis & trophæis coronata, non lætum aut terroris vacuum, neq; meticulosis aut delicatis gratum spectaculum exhibebat. & vt Epaminondas Bæotios campos Martis orchestram, Xenophon Ephesum belli officinam dixit: ita puto potuisse quempiam tunc Romam bellicosi (iuxta Pindarum) Martis templum appellare. Itaq; apud populum Marcelli gloria maior fuit, qui vrbem ornamentis, gratiam & venustatem Græcam cum*

*cam cum grata varietate habentibus, decorasset: apud senatum verò Fabij Maximi, qui Tarento capto nihil tale abstulit, sed pecuniâ & diuitijs egestis, manere ibi iussit simulacra, addito celebri illo dicto: Relinquamus Tarentinis Deos suos iratos. Marcellus autem cum eo nomine reprehensus est, quod non hominibus modo, sed Dijs etiam in triumpho ductis, inuidiam Romæ conflasset: tum, quod populum bello & agriculturæ assuetum, deliciarumq; & ocij rudem, & (qualis apud Euripidem Hercules describitur.)*

Inanium rudem, præstantem maximis,

*ocio & garrulitati dedisset, vt iã de artib. & artificib. nugaretur, eiq; rei maiorẽ diei partẽ insumeret. At qui Marcellus eo nomine etiã apud Græcos gloriatus est, q̃ quæ pulchra haberent & admirarẽtur Græci, ea Romanos inscios ante in honore ipse habere, & admirari docuisset. Porro triumpho eius aduersarijs resistentib. q̃ et quædã in Sicilia cõficienda restabant, & inuidiæ obnoxius erat secundus triumphus, ipse ita concessit, vt perfectum & magnũ triumphũ in Albanum montem duceret, ouans vero vrbem iniret. Qui aũt ouans vrbẽ intrat, is non quadrigis inuehitur, neq; lauro coronatur, neque tubicines habet, sed pedes est, calceatus, multis comitantib. tibicinibus, myrto redimitus: vt gratior sit, q̃ terribilior aspectus, et minorem belli speciem præferat. Id q̃d maximo est indicio, antiquitus non magnitudine rei gestæ, sed modo, discrimina triumphorũ constitisse. Qui. n. prælio & cæde facta hostes vicissent, ij Martium istum nimirũ & terribilem triumphum ducebant, lauro multa (vt solet in lustrationib. exercituum) arma et viros coronantes. At ducib. q non bello, sed oratione & p̃suadendo rem p̃sperè confecissent, ducere bellici apparatus expertem & festiuam istam pompam lex dabat. Nam & tibia pacis est, & myrtus Veneris arbor, quæ Dea maximè violentiã & bella odit. Neq; vero ab acclamatione læta (quæ Euasmus Græcis est, vnde ydẽ ouationem Euan dicunt) hoc genus triumphi, vt putant multi, nominatur: sed id Græci ad vocabulum ipsis vsitatum detorserunt, persuadentes sibi honoris partem etiam Baccho tribui, quem Euium & Thriambum (est autem triumphus Græcis thriambos) dicunt. Sed in eo falluntur. Nimirum in magno triumpho bouem maiorum more dux immolabat, in minori ouem: indeq; ouationi nomen. vbi operæ est contemplari, quo pacto Lacedæmonius legislator contrario quàm Romanus modo sacrificia instituerit. Qui enim ducis munere apud Spartanos defunctus est, si rem astu aut persuadendo confecit, boue, sin pugna, gallo rem sacram facit: quippe homines quantumuis bellicosissimi, maiorem, hominiq; magis conuenientem actionem eam iudicabant, quæ à prudentia & ratione, quam quæ a vi & fortitudine proficisceretur.*

QVIN-

## QVINCTII FLAMINII EX MACEDONIA de Rege Philippo Triumphus. X.

*Romanorum in prælijs contra Annibalem captorum permulti hinc inde venditi in seruitute erant. Huiusmodi mancipia in Græcia erant mille ducenta: quibus cum semper misera fuit mutatio, tum verò, vt par est, vel maximè, cum in filios, fratres, aut familiares inciderent liberos & victores, serui ipsi atque captiui. Hos etsi miserabatur Quinctius, dominis tamen non ademerat. Achæi autem quingentis in capita denarijs persolutis eos redemerunt, in vnumq; conductos vniuersos ei iam nauigaturo tradiderunt. itaq; læto animo soluit, cùm pro benefactis præclaram, & magno ciuiumq; amanti viro conuenientem mercedem recepisset. Atq; hoc triumpho eius multo, quàm reliqua omnia, plus splendoris attulit. Viri enim isti rasis capitibus, & pileos gestantes (qui mos est seruorum cum manumittuntur) Quinctium inuehentem sequebantur. Pulchrius etiam spectaculum spolia longo ordine inuecta præbebant, Græcæ galeæ, Macedonicæ parmæ & sarissæ. Inferebatur vero etiam pecuniæ haud exigua vis. Autor est Itanus, inuecta eo triumpho auri conflati pondo fuisse ter mille* Iↄ C C X I I I. *argenti* X L I I I I. *millia* C C L X X. *aureorum Philippeorum* X I I I I. *millia*, Iↄ X I I I I. *Præter hæc mille talenta Philippus debebat. Sed hæc postea temporis maximè Quinctio persuadente Philippo remiserunt, sociumq; eum suum vocauerunt Romani, filio etiam obside liberato.*

## PAVLI AEMILII TRIVMPHVS EX Macedonia de Perse Rege. X I.

*P. Æmilij triumphum, qui longe splendidissimus fuit, hac fere pompa ductum accepimus: Primo populus in Circis, foro, alijsq; locis vnde triumphi pompa cerni posset, fixis tabulatis, de illis spectabat, pura veste indutus. Omniaq; templa aperta, sertis atq; suffitibus implebantur. Lictores multi, apparitoresq; multitudinem in publicum se tumultuariè ingerentem summouebant, viasq; apertas & vacuas præstabant. Pompa autem ipsius triumphi sic erat instituta, vt tribus diebus perageretur. Prima dies vix suo spectaculo suffecit: inferebantur autem bigis ducentis ac quinquaginta statuæ captiuæ, tabulæ pictæ, & colossi. Secunda die inuecta sunt multis curribus arma de Macedonicis lecta pulcherrima, sumptuq; maximo facta, ære ferroq; recens*

*politis*

*politis fulgentia, ac de industria ita inter se composita & congesta, vt casu sic coaceruata viderentur: galeæ enim clypeis, thoraces ocreis, tum Cretenses peltæ, Thraciæ cetræ, pharetræ frenis permixtæ iacebant, ac inter hæc omnia gladij nudi prominebant, sarissæque iuxta fixæ erant, armis ipsis modicè laxato vinculo nexis, vt mutuo inter vehendum colliderentur, sonumq́ asperum & terribile ederent, ac victa etiam non sine horrore spectarentur. Hos currus sequebantur vasa septingēta & quinquaginta, trium talentorum singula capacia; in his argenteum nomisma inferebatur à virorum tribus millibus, quaternis vnum vas subeuntibus. Alij autem crateras argenteos, pocula in cornu formam tornata, pateras, calicesq́ gestabant, singula pulcherrimè ornata, craßicieque & mole nimia spectanda. Tertia die, summo mane tubicines intrauerunt, non itineribus aut pompis accommodatum carmen, sed claßicum canentes. Hos subsecuti sunt tauri centum viginti altiles, aurati cornua, mitrisq́ & sertis ornati: ducebant eos iuuenes ad sacrificium, cincti prætexta: iuxtaq́ pueri pateras ad libandum aureas argenteasque ferentes. Post hos eodem quo argenteum modo, aureum nomisma portabatur, vasis septuaginta septem. His subibant qui sacram pateram gestabant, quam ex decem auri talentis, gemmis vndiq́ insertis, Æmilius fieri curauerat: ac cum his, qui Antigonidas, Seleucidas, Thericleas, reliquaq́ aurea vasa, quibus in cœna vti solitus erat Perseus, ostentabant. His succedebat Persei currus, & arma, ijsq́ diadema impositum. paruo post interuallo liberi Regis captiui ducebantur, cum magna alumnorum, præceptorum, pædagogorumque caterua, plorantium, manusq́ ad inspectantes tendentium, puerosq́ vt idem facerent ac deprecarentur instruentium. Erant duo masculi, vna filiola, neque per ætatem plane assequebantur animo magnitudinem calamitatis suæ: ideoq́ maiorem miserationem ignoratio malorum mouebat spectatoribus. Itaque ferè non obseruantibus ijs Perseus transiuit, adeò misericordia affecti Romani oculos liberis regijs intendebant, multasq́ lachrymas effundebant, eratq́ mixtum dolore & gaudio spectaculum, tantisper dum ij præterirent. Ipse post liberos suos turbamque eos comitantem Perseus incedebat pullo amictu, crepidisq́ Macedonicis: malorum autem mole attonito, menteque alienato similis videbatur. Comitabatur hunc turba amicorum & familiarium, qui vultum præ luctu demittendo, Perseumque subinde intuendo ac plorando, spectatoribus innuebant, se paruam propriæ sortis curam gerere, regis modo infortunium lamentari. Miserat quidem ad Æmilium Perseus, qui deprecarentur, ne in triūpho duceretur. verum Æmilius molliciem (vt videtur) eius, vitæque cupiditatem subsannans: Atqui, inquit, & ante hoc ei permissum fuit, & adhuc licet.*

*mortem ante dedecus consciscendam innuens; quam timidus ille ne obiret, vanas spes molli animo consectatus, ipse suarum exuuiarum pars factus est. Secundum hos aureæ coronæ quadringentæ inferebantur, quas victoriam gratulandi causa vrbes Æmilio per legatos miserant. Inde ipse Æmilius curru ornatißimo inuectus est, vir etiam absque his fuisset spectatu dignißimus: amictus erat purpuram auro intertextam, dextraq; frondem lauri tenebat. Totus exercitus lauro coronatus centuriatim ac per manipulos diuisus currum imperatoris sequebatur: canebantq; cum patria quædam carmina, risu salibusque admistis, tum pæanas de victoria & rebus gestis Æmilij. Is omnium in oculis ferebatur, omnium erat in admiratione, neq; huic tantæ eius gloriæ quisquam bonus inuidebat. Enimuero genius aliquis videtur esse, cuius partes sint magnæ atque nimiæ felicitatis partem aliquam carpere, atque ita temperare humanam vitam, vt nemo malorum expers viuat, sed (quod est apud Homerum) cum eo optimè agatur, cuius res vtranque fortunam sentiunt. Quatuor filios habebat Æmilius, quorum duo in alias familias per adoptionem translati erant; Scipio & Fabius: alij duo nati erant ex alia coniuge, quos pueros adhuc domi suæ alebat. Horum alter annos natus* XIIII. *quinto ante triumphum patris die vitam finijt. Neque fuit in populo quisquam, cui non dolorem ea calamitas Aemilij afferret: crudelitatemque fortunæ horrere omnibus subijt, quam non puduisset tantum luctum domui gloria, gaudio, & sacrificijs plenæ immittere, eiulatumq; & fletum carminibus victoriam celebrantibus, & triumpho admiscere. At Æmilius prudenter secum considerato, fortitudinis & constantiæ vsum non tantum contra sarissas & arma hostium, sed omnino aduersus omnem fortunæ impetum requiri, ita se comparauit, eoq; animo præsentium rerum permixtam conditionem tulit, vt infortunium felicitate, priuatamque cladem publica victoria obliterauerit: neque passus sit magnitudinem splendoremq; triumphi rebus aduersis imminui aut contaminari Itaque altero è filijs, qui ante triumphum defunctus erat, sepulto, triumphauit. Altero post triumphum mortuo, aduocata populi concione, eam habuit orationem, quam habere par erat virum non consolationis indigentem, sed qui populum eius infortunij causa merentem consolari instituisset. Nihil est, inquit, in rebus humanis cuius me vnquam metus tenuerit: in diuinis autem fortunam, vt infidißimam inconstantißimamque rem semper suspectam habui: atque hoc ipso maximè bello, cùm ea tanquam ventus secundus rebus gerendis prospera mihi adesset, nunquam non mutationem aliquam exspectaui. Etenim vna die à Brundusio Corcyram Jonio mari transmisso, quintis inde castris Delphos perueni: hic Deo sacris peractis,*

*quinto*

*quinto post die exercitum in Macedonia accepi: quem cum patrio ritu lustrassem, ac statim rei gerendæ me dedissem, spatio quindecim dierum bello finem pulcherrimum imposui. Hic successus rerum tam fœlix effecit, vti diffiderem fortunæ: cumque nihil restaret ab hostibus periculi, maximè veritus sum, ne nauigantem me cum exercitu victore, spoliaque & captos reges mecum vehentem, in ipso cursu fortunæ mutatæ aliquis casus feriret. Postquam incolumis ad vrbem redij videns lætitia & gratulatione plenam sacris frequentem vacare, fortunam adhuc habui suspectam, quam cōpertum habebam ea esse inuidia, vt nullum magnum munus hominibus sincerum & non aliquo malo infectum largiretur. Hunc metum animus meus parturiens, non prius quid esset euenturum Reipub. sollicitus esse desiit, quam ingenti domestica clade perculsus, filios optimos, quosq; solos mihi hæredes reliqueram, continuis funeribus sacris diebus sepelij. Nunc demum maximi me securum periculi existimo, confidoq; felicitatem vestram illæsam incolumemq; permansuram. Calamitatibus enim meis fortuna inuidiam suam exaturauit, humanæque fragilitatis exemplum haud obscurius victorem quam victum proposuit: nisi quod Perseus meliori conditione videri potest, qui victus suos liberos tamen habet, Aemilius victor suos amisit.*

## L. LVCVLLI TRIVMPHVS EX PONTO, Cappadocia, Armenia de Regibus Mithridate & Tigrane. XII.

*FVit Luculli triumphus, non vt aliorum, longa pompa, eorumq; quæ inueherentur multitudine terribilis atq; varius, sed armis hostium, quorum erat ingens copia, regijsq; machinis Flaminium Circum exornauit: quod ipsum vel solum spectaculum haud parum splendoris habuit. In pompa, non ita multi equites cataphracti, decemq; currus falcati ducti sunt: ad hæc sexaginta regij amici atq; duces, naues longæ æreis rostris centum & decem: præterea Mithridatis colossus aureus sex pedes longus, & clypeus gemmatus: item decem argenteorum poculorum feretra; aureorum, armorumq;, & nomismatis triginta duo. Hæc viri gestabant. Muli porro octo lectos aureos portabant; quinquaginta & sex argento conflato onusti incedebant; alij centum & decem nomisma argentumq;, cuius summa fuit circiter centies & octies sestertium: & in tabulis signata erat summa pecuniæ, quam ad bellum Piraticum gerendum Pompeio dederat, & quam in ærarium publicum intulerat, & seorsim dati militibus singulis* DXC. *denarij. Post hæc & ciuibus epulum splendidum, & vicis circumiacentibus præbuit.*

## POMPEII MAGNI TRIVMPHVS SPLENDIdissimus ex Ponto, Armenia, Cappadocia, &c.

### XIII.

*MAgnificentiæ Pompeïani tertij triũphi, tametsi in duos dies diuisi, tempus non sufficit: & multa eorum, quæ apparauerat, ista pompa exclusa sunt, & ad alia exornãda spectacula reseruata. cæterum inscriptiones in triumpho præferebantur, quibus is de gentibus ageretur indicantes. Erant autem Pontus, Armenia, Cappadocia, Paphlagonia, Media, Colchis, Iberia, Albania, Syria, Cilicia, Mesopotamia, Phænice, Palæstina, Iudæa, Arabia, & Piratæ terra, mariq; debellati. tum castella capta ad mille, vrbes haud multo pauciores noningentis, naues piraticæ octingentæ, vrbes iterum habitatorib. præditæ vndequadraginta. Indicabatur porrò inscriptione, ante hac in Romanis reditib. fuisse bis millies sestertium: porro in ærarium inferri ex nomismate & vasis aureis argenteisq; vicies mille talenta, præter ea quæ militibus elargitus fuisset: acceperat autem is, cui pro rata proportione minimum datur, sestertia sex. Captiui ducebantur præter principes piratarum filius Tigranis Armeniæ regis cum vxore & filia, tum Tigranis senioris vxor Zosime, rex Iudæorum, & Commagenorum regis obsides, & ingens trophæorum numerus, numero præliorum æqualis, ex quibus aut ipse, aut legati victoriam reportauerant. Id vero plurimum ad gloriam fecit, quodq; nulli ante Romanorum contigerat, quod tertium triumphum ex tertia orbis terrarum parte duxit. Quippe ante ipsum quoque inuenti sunt, qui ter triumpharent: sed Pompeius qui primum ex Africa, secundum ex Europa, tertium ex Asia attulisset triumphum, de toto orbe terrarum quodam modo videbatur triumphasse.*

## C. IVLII CAESARIS TRIVMPHI DE Gallia, Aegypto, Africa, &c.

### XIIII.

*COnfectis bellis, quinquies triumphauit, post deuictum Scipionem, quater eodem mẽse, sed interiectis diebus, & rursus semel post superatos Pompeij liberos. Primum & excellentissimum triumphum egit Gallicum, sequentem Alexandrinum, deinde Põticum, huic proximum Africanum, nouissimum Hispaniensem, diuerso quemq; apparatu & instrumento. Gallici triumphi die Velabrum prætervehens, pene curru excussus est, axe defracto. Ascenditq; capitolium ad lumina, quadraginta elephantis dextra atq; sinistra lychnuchos gestantibus. Pontico triumpho inter pompæ fercula trium verborum prætulit titulum, Veni, Vidi, Vici, non acta belli significantem, sicut cæteri, sed celeriter*

*leriter confecti notam. Veteranis legionib. prædæ nomine in pedites singulos super bina HS. (quæ initio ciuilis tumultus numerauerat) in equites vicena quaterna millia nummûm dedit. Assignauit & agros, sed nõ continuos, ne quis possessorum expelleretur. Populo pter frumenti denos modios, ac totidem olei libras, tricenos quoq; nummos, quos pollicitus olim erat, viritim diuisit. & hoc amplius, centenos pro mora. Annuam etiam habitationem Romæ vsq; ad bina millia nummûm, in Italia non vltra quingenos sestertios remisit. Adiecit epulum ac viscerationem, & post Hispaniensem victoriam duo prandia. Nam quum prius parcè, neq; pro liberalitate sua pbitum iudicaret, quinto post die aliud largissimũ pbuit.*

## D. CLAVDII TRIVMPHVS EX BRITANNIA. XV.

*EXpeditionẽ vnã omnino suscepit Claudius Cæsar, eamq; modicã. quum decretis sibi à senatu ornamentis triumphalib. leuiorem maiestate principali titulũ arbitraretur, velletq; iusti triumphi decus acquirere: Britanniã potissimum elegit, neq; tentatam vlli post D. Iulium, & tunc tumultuantem ob non redditos transfugas. Huc quũ ab Hostia nauigaret, vehementi Circio bis pene demersus est prope Liguriã, iuxtaq; Stœchadas insulas. Quare à Massilia Gessoriacũ vsq; pedestri itinere confecto, inde transmisit: ac sine vllo plio aut sanguine inter paucissimos dies parte insulæ in deditionẽ recepta, sexto q̃ profectus erat mense, Romã rediit, triumphauitq; maximo apparatu. ad cuius spectaculum cõmeare in vrbẽ non solùm præsidib. prouinciarum pmisit, verum etiã exulib. qbusdam: atq; inter hostilia spolia, naualẽ coronam fastigio palatinæ domus iuxta ciuicã fixit, traiecti & quasi domiti Oceani insigne. Currũ eius Messalina vxor carpento sequuta est. sequuti & triumphalia ornamẽta eodẽ bello adepti, sed cæteri pedib. et in ptexta: Crassus Frugi equo phalerato, et in veste palmata, q eũ honorem iterauerat.*

## TERIDATIS ARMENIAE REGIS TRIVMphalis ingressus Romæ sub Nerone. XVI.

*TEridates habens secũ nõ solùm suos, sed etiam Vologæsi, Pacori, & Monobazi liberos, Romam deductus est, fuitq; eorũ iter vt in triumphis p omnes regiones ab Euphrate. Vigebat Teridates ætate, forma, nobilitate, prudentia, magnoq; famulorũ comitatu & apparatu regio: cõsequebantur eum tria millia equitum Parthorum, cum frequentibus Romanis, eumq; vrbes magnificè ornatæ, ac populi magnis lætisq; clamoribus excipiebant: quæq; necessaria erant, omnia gratis*

 *ei præ-*

*ei præstabantur. In quã rem populus Romanus sumptum faciebat singulis diebus aureorum octo millium, idq; nouem mensibus, quibus iter fecit, factum est. Teridates equo vbiq; vehebatur quousq; in Italiam venit: itidem vxor eius faciebat, gerebatq; galeam auream pro integumento, ne contra morem patriæ conspiceretur. In Italia vehi cœpit curribus à Nerone missis, ad eumq; Neapolim per agrum Picenum venit. Dum Neronẽ conueniret, quanquam iussus est gladium quem gerebat deponere, tamen noluit, sed eum vaginæ clauis affixit: quamuis illum genu flexo, ac manus vicissim ad cælum tendens, veneratus, dominum appellauerit. Hũc Nero ob eam causam admiratus, benignè & comiter excipit, ac p̃ter cætera ludos gladiatorios Puteolis facit. Præfectus ludorum fuit Patrobius libertus eius, tantaq; fuit eorum magnificentia atq; sumptus, vt vnius diei spatio nemo præter viros, & mulieres, & pueros Aethiopes amphitheatrum ingrederetur: quib. de causis Patrobius aliquo honore dignus erat. Ibi Teridates de superiore loco in quo sedebat, belluas iaculo traiecit, duosq; tauros vno ictu (si tamẽ credibile est) vulnerauit ac confecit. His perfectis rebus, Nero Romam eum adduxit, eiq; diadema imposuit. Ibi tota vrbe luminib. sertisq; ornata, magna visa est vbiq; hominum multitudo, sed forum inprimis refertũ erat. nam populus albatus laureatusq; certis ordinib. medium forum tenuit, cætera tenebãt milites armati splendidissimè, eorumq; arma & signa relucebant instar fulguris, nulliusq; apparebant ædificij tecta propter multitudinem eorum q in ea ascenderant. Quibus reb. de nocte cõparatis, Nero ornatus veste triumphali, prima luce forũ introijt cum senatu & prætorianis milit ib. deinde tribunal conscen[...]it, & in sede principali consedit. Teridates cum ijs quos secum habebat, p[...]dines armatorum, q vtrinq; instructi fuerãt, transijt: pòst vbi ad tribunal veniunt, Neronem vt antea fecerant, venerantur. Quas ob res editis magnis clamorib. Teridates p̃territus mutusq; ꝗsi p mortuo aliquanto tempore remansit: sed vbi indicto silentio animum recepit, coactus seruire tempori & necessitati parere, non curauit si qd paulo humilius loqueretur, adductus spe eorum q̃ postea consequutus est. Ego (inꝗt) Domine, Arsaci nepos, Vologæsi et Pacori regũ frater, tuus seruus sum, veniq; vt te Deum meum non secus ac μίθραν (i. solem) colerem. Eqdem is ero quem tu me fato quodã efficies. Tu.n. fatum meũ es & fortuna. Huic Nero ita respondit. Tu quidem qđ huc veneris, rectè (inꝗt) fecisti, vt p̃sens p̃sente me fruereris: nam qđ neq; pater tuus tibi reliquit, neq; fratres qđ dederãt, seruauerunt, ea ipse tibi nunc do; teq; regem Armeniæ facio. Vt tu atque illi simul intelligatis, in mea esse potestate regna dare et adimere. Hæc quũ dixisset, iussit eum reuerti via q̃ ante tribunal ob eam causam parata fuerat. Tum Teridates se ad pedes Neronis abiecit, eiq;*

*cit, eiq; Nero diadema imposuit, & ingentes clamores editi sunt. Post hæc actus est decreto senatus celebris cõuentus in theatro, cuius nõ modo scena, sed etiam ipsum totum circuitu intus erat inauratum, itemq; cætera omnia q̃ intromittebantur, auro ornata erant. Quibus de causis ille dies aureus nominatus est. Peripetasmata, q̃ in aere extensa erant ad defendendos solis ardores, purpurea fuerunt, stellis aureis circum vndiq; relucẽtibus: in medio horũ Nero dum currũ agitaret, plagã accepit: quumq; ita essent, magnificũ cõuiuium actũ est. Post hæc Nero cithara publicè cecinit, currusq; prasina veste indut⁹, & galea aurigarũ ornat⁹, agitauit.*

## TRIVMPHVS VESPASIANI ET TITI Augustorum de Iudæis. XVII.

*Non multis autem post Vespasianus pater & Titus filius imperatores vnum cõmunem triumphũ ob res gestas agere statuere, quamuis vtriq; Senatus ꝓprium decreuisset. Prædicto autẽ die, quo futura erat põpa victoriæ, nemo ex tam infinita ciuitatis multitudine domi remãsit. Omnes autem cum exissent, loca vbi tantum stare possent, occupauerant, quantus transituris imperatorib. modo sufficeret, cõcesso necessario transitu. Cuncta vero turba militari ante lucem ꝑ turmas atq; ordines ꝓgressa cum rectorib. suis, & circa ostia constituta non palatij superioris, sed ꝓpe Isidis templum (ibi. n. Principes nocte illa quiescebant) prima iã aurora incipiente ꝓcedunt Vespasianus & Titus lauro quidẽ coronati, amicti vero patria veste purpurea: et ad Octauianas ambulationes transeunt. ibi. n. Senatus, & Ducum ꝓceres, & honorati eq̃tes, eorum præstolabantur aduentum. Tribunal autem ante porticus factum erat, sellæq; eburneæ in eo ꝑparatæ. Quo cùm ascendissent, cõsederunt. Statimq; eos militaris fauor excepit, multis virtutem testimonijs ꝑdicans. Illi autem inermes erant, in veste serica laureis coronati. Perceptis autem laudib. eorum Vespasianus, cum dicere adhuc vellent, silentij signum dedit. Magnaq; omnium q̃te facta surrexit, et amictu magnam partem capitis adopertus, solennia vota celebrauit: idemq; Titus fecit. Perfectis autem votis, Vespasianus in cõmune omnes breuiter allocutus, milites quidem ad prãdium, quod his ex more ab Imperatore parari solet, dimittit. ipse vero ad portam recedit, q̃ ab eo quod ꝑ illam semper triumphorum pompa ducitur, nomen accepit. Ibi & cibum prius capiebãt, & triumphalibus vestibus amicti, dijs ad portam collocatis, cæsa hostia, inter spectacula transeuntes triumphum ducebant, vt multitudini facilior ꝑberetur aspectus. Pro merito autem narrari multitudo eorum spectaculorum & magnificentia non potest, in omnib. quæ quisq; excogitauerit, vel artium miris, vel diuitiarum opib. vel naturæ nouitate. Nam*

*pene*

*penè quæcunque hominibus qui vsquam sunt fortunatis paulatim quæsita sunt, alijs alia mirabilia atque magnifica, hæc vniuersa illa die Romani imperij magnitudinem probauere. Etenim argenti auriq; necnon eboris in omni specie operum multitudinem, non vt in pompa ferri cerneres, sed vt ita dixerim omnia fluere. & alias quidem vestes ex rarissimis generib. purpuræ portari, alias diligentissima pictura variatas arte Babylonia: gemmæ autem clarissimæ tam multæ, aliæ coronis aureis, aliæ alijs operibus inclusæ traductæ sunt, vt appareret frustra nos earum vsquam rerum esse aliquid suspicari. Ferebantur etiam simulacra, quæ illi Deos habent, & magnitudine mirabilia, & arte non defunctoriè facta. horumq; nihil non ex pretiosa materia. Quin & animalium diuersa genera producebantur, proprijs ornamentis induta. Erat autem etiam quæ singula portaret magna hominum multitudo, purpureis vestibus atque inauratis ornata. Ipsi etiam qui ad pompam fuerant ab alia turba discreti, præcipua & mirabili ornamentorum magnificentia culti erant. Insuper his, ne captiuorum quidem vulgus inordinatum videres, sed varietas & pulchritudo quidem vestium natam ex fatigatione corporum deformitatem, oculis subtrahebat. Maximè autem stupori erat, pegmatum quæ portabantur fabricatio, p quorum magnitudine timendum viribus portantium occurrentes putabant. multa enim in tertium nidum quartumq; surgebant. & magnificentia fabricæ cum admiratione delectabat: multis aurata veste circundatis, cum aurum præterea factum atq; ebur omnibus esset affixum. Multis autem imitationibus bellum aliter in alia diuisum, certã sui faciẽ demonstrabat. Erat. n. cernere vastari quidem fortunatissimã terram, totas verò interfici acies hostiũ: et alios fugere, alios captiuos duci: murosq; excellentes magnitudine machinis dirui, & castellorum excindi munimina: & populosarum ciuitatum mœnia disturbari, exercitumq; intra muros infundi: cædisq; omnia loca plena, & eorum qui manu resistere non poterant preces, ignémque templis immissum; ædiumq; super dominos post multam vastationem euersiones: atque amnis tristitiam, defluentis non in arua culta, neque ad hominum vel pecorum potum, sed per terram, ex omni parte flagrantem. Hæc. n. Iudæi bello passi sunt: ars autem et confectorum operum magnitudo, nescientibus adhuc facta tanquam præsentibus ostendebant. Eratq; per singula pegmata captæ ciuitatis dux, ita vt captus fuerat ordinatus. Multæ etiam naues sequebantur. Spolia vero alia quidem passim ferebantur. eminebant autem ea quæ apud Hierosolymam in templo reperta sunt; mensa aurea ponderis talenti magni, & candelabrum similiter quidem ex auro factum, sed opere commutato, ab vsus nostri consuetudine, nam media quidem columna basi hærebat, tenues autem ab ea*

*cannulæ*

*cannulæ producebãtur, formatæ ad similitudinem fuscinæ, ad summum quæq; in lychni speciem fabricatæ. erant autem numero septem, septimi diei qui apud Iudæos feriatus est, indicantes honorem. Post hæc autem portabatur lex Iudæorum, nouissima spoliorum. Deinde transibant plurimi victoriæ simulacra portantes: omnia ex auro & ex ebore facta. Post hæc Vespasianus prior ibat: & Titus deinde sequebatur. Domitianus autem adequitabat, ipse quoque ornatus pulchritudine, dignumq; spectari exhibens equum. Pompæ autem finis fuit Capitolini Iouis templum. quo postquam ventum est, constitere. Erat autem vetus mos patrius, operiri donec ducis hostiũ mortem quispiam nunciaret. Is erat Simon Gioræ, tunc inter captiuos in pompa traductus: laqueo vero circumdatus per forum trahebatur: quo eum simul cæderent qui ducebant. Lex enim Romanis est, ibi necare criminum reos morte damnatos. Postquam igitur eum finem vitæ habere nunciatum est, omniumq; fauor secutus est, tunc hostias inchoauere. hisq; secundo per vota solennia omine peractis, in palatium recessere. Et alios quidem epulis ipsi excepere, alijs autem omnibus domi conuiuiorum instructi erant apparatus. Hunc enim diem vrbs Romana celebrabat, victoriæ quidem in hostes gratulatorium, finem vero malorum ciuilium & spei bonæ pro felicitate principium.*

## SEVERI AVGVSTI TRIVMPHALIS Romæ ingressus. XVIII.

*HIs confectis rebus, Seuerus in vrbem venit: quumq; sedisset in equo vsq; ad portas vrbis amictus veste equestri, vrbana indutus, pedibus introijt. Comitabatur autem eum omnis exercitus, pedites equitesq; armati consequebantur: fuitq; illud spectaculum omnium magnificentissimum. Nam vrbe tota floribus & laureis coronata, ornataq; varijs vestibus, in magno splendore luminum & suffimentorum populus acclamabat albatus lætusq;: milites, vt in magno conuentu & pompa, cum magno decore incedebant armati: Senatus aderat ornatu senatorio: multitudo contendebat illum videre & audire loquentem, quasi à fortuna immutatus esset, attollebantq; se vicissim, vt ipsum de superiore loco intuerentur. Postquam ingressus est in vrbem, Senatui confirmauit ea quæ superiores boni principes fecerant, videlicet nullum senatorem suo iussu interfectum iri, idq; non solum iurauit, sed præcepit etiam vt publico decreto sanciretur, imperatorem, si senatori mortem afferret, eumq; cuius opera ad eam rem vteretur, liberosq; ipsorum, hostes reipublicæ futuros.*

GALLIENI IMPERATORIS TRIumphalis pompa.

XVIIII.

*Gallienus quasi magnum aliquid gessisset, Romam cursu rapido conuolauit: conuocatisque patribus decennia celebrauit nouo genere ludorum, noua specie pomparum, exquisito genere voluptatum. Iam primũ inter togatos patres, & equestrem ordinem, albatis militibus, & omni populo praeeunte, seruis etiam prope omnium, et mulierib. cum cereis, facib. & lampadib praecedentibus capitolium petijt. Processerunt etiam altrinsecus centeni albi boues, cornibus auro iugatis, & dorsualibus sericis discoloribus praefulgentes. Agnae candentes ab vtraq; parte CC. praecesserunt, & X. elephanti, qui tunc erant Romae, mille CC. gladiatores pompaliter ornati, ferae diuersi generis, CC. ornatu quam maximo affectae. Carpenta cum mimis & omni genere histrionum: pugiles sacculis, non veritate pugillantes. Cyclopea etiam luserunt omnes apenarij, ita vt miranda quaedam & stupenda monstraret. Omnes viae ludis strepituq; & plausibus personabant, ipse medius cum picta toga & tunica palmata inter patres (vt diximus) omnibus sacerdotibus praetextatis Capitolium petijt. Hastae auratae altrinsecus quinquagenae, vexilla centena, & praeterea quae collegiorum erant, dracones, & signa templorum, omniumque legionum ibant. Ibant praeterea gentes simulatae, vt Gotthi, Sarmatae, Franci, Persae: ita vt nõ minus quam duceni singulis globis ducerẽtur. Hac pompa homo ineptus eludere se credidit Populũ Romanũ: sed, vt sunt Romanorũ facetiae, alius Posthumo fauebat, alius Regilliano, alius Aureolo, aut Aemiliano, alius Saturnino: nã & ipse iã imperare dicebatur. Inter haec ingens querela de patre: quem inultum filius relinqueret, cum externi eum vtcunq; vindicassent. Nec tamen Gallienus ad talia mouebatur. occupato voluptatibus animo: sed ab ijs qui circum eum erant requirebat, Et quid habemus in prandio? & quae voluptates paratae sunt? & qualis cras erit coena? quales Circenses? sic confecto itinere, celebratisq; hecatombis, ad domum regiam redijt: conuiuijsq; & epulis depulsis, alios dies voluptatibus publicis deputabat.*

AVRELIANI AVGVSTI TRIVMphus ex Oriente.

X X.

AVRELIANVS *pacato Orientis statu, Romam reuersus est. Scribit Vopiscus inter caetera spolia quae & multa & pretiosa sunt ab Aureliano templis defixa, fuisse purpureum*

*reum pallium in templo Capitolini Iouis suspensum, diuini, vt eius verbo vtar, coloris, qualem neq; prius, neq; postea Roma viderit. Imperatoris purpura nobilißimarumq; matronarum illi admota cinericij videbatur coloris. Id munus Aurelianus à Persarum Rege post Palmyrenam victoriam dono accepisse ferebatur, ab interioribus Indis in Persidem missum. Fuit inde curæ ipsi principi, mox Probo & Diocletiano per nobilißimos infectoriæ artis opifices id genus purpuræ conficere. Sed neque ratio neque materia iniri potuit. Sandyx Indica quum rite curata esset, credita est eum colorem conficere. Reuersus Romam Aurelianus Zenobiam in triumpho duxit: Ea subaquilo fuisse colore traditur, oculis nigris, supra modum vigentibus, venustate eximia, dentibus adeo candidis, vt margaritas plerique dentium loco eam sibi concinnasse crederent, vox clara & virilis, clemens vbi opus esset, & quod rarum in fœmina est, miræ castitatis, vt ne virum quidem suum sciret nisi mensium circuitu tentatis conceptionibus. Vixit regali pompa, Persarum regum more passa est se adorari. Galeata ad concionem processit, gemmis purpureo limbo dependentibus. Raro vsa est pilento, equo sæpius. Ambulauit sæpißime ad quatuor milia passuum cum peditibus. Bibit sæpe cum ducibus, quum sobria alioqui esset. Eunuchos non nisi grandes natu habuit, raras puellas. Filios adeo Latino exercuit sermone, vt Græce vel difficile, vel raro loquerentur. Nec ipsa Romanæ ignara linguæ, sed rarius sic locuta, pudore cohibita. Ægyptiacè plurimum loquebatur. Fuitque Alexandrinæ historiæ totiusque Orientis peritißima, quam in formam Epitomes redegisse traditur. Et Zenobia quum talis esset Aureliani currum captiua præcesit, adeo gemmis onusta, vt sæpe processu pompæ restiterit, fassa se nimium gemmarum pondere degrauari, vincti erant pedes & manus aureis cathenis, atque per hunc modum triumphata in Tyburti vixit cum filijs, vbi prædia sunt ei publicè data. Mansit loco nomen in posterum, vt Zenobia diceretur, haud procul ab Adriani villa, & loco cui nomen conchæ est. Eutropius Romæ consenuisse autor est, & ab ea Zenouiam familiam in vrbe propagatam. Fuit Aureliani triumphus vario apparatu insignis. Tres regij currus prælati sunt, argento, auro, & gemmis insignes. Odenati vnus cuius Zenobia fuit vxor. Persicus alter ab eius gentis Rege dono missus. Tertius Zenobiæ, quo infelix regina se Romam victrix inituram dixerat. Sed id omen in malum vertit, vincta enim eodem curru inuecta est priusquam de ea sit triumphatum. Cerui quadrijuges quartum currum traxere. Fuerunt qui traderent eum Getharum Regis fuisse, hisque Aurelianum triumphantem Capitolium ascendisse, ceruosque ab eo Ioui ex voto immolatos. Præcesserunt*

*elephanti viginti, feræ Libycæ, Palestinæque cicuratæ ducentæ, tigres quatuor: camelopardales, alces. Gladiatorum paria octingenta. Ex barbaris gentibus captiui, Blemiæ, Arabes, Indi, Bactriani, Hiberes, Persæ, Sarraceni. Hi enim & Blemiæ pro Firmo in Ægypto, vt socij bellarunt. Sunt & alia gentium nomina minus nota triumpho adhibita, & alia mundi plaga, Gethæ, Halani, Roxolani, Sarmatæ, Galli, Sueui, Vandali & Germani. Fuerunt & Palmyrenorum principes & Ægyptiorum qui ex rebellione vt hostes triumphati sunt, & quod omnium maxime conspicuum fuit, mulieres quædam virili habitu dimicantes, quæ cum Gethis captæ fuerant, quum pleræque aliæ in pugna perijssent. Eas Amazonum progeniem esse titulus indicabat. Ductus est & Tetricus, qui aliquandiu in Gallia tyrannum egerat, tunica galbina & Gallicis braccis ornatus. Prælatæ aureæ coronæ cum titulis ciuitatum, quæ eas principi dono dedere. Collegiorum omnium vexilla, & alia huiusmodi ornamenta, quæ celebriorem triumphi pompam reddere potuerunt. Post triumphum Aurelianus paniceas populo coronas viritim dedit, quas in Zenobiam moturus promiserat, sed aureas sibi promissas populus interpretabatur. Diuisit & domesticatim suillam carnem, editque omnifariam spectacula, templum Solis ædificauit, quibus in vrbe gestis, in Galliam profectus est, Vindelicosq; barbarorum obsidione exemit.*

## TRIVMPHVS PROBI IMPERATORIS de Germanis & Blemyis.

## X X I.

*Triumphauit Probus Imperator de Germanis & Blemyis: omnium gentium drungos vsque ad quinquagenos homines ante triumphum duxit. Venationem in circo amplissimam dedit, ita vt populus cuncta diriperet. Genus autem spectaculi tale fuit: Arbores validæ per milites radicitus vulsæ connexis latè longéque trabibus affixæ sunt, terra deinde superiecta, totusq; circus ad syluæ consitus speciem, gratia noui viroris effronduit. Immissi deinde per omnes aditus struthiones mille: mille cerui: mille apri: mille damæ; ibices, oues feræ, & cætera herbatica animalia; quanta vel ali potuerunt vel inueniri. Immissi deinde populares, rapuit quisque quod voluit. Addidit alia die in amphitheatro vna missione centum iubatos leones, qui rugitibus suis tonitrua excitabant: qui omnes contificijs interempti sunt; non magnum præbentes spectaculum quum occidebantur. Neque enim*

*erat bestiarum impetus ille, qui esse ab eis egredientibus solet. Occisi sunt praeterea multi, qui diripere volebant, sagittis. Editi deinde centum leopardi Libyci, centum deinde Syriaci; centum leænæ, & vrsi simul trecenti: quarum omnium ferarum magnum magis constat fuisse spectaculum quam gratum. Edita præterea gladiatorum paria trecenta, Blemyis plerisque pugnantibus, qui per triumphum erant ducti; plerisque Germanis & Sarmatis, nonnullis etiam latronibus Isauris.*

## DIOCLETIANI TRIVMPHVS INSIGNIS imperio aucto & propagato.

## XXII.

*AB ortu vsque ad Indos propagati sunt sub Diocletiano imperij fines; non Euphrates, non Tigris vetuere, non superbæ Regum Persarum minæ: A meridie Æthiopes per legatos accessere: ab Aquilone barbaræ feræque nationes Sarmatarum domitæ: ab Occasu Gessoriacus Oceanus admirabilis victoriæ testis fuit simul & Britannicus. Igitur toto terrarum orbe vndique Romana arma illustres victorias assequuta, socijs lætitiam præbuere, rebellibus metum; terroremque pugnare cupientibus. Porrò Persæ armis Romanorum cedere confessi, intra positos terminos se tenuerunt. Post tot igitur victorias maximus triumphus ab senatu decretus, & inclyta cognomina principibus indita ab deuictis populis. Diocletianus verò Romanorum principum victoriosissimus, diuinos honores imperatoribus augustis habendos præcepit. Nam quum priores, vt consules salutarentur, primus ipse voluit adorari, tanquam in eo esset cælestis maiestas. Persarum iste mos, quorum princeps, Rex regum appellatur & adoratur, fratrem Solis ac Lunæ se nuncupans. Imperatores etiam antea manus exosculandas nobilibus præbebant, postque suis eos manibus subleuabant ad oris osculum. Vulgus genua exosculabatur. Diocletianus edicto sanxit vti omnes sine generis discrimine pstrati, pedes exoscularentur: quibus etiam venerationem quãdam adhibuit, exornans calciamenta auro, gemmis & margaritis (quod fecisse ante Caium Caligulam memorãt) eundem ornatum immiscuit vestibus, vt augustior esset: & quum cõtentus esse debuisset quibus priores fuissent insignibus, quæ Priscus Tarquinius accepta ab Hetruscis induxit, reperit ex ipso habitu, vti Deus haberetur, maioreq; sumptu vanam Arsacis gloriam superaret. Itaq; veste gemmata, & aureo gemmatoq; curru, cum Imperij*

*Consorte triumphauit ingenti ferculorum pompa, ante præcinentibus & saltantibus lætitia militibus, quibus libertas erat scommata in ipsos effundere triumphantes. Ipsa quidem fercula primus ostendit Romulus, qui ramum quernum manu cepit, in quo cæsi Acronis regis Cemnensium opima Ioui Feretrio in capitolium tulit. quæ fercula postquam arma Romana longius prouecta fuere, fabricari cœpere cum signis & monimentis victoriæ, quæ possent manibus militum ferri. Inferebantur autem fere omnes triumphi via Appia, porta Capena. Ea enim via ampla* VIII. *mil. paß. ab vrbe frequens ex vtroq; latere habitata, & inde in capitolium rectum & amplum iter. In quo lignei primum continuique arcus, post marmorei columnis suffulti. Vnde multitudo satis commodè triumphum spectare posset. Cuius ordo nõ semper idem, verum quem Diocletianus cum consorte duxisse memoratur talis fuit: Templa Deorum immortalium tota vrbe patebãt, ornata sertis & floribus, spirantia Arabicos odores, itinera vbique repleta pinguibus mensis & lætis poculis, vt feßi victores se recrearent. Præferebantur in vehiculis tabulæ, signa, coloßi, hostiũ galeæ, thoraces, ocreæ, peltæ, scuta, vexilla, pharetræ, tela, arcus, enses, frena, & equorum picturata strata, tapetes, & quæ alia pretiosa ac digna spectaculis, deuictis hostibus, allata erant: vtpote ex oriente, & Aßyrijs ac Persis, tentoria & ex Babylonico opere multa. Post ibat ingens hominum grex, qui in vasis ferebant aurum argentumq; & purum & signatum. singula vasa validi iuuenes humeris ferebant. Post argentei crateres, pelues, phialæ, calices, vestes, & tota regia supellex, & vasa ex solidis gemmis. Hinc ferculorum multitudo: & hæc sequebantur tubicines bellicum clangorem intonantes: deinde boues auratis cornibus, quorum medios vittæ cingebant: nec non & frontibus Vittatos ad sacrificium succincti popæ, hoc est ministri, agebant: sequebantur & alij ministri cum argenteis patinis. Regia dehinc proles vxoresque & nati & sorores, cum pincernis seruisq; ac nutricibus, & pleraq; Persarum nobilitate, patrio more vestiti omnes, sed pullati. quæ turba etsi spectantium oculos impleuit numero, tamen lætiores reddidere tabulæ duæ: altera ipsam Persida ostendens suppliciter tollentẽ manus, & exorantem à P. R. gentium victore, veniam: altera Narsen regem fugientem cõspiciendum præbens. Post ingens captiuorum turba satis mœsta: in qua fuerunt Scytharum & variarum gentium duces, qui lacrymas effundebãt. Præferebantur aureæ coronæ & munera victori dono data. Propius currum præcedebant homines stipitibus sudibusq; accensis, qui turbã submouerent. Post sequebatur triumphantium currus ex auro et lapillis pretiosis totus, quem trahebant quatuor equi candore certantes cum niue: in eo sellæ curules duæ ornatæ gemmis erant, in quibus sedebant*

*principes*

*principes terrarum, triumphantium capitibus imminebant victoriæ alatæ. Currum sequebantur captiuitate liberati, raso capite & pileati; deinde equites laureati.*

## CONSTANTII AVGVSTI TRIVMPHVS de Magnentio tyranno. XXIII.

*HÆc dum per Eoas partes & Gallias pro captu temporum disponuntur, Constantius cõcluso Iani templo, stratisq; hostibus cunctis, Romam gestiebat visere, post Magnentij exitiũ absque nomine ex sanguine Romano triumphaturus. Nec enim gentem vllam bella cientem per se superauit, aut victam fortitudine suorum compescuit ducum, vel addidit quædam imperio, aut vsquam in necessitatibus summis primus, vel inter primos est visus: sed vt pompam nimis extẽtam, rigentiaq; auro vexilla, & pulchritudinem stipatorum ostẽderet, agenti tranquillius populo, hæc vel simile quicquam videre nec speranti vnquam nec optanti. ignorans fortasse, quosdam veterum principum in pace quidem lictoribus fuisse contentos: vbi verò præliorum ardor nihil perpeti poterat segne, alium anhelanter rabido flatu ventorum lenunculo se commisisse piscantis, alium ad Deciorum exempla vouisse pro rep. spiritum, alium hostilia castra per semetipsum cum militibus infimis explorasse: diuersis denique actibus inclaruisse magnificis, vt gloriosas suas res posteritati celebri memoria commendarent. Vt igitur plurima consumpta sunt in apparatu regio, ꝓ meritis cuilibet munera reddita sunt, transcursoq; Ocriculo elatus honorib. magnis, stipatusq; agminibus formidandis, tanquam acie ducebatur instructa, omnium oculis in eo contuitu pertinaci intentis. Quumq; vrbi propinquaret, senatus officia, reuerendasq; patritiæ stirpis effigies ore sereno contemplans, non vt Cyneas ille Pyrrhi legatus in vnum coactam multitudinem regum, sed asylum mundi totius adesse existimauit. Vnde quum se vertisset ad plebem, stupebat qua celeritate omne quod vbique est hominum genus confluxisset Romã: & tanquã Euphratẽ armorũ specie territurus, aut Rhenũ, altrinsecus præeuntib. signis, insidebat aureo solus ipse carpento, fulgenti claritudine lapidũ variorũ. Qua micãte, lux quædã misceri videbatur, aliosq; purpureis sub tegminib. texti circundedere dracones, hastarũ aureis gẽmatisq; summitatib. illigati, hiatu vasto ꝑflatiles, & ideo velut ira ꝑciti sibilantes, caudarumq; volumina relinquẽtes in ventũ. quos cingebat hinc inde ordo geminus armatorũ clypeatus atq; cristatus, corusco lumine radians, nitidis loricis indutus; sparsiq; cataphracti eqtes, quos clibanarios dictitãt Persæ, thoracum muniti tegminib. & lymbis ferreis cincti,*

cincti, vt Praxitelis manu polita crederes simulacra, non viros: quos laminarum circuli tenues apti corporis flexibus ambiebant, per omnia membra deducti: vt quocunque artus necessitas commouisset, vestitus congrueret iunctura cohærenter aptata. Augustus itaque faustis vocibus appellatus, vocum lituorumque intonante fragore cohorruit, talem se tamque immobilem, qualis in prouinciis suis visebatur, ostendens. Nam & corpus perhumile curuabat portas ingrediens celsas, & velut collo munito rectam aciem luminum tendens, nec dextra vultum, nec læua flectebat, tanquam figmentum hominis; non quum rota concuteret nutans, nec spuens, aut nasum tergens vel fricans, manumve agitans est visus vnquam. Quæ licet affectabat, erant tamen hæc & alia quædam in cætera vita patientiæ nõ mediocris indicia, vt existimari dabatur, vni illi concessa. Quod autem per omne tempus imperii, nec in consessum vehiculi quenquam suscepit, nec in trabea socium priuatum adsciuit, vt facere principes consueuere, & similia multa quæ elatus in arduũ supercilium, tanquam leges æquissimas obseruauit; Romam ingressus, imperii virtutumque omnium larẽ, quum venisset ad rostra, ad perspectissimum priscæ potentiæ forum obstupuit: perque omne latus quo se oculi contulissent, miraculorum densitate præstrictus, alloquutus nobilitatem in curia, populumque pro tribunali, in palatium receptus fauore multiplici, lætitia fruebatur optata: & sæpe quum equestres ederet ludos, dicacitate plebis oblectabatur, nec superbæ nec à libertate coalita desciscentis, reuerenter modum ipse quoque debitum seruans Non enim, vt per ciuitates alias, ad arbitrium suum certamina finiri patiebatur, sed, vt mos est, variis casibus permittebat. Deinde intra septem montium culmina, per accliuitates planiciemque posita vrbis membra collustrãs & suburbana, quicquid erat primum, id eminere inter alia cũcta sperabat: Iouis tarpei delubra, quantum terrenis diuina præcellunt, lauacra in modum prouinciarum extructa, amphitheatri molem solidatam lapidis Tiburtini compage, ad cuius summitatẽ ægrè visio humana conscendit: Pantheon velut Regionem teretem speciosa celsitudine fornicatam, elatosque vertice scansili suggestus consulum & priorum principum imitamenta portantes, & vrbis templum, forumque Pacis, & Pompeii theatrum, & odeum, & stadium, aliaque inter hæc decora vrbis æternæ. Verum quum ad Traiani forum venisset, singularem sub omni cælo structuram, vt opinamur, etiam numinum assensione mirabilem, hærebat attonitus per giganteos contextus circumferens mentem, nec relatu effabiles, nec rursus mortalibus appetendos. Omni itaque spe huiusmodi quicquam conandi depulsa, Traiani equum solum locatum in atrii medio, qui ipsum principẽ vehit, imitari se velle dicebat, & posse. Cui prope astans regalis Hormisda, respondit gestu

*dit gestu gentili, Ante (inquit) imperator stabulum tale condi iubeto, si vales: & tum equus quem fabricare disponis, ita latè succedat, vt iste quem videmus. Idem interrogatus quid de Roma sentiret, id tantum sibi placuisse aiebat quod didicisset ibi quoq; homines mori. Multis igitur cum stupore visis imperator, de fama querebatur vt inualida vel maligna, quod augens omnia semper in maius, erga hæc explicanda quæ Romæ sunt obsolescit.*

## ORDO ET FORMA ROMANI TRIVMPHI altius & ab origine repetita summatim; vt omnia ante dicta etiam plenius intelligantur. XXIIII.

*PRoficiscentes Romam ad triumphum duces Romanos, Itali, quacunq; ingrederentur, suo & ipsi triumpho excipiebant, vt de Scipione Liuius testatur: Exspectabant vero cum ad vrbem ventum esset foris: quia lege cautum fuit. Ne quis Dux ante triumphi initium vrbem ingrederetur. Erat autem territorium triumphale ibi, vbi apud basilicam principis Apostolorum Petri, sancti Andreæ ecclesia & cenotaphium extant: quo in celeberrimo priscis etiam temporibus loco, tunc Apollinis templum, nunc sanctæ Petronillæ est, vbique obeliscus est ille sublimis quem Caium principem in Neronis circo erexisse Plinius est autor. Atq; ex eo territorio triumphali parata triumphi pompa per viam procedebat triumphalem, cuius stratæ silicibus particula adhuc cernitur sub sancti Spiritus in Saxia hospitali, vt per nunc dirutum pontem Tyberis triumphalem proximum, & portam pariter dirutam eius pontis triumphalem, cuius ampla cernere est fundamenta, in vrbem & ad Capitolium duceretur. Continuabatur autem ea triumphalis via ad posteriorem nunc porticum ecclesiæ sancti Celsi, ad quam arcus marmorei ipsam amplexi viam, altera extat coxa corrosam è marmore statuam retinens colosseam. Reflexa inde via sancti Laurentij in Damaso ecclesiam, & post Floræ campum petebat: idq; hinc maximè proximis temporibus cernere fuit, quod in continuatis super eam domibus fundamenta iacere aut puteos effodere molientes, siliceam veterem offenderunt spaciosissimam, à campo Floræ ad plateam nunc Iudæorum: Inde ad Iunonis templum, nunc sancti Angeli in foro piscatorio ecclesiam, post ad sanctum Georgium in Velabro procedens via sub nouis ædibus ruinisque ab effodientibus inuenitur, quousque Iani templo Velabroq; proxima in cliuum desitura Capitolinum detecta cernitur: A Velabro autem cliuum inchoasse Capitolinum, per quem ad Io-*

uis optimi maximi templum erat ascensus, satis constat. Notissimumq; est ex Suetonio illud, Cæsarem Gallici triumphi die, prætereuehentem velabrum curru penè excussum fuisse, axe defracto. hæc itaque fuit triumphantium via ab obelisco & territorio portaque triumphali ad Iouis templum: cuius magna & dissipata etiam nunc fundamentorum vbi de facinorosis in Capitolino colle supplicium sumitur, vestigia extant: viaque tota quam descripsimus non modo in P. Æmilij, sed in cæteris quoq; triumphis, vndiq; aulæis auroq; ornabatur. & fori sediliaque ex materia, tabulataq; ad vtramque partem viæ, fenestrasque & per tecta pari disponebantur ornatu, populum commodè exceptura, qui nitidis vestibus ita totus conueniebat, vt quod Iosephus scribit, nemo ex tanta multitudine ea die remaneret domi. Templaque ipsi imminentia viæ, quorum præter sancti Angeli ecclesiam, nulla extant: aperta & sertis vaporibusq; suauibus repleta erant. Multitudo ministrorum baculos manibus gestantium inauratos, turbam è medio submouebat, vt via aperta & pura redderetur. Qui vero bello confecto ad vrbem cum reducto exercitu redierat imperator, in Vaticani territorio triumphali ad obeliscum expectabat. Ad quem locum ante lucem sese omnis ciuitas effundebat. Et quia lentissimo propter impedimenta tardantesq; machinas gradu incedendum erat, præcessuri pontifices sacerdotesq; & religioni addicta colluuio: suam pompam prius, ducere inchoabant, quem inter conatum imperator capite operto rem diuinam faciebat, in qua sic orasse eum accepimus. Dij, nutu & imperio quorum nata & aucta est res Romana: eandem placidi propitiatiq; seruate. Currui autem triumphali summus & sumptuosissimus adhibebatur ornatus. Et tensas proximiores nullo intermedio sacerdotes Salij præcedebãt, viri semper omnium grauissimi totiusq; ciuitatis amplissimi: quando Fabium Maximum, & L. Scipionem diutissimè inter Salios vixisse ac obijsse: et Titum Vespasianũ Salijs à quib. erat in collegiũ cooptatus gratias egisse ingẽtes legimus. Vestes vero quibus Salij in põpa vtebantur, subtili simpliciq; serico cœruleo fuere colore, candidioribus virgulis intertextis, & Syrma nullo sustentante trahebãt Salij: ancileq; vnum ex ijs, q̃ cœlo decidisse dicebant, brachio tanquã in prœlio aptatũ deferebant. Eratq; in religione legitimũ Salios in põpa ternos, ad summũ quaternos & saltare simul & canere, q̃ quidẽ carmina omnis põpa cãtu vel incondito referebat. Et ne addubitet quispiam grauissimos amplissimosque felicium stantis reipublicæ seculorum viros adduci potuisse, vt in foro aut via triumphali saltarent: gloriari solitus traditur Maximus: se qui quartum & octogesimum ageret annum, Iuniores multo collegas saltu superasse. tensæ dehinc quo sequerentur ordine, operosissimum fuerit scribere: sed cum omnia

*omnia templa, omnium deorum dearumque sacella, omnes ædes, suos & quidem multiplices habuerint sacerdotes, cum sodales illis & more nostro societates ac collegia, tanto nostris plura, quanto maior tunc erat populus, fuerint, pompã quæ aut præcederet aut sequeretur tensas ingentem esse oportuit, quæ quidem turba per superius descriptam triumphalem viam & portam, varia oblatrabat in deos carmina. Singuli vero ordines sacerdotum, singulæ sodalitates, singula pegmatum & machinarum agmina suos habuere ludios, & symphoniacos, singulos pantomimos, per quos à præcedentibus collegiis diuiderentur. Petreiæ enim alicubi fuerunt mulierculæ ebrias se gesticulationibus simulantes, quæ dum obtorto vacillantique gressu in casum & ruinam pendent, seseque vix tandem sustentantes totam paucis sed amplis paßibus viam conplectuntur: turbas ad risum prouocabant. Et Manducos, aliqui digniores ditioresque sacerdotes, a quibus sua gratior fieret pompa, præmittebant. Erantque hi laruato capite humano maiori, maxillas vasta magnitudine pariter vastis armatas dentibus habentes, qui suo tanti oris hiatu dentiumque crepitu, se in vtramque partem viæ dum flecterent; ridentem turbam vertebant in fugam, & quicquid esui ori applicaretur: tanquam deglutientes in sinum demittebant. Vtque maiorem varietas delectationem faceret, Ciceriæ aliis interiectæ ordinibus, suos & ipsæ risus etiam viris grauibus exciuere. Viri erant hi, veste & laruato oris habitu muliebri, quibus ceruicis proceritas iusta oblongior appareret, vocis tamen vsus ad labia & inter dentes ita respondebat, vt verborum proprietas nullatenus desideraretur: Qui media incedentes via spectatores ad vtranque partem mira linguæ volubilitate, pro vniuscuiusque conditione iocis aut ridiculis, lædoriis, laudibus, vituperationibus, aut seriis appetebant. Suisque pariter pompæ locis interiecti erant Lydij; ingens citharedorum tibicinumque turba, sericeis aureisque vestibus induta, & coronis pariter aureis redimi[illegible], cum quibus nonnulli psallentes canentesque prodibant. Eorumq; in medio ludius quispiam talari veste fimbrijs armillisque aureis splendentibus amictus: varios edebat gestus: subinde Vestalibus psaltriæ & phanaticæ mulierculæ præluserunt, pariter & debacchantes Bacchi sacerdotes, haud secus quam in Orgijs capillo per humeros sparso, nudæ potius volare quam saltare videbantur. Suum quoque inter alios pompæ sacerdotum, sodalium & epulonum ordines munus, mimi, histriones, pantomimi, & cætera ludionum turba præstabant. Postquam pontem & portam triumphalem omnis superstitiosa priscorum pompa transgressa erat, auri, & argenti, armorum, bellicarumq; machinarum, & ditißimæ ac lautißimæ supel-*

*lectilis vis ingens pro re nata portabatur; pegmataque ordine ferebantur. Imperator vero curru sublimis auro, argento, gemmisque splendenti vehebatur. In quo curru circumcirca picti erant, Jupiter sceptrum, Neptunus tridentem, Juno hastam Quirini, manu gestantes, deinde Mercurius caput pedesque alatus. Hostium vero duces & captiui nobiliores ante currum vincti ducebantur, vt ipsorum aspectu pulcherrimum spectaculum fructumque victoriæ ingentem populus Romanus excipere posset, qui illos in carcerem duci videbant. Clamabant interim obstrepebantque ante & retro milites laureati: carmina in ducem suum laudibus plena, & subinde ridicula & opprobria, lædoriasque licentissime proferebant. Magnaque cum esset ac prope infinita earum, quæ in triumphum ducuntur rerum & captiuorum multitudo, & cum pompæ & populi innumera esset turba, à territorio triumphali in forum vsque magnum Romanum nouem horis (sicut in Aureliano triumpho contigit) ægre perueniebatur: & tamen cum ad eius fori partem, quæ iuxta Ouidij verba de boue nomen habet, erat peruentum, currus ipse subsistebat. Nec prius equos flectebant, qui eorum frena agebant adolescentes, quam & ipse consul vexilla aliaque magistratus insignia, in ipso foro de more deposuisset, & ducem hostium in carcerem perductum occisumque aliquis denunciasset: vt quem Populus Romanus, quem milites Romani aliquando metuerant, supplicio affectum esse gauderent. Tunc ascendens in Capitolium Consul rem diuinam in Jouis Opt. Max. templo faciebat: cuius ad Deos oratio hæc fuisse refertur.* Gratias tibi *Jupiter Opt. Max. tibique* Iuno *regina & cæteri huius custodes habitatoresque arcis dij, libens lætusque ago. re Romana in hanc diem horamque per manus quod voluisti meas seruata bene, gestaque: eandem porro seruate vt facitis, fouete, protegite propitiati. quibus dictis finis erat, & ad epulas triumphales omnes se comparabant.*

DE OVA-

## DE OVATIONE MINORE TRIVMphi genere.
## X X V.

*OVationem minoris esse triumphi genus et Dionysius lib. v. testatur, & nos iam supra docuimus ex Plutarcho de Marco Marcello. Festus quoque ouantes lætantes esse ait ab eo clamore quem mittunt redeuntes è pugna victores milites geminata litera, O: quod idē placet etiam Dionysio. Quasi vero Romani, inquit* εὐασμὸν *Græcorum vocem, quæ clamorem significat, ouationis nomine voluerint interpretari. At Plutarchus hanc opinionem refellit; nomenque ouationis ab oue ductum putat, quam qui hoc genere triumphi ornabatur, sacrificabat: quemadmodum qui maiorem triumphum agebat, taurum in Capitolium veniens immolabat. Differt autem ouatio à triumpho, vt ait Dionysius: quod qui ouans ingreditur, is nec curru vectus, nec trabeam nec togam pictā indutus pedib. vrbem exercitu præeunte inīret. & Plutarchus ouātem nec quadrigis inuectum, nec laurea coronatum, nec tubis cōcinnentibus, sed pedibus & calceis myrtea redimitum, tibijs modulantibus vrbem inisse testatur. Myrtea autem eos potius esse vsos corona quam laurea Plutarcho assentior, quia idem traditum est à Plinio, Festo, Gellio, alijs. Hoc autem triumphi genus institutum primum Romæ anno vrbis conditæ* CCLIII. *ex Licinij annalibus docet Dionysius. Cur autem hoc factum sit non eandem causam idem cum Plinio affert. Hic enim quia Postumius tum consul leuiter & sine cruore rem gesserat; ille ex prœlio ante infelicissime facto, quo plurimis ex suis amissis, parum abfuit quin ipse cum cæteris in fuga caperetur. De causis autem huius decernendi honoris ita scribit Gellius; Ouandi non triumphandi causa est, quū aut bella non rite indicta, neque cum iusto hoste gesta sunt; aut cum hostium nomen humile & non idoneum est, vt seruorum, piratarumque, aut deditione repente facta, in puluere (vti dici solet) incruentaque victoria obuenit. Cui facilitati aptam Veneris frondem crediderunt, quod non Martius, sed quasi Venerius triumphus quidam foret. Hanc myrteam coronam bello fugitiuorum confecto quum ouans rediret, insolenter aspernatus est: senatusque consultum faciendum per gratiam curauit, vt lauro non myrto coronaretur. Adijcit Plutarchus, cum verbis & comitate res cum hostibus transacta, & bene gesta esset, tum vt ouantes inirent fuisse permissum. His addatur, cum aut in aliena prouincia, aut alienis auspicijs, aut cum sine magistratu res gesta esset. Pedibus autem, an equo vecti ouantes ingrederentur, magna quæstio est; de qua sic etiam Gellius. Prætereundum non est, quod*

*ad ouationem attinet, super quo dissentire veteres auctores scio. Partim enim scripserunt, qui ouaret introire solitum equo vehente: & Sabinus Massurius pedibus ingredi ouantes dicit; sequentibus eos non militibus, sed vniuerso Senatu. Hæc Gellius: itaq; Dionysius pedib. ingressos, Dio equo vectos intelligit. Etenim ouantem ingredi, equo vehi Dio appellat. Nam de Tiberio ouante ait;* τὰ ἐπὶ τοῦ κέλητος ἐπινίκια ἔπεμψε. *& de Druso* τὸ ἐπὶ κέλητος ἐς τὸ ἄστυ ἐλάσαι. *& de Augusto* τὸ ἐφ' ἵπποις ἐξελάσαι. *rursus de Antonio* ἐπὶ ἵππων αὐτοὺς ἐξαγαγόντες. *denique de Cæsare* ἱππεύοντα ἐκ τοῦ Ἀλβανοῦ. *Dionysius tamen loquens de A. Manlio ouante anno vrbis conditæ* CCLXXIX. *pedestrem triumphum ouationem vocat. sed nos, missa hac sub iudice lite, fastos nunc triumphales Romæ nuper effossos summatim subijciamus, vt quo quisque tempore seu triumphans seu ouans vrbem inierit, in vna quasi tabula possimus contueri.*

## FASTI TRIVMPHALES AB VRBE CONdita ad annum eius DCCLXIV. XXVI.



| | |
|---|---|
| *Omulus Rex de Cæninensibus & Antemnatibus primus triumphauit.* | *anno vrbis conditæ* IV. |
| *Romulus Rex II. triumphauit de Camerineis.* | XVI. *Kal. Sextil.* |
| *Romulus Rex III. triumphauit de Fidenatibus & Veientibus.* | . . . *Idib. Octob.* |
| *Tullus Hostilius Hosti F. Hosti N. Rex de Albanis.* | |
| *Tullus Hostilius Hosti F. Hosti N. Rex II. de Fidenatibus.* | |
| *Tullus Hostilius Hosti F. Hosti N. Rex III. de Sabinis.* | |
| *Ancus Marcius Numæ F. M. N. Rex de Veientibus.* | |
| *Ancus Marcius Numæ F. M. N. Rex II. de Sabinis.* | |
| *L. Tarquinius Damarati F. Priscus Rex de Latinis.* | |
| *L. Tarquinius Damarati F. Priscus, Rex II. de Etruscis.* | |
| *L. Tarquinius Damarati F. Priscus, Rex III. de Sabinis.* | CXX. *Idib. Septemb.* |

*Ser. Tullius*

| | |
|---|---|
| *Ser. Tullius Rex de Etruscis.* | *anno v.c.* CXXCII. VI. *Kal. Dec.* |
| *Ser. Tullius Rex II. de Etruscis.* | CXXCVI. VIII. *Kal. Iun.* |
| *Ser. Tullius Rex III. de Etruscis.* | CXXC... IV. *Non...* |
| *L. Tarquinius L. F. Damarati N. Superbus Rex de Volscis.* | |
| *L. Tarquinius L. F. Damarati N. Superbus Rex de Sabinis.* | |
| *P. Valerius Volusi F. Poplicola Consul primus de Veientibus & Tarquiniensibus.* | CCXLIV. *Kal. Mart.* |
| *M. Valerius Volusi F. Consul de Sabinis,* | CCXLVIII. |
| *A. Postumius Q. F. Tubertus Consul de Sabinis.* | CCXLVIII. |
| *P. Valerius Volusi F Poplicola II. Cos. IIII. de Sabinis & Veientibus.* | CCXLIX... *Non. Maij.* |
| *P. Postumius Q. F. Tubertus Cos. II. Ouans primus de Sabinis.* | CCL. III. *Non. Apr.* |
| *Agrippa Menenius C. F. Lanatus Cos. de Sabinis.* | CCL. *Pridie Non. Apr.* |
| *Sp. Caßius Viscellinus Cos. de Sabinis.* | CCLI. |
| *A. Postumius P. F. Albus Regillensis dictator primus de Latinis.* | CCLVII. |
| *M. Valerius Volusi F. Dictator de Sabinis.* | CCLVIIII. |
| *T. Sicinius Sabinus Consul de Volscis.* | CCLXVI. |
| *C. Aquilius Tuscus Consul Ouans de Hernicis.* | CCLXVI. |
| *Sp. Caßius Viscellinus II. Consul III. de Volscis & Hernicis.* | CCLXVII... *Iun.* |
| *P. Valerius P. F. Volusi N. Poplicola Consul de Veientibus Sabinisq;.* | CCLXXIIX. *Kal. Mai.* |
| *A. Manlius Cn. F. P. N. Vulso Consul ouans de Veientibus.* | CCLXXIX. *Idib. Mart.* |
| *T. Quinctius Capitolinus Consul II. de Antiatibus.* | CCLXXXV. |
| *L. Lucretius T. F. T. N. Tricipitinus Cos. de Æquis.* | CCLXXXXI. |
| *T. Veturius T. F. P. N. Geminus Cicurin. Cos. ouans de Volscis.* | CCXCXI. |
| *Q. Fabius M. F. K. N. Vibulanus Cos. III. de Æquis.* | CCXCIIII. *Nonis Mai.* |

*L. Corne-*

| | |
|---|---|
| | *anno vrbis conditæ* |
| *L.Cornelius Ser.F.L.N.Maluginensis Cossus Consul de Volscis Antiatib.* | CCXCIV.IV.*Id.Mai.* |
| *L. Quinctius L.F.L.N.Cincinnatus Dictator de Æquis.* | CCXCV.*Idib.Septemb.* |
| *M.Horatius M.F. M.N.Barbatus Consul de Sabinis.* | CCCIV.VII.*Kal. Septem.* |
| *L.Valerius P.F.P.N.Poplicola Potit.Consul de Æquis.* | CCCIV.*Idib.Sextil.* |
| *M.Geganius M.F.Macerinus Consul de Volscis.* | CCCX.*Non.Septemb.* |
| *Mam.Aimilius M.F.Mamercinus Dictator de Faliscis, Veientibus, & Fidenatib.* | CCCXVI.*Idib.Septemb.* |
| *A.Postumius Tubertus Dictator de Æquis & Volscis.* | CCCXXII. |
| *A.Cornelius Cossus Consul de Veientib.* | CCCXXV. |
| *Mam.Aimilius M.F.Mamercinus* II. *Dictator* III. *de Veientibus & Fidenatib.* | CCCXXVII. |
| *N.Fabius Q.F.M.N.Vibulanus Consul ouãs de Æquis.* | CCCXXXII. |
| *C. Valerius L.F. Volusi N. Potitus Volusus Consul ouans de Aequis.* | CCCXLIII. |
| *M.Furius Camillus Dictator de Veientib.* | CCCLVII. |
| *L.Valerius L.F. L.N.Potitus Consul de Aequis.* | CCCLXI. |
| *M. Manlius Capitolinus Consul ouans de Aequis.* | CCCLXI. |
| *M.Furius Camillus* II. *Dictator* II. *de Gallis.* | CCCLXIII.*Idib.Febr.* |
| *M.Furius Camillus* III. *Dictator* III. *de Volscis, Aequis, & Etruscis.* | CCCLXIV. |
| *A.Cornelius Cossus Dictator de Volscis.* | CCCLXVIII. |
| *T. Quinctius Cincinnatus Dictator de Prænestinis.* | CCCLXXIII. |
| *M.Furius Camillus* IIII. *Dictator* V. *de Gallis Senonibus.* | CCCXXCVI. |
| *Ap. Claudius P.F. Ap. N. Crassin. Regillens, Dictator ouans de Hernicis.* | CCCXCII. . . *Nouemb.* |
| *T.Quinctius Barb.Capitolin.Crispin.Dictator de Gallis, Quirinalibus ipsis.* | CCCXCII. |
| *C.Sulpicius M.F. Q. N. Peticus Consul* II. *de Hernicis.* | CCCXCII. . . *Mart.* |

*C.Potœlius*

| | |
|---|---|
| *C.Potœlius C.F.Q.N.Libo.Visolus Consul de Gallis & Tiburtib.* | *anno urbis conditæ* CCCXCIII. ... *Mart.* |
| *M.Fabius N.F.M.N. Ambustus Consul Ouans de Hernicis.* | CCCXCIII.*Non.Sept.* |
| *C.Sulpicius M.F.Q.N.Peticus II.Dictator de Gallis.* | CCCXCV.*Nonis Mai.* |
| *C.Plautius P.F.P.N.Proculus Consul de Hernicis.* | CCCXCV.*Idib.Maij.* |
| *C.Marcius L.F.C.N. Rutilius Dictator de Tuscis.* | CCCXCVII.*pri.No.Ma.* |
| *M.Fabius N.F.M.N.Ambustus II.Consul III.de Tiburtib.* | CCCXCIX.III.*Non.Iun.* |
| *M.Popillius M.F.C.N.Lænas Consul III. de Gallis.* | CD.III. *Quirinalib.* |
| *M.Valerius M.F.M.N. Coruus Consul II. de Antiatib.Volscis,Satricanisq.* | CD.VII.*Kal.Febr.* |
| *M.Valerius M.F.M.N.Coruus II.Consul III.de Samnitib.* | CDX.X.*Kal.Oct.* |
| *A.Cornelius P.F.A.N.Cossus Aruina Consul de Samnitib.* | CDX.VIII.*Kal.Oct.* |
| *T.Mālius L.F.A.N. Imperiosus Torquatus Consul III.de Latinis,Campanis,Sidicenis, Auruncis.* | CDXIII.XV.*Kal.Iun.* |
| *Q.Publius Q.F.Q.N.Philo Consul de Latinis.* | CDXIV.*Idib.Ian.* |
| *L.Furius Sp.F.M.N.Camillus Consul de Pedaneis & Tiburtib.* | CDXV.IV.*Kal.Oct.* |
| *C.Mænius P.F.P.N.Cos.de Antiatib.Lauiniis,Veliternis.* | CDXV.*prid.Kal.Oct.* |
| *M.Valerius M.F.M.N.Coruus III. Consul IV.de Calenis.* | CDXIIX. *Idib.Mart.* |
| *L.Aimilius L.F.L.N. Mamercin. Priuernas Cos.II.de Priuernatib.* | CDXXIV. *Kal.Mart.* |
| *C.Plautius P.F.P.N. Decianus Consul de Priuernatib.* | CDXXIV.*Kal.Mart.* |
| *Q.Publius Q.F.Q.N.Philo II.Primus Proconsul de Samnitib.Palæpolitanis.* | CDXXVII.*Kal.Mai.* |
| *L.Papirius S.F.L.N. Cursor Dictator de Samnitib.* | CDXXIX.III. *No.Mart.* |
| *L.Fuluius L.F.L.N. Curuus Consul de Samnitib.* | CDXXXI. *Quirinalib.* |

*Q. Fabius M. F. N. N. Maximus Rullianus Consul de Samnitib. & Apulis.* *anno vrbis conditæ* CDXXXI. XII. *Kal. Mart.*

*L. Papirius S. F. L. N. Cursor II. Consul III. de Samnitib.* CDXXXIV. X. *Kal. Sept.*

*C. Sulpitius Ser. F. Q. N. Longus Consul III. de Samnitib.* CDXXXIX. *Kal. Quint.*

*M. Valerius M. F. M. N. Maximus Consul de Samnitib. Soranisq.* CDXLI. *Idib. Sext.*

*C. Junius C. F. C. N. Bubulcus Brutus Consul III. de Samnitib.* CDXLII. *Non. Sext.*

*Q. Æmilius Q. F. L. N. Barbula Consul II. de Etruscis.* CDXLII. *Idib. Sext.*

*L. Papirius S. F. L. N. Cursor III. Dictator II. de Samnitib.* CDXLIV. *Idib. Oct.*

*Q. Fabius M. F. N. N. Maximus Rullianus II. Proconsul de Etruscis.* CDXLIV. *Idib. Nou.*

*Q. Marcius Q. F. Q. N. Tremulus Consul de Anagninis Hernicisq.* CDXLVII. *pr. K. Quint.*

*M. Fuluius L. F. L. N. Coruus Pætin. Consul de Samnitib.* CDXLIIX. III. *Non. Oct.*

*P. Sempronius P. F. C. N. Sophus Consul de Æquis.* CDXLIX. VII. *Kal. Oct.*

*P. Sulpicius Ser. F. P. N. Sauerrio. Consul de Samnitib.* CDXLIX. IV. *Kal. Nou.*

*C. Junius C. F. C. N. Bubulcus Brutus II. Dictator de Æquis.* CDLI. III. *Kal. Sext.*

*M. Valerius M. F. M. N. Coruus IV. Dictator II. de Etruscis.* CDLII. X. *Kal. Dec.*

*M. Fuluius Cn. F. Cn. N. Pætinus Consul de Samnitib. Nequinatibusq.* CDLIV. VII. *Kal. Oct.*

*Cn. Fuluius Cn. F. Cn. N. Maximus Centumalus Consul de Samnitib. Etruscisq.* CDLV. *Idib. Nou.*

*Q. Fabius M. F. N. N. Maximus Rullianus* III. *Consul V. de Samnitib. Etruscis, Gallis.* CDLIIX. *pri. No. Sept.*

*L. Postumius L. F. Sp. N. Megell. Consul* II. *de Samnitib. & Etruscis.* CDLIX. VI. *Kal. Apr.*

*M. Atilius M. F. M. N. Regulus Consul de Volsonib. & Samnitib.* CDLIX. V. *Kal. Apr.*

Sp. Caruilius C. F. C. N. *Maxumus Consul de Samnitib.* CDLX. *Idib. Ian.*

*L. Papi-*

| | anno vrbis conditæ |
|---|---|
| *L.Papirius L.F.Sp.N.Curſor Conſul de Samnitib.* | CDLX.*Idib.Febr.* |
| *Q.Fabius Q.F.M.N.Maximus Gurges Proconſul de Samnitib.* | CDLXII....*Kal.Sext.* |
| *M'.Curius M'.F.M'.N.Dentatus Conſul de Samnitib.* | CDLXIII. |
| *P.Cornelius P.F.Rufinus Cos.de Samnitib.* | CDLXIII. |
| *M'.Curius M'.F.M'.N.Dentatus II. Conſul de Sabinis.* | CDLXIII. |
| *M'.Curius M'.F.M'.N.Dentatus III. Conſul ouans de Lucanis.* | CDLXIII. |
| *P.Cornelius Dolabella Maximus Conſul de Gallis & Etruſcis.* | CDLXX. |
| *C.Fabricius C.F.C.N.Luſcinus Conſul de Etruſcis Gallisq́.* | CDLXXI.III.*Non.Mar.* |
| *Q.Marcius Q.F.Q.N.Philippus Conſul de Etruſcis.* | CDLXXII.*Kal.Apr.* |
| *Ti.Coruncanius Ti.F.Ti.N.Conſul de Vulſinienſib.& Vulcientib.* | CDLXXIII.*Kal.Febr.* |
| *L.Aimilius Q.F.Q.N.Barbula Proconſul de Tarentinis, Samnitib.& Sallentinis.* | CDLXXIII.VI.*Id.Quint.* |
| *C.Fabricius C.F.C.N.Luſcinus II.Conſul II.de Lucanis, Bruttijs, Tarentinis, Samnitib.* | CDLXXV.*Idib.Dec.* |
| *C.Junius C.F.C.N.Brutus, Bubulcus Conſul II.de Lucanis & Bruttijs.* | CDLXXVI.*Non.Ian.* |
| *Q.Fabius Q.F.M.N.Maximus Gurges II. Conſul II.de Samnitib.Lucanis, Bruttijs.* | CDLXXVII.*Quirinal.* |
| *M'.Curius M'.F.M'.N.Dentatus IV.Cõſul III.de Samnitib.& Rege Pyrrho.* | CDLXXIIX....*Febr.* |
| *L.Cornelius Ti.F.Ser.N.Lentulus Conſul de Samnitib.& Lucanis.* | CDLXXIIX.*Kal.Mart.* |
| *C.Claudius ...F.C.N.Canina Conſul II.de Lucanis, Samnitib.& Bruttijs.* | CDXXC.*Quirinalib.* |
| *Sp.Caruilius C.F.C.N.Maximus II.Conſul II.de Samnitib.Lucanis, Bruttijs, & Tarentinis.* | CDXXCI. |
| *L.Papirius L.F.Sp.N.Curſor II.Conſul II.de Tarentinis, Samnitib.Lucanis, & Bruttijs.* | CDXXCI. |

| | |
|---|---|
| *Cn. Cornelius L.F. Cn. N. Blasio. Cōsul de Sassinatib.* | *anno urbis condita* CDXXCIII. |
| *P. Sempronius P. F. P. N. Sophus Consul de Picentib.* | CDXXCV. |
| *Ap. Claudius Ap. F. C. N. Crassus Consul de Picentib.* | CDXXCV. |
| *M. Atilius M.F. L. N. Regulus Cōsul de Sallentinis.* | CDXXCV. VIII. ... |
| *L. Iulius L.F. L.N. Libo Cōsul de Sallentinis.* | CDXXCVI. VII. *Kal. Febr.* |
| *D. Junius D.F. D.N. Pera. Cos. de Sassinatib.* | CDXXCVII. V. *Kal. Oct.* |
| *N. Fabius C.F. M.N. Pictor. Consul de Sassinatib.* | CDXXCVII. III. *Non. Oct.* |
| *N. Fabius C.F. M.N. Pictor II. Consul de Sallentinis Messapijsq;.* | CDXXCVII. *Kal. Febr.* |
| *D. Junius D.F. D.N. Pera II. Consul de Sallentinis Messapijsq;.* | CDXXCVII. *Non. Feb.* |
| *M. Fuluius Q.F. M.N. Flaccus Cōsul de Vulsiniensib.* | CDXXCIX. *Kal. Nou.* |
| *C. Aquillius M.F. C.N. Florus Proconsul de Pœnis.* | CDXCV. IV. *Non. Oct.* |
| *C. Sulpicius Q.F. Q.N. Paterculus Consul de Pœnis & Sardis.* | CDXCV. III. *Non. Oct.* |
| *A. Atilius A.F. C.N. Calatinus Primus ex Sicilia de Pœnis.* | CDXCVI. XIV. *Kal. Febr.* |
| *C. Atilius M.F. M.N. Regulus Consul de Pœnis Naualem egit triumphum.* | CDXCVI. VIII. ... |
| *L. Manlius A.F. P.N. Vulso Long. Consul de Pœnis naualem egit.* | CDXCVII. VII. ... |
| *Ser. Fuluius M.F. M.N. Pætinus Nobilior Proconsul de Cossurensib. & Pœnis naualem egit.* | CDXCIX. XIII. *Kal. Febr.* |
| *M. Aimilius M.F. L.N. Paullus Proconsul de Cossurensib. & Pœnis naualem egit.* | CDXCIX. XII. *Kal. Febr.* |
| *C. Lutatius C.F. C.N. Catulus procons. de Pœnis ex Sicilia naualem egit.* | DXII. IV. *Non. Oct.* |
| *Q. Valerius Q.F. P.N. Falto Proprætor ex Sicilia naualem egit.* | DXII. *prid. Non. Oct.* |
| *Q. Lutatius C.F. C.N. Cerco Consul de Faliscis.* | DXII. *Kal. Mart.* |

*A. Man-*

| | |
|---|---|
| *A.Manlius T.F.T.N. Torquatus Atticus Consul II.de Faliscis.* | *anno urbis conditæ* DXII.IV.*Non.Mart.* |
| *L. Cornelius L.F.Ti.N.Lentulus Caudinus Consul de Ligurib.* | DXVII.*Id.inter* |
| *T.Manlius T.F.T.N.Torquatus Consul de Sardis.* | DXVIII.VI.*Id.Mart.* |
| *Sp.Caruilius Sp.F.C.N.Maximus Consul de Sardis.* | DXIX.*Kal.Apr.* |
| *Q.Fabius Q.F.Q.N. Maximus Verrucosus Consul de Ligurib.* | DXX.*Kal.Febr.* |
| M'.*Pomponius* M'.F.M'.N.*Matho Consul de Sardis.* | DXX.*Idib.Mart.* |
| *C.Papirius C.F.L.N.Maso. Consul de Corsis primus in monte Albano.* | DXXII.III.*Non.Mart.* |
| C*n.Fuluius Cn.*F.C*n.*N.C*entumalus Proconsul ex Jllyrijs naualem egit.* | DXXV.X.*Kal.Quint.* |
| *L.Aimilius Q.F.Cn.*N.P*apus.*C*onsul de Gallis.* | DXXIIX.IV.*Id.Mart.* |
| C.F*laminius* C.*F.L.N.*C*onsul de Gallis.* | DXXX.VI.*Id.Mart.* |
| P.*Furius Sp.*F.M.N.P*hilus Consul de Gallis & Ligurib.* | DXXX.IV.*Id.Mart.* |
| M.C*laudius* M.F.M.N. *Marcellus Consul de Gallis Jnsubribus & Germanis.* | DXXXI.*Kal.Mar.* |
| *P.*Cornelius *Scipio Asina* C*os.de Istris.* | DXXXII. |
| *L Aimilius* M.F.M.N. P*aulus* C*onsul de Illyrijs.* | DXXXIV. |
| M.*Liuius* M.F.M.N. S*alinator* C*onsul de Illyrijs.* | DXXXIV. |
| *M.Claudius M.F.M.N. Marcellus Proconsul II.de Syracusanis in monte Albano.* | DXLII. |
| *M.* C*laudius* M.F.M.N.M*arcellus* P*roconsul III.ouans de* S*yracusis.* | DXLII. |
| M.*Liuius* M.F.M.N. S*alinator* C*onsul de* P*œnis & Asdrubale.* | DXLVI. |
| C.C*laudius Ti.F.Ti.N.* N*ero consul de* P*œnis & Asdrubale.* | DXLVI. |
| P.C*ornelius P.F.L.N.* S*cipio Africanus* P*roconsul de Pœnis Annibale &* S*yphace rege ex Aphrica.* | DLII. |

| | |
|---|---|
| | *anno urbis conditæ* |
| *L. Cornelius* L.F.L.N. *Lentulus* Procõsul ouans ex Hispania citeriore. | DLIII. |
| *L. Furius Sp. F. Sp. N. Purpureo Pr. de Gallis.* | DLIII. |
| *C. Cornelius* L.F.M.N. *Cethegus Consul de Insubribus & Cænomanis.* | DLVI. |
| *Q. Minucius* C.F.C.N. *Rufus Consul de Ligurib. Boijsq; Gallis in monte Albano.* | DLVI. |
| *Cn. Cornelius Lentulus* Procõsul *ouans ex Hispania citeriore.* | DLVII. |
| *M. Claudius* M.F.M.N. *Marcellus Consul de Comensib. & Insubrib.* | DLVII. IV. *Non. Mart.* |
| *M. Heluius Blasio Proprætor ouans ex Hispania citeriore.* | DLVIII. |
| *Q. Minucius Q. F. L. N. Thermus* Proprætor *ex Hispania citeriore.* | DLVIII. |
| *M. Porcius M. F. Cato* Proconsul *ex Hispania citeriore.* | DLIX. |
| *T. Quinctius T. F. L. N. Flaminius* Proconsul. *ex Macedonia & Rege* Philippo *per triduum.* | DLIX. |
| *M. Fuluius M. F. Ser. N. Nobilior* Prætor *ouans ex Hispania ulteriore.* | DLXII. |
| P. *Cornelius Cn.* F.L.N. *Scipio Nasica Consul de Boijs.* | DLXII. |
| M'. *Acilius* C.F.L.N. *Glabrio* Proconsul *de Ætolis & rege Antiocho.* | DLXIII. |
| L. *Aimilius* M'. F. *Regillus* Proprætor *de Rege Antiocho Naualem egit.* | DLXIV. *Kal. Febr.* |
| L. Cornelius P.F.L.N. *Scipio Asiaticus* Proconsul *de rege Antiocho ex Asia.* | DLXIV. *prid. Kal. Mar.* |
| *Q. Fabius Q. F. Q. N. Labeo* Prætor *naualem egit ex* Creta *insula.* | DLXIV. |
| *M. Fuluius* M.F. *Ser.* N. Nobilior Proconsul *de Ætolis &* Cephallenia. | DLXVI. Kal. *Ian.* |
| C*n.* Manlius C*n.* F. L. N. *Vulso* Proconsul *de Gallis Asiaticis.* | DLXVI. *Non. Mart.* |
| L. Manlius L F.L.N. *Acidin. Fuluian.* Proprætor *ouans ex Hispania citeriore.* | DLXVIII. |
| C. *Calpurnius C.F.Cn.N.* Piso Prætor *de Lusitanis & Celtiberis.* | DLXIX. |

L. Quin-

| | |
|---|---|
| *L.Quinctius Crispinus Prætor de Lusitanis & Celtiberis.* | *anno vrbis conditæ* DLXIX. |
| *A.Terentius Varro Proprætor Ouans ex Hispania citeriore.* | DLXX. |
| *L.Aimilius* L.F.M.N.*Paulus Proconsul de Ligurib. Ingauneis.* | DLXXII. |
| P.*Cornelius* L.F.P.N.*Cethegus Proconsul de Ligurib.* | DLXXIII. |
| M.*Bæbius Q.F.*C.N.*Tamphilus Proconsul de Ligurib.* | DLXXIII. |
| *Q.Fuluius Q.*F. M.N.*Flaccus Proprætor ex Hispania citeriore.* | DLXXIII. |
| *Q.Fuluius Q.*F.M.N.*Flaccus II.Consul de Ligurib.* | DLXXIV. |
| *Ti.Sempronius P.F.Ti.N.Gracchus Proprætor de Celtiberis.* | DLXXV. |
| L.*Postumius A.F.A.*N. *Albinus Proprætor de Vaccæis & Lusitanis.* | DLXXV. |
| C.*Claudius Ap.*F.P.N.*Pulcher Consul de Istris & Ligurib.* | DLXXVI. |
| *Ti.Sempronius* P.F.*Ti.*N.*Gracchus Proconsul II.de Sardis.* | DLXXVIII. |
| *C.Valerius* M.F.P.N. *Læuinus Proconsul de Ligurib.* | DLXXVIII. |
| P.*Mucius Q.F.P.N.Scæuola Consul de Ligurib.* | DLXXVIII. |
| *Ap.Claudius C.F.Contho Proprætor ouans ex Celtiberia.* | DLXXIX. |
| C.*Cicercius ... it.Proprætor ex Corsica in monte Albano.* | DXXCI.*Kal.Oct.* |
| *L.Aimilius* L.F.M.N.*Paulus* II.*Proconsul ex Macedonia & Rege Perse per triduum.* | DXXCVI.*Kal.Decem.* |
| C*n.Octauius* C*n.*F.C*n.*N.*Proprætor ex Macedonia & Rege Perse naualem egit.* | DXXCVI.*Kal.Decemb.* |
| *L.Anicius* L.F.M.N.*Gallus Proprætor de Rege Gentio & Illyrijs.* | DXXCVI.*Quirinalib.* |
| M.C*laudius* M.F.M.N. *Marcellus Consul de Gallis,Contrubeis & Liguribus.* | DXXCVII. ... *Inter* K. |
| C.*Sulpicius* C.F.C.N. *Gallus Consul de Ligurib.Ta...rneis.* | DXXCVII. X.Kal. *Mart.* |

*M.Ful-*

M. *Fuluius* M. F. M. N. *Nobilior* P*roconsul de Ligurib. & Veleatib.* — *anno vrbis conditæ* DXCV. XII. *Kal. Sept.*

M. *Claudius* M. F. M. N. M*arcellus II. Consul II. De... us Et...* — DXCVIII.

P. *Cornelius* P. F. *Cn.* N. *Scipio* N*asica Consul de Dalmatis.* — DXCVIII.

*Q. Opimius Q. F. Q.* N. *Consul de Ligurib.* — DXCIX.

*L.* M*ummius Prætor de Lusitanis.* — DC.

M. *Claudius* M. F. M. N. M*arcellus III.* P*roconsul de Celtiberis.* — DCII.

*Q. Cæcilius Q. F. L.* N. M*etellus* P*roprætor ex* M*acedonia de Andrisco.* — DCVII.

P. *Cornelius* P. F. P. N. *Scipio Africanus Aimilius* P*rocons. de* P*œnis & Asdrubale ex Africa.* — DCVII.

*L.* M*ummius II.* P*roconsul de Achæis & Corinthijs.* — DCVIII.

*Ap. Claudius Ap. F. Ap.* N. P*ulcher Consul de Salaßis ex Alpibus.* — DCX.

M. P*erperna* P*rætor ouans de Seruis fugitiuis ex Sicilia.* — DCXIIX.

*Seruius Fuluius Flaccus Consul de Vardæis ex Illyrico.* — DCXIIX.

*D. Iunius* M. F. M. N. *Brutus* P*roconsul de Lusitanis & Gallecis ex Hispania vlteriore.* — DCXXI.

P. *Cornelius* P. F. P. N. *Scipio Africanus Aimilianus II.* P*rocōsul de* N*umantinis ex Hispania citeriore.* — DCXXI.

P. *Rupilius* P. F. P. N. P*roconsul ouans de Seruis fugitiuis ex Sicilia.* — DCXXII.

*C. Sempronius C. F. C.* N. *Tuditanus Consul de Iapydib.* — DCXXIV. *Kal. Oct.*

*M. Aquilius M. F. M. N.* P*roconsul ex Asia.* — DCXXVII. III. *Id. Nou.*

M. *Fuluius* M. F. *Q.* N. *Flaccus* P*roconsul de Ligurib. Vocontijs, & Saluieis.* — DCXXX.

*C. Sextius Caluinus* P*roconsul de Saluieis.* — DCXXXI.

*Q. Cæcilius Q. F. Q.* N. M*etellus Balearicus* P*roconsul de Balearib.* — DCXXXII.

*Cn. Domitius Cn. F. L.* N. *Ahenobarbus* P*roconsul de Allobrogib. & Aruernis.* — DCXXXII.

*Q. Fabius*

| | |
|---|---|
| *Q.Fabius Q.F.Q.N.Maximus Allobrogicus Proconsul de Allobrogib. Rutenis, Aruernis, & rege Bituito.* | *anno vrbis condita* DCXXXIII. |
| *Q.Marcius Rex Proconsul de Gallis.* | DCXXXVI. |
| *L.Cæcilius Q.F. Q.N. Metellus Dalmaticus Consul de Dalmatis.* | DCXXXVII. |
| *M.Aimilius Scaurus Consul de Liguribus.* | DCXXXVIII. |
| *M.Cæcilius Q.F.Q.N.Metellus Proconsul de Sardis.* | DCXL. |
| *T.Didius T.F.Sex.N.Proprætor ex Thracia de Scordiscis.* | DCXL. |
| *C. Cæcilius Q.F. Q.N. Metellus Caprarius Consul ex Thracia.* | DCXL. |
| *M. Liuius C.F. M.N. Drusus Proconsul de Scordiscis ex Macedonia.* | DCXLII. |
| *M.Minucius Q.F. Rufus Proconsul de Scordiscis & Triballis.* | DCXLIV. |
| *Q. Seruilius Q.F. Cn.N.Cæpio Proprætor de Lusitanis ex Hispania vlteriore.* | DCXLV. |
| *Q.Cæcilius L.F.Q.N. Metellus Numidicus Proconsul de Numidis & Rege Iugurtha.* | DCXLVI. |
| *C Marius C.F.Consul II. de Numidis & rege Iugurtha.* | DCXLIX.*Kal.Ian.* |
| *M.Antonius Proprætor de Piratis ex Cilicia.* | DCLI. |
| *C.Marius C.F.II. Consul V. de Ambronibus Teutonis & Cimbris.* | DCLII. |
| *Q.Lutati9 Q.F.Catulus Procõsul de Cimbris.* | DCLII. |
| *...Procõsul de Lusitanis ex vlteriore Hispania.* | DCLII. |
| *M'. Aquillius M'.F.M'.N. Proconsul ouans de Seruis ex Sicilia.* | DCLIV. |
| *L.Cornelius L.F.L.N.Dolabella Proconsul ex Hispania vlteriore de Lusitanis.* | DCLV.V.*Kal.Febr.* |
| *T.Didius T.F.Sex.N.II.Proconsul ex Hispania de Celtiberis.* | DCLX.IV.*Id.Iun.* |
| *P.Licinius M.F.P.N. Crassus Proconsul de Lusitanis.* | DCLX.*prid.Id.Iun.* |
| *Cn.Pompeius Sex.F.Cn.Nepos Strabo Consul de Asculanis & Picentibus.* | DCLXIV.VI.*Kal.Ian.* |
| *..Seruilius C.F.M.N.Vatia Proprætor de..* | DCLXV.XII.*Kal.Nou.* |
| *L.Cornelius L.F.L.N. Sulla Felix Dictator* | |

g de Rege

| | |
|---|---|
| *de Rege Mithridate ex Græcia & Asia per biduum.* | *anno vrbis conditæ* DCLXXII.III.*Kal.Febr.* |
| *Cn.Põpeius Cn.F.Sex.N.Magnus Proprætor ex Africa de Hiarba rege Primus eques Ro.* | DCLXXII. |
| *L.Licinius Murena Proprætor ex Ponto de Mithridate Rege.* | DCLXXIII. |
| *Cn.Cornelius Dolabella Proconsul ex Macedonia.* | DCLXXVI. |
| *P.Seruilius C.F.M.N.Vatia Isauricus Proconsul de Isauris ex Cilicia.* | DCLXXIX. |
| *C.Scribonius C.F.Curio Proconsul de Dardanis ex Macedonia.* | DCLXXXI. |
| *M.Terentius M.F.Varro Lucullus Proconsul de Bessis ex Macedonia.* | DCLXXXII. |
| *M.Licinius P.F.M.N. Crassus Proprætor ouans de Fugitiuis & Spartaco.* | DCLXXXII. |
| *Q.Cæcilius Q.F.Q.N.Metellus Pius Proconsul ex Hispania.* | DCLXXXII.III.*Kal.Ian.* |
| *Cn.Põpeius Cn.F.Sex.N.Magnus II.Proconsul ex Hispania, Adhuc eques Rom.* | DCLXXXII.*pri.Kal.Ian.* |
| *M.Puppius M.F.Piso Proconsul ex Hispania.* | DCLXXXIV. |
| *L.Licinius L.F.L.N.Lucullus Proconsul de Ponto, Cappadocia, Armenia, & Regibus Mithridate & Tigrane.* | DCXC. |
| *Q.Cæcilius L.F.Q.N.Metellus Creticus Proconsul ex Creta insula.* | DCXCI.*Kal.Iun.* |
| *Cn.Pompeius Cn F.Sex.N.Magnus III.procõsul ex Asia, Ponto, Paphlagonia, Cappadocia, Cilicia, Syria, Armenia, Piratis, Iberia, Creta, de Regibus Mithridate & Tigrane per biduum.* | DCXCII.*pri.Kal.Octob.* |
| *C.Pontinius proconsul de Allobrogibus.* | DCXCIX. |
| *P.Cornelius P.F.Lentulus Spinther proconsul ex Cilicia.* | DCCII. |
| *M.Æmilius M.F.Q.N.Lepidus proprætor ex Hispania.* | DCCVI. |
| *C.Iulius C.F.C.N.Cæsar Consul III.de Gallis.* | DCCVII. |
| *C.Iulius C.F.C.N.Cæsar II.Consul III.ex Ponto de Pharnace Rege.* | DCCVII. |

*C.Iulius*

| | |
|---|---|
| *C.Iulius C.F.C.N. Cæsar III.Consul III. ex Ægypto.* | *anno vrbis conditæ* DCCVII. |
| *C.Iulius C. F. C.N. Cæsar IV. Consul III. ex Africa de Iuba Rege.* | DCCVII. |
| *C.Iulius C.F.C.N.Cæsar V.Consul IV.ex Hispania.* | DCCVIII... *Octob.* |
| *Q.Fabius Q.F.Q.N.Maximus Cõsul ex Hispania.* | DCCVIII.III.*Id.Octob.* |
| *Q.Pedius M.F.Proconsul ex Hispania.* | DCCVIII.*Id.Decemb.* |
| *C.Iulius C.F.C.N.Cæsar VI.Dictator IV. ouans ex monte Albano.* | DCCIX.*Kal.Febr.* |
| *L.Munatius L.F.L.N.Plancus Proconsul ex Gallia.* | DCCX.IV.*Kal.Ian.* |
| *M.Aimilius M. F. Q. N. Lepidus II. IIIvir R.P.C.Proconsul ex Hispania.* | DCCX.*Kal.Ian.* |
| *P.Vatinius P.F.Proconsul ex Illyrico.* | ....*prid....* |
| *L.Antonius M.F.M.N.Consul ex Alpibus.* | ....*Kal.Ian.* |
| *Imp.Cæsar Diui F.C.N. IIIvir R.P.C.ouans quod pacem cum M.Antonio fecit.* | |
| *M.Antonius M.F.M.N.IIIvir R.P.C.ouans quod pacem cum Imp.Cæsare fecit.* | |
| *L.Marcius L. F. C. N. Censorinus Consul ex Macedonia.* | DCCXIV.*Kal.Ian.* |
| *C. Asinius Cn.F. Pollio Proconsul ex Parthineis.* | DCCXIV.VII.*Kal.Nou.* |
| *P.Ventidius P.F.Proconsul ex Tauro monte & Parthis.* | DCCXV.V.*Kal.Decemb.* |
| *Cn.Domitius M.F.M.N. Caluinus Proconsul ex Hispania.* | DCCXVII.XVII.*Kal. Sex.* |
| *Imp. Cæsar Diui F.C.N. II. IIIvir R.P.C.II. ouans ex Sicilia.* | DCCXVII.*Id.Nouemb.* |
| *T.Statilius T.F.Taurus Procõsul ex Africa.* | DCCXIX.*prid. Kal. Iul.* |
| *C.Sosius C.F.T.N.Proconsul ex Iudæa.* | DCCXIX. III. *Non.Sept.* |
| *C.Norbanus C.F. Flaccus Proconsul ex Hispania.* | DCCXIX.III.*Id.Octob.* |
| *Imp.Cæsar diui F.C.N.III. Consul V.de Pannonijs,Dalmatis,Iapydibus & Gallis.* | DCCXXIV.VIII.*Id.Sext.* |
| *C.Carrinas C.F.Procõsul de Gallis & Sueuis.* | DCCXXIV.VII.*Id.Sext.* |
| *Imp. Cæsar diui F. C.N. IIII. Consul V. ex Macedonia.* | DCCXXIV.VI.*Id.Sext.* |

| | |
|---|---|
| | *anno vrbis conditæ* |
| *Imp.Cæſar,diui F.C.N.V.Conſul V.ex Ægypto.* | DCCXXIV.VI.*Id.Sext.* |
| *L.Autronius P.F.Craſſus Proconſul ex Africa.* | DCCXXIV.XVII.*K.Sept.* |
| *M.Licinius M.F.M.N.Craſſus Proconſul ex Thracia & Gethis.* | DCCXXV.*Non.Iul.* |
| *M.Valerius M.F.M.N.Meſſala Coruinus Proconſul ex Gallia.* | DCCXXVI.VII.*Kal.Oct.* |
| *Sex.Appuleius Sex.F.Sext.N.Proconſul ex Hiſpania.* | DCCXXVII.VII.*K.Febr.* |
| *L.Sempronius L.F.L.N.Atratinus Proconſul ex Africa.* | DCCXX...IIII.*Id.Octo.* |
| *L.Cornelius P.F.Balbus Proconſul ex Africa.* | DCCXXXIV.VI.*K.Apr.* |
| *P.Silius P.F.P.N.Nerua Proconſul ex Alpibus & Pannonijs.* | DCCXXXVII. |
| *L.Aſinius C.F.Cn.N.Gallus Procõſul de Sauromatis.* | DCCXXXIX. |
| *Ti.Claudius Ti.F.Ap.N.Nero Germanicus Proconſul ouans de Dalmatis,Pannoniis,et Dacis ex Illyrico.* | DCCXLIV. |
| *Ti.Claudius Ti.F.Ap.N.Nero Germanicus II.Conſul II.de Germanis.* | DCCXLVI.*Kal.Ian.* |
| *Ti.Cæſar Auguſti F.Diui N.III.Proconſul de Illyriis,Pannoniis,Dalmatis,& Germanis.* | DCCLXIV. |

## DE ARCVBVS TRIVMPHALIBVS ROMAE.

## XXVII.

*ABſolutis iis q̃ de triumphis ipſis veterum dicenda habebamus, videamus de aliis quibuſdam etiam triumphalibus ornamentis,qualia ſunt Arcus,columnæ, obeliſci,pyramides, de quibus vt ordine breuiter pauca dicamus: Scire licet arcus triumphales à triumpho dictos,his erigi ſolere,qui Prouincias & vrbes,aut externas nationes expugnaſſent,ac bello ſuperaſſent,rebus enim bene geſtis,hi in vrbem victores redibant,& in Capitolium, Ioui gratulaturi,ac Diis vota perſoluturi, conſcendebant, præcedente rerum longo ordine, ac pompa,albis inſidentes quadrigis, incedebat autem iuxta currum captiuorum,cathenatorumque agmen miſerabile. Vſum autem huiuſmodi arcuum triumphalium Plinius ſuo tempore ait cœpiſſe. Neque antiquiorem, quàm Titi Arcum Romæ videre eſt. Nam antea ponebantur ſtatuæ triumphales, vel triumphalia ornamenta, ſicut Trophæa C. Marij*

*Marij de bello Cymbrico, quæ adhuc extant in Esquilijs. Fuerunt autem plures arcus, sed ex his tantum hodie minus læsi apparent tres in regione viæ Sacræ Constantini, Titi, & Seueri Imp. quos suo ordine, non tempore prosequemur.*

## DE ARCV TRIVMPHALI CONstantini Imp.

## XXVIII.



*Ccurrit autem primus in ordine triumphalis Arcus Flauij Constantini, in angulo Palatij, iuxta Amphitheatrum, quod Colosseum vocãt, triumphalibus, sed nunc malè integris ornamentis conspicuus, atque ex omnibus minus læsus, cum Trophæis, & Victorijs alatis, in vtroq; frontispicio, post bella ciuilia excitatus, superato Maxentio Tyranno apud Pontem Miluium, cuius inscriptio talis est:*

IMP. CÆS. FL. CONSTANTINO MAXIMO P. F. AVGVSTO S. P. Q. R. QVOD INSTINCTV DIVINITATIS MENTIS MAGNITVDINE CVM EXERCITV SVO TAM DE TYRANNO QVAM DE OMNI EIVS FACTIONE VNO TEMPORE IVSTIS REM. P. VLTVS EST ARMIS ARCVM TRIVMPHIS INSIGNEM DICAVIT.

*Extant in maiori fornice interius a dextris, & sinistris,*

*hinc* LIBERATORI VRBIS.

*illinc* FVNDATORI QVIETIS.

*Et in superioribus visuntur a fronte, & a tergo quatuor in locis.*

*hinc* VOTIS. X.

*inde* VOTIS. XX.

*à dextra sic.* X.

*à sinistra sic.* XX.

*Quæ vota in magnis periculis vouebãtur, vt apparet etiam in eius principis nomismatibus. Solusq; toto Imperio Romano, cum imperaret cognomen induit Maximi, cum antea Alexandro Magno, & Gn. Pompeio Magni cognomen solum datum sit. Iuxta hunc Arcum extat adhuc dimidiata rotunditas, antiquæ Metæ, quæ dicebatur Meta sudans, in cuius vertice erat æreum Iouis simulachrum. Ideo dicta Meta sudans, quia ex ea vberes manabant aquæ ad extinguendam plebeculæ sitim ex proximi Amphitheatri spectaculis*

DE ARCV TRIVMPHALI TITI IMP.
XXIX.

*IN media summa via sacra, surgit Arcus Titi Vespasiani Imp. omniũ, qui sunt in vrbe, vt tradit Plinius, antiquissimus. Paruus quidem, ac vetustate mutilatus, extructusq; deuictis Hierosolymis, præclarissima olim Orientis vrbe, vbi breuis tituli inscriptio.*

SENATVS POPVLVSQVE ROMANVS DIVO TITO DIVI VESPASIANI F. VESPASIANO AVGVSTO.

*Inest autem Quadriga triumphantis, cum Victoria, præcedentibus XII. Consularibus Fascib. ab vno latere, ab altero vero Triumphi sunt spolia, Aureum candelabrum septem ramorum, in quibus erant septem lucernæ significantes septẽ stellas errantes, & duæ tabellæ marmoreæ Mosaicæ legis, vasa templi, mensa aurea põderis talenti magni; cum alijs gentis spolijs, vt scribit Iosephus. Quæ omnia condita fuerunt in ꝓximo Pacis tẽplo, a Vespasiano patre, post bella ciuilia exstructo; ꝗ cum Tito filio in eodẽ curru triumphauit, teste Tranquillo. Martialis ad Domitianũ.*

Frater Idumæos meruit cum patre triumphos.
Quæ datur ex Catthis laurea tota tua est.

DE ARCVBVS TRIVMPHALIBVS
L. Septimij Seueri.
XXX.

*EXtat & L. Septimij Seueri Arcus in foro Ro. ad radices Capitolij, omnium olim pulcherrimus, nunc vero semiustus, & deformatus, vbi in vtroque frontispicio prominent alatæ victoriæ, cum Trophæis; Terrestrisq; & naualis belli simulachra, a fronte, et a tergo, cum inscriptione:*

IMP. CÆS. LVCIO SEPTIMIO M. FIL. SEVERO PIO PERTINACI. AVG. PATRI PATRIÆ, PARTHICO, ARABICO, ET PARTHICO ADIABENICO. PONTIF. MAXIMO. TRIBVNIC. POTEST. XI. IMP. XI. COS. III. PROCOS. ET IMP. CÆS. M. AVRELIO L. FIL. ANTONINO AVG. PIO FOELICI TRIBVNIC. POTEST. VI. COS. PROCOS. PP. OPTIMIS FORTISSIMISQVE PRINCIPIBVS OB REM PVBLICAM RESTITVTAM IMPERIVMQVE POPVLI ROMANI PROPAGATVM INSIGNIBVS VIRTVTIBVS EORVM DOMI, FORISQVE. S.P.Q.R.

*Triumphum autem Seuerus respuit, ne videretur de ciuili triumphare victoria, offerentibusq; honorem eum patribus, quod affectus articulari morbo, in curru consistere non posset, filio illum concessit.*

*Cæterum visitur adhuc in velabro, iuxta templum S. Georgij, exiguus, & parum integer, alius Arcus Boarius, qui creditur Argentariorum, & negociantium Boariorum fuisse, cuius est inscriptio:*

IMP. CÆS

IMP. CÆS. L. SEPTIMIO SEVERO PIO PERTINACI AVG. ARABIC. ADIABENICO. PARTH. MAX. FORTISSIMO FOELICISSIMO PONTIF. MAX. TRIB. POTEST. XII. IMP. XI. COS. III. PP. ET IMP. CÆS. M. AVRELIO ANTONINO PIO FOELICI AVG. TRIB. POTEST. COS. III. PP. PROCOS FORTISSIMO FOELICISSIMOQVE PRINCIPI ET IVLIÆ AVG. MATRI. AVG. N. ET CASTRORVM, ET SENATVS, ET PATRIÆ ET IMP. CÆS. M. AVRELI ANTONINI PII FOELICIS AVG. PARTHICI MAXIMI ARGENTARI, ET BRITANICI MAXIMI NEGOCIANTES BOARII HVIVS LOCI QVI DEVOTI NVMINI EORVM.

## DE ARCV TRIVMPHALI DOMITIANI. XXXI.

*Extat item via Flaminia, prope S. Laurentium Arcus (vt creditur) Domitiani Imp. qui nunc a Romanis vulgo dicitur Tropholi, vel Trophæi, a Trophæis quibus ornatus olim fuerat, vel Tripolis, vt quibusdam placet, ob victoriam trium vrbium, prout veterem inscriptionem, superioris sæculi nostri patres se legisse retulerunt. At nunc totus mutilatus, & suis ornamentis, ac titulis, denudatus, quem Domitiani Imp. fuisse, eruditiores tradunt, argumento sumpto ex verbis Suetonij, qui scribit Domitianum somniantem se à Minerua destitutum, & illam excedere sacrario, negantemq́ se vltra tueri posse quæ exarmata esset a Ioue, vt simulachra eius rei marmorea extant, & Martialis: qui ait,*

Stat sacer, & domitis gentibus Arcus ouans.

*Nam & ipse per omnes regiones fecit Ianos Arcusque cum insignibus triumphalibus, qui postea omnes euersi sunt, vt tradit Dionysius.*

## DE ARCV TRIVMPHALI GALIENI. XXXII.

*Surgit etiam adhuc in Esquilijs, iuxta Ædem S. Viti: Arcus Galieni Imp. ex Tyburtino lapide satis rudis, cum inscriptione huiusmodi:* Gallieno clementissimo Principi, cuius inuicta virtus sola pietate superata est. M. Aurelius victor dedicatissimus Numini maiestatique eius.

## DE ARCV GORDIANI IMPERATORIS. XXXIII.

*Fuit & in eadem regione, in aggere Tarquinij Arcus Gordiani Imp. marmoreis ornamentis, & Trophæis ornatissimus: cuius marmora è profunda tellure eruta nuper sunt, atq́ in ornamenta*

*menta Palatij, & Templi S. Laurentij in Damaso translata iussu R.D. Raphaelis Riarij Card. Sancti Georgij.*

## DE ALIIS ALIQVOT ARCVBVS SIVE FORNICIbus triumphalib. tam antiquiorib. quam recentioribus XXXIIII.

*EXstabat praeterea in foro Romano olim Arcus, siue Fornix Fabianus, via Sacra, iuxta Regiam vt scribit Asco. Pedianus, cum inquit, Fornix Fabiani Arcus, iuxta regiam, in via sacra, à Fabio Censore constructus, qui deuictis Allobrogibus Allobrogicus nominatus est, ibiq; scuta eius posita. Cic. pro Gn. Plancio, Nec illum accuso, qui est summa Sacra uia, cum ad Fabianum Fornicem impellor. Haud procul hinc erat & Calpurnius Fornix, iuxta quem C. Grachus fragmento subsellij ictus occubuit. Fueruntq; in eodem foro Arcus Lateritii Romuli cõditoris, q durauerunt ad multas ætates, nec eos passi sunt Romani marmore adornari, sed sicut erãt rudes stare pmiserũt in memoriã cõditoris vrbis. praeterea fuerant Arcus vetustissimi ad primas partes Auentini, inter montem, & Tyberim memoria patrum nostrorum euersi, quorum inscriptio erat.* P. LENTVLVS CN. F. T. QVINTIVS CRISPINVS VALERIANVS COSS. EX S.C. FACIVNDVM CVRAVERE IIDEM COMPROBAVERE.

*Fuit & Arcus Traiani in foro eius extructus, vt scribit Dion. cum inquit, Triumphalis tunc Arcus praeter alia multa, quae in honorem eius, & decreta, & facta fuerunt, in illius Foro substructus est.*

*Fuit & alter, in honorem eius, Arcus in regione Portae Capenae, isque esse creditur, cuius vestigia extant in Porta ipsa Capena, in proximo Aquae ductu, argumento quod Traianus Viam Appiam quae ab eo loco initium habet magnifice restituit, ac strauit. Fuerunt autem in ea regione, tres arcus Veri Parthici, Drusi, & Traiani, & extra eandem portam circum latera Templi Martis, Arcus Germanici, & Drusi, cum effigie Caesarum structi, quos Senatus decreuit, & Germanici cognomen ipsi, posterisq; suis, vt scribit Tacitus. Ædificauit & Tyberio Caes. Arcum, Diuus Claudius, iuxta Theatrum Pompeii decretum ante à Senatu. Fuerunt praeterea Arcus Theodosii, Valentiniani, & Gratiani Imp. haud longe a Ponte Castelli, quorum fragmenta nuper eruta sunt iuxta Ædem S. Celsi. item alii siue Arcus siue Fornices, quorum duo aetate superiore diruti sunt; vnus iuxta plateam Sciarrae, via quae ducit ad Porticum Antonini Pii, cuius adhuc extant ornamenta quaedam marmorea. Alter iuxta Sanctae Mariae in via Lata, ab Innocentio* VIII. *in renouatione proximi Templi dirutus, cuius ornamenta marmorea eruta nuper sunt cum Trophaeis Barbaricis, quae haud dubie posteriorum esse*

*Imperato-*

*Imperatorum, ex ornatu apparet. Hinc iactu lapidis, extat adhuc Arcus Campiliani, satis rudis, vbi nulla ornamentorum signa, quē nonnulli Camillianum appellant. Nam veteres Romani Duces, ac triumphantes non Arcus, sed triumphalia insignia cum statuis, & Trophæis habebant, vt Trophæa C. Marij in Esquilijs, de triumpho Cymbrico, & altera de triūpho Iugurthino, in via Flam. inter collem nūc hortulorum, & Augusti Mausæolum, vbi marmorea tabula cum titulo C. Marij de triumpho Iugurthino, auctore Fuluio empta à quodam lapicida, nunc est in domo Pomponij Læti, in monte Quirinali. Fuerunt & altera de spolijs Cymbricis marmorea ornamēta, à Q. Catulo posita in Area Flacciana, teste Valerio Max. cum inquit, Ideoq; M. Flacc. & L. Saturnini seditiosorum ciuium corporibus trucidatis, penates ab imis fundamentis eruti sunt. Cæterum Flacciana Area cum diu Penatibus vacua mansisset, à Q. Catulo Cymbricis spolijs adornata est.*

## DE COLVMNIS TRIVMPHALIBVS. XXXV.

*Columnæ dictæ, quod culmina substineant, vnde intercolumnia dicuntur, spatia, quæ inter columnas existunt. Columnas autem & Arcus in honorem principum erectas, videmus, nō nimium antiquo inuento, neq; Traiani & Antonini tempore vetustiores, nisi Mænianam dixerimus, honoris causa Mænio concessam in Foro, & Columnam Cæsaris, & alias perpaucas, quæ aliæ ad magnificentiam, aliæ ad fulcimentum comparatæ sunt, trium generum: vocantur enim Teretes quædam, aliæ quadrangulæ, nonnullæ etiam striatæ, quarum capita dicuntur Epistylia, pedes, & sustentacula bases, truncus vero sine his dicitur Scapus, harum structuræ sunt, Ionica, Dorica, Italica, Corinthia, Tuscanica, vt docet Vitruuius. Primum autem in humanam effigiem columnæ exstructæ sunt ad ædificia sustentāda, & in memoriam suorum effigiatæ, vt tradit idem Vitruuius libro primo. referturq; origo earum ad Lacones, qui exercitum Persarum cum superassent, Porticum Persicam ex manubijs indicem victoriæ posteris, pro Trophæis constituerunt, ibiq; captiuorum simulachra, Barbarico ornatu tectum sustentantia collocarunt. Nec non Caryatidum, deleto eorum oppido viris interfectis, stolas & matronales ornatus eorum mulieres deponere non passi sunt. Vnde Architecti artificijs publicis designauerunt tales imagines oneri ferundo collocatas, & ita ex eo argumento varietates egregias auxerunt operibus. Extant hodie huiuscemodi duo senum marmorea simulachra tectum logiæ sustinentia in antiquis ædibus DD. Co-*

*lumnensium sub monte nunc Caballo. Et quatuor itidem fœminarum in Hortis nunc. R. D. Alexandri Card. Cæsarini, iuxta eius ædes, quam quidem structuram Barbaricam Porticum appellauit Plautus. Sunt præterea columnæ Striatæ, canaliculis vndique circumcauatæ. Sunt & structiles, quæ non ex vno lapide, sed ex pluribus constant.*

## DE COLVMNA TRIVMPHALI Traiani Imp. XXXVI.



*Olumna Cochlidis Traiani, in Foro eius erecta, adhuc cernitur, altitudinis pedũ* CXXIII. *vbi Cochlea interior cum gradibus* CLXXXV. *cum fenestellis* XLV. *in qua circumquaq; extrinsecus spectantur marmore incisa rerum gestarum simulachra præstantiss. principis miro artificio cælata, præcipue bellũ Dacicũ, hancq; apud Parthos bellum gerenti ei dedicauit Senatus, neque ipse videre potuit, cum è Persis rediens, apud Seleuciam Syriæ vrbem fluxu sanguinis extinctus sit. Dionysius tamen Græcus scriptor, Ingentem, inquit, in Foro suo columnam statuit, siue vt ea pro sepulchro esset, siue vt ostentatio eius operis, q ille circa Forum egit; Cliuus surgebat, quem effossa quaq; versus terra ita complanauit, vt vndiq; columna conspiceretur. Forum deinde in areæ modum locatum mansit, quod Appollodorus Architectus, qui & Methodium & Gymnasium, eo iubente, struxit. Solus hic omniũ Imperatorum intra vrbem sepultus, cuius cineres & ossa in vrbem relata, in eadem columna condita dicuntur aurea pila, cum eius imagine, quæ superstaret Foro, ab se extructo, cuius inscriptio huiusmodi, in eius columnæ base legitur,*

SENATVS POPVLVSQVE ROMANVS IMP. CÆSARI DIVI NERVÆ. F. NERVÆ TRAIANO AVG. GERM. DACICO PONTIF. MAXIMO TRIBVN. POT. XVII. COS. VI. PP. AD DECLARANDVM QVANTÆ ALTITVDINIS MONS ET LOCVS TANTIS MOLIBVS SIT EGESTVS.

## DE COLVMNA TRIVMPHALI ANtonini Pij Imperatoris. XXXVII.



*Ltera Cochlidis columna, in campo Martio adhuc extat, quam Antoninus Pius Imp. sibi erexit, altitudinis pedum* CLXXVI. *cũ interiore Cochlea et gradibus* CIIII. *Fenestellis* LVI. *incẽdio nunc mutilata, et conquassata cernitur, vbi res gestæ Antonini vndiq; marmore incisæ spectãtur, maiusculæ, ac pminẽtiores, q̃ in colũna Traiani, cuius morib. et virtute similis fuit. Qui etiã religione, pietate, gratia,*

*gratia, clementia, iustitiaque, cum Numa Pompilio comparari potest, tantaq; modestiæ fuit, vt sæpius illud Scipionis dictum vsurparet, Malle se vnum ciuem seruare quam mille hostes occidere. In cuius columnæ summitate nudum simulachrum collocatum erat, vt in eius nomismate videre licet, ab ipsa columna regio nunc columnæ, vbi ea erecta cernitur nomen accepit.*

## DE ALIIS COLVMNIS TRIumphalibus aliquot. XXXVIII.

*TRadunt & columnam Cochlidem Porphyreticam ex vrbe Roma Constantinopolim aduectam à M. Aurelio Constantino; qui cum multa ad ornatum nouæ vrbis conquisiuisset, Cochlidem etiam Porphyretici lapidis ex vrbe Roma aduehendam curauit. Cui statuam suam & clauum vnum Christi redemptoris insigne posuit. Quæ post multos annos, regnante Alexio Conneno violentia ventorum cecidisse, fertur. sanè diuus Hieronymus scribit Constantinum nudasse vrbes, vt Constantinopolim ornaret. Constituerat præterea Hæliogabalus Imperator columnam vnam ingentem ædificare ad quam ascenderetur intrinsecus, ita vt in summo Hæliogabalum Deum collocaret. Sed tantum saxum non inuenit, cum id de Thebaide adferre cogitaret, vt tradit Lampridius. Fuit & columna Cæsaris lapidis numidici.* XX. *pedum; vbi scalptum erat,* PATER PATRIÆ. *Fuit & in Foro columna, quæ vocabatur Milliarium aureum, & columna Mæniana, iuxta Basilicam. Et columna Lactaria in foro Olitorio.*

## DE OBELISCIS TRIVMPHALIBVS. XXXIX.

*OBeliscus lapis est ad figuram metæ sensim proceritate in excelsum consurgens, paulatim gracilescens, specie quadrata, in verticem productus angustum, manu leuigatus artificis, Græcam habens Etymologiã, de quo satis multa Plinius, & Ammianus Marcellinus. fuerunt autem Romæ Obelisci magni sex, duo in Circo Maximo, maior* CXXII. *pedum, minor verò* CXIII. *vnus in Vaticano, qui solus nunc extat, pedum* LXXII. *vnus in campo Martio, pedum* LXXII. *Duo in Mausoleo Augusti pares singuli pedum* XLII. *Obelisci vero parui* XLII. *& in plerisq; sunt notæ Ægyptiorum. Vnde Cornelius Tacitus, primi, inquit, per figuras animalium Ægyptij sensus mentis effingebant, et an-*

*tiquißima monumenta memoriæ impressa in saxis cernuntur, & literarum se inuentores perhibent. Adhucq; Romæ consimiles literæ visuntur in minore Obelisco, & quædam iuxta Pantheon Agrippæ. Plinius lib.* XXXVI. *Trabes, inquit, è lapide Simite fecere Reges quodam certamine, Obeliscos vocantes, Solis numini sacratos; radiorum eius argumentum in effigie est, et ita significatur nomine Ægyptio. Primus omnium id Rex Mitres instituit. Octauius Augustus duos admirandos ex vrbe Ægyptiorum Heliopoli transtulit, quorum vnus in Circo Max. constitutus pedum* CXXII. *omnium maximus, qui fuerit in orbe terrarum ob magnitudinem nunquam erectus, nuncq; in medio eo circo multa tellure obrutus iacens magnam ipsius circi partem occupat, in duas partes olim ab erigere eum conantibus, in molitione confractus, dicitur à Semnesertеo Rege ante excisus. Alter verò minor altus pedes* CXIII. *in Martio Campo locatus, quem idem Plinius ait à Sesostride excisum. huic autem Augustus admirabilem vsum addidit ad deprehendendas Solis vmbras, dierumq; ac noctium magnitudines, eiusq; vertici auratam pilam Manlius Mathematicus addidit, cuius summitate vmbra colligeretur, strato lapide ad Obelisci magnitudinē, cui par fieret vmbra. Sed is hodie in multas partes confractus, atque terra obrutus iacet ad radices Citatorij montis versus Tyberim. in Base vero talis legitur inscriptio:* CÆSAR DIVI. F. AVGVSTVS PONTIFEX MAXIMVS IMP. XII. COS. XI. TRIB. POT. XIV. ÆGYPTO IN POTESTATEM POPVLI RO. REDACT. SOLI DONVM DEDIT.

*Duorum autem in Augusti Mausoleo parium obeliscorum alter inter ruinas inuentus, nuper effossus est, iuxta ædem Sancti Rochi, ibique nunc in media via iacet confractus. Alter inuentus, nec effossus, post ædem Sancti Rochi. Tertius in Vaticano solus hodie erectus cernitur in Caij & Neronis Circo, vnus omnino fractus in molitione eius (vt tradit Plinius) quem fecerat Sesostridis filius, Nuncoreus. Eiusdem remanet & alius centum cubitorum, quem post cæcitatem visu reddito ex oraculo Soli sacrauit. Est & Diuo Tyberio in Vaticano Circo statutus obeliscus. Cuius ab vno latere talis extat inscriptio:*

DIVO CÆSARI DIVI IVLII. F. AVGVSTO TI. CÆSARI DIVI AVGVSTI. F. AVGVSTO SACRVM.

*Ab altero latere,*

DIVO CÆSARI DIVI IVLII. F. AVGVSTO TI. CÆSARI DIVI AVGVSTI. F. AVGVSTO SACRVM.

*Quem hodie Obeliscum Sancti Petri à propinqua eius Basilica imperitum vulgus appellat. Duo etiam parui nunc cernuntur erecti, quos apices magnorum confractorum esse credibile est. Alter in Capitolio in*

*hortis*

*hortis Aracæli: alter in platea Sancti Machuti haud longè à Pantheo. Unus item extra mœnia vrbis, & Templum Sanctæ Crucis in Hierusalem inter vineas, vnus ingens ac pulcherrimus iuxta viam Appiam ad II. lapidem in Hippodromo, inter Sanctum Sebastianum nunc & caput Bouis in multas partes confractus, vbi Hieroglyphicæ incisæ sunt literæ, & adhuc extant signa metarum in medio Circo, per longum ordinem dispositæ. erant enim septem Metæ, propter septem Planetas, medius erat Obeliscus, qui dicatus erat Soli, cæteræ Metæ à dextris, & sinistris cæteris Planetis. Theophrastus tradit, Regi Ægyptiorum à Babylonio Rege Smaragdum missum, quatuor digitorū longitudine, trium latitudine. Et fuisse apud eum in Iouis delubro Obeliscum, quatuor Smaragdis cubitorum altitudine, latitudine vero in vna parte quatuor, in altera duorum. Multa præterea Obeliscorum fragmenta videntur hodie per totam vrbem. Sed maximè inter Templum Sancti Machuti, & proximam ædem Sancti Nicolai de Forbitoribus.*

## DE PYRAMIDIBVS TRIVMPHALIBVS. XL.

*PYramides dicuntur quadratæ moles instar inualescentis flammæ, in acutum surgentes, & ab igne, ex Græca etymologia originem habent. Quæ prius in Ægypto constitutæ sunt. De quib. ita Plinius, Dicantur, inquit, & Pyramides in eadem Ægypto Regum pecuniæ ociosa, ac stulta ostentatio. Quippe cum faciendi eas causa à plerisque tradatur, ne pecuniam successoribus, aut æmulis insidiātibus præberent, aut ne plebs esset ociosa; meminitq́ cōplurium mox Plinius idem; ad quarum imitationem postea Romani nonnullas erexerunt, eiusdem formæ, sed non eiusdem propterea magnitudinis; de quibus, cum sepulchrorum gratia fieri consueuerint maximè, agemus fortasse pluribus libro eo, qui est de triumphalibus funeribus & sepulchris.*

# PANDECTARVM TRIVMPHALIVM TOMI PRIMI LIBER SECVNDVS, QVI EST DE *Triumphis recentiorum.*

## TRIVMPHVS VENETIIS CELEBRATVS CVM Alexander Pontifex Maximus & Fædericus Barbarossa Imperator ibidem conuenissent sub annum cIↃ.CLXIV.

I.



*Vm Fædericus Imp. publica fide accepta Venetias adire omnino decreuisset, iamq́ in itinere esse nunciaretur, Petrus Zianus Principis filius, cum sex longis nauibus Rauennam vsque missus est illi obuiam: & circa Clodiam multa parua nauigia officii gratia illuc vsque progressa venientem exceperunt. Vbi vero Venetias ventum est, Romanus Pontifex pro foribus templi sella sedens ornatißima, Fædericum ad se venturum expectauit: is vbi proximo loco stetit, purpurea humeris chlamyde deposita, atque humi prostratus, ad Alexandri pedes obrepens peruenit, quos vbi exosculatus est, confestim illum manu subleuatum ad osculum Pontifex admisit. Inde ad maximam diui Marci aram itum, vbi preciosißima quædam tabula gemmis ornata paulo ante dicata fuerat, quæ hodieq́ inter publicos visitur thesauros. Hic quoque edito loco duo Christiani nominis Principes se inuicem alloquentes suauißimum populo spectaculum præbuere. Addunt quidam, Pontificem quasi ita illum expiaturum, collo ipsius prostrati pedem imposuisse, cepisseq́ interim Dauidicum illud canere: Super aspidem & basiliscum ambulabis: notum est carmen. Tum Fædericum ingentes adhuc spiritus alentem, dixisse: non tibi, sed Petro, ad quæ responderit Pont. Max. & mihi & Petro. Ferunt Dominicæ ascẽsionis die id factum: alii victoriam per eos dies partam contra Othonem Fæderici filium affirmant, ac in tam felicis rei memoriam, Pontificem sanxisse, vt quotannis stato die in ea æde plena omnibus qui confeßionem fecissent, pateret venia. Nec ita multis interiectis diebus Fædericus Alexanderq́ vt alii tradunt Venetiis abiere: Veneti vero scriptores, aliquot post menses vtrunque digressum memorant. Obbo Fædericum terrestri itinere, Alexandrum Pontificem cum Ziano Principe naui, eodem tempore Anconem peruenisse scribit: vbi quum tota ciuitas ad portum officii gratia effusa, publico nomine vmbellas duas, vnam Alexandro, alteram Fæderico obtulisset: Tum Pontificem*

*tificem iußisse ferunt, tertiam Veneto duci afferri: ac coram permisisse, vt ipse & reliqui duces ea perpetuo vterentur: quam nostra quoq; tempestate solenni pompa cum reliquis eius magistratus insignibus præferri videmus. Vbi vero Romam ventum est, ingenti lætitia pontifex a suis acceptus, quum inter multa & varia officia argenteas quoque tubas esset intuitus, quarum cantu & clangore omnia circumstrepebant: ad eos conuersus qui illi apparebant, ex ipsis tubis Veneto duci in adeptæ victoriæ memoriam octo offerri iußit: quibus & ipsis perpetuo summus Venetorum magistratus vteretur. Zianus bona ab eo venia missus Venetias venit. Popilienses remiges, qui huic erant ministerio addicti, venientem illum Bucentauro exceperunt: Oliuolensis vero antistes, bonaque pars ciuitatis officij gratia obuiam prodiere: Ipse cãdido cæreo, quem inter prima insignia ab Alexandro cum Venetijs esset, dono acceperat, vmbella, tubis, vexillo prælatis (quæ omnia ipse et qui summum Venetijs magistratum gesturi erant, perpetuo habenda acceperant) inter multas congratulationes est vrbem ingressus. Hæc sunt quæ a domesticis & externis scriptoribus de inclyta Venetorum victoria aduersus Othonem Fæderici filium traduntur; eo credibiliora, quod Veneti illi qui multis retro annis fuere, rem omnem vt gesta est, in publicum referendam censuere. Tota enim ipsius belli series figurata est in ea parte fori, vbi octauo quoq; die ad creandos magistratus comitia habentur. Zianus repub. feliciter administrata, cum iam senio confectus esset, aduersaq; valetudine laborare cœpisset, in Georgij phanum translatus paucißimis diebus superfuisset, anno (vt quidam tradunt) sui ducatus octauo, vt alij, septimo vita deceßit. Is multa & ampla prædia circa Diui Marci aream publice legauit: quædam alia ad Iuliani ædem, mercatoria via, ijs qui eo vbi sepultus erat loco diuinis rebus operantur. Huius quoq; opus esse affirmant, splendidum Aureæ ædis apparatum: de qua breuiter pauca cõmemorare non abs re fortasse fuerit. Est itaq; templum ipsum non tam magnitudine & vastitate sua, vt pleraq; alia, quã opulẽtia insigne. Eius effigies absolutæ crucis videtur imitari speciem, cuius anguli in altißimas cõsurgunt testudines: quarum fastigia, vt reliqui templi facies, plũbeis tegulis operta ad centum viginti stadia ex alto ad vrbem nauigãtib. inter eminentißima vrbis ædificia occurrunt: superbißimi ad id fornices mira inter se arte coeuntes totam molẽ fulciunt. Quicqd à medio sursum est, purißimo fulget auro: recedunt tamẽ q̃ lõgißime ab oculis in ipsa testudinis cõuexura Græcanicæ opis vetustißimi imagines, mœsta quadã venerabiliq; p̃sentia horrorẽ cũ religione mixtũ spectãtium animis inferẽtes. Quod inde ab auro ad pauimẽtũ subiacet, id totũ est marmoreis tabulis cõpactum: q̃ blanda quadã inter se venarum similitudine citius fatigãt,*

*quam ex-*

*quam expleant intuentium oculos. Circa imum sedilia peregrini lapidis porphyritem imitantis. Pauimentum figurarum varietate incredibili distinctum, ac in tanta colorum diuersitate, nulla alia nisi marmorea materia præditum. Columnæ adhæc & tabulæ multæ & variæ, Tapsici lapidis, Parij, Spartani, Numidici, aut certe Numidico aßimilis, suggesta duo circa aram maximam muniunt. Idem ferme ornatus est vestibuli, quod a fronte dextra læuaq́ templo adiacet: cuius aurei fornices exteriore parte trecentis & amplius fulciuntur columnis, non tam magnitudine sua, quam colorum varietate conspicuis: intercolumnia, & quicquid medium est marmoreis tabulis pro tectorio renitet. In vestibuli vestigio a fronte quatuor ænei equi, auro micantes, alacri statu prominent. opus eximium, nec quidem nostri seculi. His operosum templi supercilium incubat, senis sese explicans pinnaculis: quorum singula in tabernaculi speciem surrecta, singulas habent ex candido lapide statuas nudi genij. Aliaq́ suauißimi aspectus simulachra; quæ suo quæque statu operibus inserta, miro quodam modo ipsam pinnarum exornant intercapedinem. Quicquid sub his conuexi est, id nihil est, nisi aurum. Breui, nullus est intra ædem locus, nullus quidem extra, qui non auro sit aut marmore alioue precioso lapide conspicuus: ita vt & geminæ ex alabastro columnæ, post aram maximam stantes: & sesquipedales Chalcidonij, qui pauimento inserti visuntur, nihil in tanta opulentia habeant admirationis. Hæc est illa diui Marci ædes, cuius apparatum magna ex parte ad Zianum principem referunt: quam etiam ob id quod pene tota auro munita est, auream non immerito vocant.*

TRIVMPHALIS INGRESSVS CAROLI, VAlesij Comitis, Philippi cognomento Pulchri Regis Franciæ fratris Germani, Modonæ anno cIↃ.CCC.I.

I I.

ANni cIↃ.CCC.I. *initio excepit magno cum honore Azo Marchio Ferrariensis Carolum, Valesium Comitem, fratrem Philippi Pulchri regis Fracorum. proficiscebatur hic, ducta nuper vxore Catharina, filia Balduini Imperatoris Constantinopolitani, Neapolim ad Carolum Regem, deliberaturus cum eo & Pont. Max. de recuperanda vrbe sacra e manibus prophanorum Saracenorum: cui cum quam longißime occurrere iußisset Azo duos de principibus nobilitatis suæ; ipse eum exspectauit cum comitatu splendido in ditionum suarum finibus, aduenientemq́ deduxit Modonam, vbi regio apparatu cõuiuiorum, spectaculorum & ludorum tam militarium quam aliorum octo*

*integris*

*integris diebus eum tractauit cum omni comitatu tam equestrium cataphractorum equitum, quorum gratia etiã hastiludia celebrata sunt; quam pedestrium copiarum, quas frequentes apud se habebat. Diciturque inter cætera Azo Comiti Carolo donasse memorabile munus, quod constiterit primo omni auium genere, quæ voce & cantu oblectare homines, aut naturæ instinctu, aut humanæ institutionis accedente doctrina solent; in quibus quidem auibus peregrinæ pleræque fuerint, & ex Jndia vsque extremisque terris ingenti sumptu aduectæ; secundo ducebãtur feræ, & animalia tam maiora quam minora eius generis dumtaxat, quæ raritas etiam vbi nascuntur commendet. serie tertia ferebantur sacri alites, accipitres, Nisi, Falcones omnis etiam generis, & quot nouit aucupium specierum. Quarto loco portabantur cingula, baltheique complures more eius ætatis opere & arte rara elaborata. Succedebant qui ferrent instrumentum mensæ, aurea argenteaq; pocula magno numero. Sexto & extremo loco ducebantur dono equi octo, quorum vsus esset partim in armis & prœlys, partim vbi res celeritatem posceret: ita quatuor ex his prægrandes generosa quadam magnanimitate; reliqui vero perinde quatuor mediæ formæ pernicitate insigni præstabant. quibus tamen dotibus ne nudis & solis commendarentur, phalerati instratique erant plane regia opulentia; ijs quæ dico stratis hinc lilys aureis fulgentibus floribus Franciæ peculiaribus, inde candidis aquilis minacibus; quæ sunt familiæ Estensis insignia.*

## TRIVMPHALIS INGRESSVS CAROLI IV. Imperatoris cum vxore Lubecæ, anno cIɔ. CCC. LXXV.

### III.

*ANno à Christo nato septuagesimoquinto post mille trecentos, quum Jmperator Carolus, qui omnes regni partes collustrabat, Vvandaliam quoque sibi visendam putaret; & inprimis imperij vrbem Lubecam inuisere constituisset; cui tum aderat Fredericus Archiepiscopus Coloniensis, Otho Marchio Brandenburgensis, Albertus Magnopolensis, & Albertus Luneburgensis, Duces; item Vvilhelmus Marchio Misnensis, Jodocus Marchio Morauiæ, Henricus & Nicolaus Holsati, Gunterus Rupinus, Comites, & multi præterea Barones, Equestrisque ordinis; aderat item Jmperatrix cum suo comitatu; omnis iuuentus ex vrbe Lubeca in equis obuiam est effusa, vt cum debito honore dominum suum in vrbem introduceret. Duo autem soli Romani Jmperatores Lubecam videre: primus*

 Frideri-

*Fridericus, qui armatus eam obsedit, & per deditionem accepit: & Carolus hic, qui pacatus eam iniit. Iamque vrbi propinquans cum Imperatrice, sacellum diuæ Gertrudis ingreditur, vbi imperialibus ornamentis decorati sunt; indeque sublimes conscendunt equos. Adsunt tentoria serico auratisque pannis intexta baiulantes iuuenes ex robustissimis quatuor, vestibus & ornatu insignes. Duo Proconsules frænum imperatorii equi à latere venerabundi apprehendunt. Duo insuper consulares ad imperatricis fræna incessere, quum & ibi ferrent papilionem quatuor ex fortunatioribus iuuenes. Ante omnes ibat in equo vir consularis, portarum claues in pertica baiulans, dominii imperialis in vrbem signum euidentissimum. Principes & ipsi suis fungentes ibant ministeriis. nam Marchio Brandeburgicus sceptrum, Albertus Saxoniæ Ducis filius, patris vice ensem præferebat: proximo illi imperatore, quem sequebatur Fridericus Coloniensis Archiepiscopus, ante imperatricem malum ferens aureum. Illam vero cæteri Principes suo sunt ordine insecuti. Ad primum portæ ingressum stabant vtrinque ciuium vxores, cultioribus ornatæ indumentis, Imperatorem cum Imperatrice excipere paratæ. quos introgressos veneratur inde chorus psallentium clericorum & religiosorum, qui extulerant reliquias & dominicam Crucem: quam Imperator & Imperatrix deosculati, deducuntur solenni per vrbem pompa ad Ecclesiam vsque maiorem: ibique concinitur, Ecce aduenit dominator Dominus: cum versiculo, Deus iudicium tuum Regi da. Imperator interim orationi institit priuatim: qua expleta, solenni pompa redit per regiam plateam, & in hospitium magnificè apparatum deducitur. In capite eius vici, quo descenditur ex transuerso ad monasterium sancti Ioannis, facto transitu sublimi supra plateam domui Imperiali oppositam, excepere quam potuerunt magnificentissimè Imperatoriam maiestatem. Stabant in conspectu eius Burgimagistri cum Consulibus: quos intuens ait, Gratias non mediocres vobis agimus domini Lubecenses, qui Imperiali fastigio debitè obsequentes nos magnificè exceperitis. Venimus videre vrbem nostram & vos, gratulantes prosperis successibus vestris, quibus fauere studebimus, commendatiorem habituri in reliquum hanc vrbem, quod tales edat viros nostro dignos consilio. Tum senior Lubecensium Burgimagister, Serenissima, inquit, maiestas nos pro exilitate nostra debito nos exoluere cupientes, quantum potuimus, non quantum voluimus debuimusque, ostendimus Imperatoriæ celsitudini, cui non mediocriter nos nostraque commendamus: immortales gratias habentes dignationi tantæ, quæ etiam quod exiguum est, accipere dignatur pro magno. Quod solitæ clemen-*

*clementiæ & benignitati eius (vt par est) imputamus, rogamusq́; vt inter postremos nos suos asseclas numerare dignetur. Ad quæ rursus Imperator, non in postremis vos, sed loco vestro dignamur: recipientes in sacris archiuis, quæ à nostris prædecessoribus de hac vrbe sunt constituta: quæ nos non solum sustinere, sed etiam amplificare pollicemur; quibus dictis ad sua illi discessere.*

## TRIVMPHALIS CONGRESSVS EIVSDEM Caroli IV. Imp. Vuenceslai Regis Romani, eius filij, & Caroli V. Regis Galliarum, Parisijs anno cIↃ. ccc. LXXVII.

### IV.

*PEr eos dies Romanorum Imperator Carolus, visendi Regis desiderio, iter per Hannoniam Cameracumque faciens, in Franciam venit. De cuius aduentu Carolus literis acceptis, ad singula, quæ transiturus Imperator erat, loca præmissis, qui illum honorificentissime venerarentur, tandem Biturigum & Burgundorum Duces, Senonum archipræsulem, & Haricurtum Dominum obuiam Siluanectum proficisci iubet. Qui eum ad vicum Luparam inde perducentes, cum articulari morbo Imperator laboraret, currum & lecticam auro gemmisque artificiosissime elaboratam, ad Imperatorem propere Carolus mittit. Lecticæ postera die impositus, postquam Dionysiani cœnobij sacrosancta religionis monumenta, reliquiasque multa veneratione perlustrasset, in cubiculum reuersus, dum per fenestram in atrium diuersorij aspicit, Burtellus Riuerius, & Nicolaus Detencus, ex domesticis Regis aulici, equos duos ingenuos, atque animosos, insignibus Francorum apparatissime ornatos, Imperatori, totidemque filio eius, Romanorum Regi, Caroli nomine obtulere. Quod munus Imperator liberalissime lætissimeque excipiens, ego, inquit, in altero illorum sedens, Parisios ingrediar. Egredienti sancto Dionysio Imperatore, Parisiensis præses, mercatorum præpositus, & præfectus vigilum, comitante multa ciuium Parisiensium frequentia, composito ordine in equis occurrentes, Imperatorem consalutant. Rex verò postquam ex viculo Capella Imperatorem digredi accepit, miro apparatu & pompa Ducum quoque & Comitum, procerum insuper atque Episcoporum ornatu, & numero, vrbe progressus est, distinctis officiis atque vestibus pro sua dignitate & conditione vnoquoque conspicuo, dum paulo supra Molendinum, quod est secus Dionysianam viam, peruenissent, venientibus alter in alterius conspectum Principibus, re-*

*uelato capite, datisque dextris, sese amicissime venerantur, mox ad Romanorum Regem Carolus accedens, impertita illi salute, imperatorem dextrorsum, Regem vero filium sinistrorsum habens, ipse medius incessit, donec ad palatium ventum est, vbi grande spaciosumque cœnaculum accipiendo Imperatori, tapetibusque & mensis ornatissimum Carolus sterni imperauerat. Postquam aliquot diebus feriatum est, & mutuis se colloquijs muneribusq; Principes coluissent, firmataq; inter eos iureiurando amicitia est, discedentem Imperatorem Carolus ad Mousum vsq; perduci, sua impensa iubet.*

## TRIVMPHALIS CONGRESSVS REGIS LVsitaniæ, & Lanclastrij Ducis in finibus Lusitaniæ & Galiciæ, anno cIↃ. CCC. LXXXVI.

## V.

*ANno cIↃ.CCC.XXCVI. Rex Lusitaniæ cupiens affinitatem contrahere cum Lanclastriæ Duce, qui tum Castellano Regi de regno quæstionem mouebat, armisque ab illo repetebat, quo id fieret facilius, præsens ipse cum eo colloqui decreuit. Edicitur igitur locus, vbi Principes conuenirent, in confinio regni Lusitanici, venitque Rex cum sexcentorum hastatorum comitatu Mousoniam, quod est in finibus Lusitaniæ extremis oppidum. Dux autem Lanclastrius cum trecentis hastatis, & bis totidem sagittarijs Anglicanis, Comiteque Ioanne Hollando, qui filiam ipsius natu maximam in matrimonio habebat, Magassam appulit; quæ est Galiciæ, quà Lusitaniam spectat, vrbs vltima. porro inter Mousoniam & Magassa[m] fluuiolus medius erat stratus ponte, quem Maurorum pontem incolæ vocabant; & iuxta hunc æqua planicies, satis spatiosa, vbi coire placuit. Iouis igitur die manè conuenere hic Principes in tensis & positis ibi tentorijs iussu Regis; qui Duci prandium ibi dedit: regiæque mensæ adhibiti fuerunt Episcopus Conimbriensis, Episcopus Portensis, Archiepiscopus Barguensis, Dux Lanclastrius, & iuxta eum infra tamen Ioannes Hollandus, & Dynasta Henricus Bellimontius. erat autem indutus Rex veste candida, cruce rubra signata: quæ est symbolum ordinis D. Georgij. Postridie item eodem loco Rex prandio Ducem excepit; vbi ei Dux despondit Philippam filiam suam vxorem. die Saturni Dux Regi prandium instruxit in tabernaculo aulæis ita magnificè exculto, vt ne Londini quidem, vrbe regia, magnificentius excoli potuerit. Primæ mensæ adhibiti sunt præter Regem, Archiepiscopus vnus, & Episcopi tres: puta Vlyssiponensis, Portensis, Conimbriensis. occupabat autem*

*mediam mensam Rex; & iuxta eum, sed infra paulo Dux, ac mox Comes Nauarius, & Comes Angusius Lusitani. Secundæ mensæ primus accumbebat magnus magister ordinis S. Georgii; secundus magnus magister ordinis S. Iacobi; & sic deinceps magnus magister ordinis S. Ioannis, Dynasta Gallopius Percecius; Ioannes Ferrandus Gallopii filius; Ponassius Coigneus; Vasse-Martinus Coigneus; Podichius Senedius; Vasse-Martinus Merlous, omnes Barones. abbas Cabassius Iuberotius; Abbas S. Mariæ Eurensis; Alua Perrerus, Marescallus regni Lusitani; Ioannes Radigius Perrerus, Ioãnes Iamesius Salueus, Ioannes Radigius Sarius; aliiq; equestris ordinis Lusitani. nam Anglici nominis omnes eo die deseruiebant Proceribus accumbentibus. Dux autem Nobiles centum (est id aurei numismatis Anglicani nomen) Musicis hominibus qui frequenter conuenerant, & iucunda concentuum varietate aures pascebãt, dono dedit; ac totidem armorum regibus & Præconibus. sicq; prandio finito valedixerunt inter se Principes; Rexq; mox in regni interiora, Dux ad vxorem se recepit; quæ in Fano S. Iacobi vrbe Galiciæ non ignobili magno eum desiderio exspectabat.*

## TRIVMPHALIS INGRESSVS ISABELLAE Franciæ Reginæ, vxoris Caroli VI. Lutetiæ Parisiorum, &c. anno cIↃ.CCC.LXXXIX.

## VI.

*DOminica quæ fuit* XX. *Iunii anno reparatæ salutis* cIↃ.CCC.XXCIX. *tanta multitudo Parisiis tam intra quam extra vrbem cernebatur, vt non vrbis vnius, sed totius orbis homines conuenisse videri possent. Primariæ autem regni Gallici matronæ Reginam comitaturæ coierunt in æde D. Dionysio sacra; quo etiam vndique confluxere proceres, currus & carpenta regia, aliarumq; principum feminarum stipaturi, & cateruatim cincturi. viam autẽ suburbanã altrinsecus insederant equites* cIↃ.CC. *ciues omnes Parisienses & pariter induti tunicis variis, viridi et cœruleo coloribus. Ingressa est autẽ regina Ioanna cum filia sua Duce Aurelianẽsi vrbem paulo post nonam, curru vndiq; clauso & tecto; comitata frequẽti principum virorum agmine, cum quo recta per magnum vicum Dionysianum tendebat ad palatium, vbi eas exspectabat Rex, apud quem eo die substiterunt. At Regina Franciæ reliquæq; principes feminæ viæ sese accinxerunt: et inter primas Dux Auaricũ, Dux Burgundionũ, Dux Turonũ, Dux Barrensis, Comes Niuersiæ, Domina Cocyia, reliquæq; ex ordine vt quæq; dignitate pcellebat: omnes autẽ lecticis vehebantur regia magnificentia adornatis, excepta*

*Duce Turonensi, quæ vt ab alijs facilius discerneretur, equo tolutim gradiente ferebatur, phalerato ad miraculum vsque. Lecticam autem reginæ Franciæ stipabant, a fronte quidem, Dux Turonensis, & Dux Borbonius: a lateribus Dux Auaricum, & Dux Burgundionum: a tergo illustris Petrus Nauarreus, & Comes Ostrenantius; eratque hæc lectica regia ad luxum vsque magnifica, & vndique aperta. Sequebatur tellenonem, vt diximus, equitans Dux Turonica, comitata hinc inde Comite Marchiæ, & Comite Niuersio, pedetentim incedens. Hinc ferebatur lectica vndique item aperta Dux Burgundica, & Margareta Hannonia Comes Niuersia eius filia, stipata honoris & officij causa Henrico Barrensi, & Comite Namurcensi, iuniore, cui nomen erat Guilelmus. Inde gestabatur lectica prioribus non absimili & forma, & diuitiarum opumq; ostentatione, Dux Auaricum; moxq; Dux Barrensis cum filia sua, & Domina Cocyia; quibus se adiunxerant Carolus Labrethus & ipse Dynasta Cocyius. Reliquarum matronarum & virginum primariarum, quæ clausis vndiq; curribus vehebantur, præ multitudine non potest hic haberi ratio; vt nec procerum & equestris ordinis virorum, qui infiniti illas comitabantur. illud tantum dicam, vias ita densatas fuisse ab effusa ad spectaculum tam insigne multitudine, vt ægre ab apparitoribus & lictoribus stipatoribusque & spiculatoribus regijs perrumpi turba potuerit. Ad ipsum autem ingressum portæ Dionysianæ suspensum erat cœlum stellis distinctum; inter quas errabant passim pueri in speciem angelorum conformati, concentum edentes modulatissimum, & auribus gratissimum. Ipsa etiam in eo cœlo mater virgo spectabatur vlnis gestans filium, qui puerili oblectatione fruebatur molæ vento agitatæ, tornatæ ex nuce iuglande prægrandi. Erat autem hoc cœlum altitudine insigni, scitè insignibus cum Regni Gallici, tum Bauaricis interpolatum; solque in eo aureus late radios suos iaculabatur. Quæ spectacula quum non parum Reginam Comitesque eius delectassent; paululum progressæ venerunt ad fontem, qui est in vico Dionysiano præcipui operis & famæ; quique tum cæruleo velo in orbem obtegebatur, picto lilijs aureis Francicis, columellis eius ornatis insignibus Regijs, præcipuorumque regni procerum. ipse vero fons eo die per canales & meatus scaturiginesque suas diuersas fundebat & eiaculabatur vinum Apianum, & saccatum. At circa eum virgines plurimæ cultu sumptuosissimo adornatæ, & coronis aureis omnes redimitæ vertices, cantillabant suauissimum melos, manibusque tenebant phialas aureas, & propinabant bibere volẽtibus. Hinc antequam ventum esset ad ædem SS. Trinitatis, erectus erat arcus triumphalis, in quo spectabatur arx, & iuxta eam castra Saladini Saraceni: in*

*ceni: in quibus videre erat viros armatura antiqua instructos; vt & in oppositis castris Christianorum cernebatur Carolus Magnus, stipatus duodecim Paribus Franciæ; qui singuli sua ipsi insignia præferebant: & quot eo tempore clari bello Duces exstiterunt, peculiari & conuenienti eo sæculo armatura quisque spectabilis oculis se ingerebat. Cumq́; Regina è regione constitisset huius theatri, Rex Richardus relictis socijs armorum ad Franciæ Regem se contulit; & potestatem inuadendi hostem petijt; qua impetrata, redit ad suos, quos in aciem explicatos recta ducit in Saracenos: cum quibus aliquandiu acriter dimicatum est magna spectantium cum voluptate. Processit tamen aliquando cum pompa sua Regina, quæ ad portam secundam Dionysianam interiorem, simile priori cœlum suspensum admirata est, nubibus & sideribus hinc inde distinctum, in quo medio Trinitatis exhibebatur spectaculum, pueris choraulis in angelorum formam figuratis cantillantibus vndique hymnos magno audientium cum stupore. Duo etiam ex horum angelorum numero dum præteruehitur Regina cœlo arte demissi vertici eius coronam auream crebris gemmis pretiosissimis distinctam affabre, imposuerunt, modulantes hos versus:*

Dame enclose entre fleurs de lys,
Royne este vous du Paradis
De France, & de tout le pais.
Nous en r'allons en Paradis.

*quod sonat, vt versus versibus reddam:*

Gaude inter Gallos, Herois, lilia flores;
Hoc Paradisiaco regnum habe & omne solo.
Gaude vrbe in domina domina & saluere prior; nos
Nos Paradisiacis reddimus ecce choris.

Allusio hic in eo est, q́ vrbs Lutetia, siue Parisij, dicuntur Galliæ, seu Franciæ Paradisus; ob rerũ omniũ ibidẽ credo affluentiam.

*Hinc è regione ædis D. Iacobo sacræ ad dextram aliud theatrum erectum erat, instratum vestibus preciosissimis; aulæisque & velis includebantur hic organis pneumaticis diuinam harmoniam edentes; tota autem, quod vix credibile videbitur, via Dionysiana superne cœlo tegebatur ex panno serico vndulato, non aliter quàm si Alexandriæ aut Damasci res ageretur; ædes etiam omnium vtrinque tapetis è serico, bombycina tela, & aliis melioris ac pretiosioris notæ pannis vestiebantur ad Castelletum vsque; ad cuius portam arx exædificata erat ex tabulis, ea firmitate, tanquam annis aliquot quadraginta eius vsus duraturus esset; inq́; eius arcis muris cernebantur præsidiarii crebi omnibus armis instructi; atque in summo circa mediam lectus regali opulentia stratus, & velis ex parte à conspectu oculorum subductus, qui dicebatur Lectus Iusticiæ: atque in eo in speciem cubabat Diua Anna.*

*prope*

*prope hanc arcem, quæ iustæ erat magnitudinis, viuarium cernebatur arbusculis crebris opacum, & lepusculis cuniculisq; fœcundissimum, ac ab auicularum inter frondes & ramos arborum cantillantium assiduè vocalissimum: ex hoc autem nemore, ea parte qua regina aduentabat, erupit ceruus totus candidus, & ad lectum Iustitiæ properare festinauit: Parte vero alia nemore se effudit Leo, & cum eo vna Aquila, magno & solido artificio vera ea animalia mentientes, simulq; in ceruum ferri videbantur: Cum ecce prodeunt ex eadem silua virgines puellæ admodum duodecim, splendidissimè vestitæ auro textili, singulæque singulos nudos gladios vibrantes, et se medias pro ceruo leoni et aquilæ obijciunt. Quod mysterium cum mire reginæ placuisset; itum est vlterius; inuentusq; est magnus pons Parisiensis a solo & a lateribus sumptuosissime instratus; inducto superne cœlo stellato viridi cæruleo. Et quia iam aduesperascebat, Genuensis quidam, qui ad hanc rem mense fere integro ante eundem diem hoc meditans, ex summa turri D. Virginis funem suspenderat pertingentem ad eas ædes, quæ in ponte S. Michaelis editissimæ & summæ altitudinis sunt; descēdens ex theatro, quod erat in summo eiusdem turris, & per eum funem leniter repens, cui veluti equo insidebat, prout regina procedebat, duas illi faces præluxit; quas facile videre erat ad tertium ab vrbe lapidem. Ante ædem D. matris virginis Episcopus Parisiensis cum toto ordine ecclesiastico exquisitissimo & pontificali cultu exornatus reginam exspectabat, vbi eam ex lectica sua sustulerunt Auaricum, Burgundionum, Turonum, & Borboniæ Duces; reliquis quoq; principibus feminis lecticas equosq; suos deserētibus, & leniter à stipatoribus suis proceribus ad terram depositis, ac comitantibus reginam inter hymnos sacros, & lætitiæ indices, qui late personabant, ad aram maximam: vbi illa fusis ad deum precibus donauit ecclesiæ quatuor pannos ex auro textili, & pretiosam illam coronam, quam illi ab angelis impositam fuisse in ingressu portæ Dionysianæ interioris iam ante diximus. Cuius loco allatam è vestigio alteram a Ioanne Reuireo & Ioanne Mercerio, priore longe pretiosiorem, capiti eius imposuere coniunctis operis idem Parisiensis Episcopus, & dicti quatuor Duces. Inde reditum est ad lecticas & equos; quibus conscensis, eadem qua ventum erat pompa, prælucentibus quingentis & amplius cereis funalibusq;, ad palatium contenderunt; vbi exspectabantur a Rege, Regina vidua Caroli Pulchri, & filia eius candida, (Blancam Galli vocant) nupta Philippo Duci Aurelianensi. quibus salutatis honorifice deducta est Regina Franciæ in præparatum sibi multo ante cubiculum, reliquæq; Principes feminæ diuersæ abierunt in descripta sibi peculiarter hospitia, Proceribus ad deuersoria sua, quæ in vrbe erant, redeuntibus. Postridie Rex prandium dedit in palatio feminis princi-*

*principalibus, quarum tum ibi magna erat copia. Regina autem deducta a quatuor Ducibus sæpius iam memoratis in sacellum Augustale, ibidem ab Archiepiscopo Rothomagensi Guilelmo Viario sacris operante inaugurata, & uncta est, quo more & modo inaugurari ac ungi Franciæ Reginæ solent; indeq; peractis sacris cum magno & solenni apparatu in palatium Rex cum Regina reuersus, pransus est in aula triumphali, ubi mensa marmorea, quæ nunquam loco mouetur, quo plures caperet, extensa est ligneis tabulis quercinis, quarum spißitudo erat digitorum quinque, instrataq; opulentia regia; ut & abacus Regalis, qui iuxta erat, vasis aureis argenteisq; instructißimus visebatur. Atq; hæc mensa & abacus cancellis & clatris inde muniebantur, quorum tres aditus & exitus seruabant stipatores & spiculatores regij. Accubitum est autem inter modulatißimos Musicorum instrumentorum omnis generis concentus hoc ordine; Postquam data esset aqua manibus summo loco adsedit Episcopus Nouiodunensis; indeq; Episcopus Lingonum, & Archiepiscopus Rothomagensis: post quem media quasi mensa sedebat sella regia Rex coronatus; ac iuxta simili sella Regina, & ipsa coronata: cui deinde proximus erat Rex Armeniæ; ac deinde consequenti serie illustrißimæ Duces Auaricum, Burgundionum, Turonum; Comes Niuersia, Domina Bona Barrensis, Domina Cocyta, & Domina Maria Harrecortia. ad imam vero plane mensam accumbebat Domina Suillyana uxor Guidonis Trimoly. Erant & duæ aliæ mensæ stratæ ea longitudine, ut quingentas primarias feminas virgineſq; facile ceperint. hic apparatum ferculorum & missus singulos velle prosequi, superuacaneũ sit; ideoq; satius fortasse fuerit acroamata & interpolationes regalis & triumphalis conuiuij describere; inter quas hæc meruit non sileri: In media palatij aula arx erat exædificata quadrata forma, latitudine pedum viginti, longitudine bis tantundem excedens. huius arcis quatuor anguli quatuor turribus muniebantur, quibus editior & maior nonnihil turris quinta arcis medium occupabat: arci autem Troiæ, turri vero medianæ Ilij nomen fecerant. Atq; hæc arx turresq; prætexebantur paßim insignibus Priami filijq; ipsius Hectoris, & aliorum cum Priami liberorum tum reliquorum Regum & Principum qui cum ijs obsidionem pertulere; vehebatur autem totum opus, instar turrium ambulatoriarum Romanis olim usitatarum, rotis quatuor magna industria dißimulatis, & interius latentibus. Hanc arcem venerunt oppugnatum prodeuntes ex tabernaculo insignibus Regum Græcorum undiq; ornato, similiterque automatario armati armatura Græca. Amplius nauis quoque automataria subiectis similiter rotis latentibus accesßit ad arcem propius, centum armatorum facile capax; Atq; hi ex tabernaculo &*

*lo & naui arcem magna vi oppugnare cœperunt, defendentibus se contra strennuè obsessis: sed tanta erat turba, vt diu hoc spectaculo frui regibus non licuerit; elisis aliquot hominibus multisque luxatis ac subuersa mensa vna, quæ spectabat portam Concilij (Parlamentum vocant Galli) regij, vna cum feminis & virginibus ei accumbentibus, quæ ægre seruatæ & refocillatæ sunt. Ipsa quoq; regina prope animi deliquium passa est in æstu maximo, aucto flatu tot milium: ita vt necesse fuerit, ad admittendum liberiorem aerem, repente septa quædam a tergo interrumpere. qua tamen re vetari non potuit, quin Dominam Cocyiam animus ad tempus linqueret; quo cognito Rex inhibuit spectacula, soluitq; conuiuium. sublatæ igitur statim sunt mensæ, & postquam Rex cum regina in cubiculum se recepisset, quisq; ad sua decessit. Hora vero quinta vespertina Regina comitata Ducibus feminis lectica vecta est omnibus conspicua ad domum regiam, quæ S. Pauli ad Sequanam dicitur. habebatq; tum regina secum mille & amplius equos. Rex autem naui per Sequanam vectus ad eandem quoq; domum peruenit; quæ quamlibet amplissima & spatiosissima esset; amplior & spatiosior tamen erat facta adiectamento aulæ ingentis magnitudinis, in area subitario operæ excitatæ ex tabulatis, cuius aulæ aulea varias historias repræsentabant, solo strato pannis Normannicis. In hac autem cœnam Rex dedit principalibus feminis, cui tamen Regina (quæ tota hac nocte conspici se passa non est) non interfuit; sed rex cum alijs choreis post cœnam ad auroram pene vsq; indulsit. Martis die antemeridiano tempore muneribus donati sunt à Parisiensibus Rex, Regina, & Dux Turonum Valentina, filia Ducis Insubriæ, nupta Ludouico Turonum Duci, quæ tum primum cũ regina Parisios ingressa erat. Et Regi quidẽ hora quasi duodecima quadraginta patricij Parisienses primarij eodem omnes vestitu vtentes obtulerunt lecticam plenam vasis aureis, velo tenuissimo leuiter obumbratam potius, quam tectam; in qua inerant pocula aurea quatuor, labra aurea sex; patinæ itẽ aureæ sex; facientia simul pondus centum quinquaginta marcarum auri. Aliam similiter lecticam alij patricij in veste concolores obtulerunt, in qua inerat nauis aurea, duæ lagenæ aureæ, duæ phialæ ad tragemata aureæ, duo salina aurea, sex pocula aurea, sex labra aurea, XII. lychni argentei, duæ pelues argenteæ, quæ simul omnia faciebant auri argentiq; pondus marcarum trecentarum. baiuli autem duo quorum humeris ea lectica ad reginam perlata est conformati erant, alter in vrsi, alter in monocerotis seu Vnicornis speciem; cum baiuli eius lecticæ, quæ ante Regi oblata erat, Philosophos vultu & veste mentiti fuissent. Hinc tertiam lecticam ferebant dono Turonum Duci Æthiopes duo, candidis amiculis sumptuose induti, & cidarim capite gestantes, Saracenorũ,*

*Tartaro-*

*Tartarorúmue in morem; munus autem commendarunt patricii Parisienses duodecim numero, splendidè & uniformiter omnes vestiti: Ineratq; etiam in hac lectica nauis aurea, poculum prægrande aureum, duæ phialæ ad tragemata aureæ, duæ patinæ aureæ insignis magnitudinis & capacitatis, duo salina aurea; sex pocula argentea; viginti quatuor patellæ argenteæ; viginti quatuor scyphi argentei; facientia simul omnia promiscuè podus ducentarū marcarum auri & argenti. Constiterant autē hæc munera circiter coronatorū aureorum millib. sexaginta. Post prandium quod subitarium fuit, spectaculorum causa hora fere III. itum est ad campum S. Catharinæ; vbi ludi equestres celebrandi erant: ad quos commodius spectandos theatra alte educta erāt compluria, & sumptuose instrata; vnde Regina cum toto Gynæceo virtutem certantium & concurrentium oculis notare posset. Erat & tabernaculum insignis magnitudinis positum Prouocatoribus & antesignanis, quorum princeps erat rex ipse, qui tamen eo die extraneis & oppugnatoribus se adiunxit, cupiditate ductus præmii victori propositi. Reliqui autem Prouocatores numero* XXX. *qui dicebantur equites Regii, solis aurei, erant:*

*Dux Auaricum,*
*Dux Burgundionum,*
*Dux Borbonius,*
*Jacquemartius Borbonius,*
*Oliuerus Cussonius, Franciæ Conestabilis,*
*Guido Trimolius,*
*Guilelmus Trimolius,*
*Dominus Rupefortius, Brito,*
*Ioannes Barbenconius, cognomento Arduennas,*
*Joannes Barreus,*
*Dominus Rupefoucautius,*
*D. Ioannes Harpedantius,*
*D. Guilelmus Marcielius,*
*Comes Marchiæ,*
*Guilelmus Namurcensis,*
*Ioannes Viennensis,*
*Iacobus Viennensis,*
*Dominus Espaignyensis,*
*Philippus Barrensis,*
*Dominus Resius,*
*Dominus Bellemontius,*
*Halzius à Flandria,*
*Dominus Torcyius, Normannus,*
*Dominus Nantoilletius,*
*Dominus Garancerius,*
*Baro Vryeus,*
*D. Reginaldus Royius,*
*Godofridus Carineus,*
*Guilelmus Lignacensis,*
*Carolus Changietus.*

*Omnes hi in scutis suis similiter solares radios præferebant. Cumq; iam Regina, quæ magno molimine & pompa curru triumphali eo peruenerat, consedisset; prodiit in campum Rex omnibus armis instructus ad concursionem, quo exercitio vnicè delectabatur; ludosque primus commisit. in quibus bonam & strenuam operam nauauit inter alios Guilelmus Hanno, Comes Ostrenantius cum suis, quos frequentes*

*adduxerat; item Dominus Gommineus, Dom. Ioannes Androgineus, Dynasta Cantanus, D. Anselius Transegineus & D. Clinquardus Herinneus; hi iudicio Gynæcei (præterq; hos etiam Dux Hyberniæ, qui eo tempore euocatus à Rege in Galliam venerat; & eques quidam Germanici generis ad Rhenum nomine Seruatius Mirandeus) optime ijs ludis rem gesserunt: qui ludi ad noctem vsque durarunt; & bene cesserunt, nisi quod tanta erat copia depugnare volentium, vt explicandi cursus spatium non daretur. in quibus tamen angustijs pro re nata non paruam laudem meruit ob virtutem Dynasta Cocyius quoq;. Cœnam inde omnibus triumphalem dederunt Rex & Regina in S. Pauli ad Sequanam, vbi ad exorientem solem postridianum tripudiatum & saltatum est; cum donati fuissent antè virtutis causa, vt qui iudicio totius Gynæcei, & Regum armorum, inter extraneos & oppugnantes plurimum laboris cepisset, & maxima virtutis documenta dedisset, ipse Franciæ Rex: indeq; inter prouocatores & propugnantes Halzius à Flandria; illustrißimæ Burgundionum Ducis frater illegitimus. Et quia omnis equester ordo querebatur cælum puluere eo die stetisse, conspectumque oculis ereptum fuisse, neque potuisse se ictus suos propterea destinatos inferre; vt huic rei medicina fieret, postridie ducenti & amplius ydroferi locum certaminis aqua perfundere, & irrigare iußi sunt. quæ res etsi aliquo modo remedio fuit, sic quoq; tamē pulueris & harenæ oculis incurrentis incommodo laboratum est pomeridianis horis, quo tempore vti pridie Regina principesq; feminæ aliæ cum suis quæq; spectatum conuenere; cum prius appulisset per mare ex Anglia vectus Comes Sancti Pauli, qui magnis itineribus ad hoc festum properauerat, relicto in Anglia ad confirmationem induciarum pactarū D. Joanne Castelmorantio. Eo autem Mercurii die Prouocatorum munere defuncti sunt* XXX. *equestris ordinis candidati, celebratiq; sunt ludi cum magno item apparatu, et voluptate omnium; quorum victores in D. Pauli ad Sequanam post cœnam iudicio Gynæcei denunciati sunt, & virtutis causa donati; inter extraneos & oppugnantes nobilis quidam Hannonius nomine Joannes Flaronius, ex comitatu & familia alioqui Comitis Ostrenantij; & inter prouocatores quidam ex familia Ducis Burgundionum, nomine Ioannes Polcerius. Sed & Iouis die concursum est acriter; tam ab equestri ordine, quam ab adspirantibus ad eum honorem: donatiq; propter virtutem inter extraneos D. Carolus Armoyius; inter propugnatores quidam ex familia Reginæ Franciæ, nomine Lonsius. Veneris die Rex prandium dedit Principib. feminis, quo iam fere absoluto, accumbente adhuc Rege cum Ducibus Auaricum, Burgundiaca, Turonum, itemq; Comite Sancti Pauli, D. Cocyia pluribusq; alijs; ingreßi sunt in*

*equis*

*equis aulam (spatiosissimam enim fuisse vtpote ad hanc rem exædificatam iam diximus) duo omnibus armis armati, & ad pugnam parati; quorum alter erat D. Reginaldus Roytus, alter D. Bouciquautius iunior, hiq; dexterrimè & magna cum admiratione spectantium hastis concurrerunt; & post eos D. Guilelmus Namurcensis, D. Carolus Armoyius, Dominus Garancerius, Dominus Nantoilletus, Arduennas Doustennius, alij: ita vt duas fere horas hæc pugna extra ordinem durauerit. in eaq; finis festi huius conuentus fuerit, omnibus & singulis mox impetrato commeatu ad sua reuertentibus.*

## TRIVMPHALIS CONGRESSVS CLEMENTIS Pont. Max. & Caroli VI. Regis Franciæ Auenione anno cIↃ. CCC. LXXXIX.

## VII.

ANno cIↃ. CCC. LXXXIX. *Carolus eius nominis sextus Galliæ Rex, relicta Parisiis Regina, iter ingressus est, quod ducit Troiam Campaniæ, inuisurus patruum suum Burgundiæ Ducem. habebat autem secum Ducem Borbonium, Ludouicum Ducem Turonum, Dynastam Cocyium: infinitosq; equestris ordinis viros. obuiam igitur iuerunt Regi Dux Burgundus, & Comes Neuersius filius eius, Castelloniam vsq; ad Sequanam flumen. Diuione autem, quo omnis nobilitas Burgundica regis causa confluxerat, excepit eum splendidissimo apparatu vxor Ducis, & Comes Neuersia ipsius filia, quibuscum vna erant domina Sullyia, domina Vergyia, domina Pagnyia multæq; aliæ, & forma & cultu conspicuæ. perpetuo igitur triduo conuiuiales apparatus, choreæ, ludi equestres militares, aliaque spectacula exhibita sunt, in gratiam maximè Regis, Ducis Turonum, Ducis Borbonij, & Dynastæ Cocyij. octauo autem die, quam aduenerat, Rex Diuione decessit, peruenitque magnis itineribus Neapolim, quæ est prope Auenionem. atque hic ei præsto fuere Cardinales, Ambianus, Aisgrenelius Sancti Marcelli, Neocastellanus, & alij numero tredecim. occurrit etiam hic Regi, qui pridem Auenione agebat, Dux Auaricum: consecutusque est eum postridie Burgundiæ Dux, qui nauigio Lugduni conscenso, per Rhodanum vectus erat. inde Rex & Duces quatuor communicato consilio statuerunt Pontificem Maximum inuisere. Igitur postera luce ad nonam antemeridianam Rex comitatus fratre, & tribus alijs Ducibus, duodecimque Cardinalibus pontem Auenionensem transijt, ingressusque est palatium, vbi Pontifex Clemens eum exspectabat, indutus insignibus Pontificijs,*

*qui aduenienti Regi assurrexit: Rex autem eius & manum & os deosculatus est, indeque Papa rursum consedit; iuxtaque est Regi posita sella. quatuor duces etiam postquam pontificis dextram & os osculati essent, cõsessu honorati sunt inter Cardinales. mox ad aulam palatij magnam processum est; vbi mensæ instratæ erant. hicque primariam mensam solus occupauit Pontifex; secundam solus Rex; tertiam longa serie quatuor duces & Cardinales. fuit autem prandium vere pontificium: quo finito, Rex & Duces quatuor seorsim quisque in cubiculum sibi magnificè præparatum se recepit. Quinto die quam Auenionem Rex venit eodem appulit Comes Allobrogum, Regis propinquus, vt & Borbonij Ducis. Ergo non obsistente etiam Pontificis præsentia Rex fraterque eius Turonum Dux, & Comes Sabaudiæ, vt iuuenes & talium rerum cupidi, choreis ducendis cum Nymphis Auenionensibus plurimum occupabantur: quas omnes Rex muneribus expleuit; consumptisque aliquot Auenione diebus & impetratis à Pontifice, quæ impetrata volebat, mox decessit.*

## TRIVMPHALIS CONGRESSVS REGIS AVT potius Imperatoris VVenceslai & Caroli VI. Regis Franciæ Remis anno cIↄ. CCC. XCVIII. VIII.

A*Nno* cIↄ.CCC. XCVIII. *schismatis tollendi causa conuenere Remis Rex Galliæ & Rex Germaniæ, etsi prætenderent congressus istius causam non hanc esse, sed quod vellent affinitatem iungere inter Marchionem Blanceburgicum & Ducem Aurelianẽsem. diuersabatur autem Galliæ Rex in palatio Archiepiscopali; aderantq́ illi Dux Aurelianensis, Dux Auaricum, Dux Burgundiæ, Comes S. Pauli, & complures alij Principes, ac proceres Gallici nominis; qui vniuersi aduenienti Regi Germaniæ cum Carolo Rege Nauarreo extra vrbem obuij fuere honoris causa: deduxeruntq́ eum primum in ædem D. matri virgini sacram, atque inde in Abbatiam S. Remigij, vbi hospitium habuit; descriptis vicinis ædibus comitatui ipsius; qui omnis quãdiu Remis fuit expensis & sumptibus Regis Galli sustentatus est. quos sane sumptus non exiguos fuisse vel ex eo constat, quod singulis diebus halecum (erat enim quadragesimale tempus) vasis decem, & octingentis carpionibus præter alia, eis opus fuit. Prima vero Regum congreßione magnos alter alteri honores exhibuit. ipsiq́ proceres Germani et Galli Regũ suorum exemplo amicè admodum inuicem complexi sunt. dedit autem Gallus Rex Germano cum suo comitatu prandium; in quo primæ mensæ accu-*

*sæ accubuit primo loco Patriarcha Hierosolymitanus, secundo Germaniæ rex, tertio Rex Galliæ, quarto Rex Nauarræ. quæ summa fuit eorum, qui regiæ mensæ adhibiti sunt. alias mensas occupabant vtriusq; ordinis Germanici proceres, Gallis eo die Regi suo & inuitatis seruientibus. Ac regiæ quidem mensæ dapes ferebant Duces Auaricum, & Borbonius, & Comes S Pauli, alijq;. Dux Aurelianus erat Architriclinus & Modiperator. abacus autem regius aureis gemmatisq; poculis late fulgurabat. quem tamen omnem postea regi Germaniæ donasse fertur, vna cum instrumento omni & aulæis cubiculi, in quod prandio finito rex Germaniæ deductus est secedendi causa; quod donum æstimatum fuit ducentis florenorum milibus. donatique sunt præterea splendide & magnifice omnes & singuli Germani proceres, stupentes prope ad diuitias & luxum* Gallicanum.

## TRIVMPHALIS INGRESSVS BENEDICTI Pont. Max. Genuæ anno cIↃ.CCCC.V. IX.

ANno cIↃ.CCCC.V.XVI. *Maij Pontifex Maxim. Benedictus sex triremium cum classe* Genuam *appulit, vbi exquisitißimis honoribus affectus est. primum enim, vt commodius exscenderet, iustæ magnitudinis pons stratus est; occurritq; cum ecclesiastico ordine & clero omni diuos tutelares & patrios præferente, Archiepiscopus. præcedebant etiam eum ducenti sexaginta ciues, purpurati omnes. quos Cardinales in equis sublimes sequebantur; Inde corpus mysticum mula vehebatur; quam comitabantur hinc inde oppidani primarij duodecim, faculas ardentes singulas manibus gestantes. ante papam autem proximi ducebantur equi sex sessore vacui, serico strati. Ipse sub vmbella aurea equitabat, fungentibus stratoris munere* Gubernatore, *& præfecto rerum capitalium; qui perinde vt alii senatorii ordinis omnes candida veste induebantur. naues omnes quæ in portu stabant, itemque plateæ omnes arborum ramis virgultisque & frondibus prætexebantur, ac insternebantur. recta autem per vicum longum ad ædem d. Laurentii contendit; atque inde ad Diui Francisci; vbi illi erat præparatum hospitium: attributo securitatis & præsidii causa ei etiam castro nouo, quod ponte sublicio tecto vndique corpori ædium iungebatur. hic impositi erant sagittarii aliquot, cum alterius generis, tum in primis Catalaunici. triduo etiam iustitium indictum est, & feriæ iussæ; mandatumque ne quis interim lugubribus indutus prodire in publicum auderet.*

TRIVM-

# TRIVMPHALIS CONGRESSVS EVGENII IV. Pont. Max. Ioannis Imperatoris Constantinopolitani & aliorum Principum vtriusque ordinis Ferrariæ anno cIↄ. CCCC. XXXVIII.

## X.

*ANnno* cIↄ. cccc. xxxviii. *octaua Februarij Venetias appulit Constantinopolitanus Imperator cum Patriarcha eiusdem nouæ Romæ: vbi cum incredibili apparatu à Senatu populoq; Veneto acceptus esset, deuertit ad palatium Marchionis Ferrariensis; huic rei magnificè & regiè planè instructum. qui Marchio quarto inde die aduolās, omne officij genus, debita veneratione eum prosecutus Imperatori detulit. Affuit postridie etiam Cardinalis S. Crucis cum Patriarcha Gradensi, & Archiepiscopo Cretensi, multisq; alijs proceribus ecclesiasticis, Orientalem Imperatorem nomine Pont. Max. salutaturus, eiq; aduentum gratulaturus. Ad diem* iv. *Martii idem Imperator Ferrariam ingressus est, comitantibus Antonio Episcopo Heracleæ, & Gregorio magno suo Pœnitentiario, qui etiam legatione fungebatur à Patriarcha Alexandriæ, eiusq; personā gerere iussus erat; itemq; Marco Episcopo Ephesino, legato & Vicario Patriarchæ Antiochiæ, Dositheo Episcopo Monenbasiæ, & Dionysio Episcopo Sardiniæ, legato vtroque Patriarchæ Hierosolymitani. Accedebant ad hos legati Imperatoris Trapezontii, Iberorum, & Vualachorum, cum magna caterua Orientalium Prælatorum, Procerumq;, & equestris ordinis virorum; qui numerum septingentorum implesse dicuntur, præter Despotam Imperatoris fratrem, qui ipse quoque cum splendido comitatu aulico aderat. Ita aduenienti Byzantino Imperatori occurrit ad Francolinum Marchio Ferrariensis, triumphali eum pompa in vrbem suam deducturus. quam ingressus Imperator, non statim ad præparatum sibi hospitium, verum rectà ad Marchionis Palatium contendit, Pōtificem veneraturus: qui aduenienti sede sua Pontificali assurrexit, & admodum quatuor quinq; passus obuiam processit; nullo modo admittens eum ad pedum oscula, quò se Imperator demittere volebat, sed post complexum in sella ad sinistram collocans. Cardinales quoq;, vbi consederat Imperator, alius post alium consurgentes, dextram ei honoris causa obtulerunt. Nudiusquartus inde appulit Patriarcha Constantinopolitanus Iosephus cū suis Suffraganeis; qui, vt octuagenarius, & ad hoc valetudinarius, non exscendit Francolini; sed accessit nauigio ad vrbem, prodeuntibus in occursum eius quatuor Principibus Cardinalib. cum Marchione & amplius viginti quinque Occidentalibus prælatis. atque hic quoq; Patriarcha statim na-*

*tim naue egressus, ante omnia Pontificem salutauit. Post hæc aduenit Cardinalis Iulius Cæsarinus, vir longe doctissimus, qui in Basileēsi concilio nunquam adduci potuerat, vt Eugenium Pontificem impugnaret. quem Cæsarinum consecutus mox est Isidorus Russorum Archiepiscopus. Hinc cum de solenni sessione disceptaretur, & Orientalis Imperator summi loci decus ad se pertinere contenderet; neq; id concederet Pontifex, sed magis contra sui eum esse debere iuris instaret; conuenit, vt primus & supremus honos haberetur codici Euangelico, collocato eo in ara maxima; Eius dextram adsideret Pontifex; sinistram Ioannes Byzantinus Imperator. &, quoniam occidentalis Imperatoris etiam ratio habenda erat, placuit ei sellam imperialem poni iuxta pontificem max. sequentibus deinde eo latere dextro consessibus Cardinalium, Archiepiscoporū, & Episcoporum, Latinorum. E regione vero Germanici Cæsaris, considere iussus prope imperatorem suum Constantinopolitanus Patriarcha, atq; ita deinceps Patriarchæ, Episcopi, & Prælati, Græcanicæ Ecclesiæ cæteri. quæ delibasse contenti breuiter ad rem nostrā facientia, vlterius nos concilio illi non inmiscebimus, sed versoriam capientes ad alia dilabemur.*

## TRIVMPHALIS INGRESSVS PHILIPPI Burgundiæ & Caroli Aureliani Ducis Brugis Flandrorum anno cIↃ.CCCC.XL. X I.

*INitio anni* cIↃ.CCCC.XL. *Brugenses suos oratores mittunt Odomaropolim, demississime supplicantes, vt ambo Duces (Philippus Burgundiæ puta cognomento Bonus & Carolus Aurelianus) Brugensem ciuitatem dignentur inuisere, pacemq; Philippus in solidum confirmare. Quibus illi precibus moti cum Dynastis Niuernensi, Stampensi, Cliuiensi, Ligniacensi, Fani Pauli, Cancellario Raulino, Episcopo Tornacensi Ioanne, multisq; alijs Dammum veniūt, indeq; Brugas petunt. Omnis dignitas ciuitatis Bruganæ, numero viri mille quadringenti, per portam Cruciam obuiam procedunt, ad tres reges (loci id extra vrbem nomen est) Principum operiuntur aduentum, discalciati, apertis capitibus, & discincti. Aduentanti omnes se Duci ad pedes proijciunt, claues ciuitatis illi tradunt, tendentesque manus magnis vocibus veniam orant. Dux parumper tacitus eos contemplatur, oranteq; Aureliano postulatis eorum annuit, surgere iubet, claues reddit, præfatus, se illis satis fidere, omniaq; esse remissa. Tunc Noel præ gaudio conclamatum est. Dux in suam vrbem quanto numquam ante cum appa-*

*ratu accipitur. Sacerdotalis omnis ordo cum velamentis & sanctorum reliquijs, celeberrimo incedens vestitu ad regiam vsq; Principes deducit. Aderant abbæ Thosanus, Quercetanus, & Dulcis Vallis. Stabant ad portam* LXXX. *tubicines, qui argenteis suis tubis lituisq; admirando concentu omnia replebant. Suos quoq; hymnos ecclesiæ canebant multo suauißimè. Campanusq; sonitus longe iucundißimus per omnes templorum pyramidas celebriter iuuabat triumphum. Sublati ab omnibus templorum & turrium fastigijs indices aurarum, magnæq; laternæ cum grandibus candelis, in illorum loca sunt suffectæ, quæ tota nocte ardentes mirum ac iucundum præbuere spectaculum. Ignibus struendis, ducendisq; choreis & carminibus canendis proposita præmia: dulceq; erat ambobus Ducibus circumire per compita & vicos, vt populi voluptatem lætitiamq; spectarent. Ipsi autem vici omnes, & viæ pretiosis pannis conuestitæ erant. Ludi varij facti: Spectacula omne genus multa & varia. Personæ multiplices, vinum aliosque iactantes liquores. Nationes mercatorum quotquot tunc aderant honoris & ipsæ gratia obuiam procedũt, quam pretiosißimo possent amictu. Teutonici qui Hansæ, id est, socij vocantur, viri omnes in equis centum sedecim rubro amicti panno, capitijs nigris. Hispani viri* XLIIX. *Mediolanenses & Veneti in serico oẽs Damasceno. Lucani, Genuenses, Florentini, Catalani, & Lusitani, splendore & magnificentia veluti inter se certantes Ducibus omnes faustum lætumq; precabantur aduentum. Hæc die dominico qui erat vndecimus Decembris, quo Diui Damasi Papæ aguntur feriæ. Postridie simulachra fiunt equestrium certaminum; in quibus Vaueriacus & Cliuiensis iunior laudem tulere: Cliuiensiq; Dux Philippus eius auunculus hastam administrauit. Choreæ celeberrimæ ductæ, ad quas inuitatæ omnes primariæ ciuitatis feminæ.*

*Die Martis post hastica certamina, omnis nobilitas dignitasq; tam virorum quam mulierum cœnabant in curia Senatorum, vbi splendidißimum ciuitas illis dedit conuiuium. die Sabbati aduenit Carolus Comes Quadrilegius, Philippi filius, cum Catherina vxore, filia Regis Franciæ. Obuiam profecti Aurelianus, multiq; alij nobiles. Magistratus ciuesq; Brugenses in palatium illos deducunt. Insequenti die dominico, ludi equestres choreæq; editæ, quas referre vix quisquam posset. Nihil Brugenses omiserunt lætitiæ. Quidquid in honorem amborum Ducum excogitare possent, agitabant. Xenia, aliaq; dona multa tum a Duce tum à ciuitate Aureliano data. die Lunæ quartodecimo kal. Ianuarias Aurelianus cum coniuge flentibus multis discessit.*

TRIVMPHVS DE TVRCIS VLADISlai Regis Vngariæ ductus anno cIↃ.CCCC.XLII.Budæ.

XII.

*Ongis itineribus ad Albam Græcam, quam nunc Belgradum dicunt, cum vniuersis copijs Vladislaus peruenit: & honorifice à suis exceptus, dies aliquot agit per quietem, rerum copia præsenti milites & equos reficiens, recreansque. Traiecto deinde Sauc, cum Coruino & Despote, cæterisq; proceribus, Budam properauit. ciues autem & præfectus, quum eum vrbi cum copijs appropinquare nunciatum esset, ex Senatusconsulto, vt reducem pro dignitate regem exciperent, cum omnibus ordinibus & collegijs sacerdotum in occursum effunduntur; vbi pontifices cum sacerdotum ordine ad primum lapidem substitere. sed Prætor vrbanus & præfectus arcis, cum cæteris magistratibus vltra progreßi, subsequente populo, regem, qui à dextra Coruinum & Iulianum, Despotemq; à læua tenebat, conuenere: succedebant his præfecti equitum primipili, ac hilares & exultabundæ legiones, quæ non modo capite sed præfixas pilis hastisque coronas gestabant. in congressu tantus editus plausus, & facta congratulatio, vt faustis cuncta salutationibus resonarent. quam publicam lætitiam tubarum clangor, & militaris ingeminatio augebat. Deinde triumphi pompa explicari cœpta. Ante regem longus captiuorum ordo præibat insignium: in primisque Carambus, Asiæ præfectus, qui catenatus ante victorem, omnium in se oculos plane conuerterat: præferebantur signa hostib. adempta, & spolia quæcunq; aduehi potuere. Coruinus in palmata veste, inter legatum pontificis & Despotem sequebatur, vt ipse post regem non immerito triumphare videretur. Succedebat his sanctißimum Crucigerorum agmen, cuius latus pontifices & magistratus vtrunq; claudebant: continuabãt ordinem subinde legiones, quorum vociferam alacritatem Danubius & vicini montes referebant. Sed vniuersum quem diximus, ordinem, sacerdotum pompa præcesserat, qui sacro habitu & solenni ceremonia incedentes, Penates & deos patrios, item aurea argenteaq; diuûm simulachra præferebant: sacrosq; hymnos Deo Opt. Max. concinebãt: à dextris et sinistris promiscua populorum turba cœlum plausibus sane complebat, Vladislaum et Coruinum certatim ingeminans. Quo pacto cum ad portam vrbis vẽtum esset, Vladislaus rex pientißimus, vt Deum tantæ victoriæ auctorẽ fuisse profiteretur, confestim ex equo desilijt, pedibusq; ouãs vrbem ingressus, diuæ Genitricis basilicam cum triumphali pompa prius inuisit. Resq; ibi diuinas ad õnia puluinaria fecit, solẽnes max. Seruatori & dijs omnib. gratias agens: hostilia inde in templo cum spolijs signa ap-*

*gna apposuit, tabellamq́ suspendit, quæ victoriam de Turcis diuina benignitate relatam, planè testaretur. quibus solẽnibus ita ritè peractis, in arcem peruenere: vbi Coruino publicè à rege laudes pro meritis dictæ, cuius virtute prudentiaq́ omnia prosperè euenissent. Laudati quoque pro dignitate cæteri proceres, & præfecti: item his mandatum, vt sua quisq́ cum titulis insignia, ad magnam aram, in eadem basilica ritè suspẽderet, ne merita præsentis victoriæ laude fraudarentur: quæ ad nostram vsque tempestatem suspectantur, sed multo magnificentius triumphi spectaculum etiam fuisset, si hostium spolia, quæ præ necessitate humi infoderant victores succenderantq́, referre licuisset.*

## TRIVMPHALIS INGRESSVS FAEDERICI III. Imp. & Leonoræ eius coniugis Venetijs anno cIↃ.CCCC.LII. XIII.

*VErno anni* cIↃ.cccc.LII. *tempore Venetias cum Leonora cõiuge venit Fædericus Imper. cui tantus honor habitus vt nulli vnquam principum tanta vis nauium prodierit obuiã. Ferũt præter Bucentaurũ nauim, in qua aureo panno ad tẽpus instrata Princeps cum lectißima parte Patrũ vehebatur, quatuor grãdiora nauigia, à puppib. auro, cætera purpura adoperta, florem nobilitatis habuisse: hæc Bucentaurum velut prætoriam nauim sequebantur: longo inde ordine succedebãt triremes, Ganzariæ, Paraschermi, numero ad* cxx. *haud quidem minori studio quam patriciæ illæ instructæ omnes: in his erãt inferioris fortunæ viri, ita tamen vt singuli opificum ordines singula ornauerint nauigia: certatumq́ inter eos sit splendore ac luxu: aurum, purpura, coccus, & qui rarißimus in his fuit, amethystinus color, Venetam eo die vestiuit ciuitatem. Exaudiri paßim voces & cantus suauißimi, ad quorum concentum nemo non quasi amens animum intendebat: circa Clementis ædem, quo Princeps ꝓcesserat, ex Æstensi naui Fædericus in Bucentaurum transijt. Hic Foscarus senex gratulatus illi felicẽ accessum, aureo throno locauit, ipse iuxta assedit. Per mediam vrbem ad Æstenses ingenti plausu & lætitia aduectus est: ibi omnib. publicè paratis in hospitio fuit. Leonora post aliquot dies Venetias applicuit: eã, vt maiore ornatu in vrbem veheretur, placuit triduo ad Nicolai ædem in littore esse: tum festa die Bucentauro, vbi Principis coniunx ducentæq́ patriciæ feminæ, elegãti forma prædita, cæterum purpura, auro, gemmisq́ fulgentes erant, excepta est. Idemq́ fere nauium apparatus, q̃ & Fædericum, illam tota vrbe secutus est. Ad Eustachij fanum apud Vturios desedit. Ex primoribus Patrum eam mane vesperiq́ officij causa adibant. Dicta interim dies, qua tanti hospites ad suauißimũ spectaculum venirent. Instructo itaq́ ad tempus comitio, iussæ eo conuenire ex patricio ordine forma et*

*mæ et ornatu præstantissimæ quæq. Leonoræ in publicum venienti bullā aueream, tribus gemmis precio duum milium ac sexcentorum aureorum nummûm pditam, Patres dono misere: palliolum prætereafuturæ sobolis omen, cum stragulo cunali, ex purpura margaritis inserta. Saltauit vterq. publice au. .ibias: perq. cantus & varios iocos lux illa acta est, indulsitq. ciuitas plures dies hospitio & lætitiæ. Præfuerunt autem interim ex S. C. rebus gerendis, & pompis adornandis spectaculisq. exhibendis, M. Cornarius, Paul. Mauro-cenus, Lau. Maurus, Fran. Bonus, Pau. Bernardus, nisi q hi duo postremi resignarunt prouinciam; & Lauren. Maurus ob valetudinem aduersam destitit ab incœpto. cæterum Palatium Marchionis Ferrariæ vt dictum est Serenis. Imperatoris diuersorium fuit, stratis et adornatis in eo sumptu regio cubiculis decem: item Mathei Vituri palatium hospitiū fuit Imperatricis, vbi totidē lecti cubiculaq. erant exornata: verum palatiū Fran. Garzoni Duci Alberto fratri Imperatoris seruiuit. et reliquo comitatui Palatia in cāpo S. Pauli omnia hac conditione ex S. C. Decēuirali relata, paratæ fuere, vt cliuus cāpi illius solo æquaretur, ne in posterū amplius maneret: terra cliui illi⁹ monialib. S. Ludouici data: laterib. vero sustentaculi casæ, monialib. S. Andreæ. Petræ viuæ locatæ in foro S. Marci in ripa ad ædificationē palatij auectæ sunt in carceres Leonū, et sordes alio delatæ. sicq. totū forū planum & vacuum remansit. Inde data opera est anteq̄ Venetias ventum esset, vt singulis dieb.* XV. *Senatores Impatorem adirent: &* XII. *alij Ducem Albertum fratrem eius. Item in dies, singulæ societates iuniorum nobilium Regē Vngariæ, annos quatuor & viginti natū salutarēt.*

*Relatum est prætereaex Senatusconsulto vt vestes funebres, tantisper dum Venetijs Impator subsisteret, deponerentur. Legati hinc* XVIII. *designati fuere; qui Clugiam Imperatori obuios se dedere, nominatim; Pandulfus Contarenus, Fran. Contarenus, Georg. Cornarius, Marcus Cornarius, Benedict. Supantius, Ioan. Superantius, Petrus Georgius, Dominic. Georgius, Ludouic. Diedus, Dominic. Diedus, Nicol. Maurocenus, Hieron. Maurocenus, Alban. Capellus, Fran. Manolessus, Bernardus Donatus, Bernard. Iustinianus, Tadeus Quirinus, Decretorū Doctor, & Iurisperitus iuuenis annorum* XXIV. *q omnium natu minimus, apud Imperatorē habuit orationē Latinā & maternā ex tempore.*

*Appulit autem Imperator Venetias die 21. Maij: Imperatrix vero die* XXV. *cum per triduum subsitisset in Monasterio S. Nicolai litorei.*

*Dieq. 27. Dux Venetus Bucentauro aduectus eā inuisit. Post subsecutæ sunt matronæ 60. vectæ nauib. illis quas platsas vocant, quarū tres in veste matronali fuere: videlicet vxor Geor. Cornari: vxor Ludouici Diedi Creusa, et vxor Hieronymi Barbadici Christina, quæ nomine totius Venetæ nobilitatis legatione apud Imperatricem functæ sunt.*

*Die* XXVIII. *Maij, qui fuit dies Pentecostes, Dux Veneta, cũ omni cœtu matronarum exquisitißimè ornatarum, monilibus & omni gemmarum genere, Imperatricem Bucentauro acceptam, comitatæ sunt in palatium suum, ingenti cum triumpho.*

*Postera die Lunæ in Ecclesia S. Marci solenne est celebratũ sacrum, decorato altari more solito ornatu suo gemmato.*

*Hic equestri ordine donati sunt ab Imperatore, Andreas Venerius, & Marcus Cornarius.*

*Decessit autem Venetijs Imp. Kal. Iuniis, comitatus Magetiam vsq; Duce Veneto & Senatorib. Imperatrix vero secuta est postera luce, sumptumq; omnem tam in itu & reditu Imperatoris & Imperatricis cum toto comitatu, quam dum Venetiis subsliterunt, Veneti fecerunt; nõ ad vsum tantum, verum etiam ad delicias & luxum satis magnum.*

## TRIVMPHALIS INGRESSVS PHILPPI Burgundiæ Ducis Gandaui anno CIↃ.CCCC.LVIII. XIV.

*Continuis Gandenses precibus Philippum fatigabant, vt dignaretur inuisere suam ciuitatem Gandensem. Igitur triumphalis ingressus Philippi Gandaui anno* CIↃ.CCCC.LVIII. *tãdem factus est nono Kal. Maias die Dominico, ferijs diui Georgii martyris. Neminem vnquam Principum tanto acceperunt apparatu & honore. Peculiari opus foret libro si quis omnia vellet persequi: pauca delibabimus. Obuiam pcedunt extra eam quæ Vualporta vocatur, supremus Prætor Gandensis, cui nomen Arnoldus à Goui, Dominus Aubiacus, eques auratus. Cum eo Prætor minor, & Prætor veteris Burgi; Delecti aliquot Senatores, Matthias, cognomẽto Grootheere, eorũ aduocatus & scriba; ad hæc delectißimi ex ciuibus nigro omnes vestitu, numero* CCCC. *pulchro ordine in equis. Aduocatus Matthias valde reuerenter lingua eũ prouinciali alloquitur, in hunc sensum: vt diceret eius aduentum toti esse ciuitati optatißimum. Iucũdißima enim illius pſentia fieri vt dubitare vltra nemo poßit de voluntate eius animoq; in solidum placato: gratiam publicè haberi, ciuibus se resq; suas illius permittentibus arbitrio ac potestati: vteretur, frueretur que sua vrbe. Porta & via illa longa adusque palatium vtroque latere rubro cineritio nigroque panno erant conuestitæ. Stabant primores opificum omnium collegiorum pulchra serie togis talaribus amicti, funalia manibus tenentes ab vtroque latere plateæ, numero quingenti; qui omnes ingrediente Principe in genua procubuerunt. Ardebant super perticas vnde panni dependebant faces quatuor vlnis inter se distantes septingentæ sexaginta. Tota*

*via præ-*

*via prætensas habebat lineas panni* LXX. *quarum singulæ continebant triginta vlnas. Stabant ad portam quoq; Principes sacerdotum, Abbas Blandiniensis, abbas diui Bauonis, abbas Bauuelonis, abbas* Geraldi*montis, abbas Niniuensis, abbas Tronchiniensis, Præpositus diuæ Pharahildis Gandēsis, Decanus Christianitatis, oēs pastores ecclesiarum ciuitatis cū suis collegys, Quatuor ordines mēdicantes, Beghinæ vtriusq; domus, qui omnes debitum honorem Principi exhibuerunt. Venerunt cum Philippo Reguli Stampanus, Rauestanus, Theobaldus à nouo Castello, Antonius nothus, Adulphus Cliuiensis, duo filij domini Croiacēsis, alijq; viri nobiles trecenti, absq; filio Carolo, & Ludouico Delphino, & Domino Croiacensi, quos ob certas caussas adducere secum noluit.*

*Habuit circum se ad custodiā sui corporis quinquaginta sagittarios. Ingredienti descendit de porta virgo decentissimè ornata ostendens scripturam hanc:* INVENI QVEM DILIGIT ANIMA MEA. *Sed spectacula & theatra per viam & per compita exhibita quis conscripserit? Quatuor totas horas à porta adusq; ædes suas hæsit, dum spectacula cōtemplatur. In primis grandi spectauit voluptate C. Cæsarem vrbis Gandensis (vt volunt) conditorem, sedentem in medio* Senatorum, *vbi à Marco Cicerone laudabatur eius clementia, dicente nullam virtutem illius fuisse clementia maiorem. Et aliud in quo intuebatur, quo pacto Cn. Pompeius captum habens regem Armeniæ libertati pristinæ illum restituit. Super portam turritam minorem pretioso panno vestitam, ostensum nobilissimum Vellus Aureum, & ordo illius illustrissimus à Philippo institutus, cum omnibus nominibus & insignibus procerum, qui eo tempore fratres erant & socij illius clarissimi collegij, hac serie. Tarraconensis, Aurelianus, Croyiacus, Antoniensis, Vergiacus, Noyellius, Charolesius, Humerius, Ariennus,* Golizennus, *Montis acuti,* Stampanus, *Coymbrius, Vuilerualius, Alenconius, Blesius, Alnetanus, Molenbacius, Alaniacus, Crequiacus, Noui Castelli, Hanbordinus, Ostrobantius, Vertanus, Brederodius, Alchiacus, Cliuiensis, Alnetanus, Nothus Burgundicus, & Rauestanus Reguli. His subiectus erat versiculus:* Aduenisti desiderabilis quem exspectauimus in tenebris.

*Et alio quodam theatro de filio prodigo satis appositè;* Pater peccaui in cœlum & coram te. *Ante Regiam (dictam ten Vvalle) homo in formam leonis artificiose effigiatus prehenso freno eius equi, principem intro deduxit. Ibi Prætores & Decani Senatusque rursus salutantes Ducem, gratias illi egerunt de eius clementia & iucundo aduentu, ijsdem quibus supra verbis, sed Flandrico idiomate, per Petrum Biermanum aduocatum pronuntiatis: lachrimatiq; sunt complures præ gaudio hæc omnia intuentes.*

*Sed*

*Sed reliqua spectacula tam multa, conuiuia vicatim agitata, choros, tubarum melodiam, ignes, turrium illum celebrem sonitum, certamina insequentibus diebus, per ludos, per ignes, omnium opificum per sua collegia, præmia pro iis proposita, simulachra equestrium pugnarum inter nobiles, ciuesq; commissarum, conuiuia data à Principe, data item à ciuitate, aliis commemoranda relinquimus, non rem absoluisse, sed attigisse contenti.*

## TRIVMPHALIS INGRESSVS MATTHIAE Coruini Regis Vngariæ Budæ anno clɔ. cccc. lx. XV.

*QVum ad præstitutum Boemi Vngariq; diem ad Stratnicz, am urbē ex composito conuenissent, nonaginta milibus passuum à Strigonio remotam, in ripis Morauæ amnis, qui Morauiam ab Vngaria diuidit, inclinante sole castra posuere: postero die, instructa vtrinq; acie, Matthias, quum pductus in medium, in opposita ripa apparuisset, posito genu continuo eum legiones, regem Vngariæ consalutarunt, adoraruntq;. Plaususq; cum lachrymis ex immodica lætitia exuberantibus, tam ingens per horam editus est, & tantus tubarum clangor, tympanorum tinnitus, ac æneарum machinarum crepitus passim effusus est, vt cœlum collidere videretur: his quoq; militaris clamor adiectus, & faustæ cohortium acclamationes, congratulationes gestientium insolentes exauditæ: certatim lætitia cum plausu aliquandiu edita. Quæ vbi paululum expleta est, Proceres sese propius admouere: id ipsum fecere Boemi quoq;, vt mutuum facilius colloquium exaudirent. Tunc Ioannes Vitesius, Varadiensis antistes, velutipater patratus, hæc in ripa fluminis verba fecit: Salue Matthia rex Pannoniæ, quem publicis votis, quod nemini vnquam contigit, omnibusq; suffragiis, Senatus populusq; Vngaricus, Principem & Regem suum esse iussit: Salue spes vnica Pannonicæ gentis: saluete Coruini generis sacrosanctæ reliquiæ: faustū & felix tibi vniuersæq; Pannoniæ sit hoc regni tui auspicium, & Christianæ fidei salutare, Te tua properare iubet Vngaria, capere regni habenas, iuste regere, tuiq; imperii fines late tueri. Quantum tibi timuerit, quam affectate repetierit, ex his comitiis nunc intellige: quibus maluit te adolescentem optare regem, quam consumatos consilio, experientia & ætate viros iam sortiri. Te ad regnandum natum esse intelligit. & quod sub clarissimo patre tuo experta est, id omne in te requirit, speratq; futurum. Coruini ductu & auspiciis gubernata, imminentia cuncta pericula superauit: diu floruit, & multa bella prosperrimè gessit. Maximis repulsam Prin-*

*ſam Principibus ipſa dedit, vt Coruinis quoq; auſpicijs regeretur. Te non modo alterum patrem, verum etiam in maiori poteſtate ſitum, paternum omne nomen ſuperaturum eſſe ſperat. Sibi certum erat, te non modo redimere, vbicumq; fores: ſed etiam, ſi id negatum eſſet, vi obſtinate repetere: vbicumq; alieno facinore occubuiſſes, mortem armis vlciſci ſtatuerat. Verum tot periculis, clementiſſimi regis Boemiæ prudens animus occurrit: qui mira calliditate ex Alemannorum te manibus eripuit, vt te Vngaris conſeruaret. Quod quamuis fuerit humanitatis & societatis officiũ, Vngaria tamen perpetui loco beneficij haberi iubet. Quin etiam, quod regem noſtrum incolumem preſtitiſtis Boemici Proceres, & cum tam magnifico apparatu ac nobili equitatu honeſtatum adduxiſtis, ne parum quidem huic beneficentiæ veſtræ nos debere profitemur. Proinde Matthiam reddite, & initum à Matthia cum inclyto rege veſtro fœdus, vtriq; perpetuo conſeruemus. Vix iſta dixerat, quum non ſine pecuniarum eſſedo fluuium mox traiecit Matthias, Victorinumque Regis Boemiæ filium in ſecretum acciuit, ac pactam mercedem ritè illi perſoluit. Quæ ſolutio dum tranſigitur, Matthias ab aduerſa ripa immortales patriæ genti gratias agit, quod regno indignum, & adhuc adoleſcentem, ſupremo & diuino pene munere cohoneſtarit. Sat enim patriæ ſe debiturum arbitratum, ſi publico duntaxat nomine repeteretur. Ad hæc polliceri ſe nunquam vitæ ſuæ parſurum, nec labores aſsiduos & grauiſsima quæq; pericula recuſaturum, ne temere à patria tanta dignitate decoratus eſſe videatur. Ictum cum rege Boemiæ fœdus, rectè ſanctèque omnino ſeruaturum. Vngaros demum & Boemos de ſe bene ſperare iubet: ingenuè pollicitus, ſe per vniuerſum vitæ tempus, vtroſq; ſine diſcrimine tractaturum, nihilq; enixius curaturum, quam vt expleat ſpes hominum, expectationi patriæ ſatisfaciat, à paterna virtute ne degeneret & ingratitudinis apud vtroſq; crimen vt euitet. Vix hæc potuerat effari pientiſsimus adoleſcens, quum lachrymarum profluuio victus obticuit. Boemi, quicunque aderant, initam amicitiam & ſocietatem ſanctè ſeruandam eſſe affirmant: vires & arma Vngaris ac regi offerunt: cum promptiſsimis ſemper auxilijs, quandocunque opus fuerit, ſe præſto adfuturos pollicentur. Tranſacta mox ſolutione, Victorinus Dux, & Ioannes Antiſtes, vtrunq; exercitum, datis poſt initum ab vtroque rege fœdus dextris, mutuiſq; complexibus confirmare iubent. Regem perreuerenter ſalutant, & certatim ſe mutuo amplexantur. multæ præ lætitia lachrymæ vtrinq; fuſæ. Rex à Victorino dimiſſus, ad ſua caſtra traiecit: Boemiſq; Proceribus, qui Budam vſque ipſum comitari contendebant, gratias Matthias egit: & mox vtriq; vno eodemq; tẽpore digrediuntur. Atq; in primis Vngari recepto Rege, longis itinerib. Budam properant,*

*vt antequam glacies dissoluatur, Danubium traijciant: quacunque iter faciunt, ex pagis & oppidis gratulabunda in occursum omnis ætas effunditur, inaudita vbique lætitia celebratur: quin etiam aniculæ, pueri, senes, & rustica passim turba Matthiam cingunt, salutant omnes Regem: manus & pedes deosculantur, fausta & felicia cuncta precantur: vbique spes Ungariæ, deliciæ orbis, assertor patriæ, Pannoniæque salus ingeminatur. Inter quam plaudentem festiuamque multitudinem, Matthias tanta popularitate, clementia & mansuetudine vtebatur, vti mirum in modum populorum animos sibi conciliaret, gratiamque, quam sibi patria memoria promeruerat, affabilitate, ac præcoci pietate sua vsque adeò augeret, vt in amorem obseruantiamque sui hominum pectora cuncta succenderet: hos fratres, patres illos, hanc matrem, sororem istam, appellare: se amplexandum deosculandumque omnibus vltro ac passim exhibere, magis alienæ quàm propriæ saluti congratulari: inter milites conductu decoro simul ac lepida comitate versari: ad imminentia grauibus quandoque verbis bella succendere, de comparanda demum laude semper verba facere. Quum Strigonium paulò ante Kalendas Martias, circiter Sarcophaga festa peruenisset, glacies quæ dudum fatiscere cœperat, non satis tutum exercitui transitum pollicebatur: læti tamen equites, contempto periculo, & labante sæpe glacie, maxima ex parte traiecere. Ceteri ad Pesthum transiuerunt. quin & Danubius hilaritati publicæ indulgere & gratificari videbatur: quandoquidem in tam propera festinatione, temerarioque transitu nemo periclitatus est: Coruina id fortuna factum omnes esse fatebantur. Postquam insequenti die Budæ appropinquarunt, omnes pontifices optimatesque ac nobiles, qui conuenerant: item Prætor vrbanus, cum singulis ordinibus magistratuum, præterea cuncta collegia sacerdotum, solenni pompa Deos & sacra ferentes obuiam prodeunt, & sacros rhythmos concinunt. Occurrit etiam populus vniuersus, vt summo plausu ac eximijs acclamationibus exciperet nouum & exoptatum Regem. Quin & Iudæorum turba in occursum exiuit, præferens veteris Testamenti tabulas: & inter primos salutato Rege, maiorum priuilegia sibi confirmari obtestatur & supplicat. Ad portas vrbis, à ciuibus sub vmbella Rex excipitur: & antequam in vrbem admittatur, exoratus à Prætore, libertatem, leges, sanctiones, decreta Senatus, ac cæteras immunitates ab antiquis Regibus impetratas, se nunquam violaturum, adiecto iuramento pollicetur: id ipsum, antequam in arcem admitteretur, vniuersis regni optimatibus pontificibusque promisit. Introductus in vrbem, recta in basilicam diuæ Genetricis ducitur. Quum ante prætorium iter faceret, supplicantibus noxijs, quos olim quæstor in vincula coniecerat, vt omnibus fausta se-*

stafe-

*sta felix que foret præsentia Regis, patefacto carcere liberantur. dictisq́; mox in templo precibus in regiam introductus est; tanta omnium cum voluptate vt cuncta lætitia publica personarent.*

TRIVMPHALIS CONGRESSVS FAEDERICI III. Imp. & Caroli cognomento Bellicosi anno cIↃ. CCCC. LXXIII. Augustæ Treuirorum.

XVI.

*Carolus Aquis cum discessisset petit Lucemburgũ, quo ad eum veniunt legati Mediomatricum, munera illi afferentes scyphum aureum plenum nummorum aureorum: centum carros vini, quinquaginta boues pingues, oues innumeras, frumenti & auenæ magnum modum, currum vnum vini Cretici. Fædericus Imperator transiens Argentinam, Friburgum, Collumiriam & Magonciacum per Diuodurum oppidum Mediomatricum Treuiros petit. Carolus legatos suos ad Imperatorem Diuodurum mittit, Dauidem Episcopum Traiectensem, Ioannem Comitem Marliæ, Engelbertum Comitem Nassouiæ, & Cancellarium suum Guilielmum Hugonetum. Petit ab Mediomatricibus, vnam aliquam dari sibi portam oppidi illorum, qua liberè ingredi & egredi sibi liceat quandocunque velit. Ea res valde noua ciuibus visa, nec adduci vllis possunt precibus vt assentiãtur, quamuis pro Duce diu multumque illos Imperator ipse fatigaret. Metuebant nimirum suæ libertati, quam hactenus illibatam fere seruarant. Repulsam Dux tulit molestissime. Cum autem illum nisi cum sexcentis circiter viris nollent admittere in suam ciuitatem, respondit se non impetrare malle, vt cogere liceret: esse sibi claues portarum in promptu, arma èxercitumq́; significans. Habebat autem secum dimidiam exercitus partem quo Geldriam subiecerat. Quarto Kal. Octobris Imperator peruenit Augustam Treuirorum magno comitatu, quo & Dux ad eum concessit ingenti pompa & fastu. Hæc vrbs nobilissima & antiquissima ad Mosellam flumen sita est* LX. *supra Mosellæ & Rheni confluentem milibus. Aderant in comitatu Imperatoris Adolphus Nassouius Archiepiscopus Mogontinensis, Georgius Badensis Episcopus Mediomatricum, Guilelmus Episcopus Aureatensis, Maximilianus Augusti filius, annum agens decimumoctauum, Ludouicus & Albertus Duces Bauariæ, Carolus Marchio Badensis, Euerardus Comes Vuertenburgius, Carolus Comes Cattimelibocius, Comes Vernenburgius, Calapinus filius magni Turcæ Amurathi, frater Mahometi Turcarum tyranni. qui fugiens Mahometi fratris insidias, necare eum volentis,*

*lentis, Romam peruenerat, legem, fidem & baptismum nostræ acceperat religionis, appellatus a Calisto Papa, Calistus Othomannus, datusque dono Fæderico Imperatori. Procedunt obuiam Cæsareæ Maiestati Ioannes Badensis Archiepiscopus Treuirorum, Christophorus Marchio Badensis, cum omni nobilitate dignitateq; Treuirorum, qui se omnes illi ad pedes proiecerunt magno eum gaudio excipientes. Erant numero prope sexcenti equites rubris omnes vestibus amicti. Antecesserunt maiestatem Augustalem centum circiter iuuenes flauis comis in humeros defluentib. ita eleganter cõptis, vt omnium etiam sponsarum æquarent pulchritudinẽ. Cum Duce venerunt Ludouic. Episc. Leodiensis cũ equis* cxx. *Dauid Episcopus Traiectensis cum equis circiter* lxxx. *Ioannes Dux Cliuiæ, Antonius Burgundio, Ludouicus a Castello Guyonis, Guido Humbercurtius, Oliuerius Marchius, & Guilelmus Biese Oeconomi, aliiq; nobiles vix dicenda multitudine. Eo congressu petiit Carolus ab Augusto rex creari iuxta dignitatem maiorum suorum, qui reges fuere Burgundionum. Legatus item fieri cupiuit Augusti, et Procurator ac Vicarius Imperij. Erat ambitiosus mirandum in modum. Augustus filiã eius petiit filio suo Maximiliano pulcherrimo & augustissimo adolescenti vxorem. Ea res ita processit vt Maria augustali iuueni a patre desponderetur, contendente Augusto vt statim nuptiæ celebrarentur, Duce autem vt ante illas Vicarius Imperij designaretur, & rex salutaretur Burgundiæ. Epistola Arnoldi Lalani facta Latina à Rodolpho Agricola:* Imperator, *inquit*, vestiebatur textili auro, veste ad pedes profusa & circum collum replicata, perq; humeros more Turcorum sparsa, limbo circum pedes manusq; ingentis pretij margaritis picturato. Ipse grandis natu, sed virenti adhuc atq; solida senecta. Non errauerunt forte qui dixerunt peregrina luxuria patriam gloriam commutasse Germanos. Dux autem circiter quadraginta natus annos in ipso ætatis robore, medio rerum gloriæq; cursu conspicuus, armis se totum texerat. Fulgebat desuper chlamys vnionib. carbunculis, adamantib. distincta, q̃ q parcissime ducentorum milium scutatorum æstimauerunt. Filius Imperatoris decimum octauum agens annũ, insigni facie, egregio & pro ætate capacissimo paternæ fortunæ ingenio, indutus sanguineum intertextum argento. Turci filius amictus patrio more veste aurea figurata erat. Crinem in nodum collegerat sicut Sarmatæ solent: toruus adspectu, prorsusque horror & patria vastitas vultu apparebat. *Hæc ex Lalano Agricola. Habebat autem Dux hospitium apud diuũ Maximinum extra muros: Imperator vero intra vrbem in Palatio. Post multa tandem inuitat Imperatorem Dux ad prandium in diem Non. Octobrium, tanto apparatu & magnificentia*

itia instructum, vt ppemodũ nuptiale eius conuiuium p omnẽ Gal-
& Germaniam fama celebratum æquaret. Talib. nempe in reb. inmo
ıcus et pdigus nimis erat Carolus: quamq̃ ad veram animi celsitudinẽ
nobilitatemq́ minime ptineãt, sed ad vanam potius gloriã. De vestitu. n.
qd dicam? quo oẽm totius Europæ gloriã excedebat? Ad Maximini vbi
sacrũ audiuit Impator, togã indutus erat Carolus C. miliũ ducatorũ: ita
auro gẽmis margaritisq́ omnis generis radiabat. Proceres Aurei Velle-
ris, nõ inaurati modo, sed plane aurei videbantur & argentei: Ita omnis
Caroli familia, veste ex textili auro ex holoserico et damasceno fulgebat.
Templum vestitũ vndiq́ inæstimabili tapetorum ornatu: In quibus hic
Christi Seruatoris vitã & mortem, illic historiam Troianam, Iasonis, et
Aurei Velleris, Alexandriq́ Magni victorias intueri licebat. Super al-
tare maximum stabant primum argenteæ imagines XXIV præter has XII.
Apostoli argentei inaurati: aliæ decem statuæ aureæ, & quatuor argẽteæ
inauratæ: cruces aureæ decem, vnionib. & gemmis pretiosißimis excultæ.
Cruces argenteæ inauratæ quatuor: candelabra aurea duo, & quatuor
argentea: duo angeli aurei. Lilium aureum distinctum lapidibus pretio-
sis, æstimatum ducentis milibus aureorum Rhenensium Duo erant ora-
toria aureo panno circumuestita; in altero horum erat Imperator, Ca-
rolo aũt non vacabat sacro interesse. Finito sacro Imperatorẽ introducit
Carolus in cœnationem oẽm templi pulchritudinẽ suo splendore & diui-
tijs longe supantem. Dixisses Assueri vel Alexãdri regiã. Stabat ibi aba-
cus IX. ordinib. in sublimè erectus, in quo posita vasa aurea & argentea
varij generis XXXIII. canthari magni & parui LXX. pateræ & calices car
bunculis radiantes centũ. Naues magnæ argenteæ senæ: pelues seu mallu-
uia aurea & argentea manib. abluendis XII. monocerotes sex, quorũ duo
trium brachiorũ humanorũ æquati erant lõgitudini: sex argentea pocu-
la capientia singula XII. quartas. Sporta magna argentea colligẽdis reli-
quijs mensæ Principis. Tres positæ mẽsæ aureis et argẽteis vasis instructæ.
Ad primã sedebat Imperator: ad dexterã eius Adolphus pontifex Mo-
guntinus, Ioan. pontifex Treuirorum, Ludouicus Episcop. Leodiensis,
Dauid Episcop. Traiectensis. In sinistra Dux Carolus, Maximilianus
Arch. Austriæ, Stephanus, Albert. & Ludouic. Duces Bauariæ. Alteri
mensæ adsidebant, Georg. Episcop. Mediomatricum, Guiliel. Episc. Au-
reatensis, Carolus March. Badensis cum filio Christophoro: Legati Al-
berti March. Brandenburgensis, Calistus filius Turcæ, Hugo & Vlri-
cus Com. Montfordij, Adolphus & Philip. Com. Nassouij, Oeconomus
Maximiliani Principis dictus dominus Hylensis. Ad tertiam mensam
Euerardus Com. Sconobergius, Albert. Badensis, Iaco. Craft, legatus Si-
gismundi Ducis Austriæ, Vlricus Co. Sulceti, Otho Com. Hennẽbergius,

m 3 Frideri-

*Fridericus Comes Lusti, Præpositus Treuirensis, Georgius Comes in Linigen. Tredecim primum illata fercula, antecedentibus* XVI. *tubicinibus. Ministri mensarum proceres* XII. *aureis amicti vestibus. Ioannes filius ducis Cliuiæ, Philippus filius Adolphi Rauestani, Ioannes Comes Marliæ, Engelbertus Comes Nassouiæ, N. Marchio Rutelenus, N. Comes Salmensis, Guido Comes Meganus, Ioannes Egmondanus, Iacobus ab Hameyen, N. dominus Robacensis, Antonius nothus, præter alios nobiles numero sexcentos, pretio inæstimabili vestitos. Dehinc illati missus duodecim: postremum decem: In bellarys portatæ* XXX. *magnæ scutellæ, schyphi & pateræ aureæ argenteæq; miris splendentes vnionibus, dulciarys omne genus refertæ, ex quibus vna ante Imperatorem posita* LX. *milia valebat aureorum. Post actas gratias templum repetitum est, vespertinæque absolutæ preces. Tandem Imperator multis facibus funalibusq; accensis à Duce ad Palatium reducitur. Præstita Imperatori à Duci fides de ducatu Gelriæ, quod facere longo tempore Duces Gelriæ recusarant. Iurauit item Dux in verba Imperatoris de omnibus alijs principatibus quos intra fines possidebat imperij ingenti cerimonia & pompa. De rege vero Carolo creando Thomas Basinus in opere de instauratione regni Burgundici hunc ferme in modum scribit:* Vt antiquum Burgundiæ regnum per multas principum successiones oppressum & pene extinctum & obliteratum denuo instauraret, & non Dux amplius, sed Rex Burgundiæ appellaretur, magna prosecutionis instantia apud Imperatorem & eius nobiles institit. Corona, sceptrum, vexilla, vestesque ad regium ornatum Treuiris iussa fieri: & iam throni in templo maiore facti & sedilia, omniaque parata quæ ad creationem & sacrationem regis essent necessaria. Datum negotium Georgio Episcopo Metensi vt sacrum faceret, vnctionisque officium compleret. Imperator enim promiserat regem se Ducem creaturum: sed nolite confidere in Principibus: repente mutatus Imperator postero die ne Carolo quidem valere iusso discessit, nec promissis stetit, maleque sarto fœdere abijt, & petijt Coloniam sedandæ discordiæ inter Archiepiscopum & ciuitatem: vnde non mediocriter Carolus turbatus est. *Hactenus Thomas Episcopus qui tunc Treuiris erat, omniaq; vidit. Verisimile autem repentinæ mutationi illi adlaborasse Gallum; quippe multa Scriptores fugiunt, multaq; data opera reticent. Ita nihil profuisset Belgicæ ille congressus, nisi pactum fuisset matrimonium Serenissimæ Mariæ, quod postea salutem toti attulit Flandriæ.*

TRIVMPHALIS CONGRESSVS MATTHIAE Regis Vngariæ,& Vladislai Regis Boemiæ Olmucij anno à parta salute humani generis, cIↃ.CCCC.LXXVIII.

XVII.

*Matthias ob ingentem apparatum cunctantius accessit, crebris à Boemo literis vexatus. Reginam cum Francisco Aragonio fratre eius, item pontifices proceresque omnes secum duxit. Cum Olmucium venisset Boemus, qui aliquandiu, & plus æquo in finib. expectarat, ad quintum mox lapidem castra posuit. Postero die tabernaculum, in medio interualli spatio tenditur, vbi reges vnà colloqui possent. Ex composito deinde instructis vtrinq; aciebus prodeunt. Cum ad tabernaculum ambo ad sagittæ lapidis ve iactum iamiã cõgressuri essent, substitere vtrinq; agmina. Reges in medium coiuere: primo cõgressu dextras mutuo apprehensarunt, & dedere pacis oscula: mox equis desiliunt, tabernaculumq; sine arbitro subeunt. Inito colloquio tres circiter horas, de communi cõcordia, & redintegrando fœdere verba fecere. Demũ fœdus arctius reuinciendũ esse rati, inter se iterum sanctissimè percussere: fraternoq; obstrinxere vinculo, ne facilè violari posset, & accitis deinde vtrinq; pontificibus, proceribusq; arbitris, sacrosanctũ id esse iussere. Soluto deinde colloqo, alter in castra, alter in vrbẽ se recepit. Tertio vero die Rex inermis, cum vniuersis principum ordinib. ex vrbe digreditur, atq; versus Boemi castra agmen intendit. occurrit è castris ille, cõprehensisq; ad cõgressum dextris, socia vtrinq; agmina iunxere, in vrbemq; ꝓuenere. Hic regis edicto lautissima cunctis Boemorũ principib. parata erãt hospitia, ꝓpe forũ duo palatia inter se opposita, Persicoq; luxu apparata, reges excipiunt. Bauariæ Saxoniæq; duces pro dignitate recepti sunt. Incredibiles in vrbe apparat⁹ Matthias instituerat. Vladislaus armatus, instructaq; acie ciuitatem ingressus est, alterumq; Martem referre videbatur. magis arma q̃ toga magnitudinem corporis addecebant. Ædes huic rex mirifico luxu apparauerat: triclinia, cubicula, subdiualia, et vniuersum deniq; atriũ sericis pictisq; aulæis curiosè vestiuerat. Excoluerat etiã regia supellectili, ne qd ad honestandũ fratrẽ ꝑtermisisse videretur. Apparatus vbiq; magnificus, etiam suprà q̃ excogitari potest. Culta quoq; ꝓ cuiusq; dignitate cæterorum hospitia. Dies XV. ob fraternæ societatis lætitiã, quam dudũ inierant, conuiuia assiduè celebrata. Temporarium in foro theatrum, scena orchestraq; sumptu magno parata, vbi ludi scenici, saltationesq; accitis eximijs matronis, cum summa festiuitate editæ. ante scenam hippodromi circique vicem tunc forum præstitit, vbi quotidie equestri certamine pugnatum, magnaque ac varia victori-*

*victoribus præmia proposita, proq; regali magnificentia multa in spectaculo sparsa missilia: epulum viscerationesq; populo, item Pannonio Boemicoq; militi quotidie datæ. celebratum in foro conuiuium est Principum. In medio fori tetragonus stabat abacus, gradatim more pyramidis ab omni parte consurgens: per cuius subsellia aurea, gemmata, argenteaq; vasa rite disposita erant. Prostabant abaco rhinocerotes duo, vnus à dextra, à leua alter, miræ vterq; magnitudinis infestoq; cornu spectatores intuebantur, ad basim hydriæ capacissimæ, œnophora, diotæ è postulato argento affabre factæ: supra vero chrysendeta, calices, schyphi, cupæ, phialæq;, lapillis ac vnionibus onustæ. Consurgebat igitur gemmatus, ex omni parte conspicuus in medio foro abacus, in montis aurei speciem, vbi miserè spectatorum lumina fatigabantur. Reges cum Proceribus in cœna accubuere, decem quoq; mensæ ex ordine ibidem stratæ. Inter prandendum nunquam in scena & hippodromo cessatum, aliqua semper edita spectacula, hinc mimi, histriones, citharœdi: inde equitum certamina infestis hastis congredientium. Deinde remotis mensis, Principes cum matronis illustribus duxere tripudia. Regina cum Vladislao Rege, & Franciscus Aragonius cum formosissima nobilique puella Germanicam Pyrrichiam, non sine magnis populi acclamationibus, plausuque saltarunt. Rex quotidie Vladislaum e regione agentem officij gratia, traiecta via familiariter adibat, educebat in regiam, admissumq; in cubiculum Beatrice teste domestice ac iocose alloquebatur: quandoq; etiam latrunculis cum regina ludere iubebat: quod futuri vani coniugij fuit auspicium. Tãtum fraternæ charitatis semper ostendit, & honoris exhibuit, vt nihil vltra addi & optari posset: veluti diuus ille Princeps Vladislaum successorem suum ariolaretur. Quin & in aduersa formidolosaq; valetudine, rogatus à suis, quem sibi successorem optaret, regnoq; eligendum consuleret? Vladislaum, inquit, si optimum regem appetitis. Compositis rebus, cum iam soluendus conuentus esset, ne indonatum quidem Boemiæ regem, quem fratrem adoptauerat, dimittendum esse censuit. In primis quidem vniuersum hospitij apparatum, vbi eum exceperat (aureis cubicula aulæis texerat, stragulis etiam aureis lectos strauerat, preciosissimum quoq; abacum explicauerat) illi dono dedit. Item id parum ratus, redditis duabus (vt aiunt) ciuitatibus, munificentiam auxit. Beatrix trabeam auro contextam, regales vestes, lectos lautissimos, & cætera id genus, quæ cælibem principem addecerent, adiecit. Nec indonatos quidem ambos Duces, & cæteros principes dimisere: nemo dimissus immunis. Verum illud potissime commemorant, & admirantur homines, cuncta Boemorum hospitia à Regali gazophylazio apparatum accepisse: denas in cœnam mensas fuisse stratas, quæ multum auri, argentiq; ad pro-*

*ad propinandum & ad fercula postulabant: nihil tamen è regali abaco, quem in foro construxerant, in conuiuij usum accepisse. Quare quanti census Coruinæ supellex fuerit, nec conijci quidem facile potuit.*

## TRIVMPHVS MATTHIAE REGIS DE Neapolitanis Neapoli ductus anno cIↃ.CCCC.XXCIIX. XVIII.

*CApta Neapoli custodibus immissis, qui per fastigia passim urbis Coruina Pannonicaq; signa disponerent, instructis victrices legiones ordinibus urbem una ingressæ, altera porta in castra rediere. Regina deinde cum aulicorum & oratorum manu arcem adiuit, ut Cæsareæ urbis imperium obiret, virumq; triumphantem exciperet. Tertio die exspectata siderum dexteritate, Matthias ouans sub umbella, magnifica pompa, & præcedentibus cunctis sacerdotum magistratuumq; ordinibus, urbem ingressus est. In qua quidem pompa non fercula spoliorum, non captiuorum turba, non oppugnationis conficta simulachra, sed victricia tantum Coruinæ vexilla præcessere. Post regem, Hippolytus Pannonicorum princeps primatum: Item Vrbanus Thomas secretarius, pōtifices, & præfecti castrorū, in palmata veste successere. In primis Stephan⁹ Bathor, Stephan⁹ Comes, Tetaurus, Gerepotrus, et Matthias frater: itē Bertoldus, Iacobus Zechelius, et Ladislaus Canisay, quib. succedebant ceteri equitum præfecti, & cohortes militum, quæ certatim Io Triumphe Io Triumphe, ingeminabant. Coruinum Cæsarem Augustum, & verum deniq; Imperatorem exclamabant. Variæ tunc nationes, suis quæq; linguis diuo Matthiæ cuncta feliciter publicis votis optabant. Cui tandem Neapolitana ciuitate potito, & de Augustali sede triumphanti, ex omni fere Vngaria legati congratulatum conuenere. Quin & cæteri pontifices, Proceresq; absentes, suum rite officium præstiterunt. verum illud profecto nec minus quidem admirabile visum est: nullam vim, nullam insolentiam, nimiamue contumeliam & conuicium, neq; publice neq; priuatim victis illatum: Imo ubique honestè sanctèq; versatum. Ille nempe melior esse videbatur qui pallentis longa fame hospitis ora citius refocillaret. Quin & ex oppidanis aliqui inconsiderata colluuie distenti exspirarunt. Sed quis illam acierum instructionem tacite prætermiserit, quam eo die instituit? quo compositis Neapolitanis rebus castra moturus, ad Sceam Viennam properauit? quæ uno die obsessa, visa, & capta est. Ante Neapolim, in patentissimo campo legiones omnes explicuit, in aciemque digessit. vbi quæcunque apud veteres leguntur de disciplina militari recognoscere*

*licuit. Nimirum ibi se nō modo Regem sapientißimum, potentißimumq́ Principem, sed Imperatorem quoq; consummatißimū ostendens. In quatuor tantum agmina distribuerat equitatum, velites ac equites leuis armaturæ in duas tantum alas redegerat, vt breui copiarum distributione multitudo facilius regeretur, & confusio euitaretur omnis. Exercitus qui è castris prodierat in campum, vt instituto agmine ad occupandas Noricorum furcas faucesq́ contenderet, ex octo milibus peditum & viginti milibus equitum (sine pueris, calonibus, & lixis) item ex Carris circiter nouem milibus sane constabat. Rex autem suis manibus cuncta agmina instruere voluit: & castrensia munia pro meritis ipse distribuit. Cuiq; agmini vexilla sua esse: vbi inprimis Christianæ fidei, mox Coruinæ domus, deinde inuictæ gentis Vngariæ, postremo Dalmatici Boemiciq; regni & Australium insignia spectabantur. Neq; præfectorum equitum, militumq́ deerant vexillationes: Imo viritim quisque equitum præfixa hastis vela ferebat: quod ad militare ornamentum admodum faciebat. In primis, vbi inter turmas ille prodijt, silentium indictum, non solum a viris, verum etiam equis, religiose seruatum est. Allata inde primi agminis in medium signa, manu sua præstantißimo veterano non sine solenni præfatione diligentiq́ præcepto committit. Calcarib. autem ille carebat, qđ non sine admiratione spectabatur, idcirco fortasse, ne in maximo conflictu, præ timore concitato equo fugeret, suaque fuga reliquorum animos consternaret. mox duodecim enses, totidemque secures, & clauæ benemerentibus datæ. Securiferi, ensiferi, clauiferique vexiliferum circumstetere. Deinde turmarum ordines ante vexilla constituti: quorum singuli ex quinque & viginti equitibus constabant, vt numerus equitum cum turmis consentiret. Proinde turmæ circiter octoginta equitum ante signa præcedere; subsequi totidem, Reliqua demum agmina eodem modo instituta. Ita quisque ordinem seruauit, vt si digito plus alio processißet Imperatoris quam maxime circumspecti sæuitiam reformidare cogeretur. Tantum vbique vigebat obsequium, tantus timor & reuerentia, cum Imperatoris amore dicto citius imperata quisque præstaret: vitam dum imperio satisfaceret, pro nihilo ducens. Mirum vbique silentium, vt non modo præter Imperatoriam nulla humana vox, sed nec vllus quidem equorum hinnitus, vsque sit auditus. Institutum deinde vt vnumquodque agmen, vbi aliquanto processißet dato signo, ante Principis ora belli simulachrum cieret, & nunc in cuneum, nunc in orbem, nunc in trigona, tetragonaue, aut in forficem & serram mutata acie se conuerteret. At vbi satis superq;, nemine suum locum deserente, summa peritia & dexteritate lusum est: vti suæ Beatrici ostenderet euidentius, quomodo instructa acie pu-*

*acie pugnaretur, repente agmina cuncta disposuit. & in vtroq; eorum d[illegible]idissima cataphractorum equitum agmina collocauit, digessitq; turmatim. duo deinde alia in medio statuit: hisq; militum agmina interiecit. In primo horum ordine grauis armaturæ pedites, deinde hastatos, sagittarios, ferentarios: cæterosq; leuis armaturæ milites rite disposuit. In tertia acie triarij præsidebant, & extrema signa tuebantur. Item ante vtrumq; cornu duas velitum alas intendit, qui quidem ordinem seruabant, tanta pernicitate præpollentes, vt aues cursu assequi posse viderentur. Vbi satis superq; a Regina Beatrice spectatum est, ex ordine quodque agmen iter facere cœpit. Carriq; pariter a latere agebantur, quibus pro fossa valloq; ex instituto Coruini, Vngari non solum munire castra verum etiam falcatis in prœlio vti, hostesq; his circumuenire solent.*

## TRIVMPHALIS INVECTIO CATHERINAE Corneliæ Cypri Reginæ Venetijs cIↃ.CCCC.XC. XIX.

F*Vit annus* cIↃ.CCCC.XC. *Venetæ ciuitati insignis duarum illustrium feminarum ad vrbem accessu, Ioannæ Daciæ reginæ, & Batauiæ ducis, huius in Syriam ituræ, vt sacrum inuiseret sepulchrum, alterius ex vrbe Roma peregre redeuntis; vtrique magnus honor habitus. Fuissentq; ambæ exquisitiore etiam apparatu exceptæ, nisi religio obstitisset. Præbuit Catherina Cornelia Cypri regina, celebrius spectaculum ciuitati, quam ex Cypro Venetias per Georgium Cornelium eius fratrem accersitam, Augustinus princeps & patres Bucentauro naui exceptam triumphanti similem, per mediam vrbem ad Estenses ædes, ad tempus regali apparatu instructas, deuexere. Vetus est mos ciuitatis in regum & principum ad Venetam vrbem accessu, Bucentaurum purpura & auro insternere, Est hæc nauis totius senatus, vrbanorumq; magistratuum capax, agiturq; nunc remo, nunc velis, sæpius remulco. Sedet Princeps in puppi auro strata, aureo & ipse fere pallio amictus: assidet summus ille ordo dextra læuaq; maiestatis & silentij plenus, aurum, holosericum, & quod minimum est purpura hunc vestit ordinem: tubæ, tibiæq; & alia id genus instrumenta circumsonant, Bucentaurum suburbana præcurrunt nauigia, Paraschermos patrio sermone vocant, hæc publico sumptu aulæis, & festa fronde in Topiarij operis modum inflexa, ad tempus instruunt, a prora & puppi pulpita altiuscule attolluntur, quorum fastigijs pueri puellæque eleganti forma cultuque exquisitissimo, alii alios mentiti genios, latenti machina subnixi, puro apertoque librantur aere, hi aurea systra, illi Thyrsos, aliaque deorum dearumque gestantes insignia. inferiore gradu adolescentes in*

*Tritonum & Nympharum speciem figurati, suo quisq; statu, concentu tamen vno subuehuntur. aurea adhæc signa toto nauigio defixa, ventoq; agitata, spectaculum pbent tam voluptuosum, vt nullum sit propemodū aliud quod merito huic vni comparari possit. Bucentaurum tanta vis cymbarum sequitur officij gratia, ac spectandi studio, vt interdum quā longe lateq; toto stagno fert prospectus, tegantur aquæ frequenti comitatu: quam rerum pompam si quis vetustarum rerum peritus diligentius spectet, haud multum diuersam agnoscat ab ea quam veterum scriptorum quidam in Quiritium triumphis prodidere, etsi rerum formæ diuersæ, quia in diuerso elemento. Vt ornatissima illa nauis, ac longe maxima sit currus, etsi nullus reperiri possit, qui cum tanta queat mole merito comparari: suburbanæ naues, quæ insigni apparatu præcedunt, vrbiū simulachra, earum expugnationes, ac totum rerum gestarum schema, cymbarum ille frequens comitatus, ciuium officia, currum longo ordine comitantium. Et illa per hos honores, quod Venetarum nulli, ac ne Romanarum quidem (quod sciam) contigit vnquam, per mediam vrbem ante suorum ciuium ora triumphanti similis præteruecta est. Georgius Cornelius reginæ frater, sub primum appulsum, publico decreto, equestri est dignitate donatus, nihiloq; minori studio, et amoris affectu, quam regina ab vniuerso ordine acceptus.*

## TRIVMPHALIS INGRESSVS BEATRICIS ESTENsis Ferrariæ Principis Venetijs eod. fere anno cIↄ. cccc. xc.

## X X.

*BEatricem Estensem venientem Barbaricus princeps & primores patrum frequenti matronarum cœtu, Bucentauro naui exceperunt, quam tum, quod raro accidere solet, actuariæ naues, veloces & biremes, bellico apparatu instructæ, sunt secutæ. Attulitq; is matronarum cœtus eo die non insuaue spectaculum ante oculos ciuitatis exquisitissimo cultu præteruectus: in aurea tamen veste nulla ibi conspiciebatur, quum paucis ante annis pistorum etiam filiæ conspicerentur. Auro enim legibus adempto, alio incubuit muliebris luxuria. nam a medio sursum quicquid est totum gemmis & vnionibus tegitur, vt frugalissimus ornatus quaternis stet milibus aureorum nummum, mediocriter conspicuus denis, duplo aut triplo maiore adhuc conspectione dignus. Atque hoc Beatrix comitatu per mediam vrbem cum Leonora matre ad Estenses ædes delata est, vbi biduo post suburbanæ puellæ ad quinquaginta numero, lineis vestibus succinctæ, nauali cursu decertarunt: spectaculum huic vrbi ad eam diem insuetum, vtpote in Beatricis gratiam tum primum excogitatum. Secutum virile certamen*

*maiore nauium actu, sed quia res nota, minus voluptuosum. Postridie illius diei centum lectæ ex omni nobilitate matronæ, cultu & forma insigni, comitio ad tempus instructo, velut in procinctu stetere: cum quibus lectißimi iuuenes ad tibiarum cantum in orchestra saltarunt. Mox inclinante die tres heroico habitu Indicis belluis sedentes, ad tubarum cantum magister scenæ in comitium intulit. Hi magno caueæ silentio semel atque iterum orchestram circumuecti, in eam transiuere: tum ibi mutatis modulis non molli et effracta, sed virili & heroica saltatione, qualē Pyrrhicem fuisse suspicari poßis, nonnihil euagati, quum mira corporis agilitate omnium in se oculos vertissent, sistra q̄ manib. quatiebāt aureis pomis p̄fixa, repente concrepuerūt, atque folijs q̄ introrsum complexa fuerant dißilie̅tibus, bos, leo, et maurus, fidei, pacis & concordiæ inscriptione, medijs velut lilijs: magno plausu & clamore extiterunt: fuitque corollarium illud eorum, quæ postea secuta sunt. Nam tantisper dum bellaria inferuntur, orchestra nonnihil in se caueam reuocauit, centum & amplius florenti ætate ministri ex omni iuuentute lecti, ex saccharo & auro sigilla longo ordine circumtulerunt, & in his signa & imagines sociorum principum: naues cum toto remigio, pistrices, Syrenas, Tritones atque omnifariam pelagi monstra: inerant & elephantes, cameli, leones, vrsi, tygres, pardi, aquilæ, vultures, struthiocameli, pauones, & mille volucrū genera. Quicquid præterea æstas, quicquid felix habet autumnus, opificum manus naturæ rerum æmulæ, affabre ex eadem materia effinxerāt. Quorum pars maxima ad longiorem moram auerruncandam à populo direpta est. Tumultuabantur adhuc cunei recenti rapina, quum maior quam vllus antea tubarum clangor ex comitij vestibulo redditus, aures & oculos omnium in se vertit. Tum postremus ille scenicus incredibili spectantium stupore est chorus inuectus; elephāti, hippopotami, ibices, harpyiæ, & aliæ parum notæ animaliū effigies, currus & pegmata in orchestram detulere. vbi demum Meleagri amor ac pene totum Calydonis schema, magna scenicorum arte, maiore spectantium voluptate repræsentatum est, in quo tum finis fuit.*

TRIVMPHALIS POMPA DVCTA VENEtijs anno cIↄ. cccc. xl. fœdere ab eius reip. Senatu icto cum plerisq; Regibus Christiani nominis.

XXI.

*FOEderibus percußis à Venetis cum plerisque Christianis Regibus, tanta perpetuo triduo est in ea ciuitate lætitia perseueratum, vt à prima face ad altam noctem*

*vrbanæ turres sint festis luminibus, multifariamq; lætitijs operatæ. Postremo indicta est supplicatio vniuersæ ciuitati ad Auream ædem, estq; pridie Idus Apr. hoc maximè modo supplicatum. Totum areæ spatium, quod foro, Marcianæq; ædi obiacet, candido panno procerioribus tignis imposito, est ad tempus coopertum. Ex turri maxima, quæ foro imminet nauales exuuiæ circa fastigium pependere, supra Aureæ ædis vestibulum duo in extremis frōtib. publica vexilla, ex auro & purpura præfixa, mediaq; intercapedine circa aureas quadrigas, q̃ in procestrio templi alacri statu pminent: signa pleraq; publica ex eadem materia, sed ijs data, qui maris imperio aliquando pfuerunt. Longißimam columnarum seriem vestibulo impositam aureus texit pannus ab epistylijs ad bases, nec ædes aureo fano circumiectæ consueto in eiusmodi spectaculis ornatu caruerunt. Cōpleuit frequens multitudo patentem aream, ac quicqd vacui soli vsque ad Geminiani fanum & geminas columnas longe lateq; templo piacet. Nam pleriq; mortales Patauio & ex finitimis vrbib. huc spectandi studio confluxere. Est .n. hæc ciuitas studiosißima pietatis cultrix, habetq; collegia tot fere numero, quot sunt opificum ordines. Sed quinq; omnium celebritate & opib. pstantißima, horum publicæ Charitatis primū omnium pompam intulit:* L. *aurea candelabra cum cæreis ex rubenti cæra ordinem pcessere: mox auricomi pueri versicolorib. alis, purpureo succincti amictu, eoq; aureo circa imum fimbriato Hi aureas phialas manib. habentes, illi thyrsos in Amaltheæ cornu speciem inflexos. Lyricines horum vestigijs hærebant, et q hymnos suauiter canerent. Illata inde pegmata duo; quorum vno Noe, quem Ianum postea Italia nuncupauit, & Dauid rex æquata fronte eodem locati erant throno: purpureo hic, ille cæruleo pallio amictus: hic plectrum tenens, ille arcam qua fuit in cataclysmo seruatus: haud dubio diuinarum, humanarumq; rerum argumēto. Et in horum conspectu Abigail camelum quadrupedem trahens triticea spica, omnifariamq; delicijs onustum. Erantq; in pegmatibus ipsis velut modulati qdā gressus, vt cum pcedenti choro pari motu pcederent. Maius in altero fuit schema: Italia virginali habitu, cæterum venerabili specie, aureaq; palla fulgens et vexillifero sistro hinc subnixa, inde læua ciconiam auem tenens, manifestarium cōcordiæ votum. Dextrum illi Venetæ vrbis simulachrum, læua parte Liguria, tam hæc q̃ illa aureis comis, aureaq; palla insignis. Hæc anguem, illa aligerum leonem aureo scuto fouens. Mox à tergo eminentiore throno tres pari habitu virgines Alexandri Ro. Pontif. Maximiliani Imp. & Hispaniæ regum signa p se ferentes. Nec multum hinc diuersus alter fidicinum chorus secutus, inde ordo ingens ad sexcentum rasis vestib. amicti: totidem vero numero sunt singulis collegijs adscripti, multo plures adhuc futuri nisi cautum esset*

Collegia quinq; Venetiis præcipua. i. Charitatis Collegiu.

*lege,*

*lege, ne maior adhiberetur numerus. Singulis suus erat rubeus cæreus, est enim collegij huius peculiaris rubentis cæræ color; vt Misericordiæ quæ proxime sequebatur, viridis, pegmatib. duntaxat ademptis, cætera nihilo inferiore apparatu. Cōcentus, & genij plures virenti palla, alijsq; cærulèis sociorum principum insignia ferentes topiarijs operib. inserta sunt. Habuit & Rocchianum collegium plura relatu digna, & in his terræ globum socialib. signis circunquaq; figuratum. Sed Marciani multo luculentior fuit pompa, vtpote quinis pegmatib. inuecta, quorum singula fœderatorum regum, principumq; suas habuere effigies, & cum his ministros, signaq; in auro affabre cælata. Nec Zebedæis, qui omnium nouissime in apertum processerunt, suus defuit apparatus. Maior inde religio oculis admota; Gymnopodes primi longo ordine preces supplicarunt, mox & Minoritani, & ipsi ex Asisiatis Francisci familia. Hi quoq; virtutum præ se tulerunt simulachra quædam, cum fœderatorum insignib puerorum choro in alatos genios transfigurato. Hoc Heremitani, hoc Carmelitæ, aliæq; multæ religionum sectæ, quarum tantus est hic numerus, vt nullus sit in terris tam vetus aut recens initiatorum ordo, qui nō hodie in ea vrbe censeatur. Mitto quinq; et sexaginta vrbani cleri collegia, quæ totidem templis sub plebano antistite diuinis operantur. Mitto vasa sacra & prophana, preciosam vestem, vmbellas & alia sacrorum ornamenta longo ordine prolata: quæ si per partes sint explicanda, voluminis magnitudinē implebunt, nec omnia tamen fuero complexus. Hoc itaq; apparatu à tertia diei hora ad meridiem est ad Auream ædem supplicatum, traductaq; longissimo ordine est huiusmodi pompa ante Principis, et legatorū, qui ex omni Christiano fere nomine aderant, totiusq; senatus oculos, qui cum ad multū diei templo egressi essent, Augustinus Princeps cum legatis & magna parte patrum eo, quo cæteri ordines solenni circumactu ad templum reuersi, ad aram maximam, ad quam Ro. Pont. per diem adeuntib. plenam concessit veniam, solenni more supplicarunt. Princepsq; & senatorū pars nō parua in auro conspecta est, cætera multitudo purpura & cocco vsa, & hæc interdiu. Nox quæ spectaculum proxime secuta est, luminib. alijsq; publicæ lætitiæ signis maiore ex parte exacta adeo est, vt alto etiam iam sole, sonitus & clamor ex turribus adhuc aures circumsonaret.*

II. Misericordiæ collegium.

III. Rocchianū collegium.

IV. Marcianū collegium.

V. Zebedæorū collegium.

## TRIVMPHALIS CONGRESSVS VLADISLAI REGIS Vngariæ & Boemiæ, & Alberti Regis Poloniæ, &c. Leuchouiæ, anno cIↃ.cccc.xciii. XXII.



*Condicto à Rege Vladislao die, episcopi ferè omnes, Vngarici & Petrus Colociensis archiepiscopus, regniq; proceres certatim egregio omnes in speciem cultu instructi affuerunt: ex pōtificum autem*

*autem ordine, Thomas Agriensis maxime conspicuus erat, quod cum præstantissimo cataphractorum equitatu, & cum magno puerorum comitatu accesserat, quos vnionibus gemmatisq; torquibus et pallijs aureis mirabilem in modum excultos, equis eximie frenatis, ac phaleratis imposuerat. Itaque longo cum rege ordine aduentanti Alberto vrbe obuiam egressi, cum lento gradu ad quintum vsq; lapidem processissent, rex ex opposito monte descendentem conspicatus Albertum, proceribus ibi substitere iussis, ipse cum duodecim equitibus citatiore præ nimia lætitia gradu prouectus est: &, quoniam quadrato Polonis agmine præcedentibus, Albertum cum fratribus in medio ante nouissimum agmen incedere vidit: ipse per transuersum tramitem properans, a latere se in eorum ex improuiso conspectum dedit; ibi comiter salute vltro citroq; dicta, omnes ex equis subito descendentes, mutuis se amplexibus implicantes, osculis aliquantisper hæserunt. Reges autem verba facere cupientes, suaui quodam fletu ex nimia gratulatione, interioribus scilicet inusitato gaudio sensibus occupatis, impeaiuntur: cum magno interim plausu milites cum regibus animorum gratulatione certantes, has sæpe voces ingeminarunt: Faustæ Poloniæ Dominis feliciter, Vladislao & Alberto Regibus feliciter, Sacrosancto Cardinali Friderico, Alexandro, & Sigismundo feliciter: Hungaris, Poloniæ, Boemiæque feliciter: æterna pax, & concordia hæc tria Regna tueatur, & societas inuiolata permaneat. Resipiscentibus inde aliquantulum ex concepta animi voluptate sensibus, ac sæpe redintegratis amplexibus, & initio colloquendi facto, reges equos ascenderunt, & ad eum locum vbi Vladislaus Hungarorum principes subsidere iusserat, processerunt. Illis ex equis subito, vt Albertum fratresq; venerarentur, digredientibus, Vladislaus ad Albertum conuersus. Ecce, inquit, fratres, nostri vestriq; Vngari; nec mora, Albertus fratresq; de equis se deijcientes, manus venerantibus Vngaris pontificibus & proceribus porrigunt, & maxima omnes comitate excipiunt, inde in equos resilientes, duo reges, duoque exercitus, qui durissimo inter se paullo ante bello armati conflixerant, iunctis mixtisque mire concordes agminibus, togatus vnus, sagatus alter, gratulantibus cunctis, omnibusq; locis vocum, tubarum, æneorumque tintinabulorum sonitu ad publicam significandam lætitiam perstrepentibus, Leuchouiam peruenerunt, ibi Vladislaus Alberto fratribusq; in hospitium, quod eis erat in foro paratum, perductis, ipse in alterum è regione recessit, ac deinde sua cuiq; principi assignauit. Alberti fratrumque hospitia continuatis ædibus ita disposita fuerunt, vt perforatis parietib. facile inter se conuenire, & ignaris omnibus ad arbitrium colloqui possent. Conuentu inito, quinq; viri ab vtraque parte ad componendas dis-*

*cordias*

*cordias inter Vngaros & Polonos, ex superiore bello natas, creati sunt. Huic rei expediendæ magna obijciebatur difficultas, quod absente Palatino, cuius vniuersa erat iurisdictio, nihil omnino decerni aut transigi poterat; ille vero adesse, sine diplomate fidei ab Alberto fratribusque datæ nolebat. Albertus autem de diplomate rogatus, cum respondisset: maiores suos nunquam nisi verbo incolumitatem alteri præstitisse, neque se ab eorum exemplo tradito velle discedere: tandem Vladislai & optimatum precibus exoratus, dixit: Quidquid ab Vladislao fratre vltro Palatino de vitæ incolumitate promissum esset, id se fratresque suos, cum Polonis omnibus, fide integerrima seruaturos. Ita Palatinus primum à Rege, de præstita securitatis fide literis acceptis: & deinde ab Agriensi episcopo, homine sibi coniunctissimo & viro summa auctoritate prædito, & tunc moderatore rerum omnium, Symbolo incolumitatis accepto, cum maximo grauis & leuis armaturæ equitatus comitatu, Leuchouiam, occursu omnium Principum Vngarorum exceptus, accessit, ac maximam cōmeatus omnis generis copiam post se aduexit. Quæ in foro longo ordine exposita, cum omnium aliquantulum ora aspectantium defixisset, subito ad arbitrium regis hospitibus Polonis est distributa, & postero die ab Vladislao ad Albertum deductus, mirificam eius erga se facilitatem, incredibilemque humanitatem expertus est. Inde cognoscendis iudicandisque controuersiis opera dari cœpta, Regibus alia ad Quinquevirum iudicium reijcientib. alia suo arbitrio reseruantibus. Quinqueviris autem sæpe sententiarum inter se contentione certantibus, placitum est, vt res omnes ad regum, cardinalis Agriensis, Episcōpi, Palatinique iudicium deferrentur. Reges interea sæpe horas quinq; integras soli, remotis arbitris omnibus, adeo secretò inter se collocuti sunt, vt nemo quid tacita eorum colloquia coquerent, perspicere, nisi coniectura posset. De concordia tamen, & mutuis auxiliis, quibus ambo regna sua deletis inimicorum opibus confirmarent, sermones contulisse, vulgo creditum est. Brandeburgensem certe Ducem, qui sororem eorum in matrimonio habebat, nō eos solum ad pacem & concordiam hortatum esse: sed palam se ei inimicum futurum denunciasse constat, per quem stetisset, ne inita concordia æterna esset. Hinc publicæ hilaritatis caussa, magnifica multa conuiuia apparata, insignesque ludi editi: in quibus etiam statutum fuit, vt Ungari & Boemi cum Polonis, infestis contra se hastilibus, in veræ pugnæ speciem concurrerent, ex quibus nobilissimi Ungari aliquot, qui se strenue gesserant (vt Georgius Bathoreus, & Gabriel Perenij filius) magnifica a Rege præmia retulerunt. Memorabile illud, cum se Polonorum & Vngarorum Principum quisque gemmis certatim & margaritis, ad inanem diuitiarum ostentationem ornaret, ac Po-*

lonus quidam se totum preciosissimis aliquando vnionibus onerasset: Palatinus qui per eos dies nullum gestamen vnquam tulit, quod non minimum tribus nummûm aureûm millibus censeretur, quasi à Polono prouocatus, è vestigio lapidem adeo preciosum exposuit, vt ad primum eius aspectum Polonus se victum confessus, gemmatam illam vestem, qua se oculos Vngarorum perstricturum esse putarat, exuerit: His rebus confectis, Fridericus cardinalis regum fratrum rogatu, sacris magna pompa cærimoniaque patratis, Deum pro vtriusque regni, & regum populorumq; amborum incolumitate orauit. Quo spectaculo nullum aliud nobilius augustiusque esse potuit, vel si sacerdotem operantem intuereris, regium iuuenem omnibus & corporis & animi muneribus, quæ à natura conferri possunt, longe cæteros excellentem: vel si sacri ipsius rationem spectares, in quo duobus maximis assistentibus regibus, duobusque præstantissimis audientibus populis, vota publicè pro vtrorumque concordia sanctissima nuncupata sunt. Cum autem per mensem ferme ibi fuissent, multæque res causam conuentui dirimendo afferrent: tum Vladislaus fratres omnes in secretum adductos, in hunc modum est alloquutus: Si meo mihi arbitrio, charissimi fratres, vitam hanc ducere liceret, nihil equidem iucundius statuerem, quam vobiscum in eadem domo, atque apud eosdem Penates diu familiarissimè viuere: sed quoniam res ita tulit, vt ad regendos gubernandosque populos longis terrarum spacijs dissitos vocati distraheremur, prouinciæ suæ quisque præesse, non ex nostra, sed ex Dei iudicio & voluntate debemus. Equidem paucorum horum dierum, quos vna fuimus, voluptatem verè possum cum diuina illa beatorum conditione conferre: quippe qui adolescens ad Boemiæ Regnum euocatus, & magnis difficultatibus iactatus, à vestro parentumque dulcissimo conspectu semper abfuerim: quorum dierum breuem fructum quoniam sæpius vobis præsentibus vsurpare non licet, Reliquum est vt incommodam absentiæ nostræ iacturam quotidiana fraternæ charitatis memoria sarciamus: & quoad opes nostræ ferent, mutuis Imperia ac Regna nostra auxilijs tueamur, quibus diuino munere a septentrionali Oceano vsque ad mare Adriaticum imperamus. Hinc cum alia præcipue ad Albertum conuersus, de matre fratribusque piè fouendis addidisset, finem dicendi fecit. Ad hæc Albertus, cum alacri animo se nullo vnquam erga illum officio defuturum & maiestatem eius omnib. viribus defensurum, cæteraque quæ præsentis suppeditabat sermonis occasio, respondisset: amicè & liberaliter a Vladislao donis excultus dimissusq; est. Dona vero fuere gemmata pocula decem inusitatæ magnitudinis, & mirifici operis: & præter purpureas aureasq; vestes equi de-

*equi decem eximiæ pulchritudinis, ac celeritatis. frenis, phalerisq́ aureis, & gemmatis ephippijs exornati: octoq́ alij, quos cardinali: & ſex, quos Sigiſmundo: totidem, quos Brandeburgenſi, vna cum magnificis multis veſtibus impertiuit. Quibus rebus ex ordine adminiſtratis, rex abeuntes omnes eodem quo exceperat, comitatus cultu (ad quatuordecim equitum millia fuiſſe dicuntur) ad tertium vſq; lapidem proſequutus dimiſit: Nicolao Bauffio, qui eos officij gratia ad veſpertinum hoſpitium deduceret, cum ſexcentis equitibus miſſo.*

## TRIVMPHALIS INGRESSVS FRANCISCI Ximenij Archiepiſcopi Toletani, Toleti. XXIII.

*COmmeatu a Regina accepto, Archiepiſcopus Complutum venit, & paucos poſt dies Toletum de nocte accedere inſtituerat, faſtidiens omnino apparatum illum, atq; faſtum, quo noui Antiſtites primo aduentu vrbem inuehi conſueuerunt. At cum id ciuitati vehementer ingratum eſſe intellexiſſet, eorum votis obſecutus eſt. Sed quo magis ille humanam gloriam fugitabat, hoc illa perſeuerantius ſolidam eius virtutem ſequebatur. Neminem Toletanorum præſulum tanta frequentia, tanto ciuium ſtudio & applauſu exceptum eſſe comperimus. Eſt quidem illa ciuitas Pontificum ſuorum obſeruantiſſima, quos haud ſecus ac numen quoddam cœlitus demiſſum ſolet venerari: ſed communibus Archiepiſcopos colendi cauſis peculiares quaſdam in Ximenio eſſe fama vulgauerat, quæ hominum ſtudia mirum in modum excitarunt, ad eius vultum & totius corporis habitum propius contemplandum. Ergo vbi dies aduentus eius adfuit, cunctus populus, omnis ætas, ſexus, atque ordo, vt eſt vrbs frequentiſſima, per portas ſe effundens, campos omnes qua venturus exſpectabatur, late compleuit. Vbi vero ad primum ab vrbe lapidem Archiepiſcopus appropinquare nunciatur, ornatiſſimus maximi templi clerus, duplici agminis ſerie obuiam proceſſit. Mulæ erant nitidæ & inſignes, quibus ſinguli de more ſacerdotum Hiſpanorum ſedebant. Præcedebant autem vnumquemque ſui anteambulones purpura fulgentes. Subſtitit Ximenius media via, quem omnes venerabundi ſalutarunt, & deoſculatis manibus omnia illi bona precabantur. Paulo deinde vlterius procedenti præfectus vrbis cum omnibus imperij ſui ſatellitibus, & clariſſimus decurionum ordo, cum primarijs ciuitatis, quos viatores & accenſi præibant, occurrunt; ſubſiſtentique rurſus ſinguli prætervecti felicem aduentum optabant, honorificis verbis*

Hunc & ſequentem triumphalem apparatum libuit huc reijcere, quod cũ non ſatis ſcirem quo anno illi facti ſint, conſtaret tamẽ hæc accidiſſe eo ſæculo quod iã concluſimus.

*appellantes. Historicus autem Hispanus Fernandus Pulgarus homo incorruptæ fidei, & sua lingua satis eloquens, cuius historiam Antonius Nebrissensis Latinam fecit, scriptum reliquit, fuisse solenne, vt in primo pontificis Toletani in vrbem aduentu, præfectus vrbis cum suis administris, & ipsi etiam decuriones vrbani post salutatum extra vrbem Antistitem, cum ad portam vrbis ventum esset, dimissis equis pedibus irent, equitantem Archiepiscopum comitantes vsque ad templum maximum: sed huiusmodi honore Petrum Gonzaluum Mendozium Cardinalem Archiepiscopum Toletanum, in gratiam Isabellæ reginæ, in cuius comitatu vrbem primum ingressus est, sponte abstinuisse. Verum siue hoc eo tempore in Gonzalui adulationem primo sit tentatum, siue re vera hoc officij genus Toletanis olim Pontificibus (qua erant maiores nostri religione) delatum fuerit, seculo certe nostro compertum est obsoleuisse. Ad portam igitur vrbis cum venisset Ximenius, tam conferta multitudo aditum obstruxerat, vt nonnulli de vita fuerint periclitati. Jam vero postquam vrbem est ingressus, omnes fenestras fœminæ puerique occupauerant: summa tectorum culmina insidentium mortalium pondere laborabant: loca altiora omnia suspensis hominum vestigijs tenebantur. Tam densa denique vias turba compleuerat, vt vix summa satellitum apparitorumque contentione angustus trames procedentibus aperiretur. Sic tandem ad augustissimi templi vestibulum, amplissimo ornatum apparatu, præcipitante diei vespera peruentum est: ibi à sacerdotibus, qui venienti obuiam processerant, sacro amictu velatis excipitur. Et post adoratam more maiorum sacrosanctæ crucis pretiosissimam particulam, quam iam olim ecclesia Toletana dono regum in thesauris asseruat, pro foribus astanti liber oblatus est, in quo ecclesiæ Toletanæ instituta, legesque continentur: quas ille ratas se habiturum conceptis verbis pollicitus, in illas de more iurauit. Jnde in templi adyta religioso sacerdotum concentu inductus, post habitam supplicationem ad aram maximam, in pontificale palatium, quod in proximo est, deducitur.*

## TRIVMPHVS EIVSDEM XIMENII ARCHIepiscopi Toletani de Mauris Africanis Compluti ductus. XXIIII.



*Omplutum profecto Ximenio, tam ciues, quam literarum ordines, obuiam perrexerunt, qui lætis salutationibus incolumem reditum & felicem victoriam gratularentur. Præcedebant autem Antistitem captiui Mauri, & cameli auro argentoque ex præda*

*prædа Africana onustæ. Volumina etiam Arabicis characteribus conscripta, ad astrologiam & medicinam spectantia, vt suam bibliothecam exornaret. Alcazauæ, portarumq; vrbis repagula, & claues, candelabra, & pelues mesquitarum, quibus Mauri ad suas lotiones vtuntur, & Arabici litui, quos annafilos vocamus. Multa ex his in tholo templi diuo Ildephonso dicati suspensa fuerunt, quæ adhuc Compluti magno studio visuntur. Nonnulla etiam Talabricam missa sunt, præsertim cuiusdam Oranensis portæ claues, quæ adhuc Talabricensis vocatur, quoniam à Bernardino Menesio Talabricensium duce capta fuit, & in sacello Deiparæ virginis quod extra oppidum est, vexillo rubro iuxta pendente, quod lunam cæruleam (vt Mauri solent) insigne habet, asseruari aiunt. Res erat sane applausu & specie triumpho par: quam cum celebrare Complutenses vellent, murorum partem diruerunt, quà Ximenius in oppidum reciperetur. Tamen modestiæ suæ memor, nullo pacto illac ingredi voluit, quanquam Complutensibus nimis deprecantibus. Compluti aliquot menses valetudinis restituendæ causa, commoratus est: nam Toletum, quo religionis ergo venire cupiebat, ire noluit, ne immodicis honoribus quos parari nouerat, oneraretur: & vt salutationes regulorum euitaret, qui ad eam vrbem, simulatque Ximenius aduentasset, venturi credebantur. Hac etiam de causa Pintiam, vbi Rex aderat, venire recusauit. Homo enim ad res serias & grauitatem factus, huiusmodi officijs, quæ ille inepta vocabat, nimis grauari se dicebat.*

## TRIVMPHALIS CONGRESSVS CLEMENTIS VII. Pont. Max. & Caroli V. Imp. augustiss. & inuictissimi Bononiæ anno cIↃ. IↃ. XXIX.

## XXV.

*Sub finem anni* cIↃ. IↃ. XXIX. *Cæsar Bononiam venit, quo iam paulo ante Kalend. Nouembres Clemens peruenerat. Ex itinere autem susceptus est apud Regium Lepidi, Mutinamque magnificentissimo Alfonsi Atestini Ferrariensis Principis apparatu. Excipitur ergo triumphali pompa summis honoribus, incredibili omnium lætitia, ipse paludatus, & militaribus armis vna dempta galea vndique protectus, albo insigni equo, regio sumptu phalerato, a Mutinensi porta in forum prouehitur. Præcesserant quaterna vexilla, cum leuis, tum grauis armaturæ Belgarum equitum, sagulis, cristis, & colorum varietate ita inter se distinctis*

*turmis, vt quorum ducum essent, ab ipso insignium & vestitus argumento facile nosceretur. Successit inde peditatus toties victor, non tam opimis hostium spolijs exornatus, quam armorum fulgore ac aspectus feritate terribilis, ad trucem tympanorum sonitum, & graues tibiarum modulos, gradu superbè composito, sub signis introductus. Quadratam vmbellam auro purpuraque distinctam gymnasiarchæ, & celeberrimi bonarum artium professores in togis sericis præferebant. Latus Cæsaris à decora Bononiensium iuuentute, non custodiæ, sed honoris causa cingebatur, quibus Prætor vrbanus, decuriones cum vexillifero, & ex Quadragintavirali magistratu, primoribusque patricijs splendidissimi succedebant. Constitit in medio foro Antonius Leua æger pedibus, sed viuacibus oculis pugnacissimi ducis habitum præ se ferens, qui vt magis ob recentem bellicæ constantiæ & rerum gestarum gloriam, omnium oculis offerretur, in sublimi sella gestabatur, hinc veterana germanorum legione, illinc Hispanorum cohortibus, ita prædensa acie directis; aut obuersis; & tormentis in fronte sic collocatis, vt exercitus concursurus esse videretur. Erant iuxta Cæsarem illustres reguli, auro in lacinijs vel solido bracteato, vel acu pingente inducto, vel ad luxuriem conciso, itemque exquisitis armorum & equorum ornamentis maxime superbi. Secundum eos prælata est Romana Aquila aureo in vexillo picta, ac item candidum aliud vexillum purpurea cruce distinctum, sub quibus totius aulæ familia ex flore gentium omnium delecta & nobilissimi Hispaniæ sacrati religione equites Cæsaris vestigia sequebantur. Prætorianus miles custodiæ corporis assuetus, diuersis sub signis Hispanus, Belga, Germanus, in croceis sagis agmen extremum clausit, & quicquid in foro spatij reliquum fuerat, occupauit. Erat autem erectus in Petroniani templi vestibulo peramplus ligneus suggestus, peristromatis, & aulæis ad loci dignitatem vndique protectus, in quo Cardinales & Episcopi, cæterique minores sacerdotes purpurati, suo quisque ordine consederant. In medio autem præalta in sede mitratus Pontifex Cæsarem expectabat. Ille itaque nobilioribus tantum Regulis, Principumque legatis sibi ascitis, equo descendit, quem subeuntem per gradus Cardinales duo deduxere. Tum vero vt prodijt, omnium oculi in duos longe maximos terrarum orbis dominos sunt coniecti. Explorabat enim quisque valde suspensus & tacitus, propter memoriam veteris dissensionis & recentis amicitiæ, an ora ipsa interiores sensus nunquam ex toto fallentia, subitis illis affectionum & nutantis animæ momentis obedirent. Erat vultus Cæsaris in gestu militari & graui, blanda quadam lenitate, verecundiaq; perfusus. Clemẽtis vero facies ita subito ad eius occursum exhilarata*

*hilarata est, vt vel ob id maxime lætari crederes, quod illum multo humaniorem & augustiorem quã putarat, esse conspiceret. Varia siquidẽ ex Hispanijs, et falsa quidẽ, de Cæsare pleriq; maligne retulerant, & multi etiam vltro trepidis animis, propter acceptas tot inusitatas clades, sibi illum fingebant, vti alterum Ariouistum, aliquo scilicet vultu Cimbrico, & feritate Gothica metuẽdum, ac suis deniq; militibus, ferocia & spiritus immanitate persimilem, qui de victis & stratis tot hostium exercitibus, tot vrbibus direptis, euastatisq́; prouincijs, diuina ac humana omnia dira confusione miscuissent. Sed iam fuerat exceptus Genuæ, Placentiæ cognitus, Parmæ; demum, Regij, & Mutinæ, cum summa omnis generis hominum gratulatione salutatus, vtpote qui paßim humanitatis, abstinentiæ, pietatis, atq; iustitiæ monumenta, absq; vllo vel superbiæ, vel crudelitatis, vel libidinis vestigio reliquisset. Enimuero, quo nihil est in rege popularius & gratius, aditum cunctis, atq; aures summa benignitate & singulari patiẽtia præbuerat, dederatq́; obiter responsa spei, æquitatisq; plenißima, quæ præpositis postulatorum sigillatim rectißime responderent. Illam vero militũ licentiam diuturna impunitate cõfirmatam, ijs qui vel oblata rapuerant, vel ante diem arroganter stipendia flagitarant, supplicio protinus affectis, ita represserat, vt illo quod teneret longe maximo omnium imperio dignißimus haberetur. Sed nec eum (quanquam ætate fortunaque florentem) vllæ vnquam vel licitæ voluptates, à perpetuis rerum maximarum consultationibus auocabant, ita vt in eo simul iuuentæ decor eximius ad Martiam laudem emineret, & consilia senili maturitate proprijs non alienis cogitationibus exquisita, elaborata, directaque manerent. Nunquam enim præclarum, nobile et firmum eius ingenium, vel irarũ impetus perturbarat, vel cæca vindictæ libido pupugerat, vel vlla humana mollities, quin recta sentiret, expugnarat. Erat eius vultus, vt hoc quoq; curiosi minime desiderẽt, argenteo & grato quodam pallore dilucidus, oculi cærulei, suaues, nulla acri seueritate formidabiles, & ij quidem ad ingenuũ pudorẽ virilemq́; modestiam instituti. Nasus à medio clementer assurgebat, quod magnitudinis animi signum in Persarum etiam Regibus ab antiquis fuit obseruatum; mentum erat ad exiguam venusti oris iniuriam paulo prominentius, & quod grauitatis speciem addebat, sub crispa & flauenti barba conuestitum: capillum vero fulgore pallentis auri, more Romanorum Cæsarũ circũtonsum ostendebat. Porro statura corporis, vt in ipso ætatis integræ flore, & prosperrima valetudine, nõ ab inerti succo, sed à valido neruorũ nexu longe firmißima; peramplæ item robustæq́; manus ad stringendum ferrum idoneæ; crura autem venustißime extantib. toris, trunci proportione directa, qđtum maxime apparebat, quũ equo veheretur.*

Tanta enim ei inerat cum dignitate equitandi peritia, vt nullus eo armato, atq; equum incitãte & in gyrum reflectente, vel pulchrior, vel auidior, vel in ferẽdo armorũ pondere patientior eques reperiri posse videretur. Cæterum ad Pontificis pedes flexo genu prouolutus, ac mox dextra læti arridentisque Pontificis erectus ad osculum, Hispanica oratione, veni, inquit, sanctissime pater, ad pedes tuos, quod summo voto semper expetiui, vt fessis Christianæ Reipub. rebus communi consilio succurramus: oroq; Deum Opt. Max. qui me huius voti compotem fecit, vt nostris consilijs adsit, atque hic aduentus meus Christianis omnibus sit salutaris. Tum Pontifex, certe hoc ipso congressu, inquit, sicuti Deus immortalis, & sancti cælites certissimi sunt testes, mihi nihil vnquam fuit antiquius, & iam superis gratias ago quod te videam prospere atq; feliciter mari terraq; perductum, resq; eo deductas intuear, vt autore te de concordia omniũ & solenni pace minime desperemus. Obtulit subinde Cæsar auri signati circiter libras decẽ; deductusq; est summa comitate à Pontifice ad templi limen; atque ita digressi Cæsar ad aram maximam supplicaturus superis contendit; Pontifex vero in prætorium cum vniuerso sacerdotum ordine continuo est reuersus. Nec multo post Cæsar & ipse prætorium intrauit, cui paratæ erant summæ ædium partes, ita coniunctæ Pontificijs, vt inter vtriusque cubilia solus intresset paries, aditum præbente portula, vt quum vellent, ignaris omnibus remotisq; arbitris, interdiu noctuq; de summis rerum negocijs familiarissime disputarent. Eo modo sæpe arcana sensuum mutua & syncera animi liberalitate detegendo, ac odiorum origines ad fatalem vim & cõsiliariorum ac ducum insaniam referendo, facile Dijs bene iuuantibus viam inuenere, qua pax egregie componi, & tot malis & funestis incommodis optatus finis imponi posse videretur. Veneti autem per Gasparem Contarenum, diuini ingenij & felicis industriæ legatum, non proferendi imperij, sed tuendæ publicæ omnium libertatis causa, aduersus Cæsarem àrma cepisse testabantur. Proinde eas vrbes, quas in Apulia, Galliaq; Togata possiderent, Cæsari ac Pontifici statim se esse reddituros, adiuturosque pecunia Cæsarem, si ille erga Franciscum Sfortiam clementia & lenitate liberaliter vteretur. & Cæsarem etiam ipse Pontifex ab initio belli fuerat obtestatus, vt Sfortiam deprecantis Italiæ precibus condonaret, vel humani iuris æquitate, si ei falso perfidiæ contumelia fuisset imposita, vel illa præclara clementiæ virtute, qua reges dijs immortalibus æquantur, si in maiestatem aliquid, ingrato infideliq; animo lapsus, admisisset. Addebant dictis fidem vtriusque fortunæ facta pericula, vtque Christianos animos facile perstringit, illa inueterata religionis opinio, simul quia erat quoq; ea promissæ barbæ intempestiua & veneranda canities,

*nities, vt apud Cæsarem cuncta piè & grauiter æstimantem, & carceris, & tot cladium memoriam facile renouaret. Sed tanta erat altitudo iudicij Cæsaris, tanta moderatissima eius animi religio, tantum deniq; pacis & concordiæ studium, vt nihil regali fastigio dignius atq; præstantius existimaret, quam omnia consilia ad verum decus, ad solidam pietatē, & ad animi magnitudinē reuocare, vt arma in Turcas, adeò inter nos impie fœdeq; tractata, verterentur. Itaq; Solymano Turcarum Imperatore, iam à Viennæ Noricæ mœnibus, cum strage ignominiaq; depulso, atque eo Byzantium præcipiti fuga properante, quum nihil hostile inde amplius esset timendum, pacare cuncta cōstituit. Euocatur ergo statim Bononiam Franciscus Sfortia, procumbit ad eius pedes, redditoq; diplomate, quo illum data fide vbiq; terrarum Cæsar saluum & tutum esse iubebat, salutem, imperium, & spes deniq; omnes vni Cæsaris probitati fideiq; committit: quoniam innocentia fretus, omnia se ex illius æquitate humanitateq; sperare prædicabat. Sic Cæsar vbiq; victor & triumphator, supplicem in gratiā recipit, Mediolanensium ducem appellat, & tabulis Augustalibus rite confectis, totum ei paternum regnum adiudicat: neq; amplioris pecuniæ tributum imponit, quam ab initio & ante dissensionem imponendum esse censuisset. Nec multo post Calendis Ianuarijs, solenni adiecta precatione, sacra peraguntur, & ab incredibili hominum frequentia, exoptatum afflictis Italiæ populis insperatæ pacis nomen excipitur. Præsentesq; Clemens pōtifex, & Carolus Cæsar, orantis Romuli Amasæi, viri eloquentißimi voce, Christiani nominis conseruatores, ac optimi maximi Italiæ parētes appellātur. Obortas præ gaudio lachrymas vix continent viri togati, optimi ciues, sanctißimi sacerdotes, legati regum omnium, Galliæ scilicet, Britanniæ, Lusitaniæ, Scotiæ, Pannoniæ, Sarmatiæ, Daciæ, Veneti senatus, ac itē Allobrogis, Ferrariensis, Mantani Vrbinatisq; regulorum, ac liberarum etiam ciuitatum, Genuensium, Senensium, & Lucensium, cunctiq; demum proceres & Principes, ipseq; ante alios Franciscus Sfortia, honoris causa, sessum inter postremos Cardinales receptus. Ea enim dies tranquillitati initium, & ærumnis finem allatura videbatur. Soli mortalium veterani, quibus natura odiosum pacis nomen esse consueuit, moleste & insolenter hoc ferre, & ob clarißimum Cæsaris factum vehementer dolere, ac inuidia commoueri, quod perpetua belli commoda, & victoriarū præmia, eo importuno pacis nomine pderentur. Summa tamen Cæsaris æquitate & liberalitate, ex agro Insubrum, assentiente Sfortia, præmia sunt decreta Antonio Leuæ, ac Alfonso Daualo Vastio, minoribusq; ducibus, qui eo bello fortißimam operam nauassent. Interea Cæsaris vxor Isabella puerū peperit, cui propter aui materni memoriam, Ferdinādi nomen impositum. Eius nuncij*

*lætitiam celebrauere insignes Hispaniæ reguli, magnificentißimo apparatu, arteque mirabili, ad equestris pugnæ simulachrum, & Maurorum iaculatorum cultu, inscuta paßim coniectis arundinibus decurrentes: quum hinc Osorius Astorgius, illinc Pacecus & Astalonius, ornatißimi Duces singulas turmas spectante Cæsare in forum pugnaturas induxissent. Concurrere etiam quatriduo Itali, Belgæ, Hispanique equites cataphracti, insignibus amatorijs & militaribus ornamentis valde conspicui: panno aureo, ac altero item purpureo, à senatu Bononiensi ad virtutis præmium, & in honorem Cæsaris, hilari benignitate proposito: tulitq; præmium Attamirus ex vlteriore Hispania regulus, quod plures quam quisquam alius hastas, in aduersis concurrentium pectoribus infregisset.*

TRIVMPHALIS CONGRESSVS CLEMENTIS VII. Pontif. Max. & Francisci Regis Galliarum anno cIↃ. IↃ. XXXIII. Maßiliæ.

XXVI.

*MEnse Octobri ex turri Taxiana & Speculatoria conspicitur classis qua papa nauigabat: vnde signo dato myoparones & celoces magno numero obuiam illi prodeũt, quibus multi nobiles cum tubis & lituis vehebantur. Quum portũ ingrederetur, à turre speculatoria, Ioannea et cœnobio Victoriano, multisq; alijs editioribus locis strepitu amplius trecentarum maiorum machinarum salutatur, quib. reciproco boatu à triremib. reddito totus portus & loca finitima incendio corripi videbantur. His rebus confectis è naui ad Victorianã ædem versus (ea est è regione vrbis portu interposito) ad palatium Mommorencij descendit: quem locum ille parauerat quo eum exciperet, donec ciuitatem cum splendore ingrederetur. Idem Mommorencius (huic enim Rex omnem de excipiendo papa curam commiserat) duo in ciuitate ornanda palatia, vnum papæ alterum Regi curauerat. Inter illa vicus intererat, in quo amplißimam aulam ligneam extrui iusserat, qua iter ad vtrunq; palatium esset: quæ tanta etiam magnitudine erat, vt tum Cardinalium consistorium capere posset, tum illic etiam papa cum Rege congredi. Hæc omnia paßis maximi pretij aulæis ornata erãt. Papa ad illud palatium, quod ei trans portum paratum esse diximus, deducto, domum se quisq; in posterum diem recipit, quo se vt vrbem ingrederetur parauit. Ingressus illi summo splendore & magnificẽtißimo apparatu instruitur. Ipse cathedra sedens, humeris duorũ baiulorum ornatu Pontificali insignis gestatur, nisi quod capiti tiara deest, anteambulonẽ habet equũ Alurconem albũ, cuius tergo impositũ qescit sacramẽtum altaris: equum duo*

*duo pedites decentissimo ornatu habenis candidis sericis ducunt. Sequuntur cardinales celeberrimis vestibus, mulis pontificalib. inuehentes: tum Ducissa Vrbini separatim splendidissime sese inferens, quam Nobiles tum viri tum mulieres tum è Gallia tum ex Italia comitantur. Ea subsequenti populi frequentia stipatus papa ad locum vbi commoraretur paratum peruenit: tum omnes domum redeunt. Tanti splendoris pompa absque vllo tumultu aut turba administrata est. Dum vrbem ingreditur, Rex interim myoparone ad eum locum vnde papa discesserat, nauigat; vt inde postridie profectus clientelæ papalis officium supplex humi ad pedes stratus, vtpote Rex Christianissimus, præstaret: Multo ante conuenerat, vt quum Rex papam adorabundus & demissus salutaret, Gulielmus Poyetus qui tum curiæ Parisiensis primus Præses erat, postea Cancellariatum gessit, apud illum orationem haberet. Is omnes suæ ætatis Oratores facile eloquentia superabat, & linguam Gallicam omnium optime callebat ille quidem, Latinæ credo, non valde peritus fuit. Quam ob causam orationem suam iampridem à doctissimis Galliæ hominibus conscriptam, diligentissimè edidicerat: verum contra accidit ac putabat. Nam ceremoniarum Antistes Regem mane è lecto surgentem monet quibus de rebus Papa orationem haberi cuperet, ne aliorum Principum animi offenderentur. Argumentum ab illo dictatum omnino aliud erat ab eo quod Poyetus meditatus fuerat. Itaque inopinato casu se oppressum videns, Regem orat vt hoc munus alius obiret, Episcopi cuiusdam prouinciam esse, quum de concordia & pace Ecclesiæ agi oporteret. Hanc verbo causam afferebat, re significabat sibi tempus non suppetere, vt orationis argumentum & seriem mutaret. Quæ quum ita essent, negotium Joanni Bellaio Parisiensi Episcopo committitur, qui licet repente res obtruderetur, sic tamen pro temporis breuitate se gessit, vt & nostratibus & exteris satis faceret. Rex paratus venit ad Papæ palatium, Principibus consanguineis comitatus, duce Vindocino, Comite Sampaulio, Mompenserio & Rupesurionio, duce Nemorensi, ducis Sabaudi fratre, qui illic diem obijt, duce Albaniæ, & plerisque comitibus, baronibus, alijsq; nobilibus, ex quibus Momorencius præfectus prætorio ab illius latere nunquam discedebat. Rex in palatium quum venisset, summa humanitate à Papa & cardinalibus consistorio coacto excipitur: se quisq; postea ad locum designatum recipit. Rex cum nonnullos alios cardinales secum abducit, quos regie acciperet, tum Medicem ipsum Papæ nepotem, virum dignitate & Comitum frequentia clarissimum. Postero die qui vtrinque delecti fuerant, conueniunt, vt de ijs agerent quorum causa*

*ongressus erat institutus. Principio quum de fidei negotio tractandum esset, quoniam res nondum eo deductæ erant, ut concilium cogeretur, diploma interim conficitur quo hæreses in regno Galliæ suborientes sisterentur, ne rerum maior perturbatio consequeretur. Matrimonium ducis Aurelij alterius Regis filij & Catharinæ Mediceæ Urbini ducissæ papæ neptis transigitur. Nuptiæ amplissimæ & magnificentissima pompa celebrantur, papa ipso nuptialia verba nuncupante. Postea coacto consistorio quatuor in Regis gratiā creantur Cardinales: Cardinalis Venator, antea Lexouiensis Episcopus, summus Regiæ stipis erogator: Cardinalis Bononiensis ex Cubicularia familia, Ducis Albaniæ frater uterinus: Cardinalis Castellioneus e gente Collinia, Mommorencij e sorore nepos, mareschallii Castellionei filius: & Cardinalis Giuerius Amiraliæ Brioniæ patruus. Missa Papalis celebratur, in cuius exitu Papa Christianam gentem totam vbicunq; orbe vniuerso sparsa est, faustis ominibus prosequitur, & peccatorum veniam eandem largitur quam solet die Iouis septimanæ sanctæ, quæ scilicet Paschalia proximè antecedit.*

## TRIVMPHALIS PROFECTIO CONTRA Tunetanos Augustissimi & Inuictissimi Imp. Caroli V. anno clɔ.Iɔ.xxxv.

## XXVII.

*DVm omnes in hoc sunt, vt imperata faciant, Andreas Auria ex Genua cum classe viginti nauium longarum rebus omnibus nauali prœlio accomodis & necessariis instructissimè apparatarum, Barcinonem peruenit: inter quas vna erat quadriremis & mole corporis & architectura præter cæteras insignis, nunquam antea mare experta, vt puta ipsi Imperatori vehendo destinata, & in hoc recens fabricata: qua ne ipse quidem Neptunus (de eius generis nauibus loquor) neque operosius magisque affabre ædificatam, neque instructius adornatam, oculis suis quamlibet tamen nitide ablutis, in regno suo vidit vnquam. Cuius quadriremis aplustria omnia vexillis Cæsareæ Maiestatis insignibus summo artificio effigiatis, decorata fuerunt. In puppi vero duo signa magnitudine & amplitudine eximia: alterum intersignio Iesu Christi crucifixi: alterum ingenti Aquila, aliisq; Imperatoriæ Maiestatis insignibus graphice expressa atq; depicta, vento huc illuc agitata, coruscabant. Ex omnibus vero nauigiis, ij qui machinis & tormentis bellicis præfuerunt, tanto impetu & strepitu globos tum æneos tum ferreos & lapideos eiaculabantur, vt cœlum*

ipsum

*...agire & boare diceres. Erat prӕterea non tam audire iucun-q...m videre gratum, cum tubas, lituos, buccinas, cornua clas-..., tibias, tympana bellicum quiddam resonantia; tum pugnas illas vmbratiles nauium inter se concurrentium, & contra mutuo sese fugitantium, ac harpagonibus manibusque ferreis se comprӕhendere meditantium. Quӕ omnia Imperator ex fenestra quadam palatij sui quӕ in stationem & mare longe prospectabat, non sine magno animi gaudio prospexit, quo pauco post tempore Princeps Melphiӕ cum honore & reuerentia debita Cӕsarem salutaturus ascendit: cuius manu suppliciter deosculata, benigne & amice est acceptus ab eo, paucisque cum Imperatore collocutus, ad naues suas reuersus est. Erant prӕterea in aperto pelago in statione Barcinonensi vigintiquinque naues Lusitanicӕ, à Rege in subsidium conceptӕ & decretӕ expeditionis, illuc missӕ, vna cum longa quadam Celoce, Galeonem vocant, cum mole ipsa & robore prӕ alijs conspicua, tum bellicis tormentis, omnibusque requisitis munimentis, instructissima; quӕ in stationem appulsӕ, & aliӕ, quas diximus fuisse Principis Melphiӕ sese mutuo militariter consalutantes, eiusmodi boatu tormenta sua exonerauerunt, vt cœlum tonitru disrumpi, & fulgure coruscationibusque ardere dixisses. Neque ita multo post pubes Hispanica classem ingentem omne genus nauium tam actuariarum quam onerariarum & rostratarum in portu Malacӕ à latere Granatӕ collectam, aptatam & paratam in eandem stationem adduxit. Inter quas naues erant & hippagogӕ, quӕ equos, & onerariӕ frumentariӕ, quӕ vniuersum fere commeatum veherent. Cum hӕc omnia apparata, & ad futuram profectionem ordine suo digesta forent, legationibusque Galliӕ, Britanniӕ, Allobrogum, Venetorum, Mediolanensium, Ferrariӕ, aliarumque nationum de nauigijs, vt Cӕsaream Maiestatem comitarentur, prospectum esset: edicto Cӕsareo cautum est vt Equites omnes, tam auxiliarij quam legionarij, quos ante recenseri & auctorari viderat, (fuerant autem numero sesquimille) naues ascenderent, eorumque equi cum pabulo alijsque requisitis ab helciariis in hippagines ad hoc paratas attollerentur. Cui edicto summa cum diligentia obeditum est. Die igitur Dominico, qui tertius fuit ante Calendas Iunij, anni tricesimi quinti, Imperator facta re diuina, posteaquam se suosque omnes Dei Opt. Max. prouidentiӕ, protectioni, conseruationique (nihil de eius bonitate & fauore hӕsitans sed illum vnum in oculis & corde ferens) quam potuit religione summa commisisset, sub horam fere decimam ante meridianam longam illam quadriremem sericis, purpureis & aureis ornamentis tectam, conscendit: comitatus Ludouico fratre germano*

*Ioannis regis Portugalliæ, quem Infantem appellant: qui illuc ea præcipue de causa aduenerat, vt Imperatori in Barbarica illa profectione individuus esset Comes. In ipso vero articulo cum in nauim reciperentur, tam ex illis nauibus quæ in altum deducebantur, quam quæ in statione pro tuitione ciuitatis in anchoris manserant, tanto fragore, tanta concußione, tam impetuoso strepitu machinæ, & tormenta bellica emissa tonabant, mariaq; cœlo commiscebant, vt montes ipsos, scopulos, & abruptas, quæ mari impendent rupes, velut Iouis fulmine quassatas terra discedente, in abyssos sese abdere, absorberique putares. Audiebantur etiam circumquaque tubæ, buccinæ, litui, cornua, tympana, cymbala, & alia semiuocalia signa, quibus milites quid facto opus sit admonentur, & ad prælia ineunda animantur. Margines vero, littora, ripæ, tecta, fenestræ, loca omnia quæ in mare prospiciebant, sic confertim erant stipata, & stipatim conferta ac plena spectantium, vt sese mutuo propemodum nimia compreßione enecarēt: omnibus paßim magnis cum gemitibus, suspirijs, lachrymis, sublatisque ad sidera palmis, Principi suo oram soluenti bene precantibus, prosperamque profectionem, & meliorem non sine gloriosa victoria reditum, nuncupatis votis, exoptantibus.*

*Quarto vero Idus Iunias sub horam vndecimam pomeridianam, quadriremis Imperatoria, cum alijs actuarijs in aperto mari primariæ ciuitatis totius Sardiniæ, nomine Calaris, consedit, quo onerariæ cum aliquot actuarijs in insula diui Petri exspectatæ, prius peruenerant. Erat autem pelagus illud ante Portum Calaritanum omne genus nauigijs nimis pulchre vestitum, & stipatim confertum. Aliquot nanque ante diebus illuc aduenerat cum ingenti classe & longarum nauium, & onerariarum, & Liburnicarum, quæ militem Germanum & Italum vehebant, Alphonsus Daualus, Marchio Vastij. Erant & appulsæ naues, quas Neapolis & Sicilia tum veterano milite Hispaniensi, tum vario genere commeatus instruxerant, ducibus Vilingerio Richensi & Friderico Neapolitani regni Petri Toletani Proregis filio. Subduxerat etiam in eundem locum nouem longas, easque ingentes, omnibus rebus ad bellum accommodis instructißime munitas, a Paulo III. Pont. summo missas, cum genere clarus, tum factis strenuus, Virginius Vrsinus, Anguillariæ Comes. Conuenerant eodem a militibus Rhodijs, nunc Melitensibus missæ triremes quatuor, cum oblonga vna rostrata, aliaque oneraria, omnes apparatißime instructæ, ductore Aurelio Buticello, Ticinensis Pisaniq; templi priore. vt interea prætere am plus sexaginta onerarias, quinq; quadriremes, quadraginta biremes, lembos, celoces, catascopia sedecim ex Italiæ & Siciliæ oris, illuc aduecta. Expectauerat illic*

*cum quin-*

*cum quinque longis actuarijs aduentum Imperatoris & Antonius Auria, adeò vt præter longas septuaginta quatuor, trigintaque biremes & rostratas admirandæ molis & operis, videre esset aliam classem promiscuam, onerariarum, Liburnicarum, hippaginum, & eius generis plus trecentarum, in quibus erant biremes decem, plurimæq; aliæ naues, cum armis, tum militibus instructissimæ. Tertio ergo Idus Iunias, cum prima luce triremes illæ Marchionis Vastij remis promoueri cœperunt, & prætereuntes signis & vexillis explicitis, quadriremem Imperatoriam, sublato quàm clarissimè clamore, resonantib. tubis et buccinis, tympanis & fistulis, demissis & inclinatis vexillis, summa cum reuerentia salutabant. Eodem ferè momento vtrinque eruperunt tormentorum bombi & tonitrua: neque multo pòst subductis anchoris, quadriremis Cæsarea prouehi cœpit per medium classis militum Germanorum, Italorum, & Hispanorum, quam aliæ omnes naues comitabantur. Illi autem videntes signa & vexilla quadriremis Cæsareæ huc illuc vento agitata & fluitãtia, vnà omnes eodem ferè temporis puncto, primum minores machinas suas, deinde & ingentes illas quibus naues munitæ erant, tanto numero exonerarunt, vt mare vniuersum fulgure & coruscationibus illustrari, ac deinde densissimo fumo obnubilari crederes. Quid multa? Dixisses classem illam nauium velis nudatarum, syluam quandam esse miræ magnitudinis, sub aduentum brumæ frondibus & folijs suis spoliatam. Actuariæ vero littori admotæ, è fluuio quodam leni murmure in mare delabente, de recenti aqua sibi, & cunctæ classi abunde prospexerunt: in cuius margine & ripis plerique insulæ illius propolæ & institores consederant, variamque annonam eo adportauerant, de qua plerique per occasionem sibi prouidebant. Quadriremis Cæsarea, aliæque triremes & biremes, cæteris nauibus in aperto mari relictis, remigum nixu & labore, in portum Calaritanum, quam diximus totius Sardiniæ primariam esse ciuitatem, pridie Idus Junij sub horam quartam matutinam inuectæ sunt: quibus procul perceptis, ciues volentes etiam eminus Imperatori aduentum suum gratulari, multa & magna tormenta quibus ciuitas bene munita est eiaculati sunt. Extra portam vero (quæ eam partem spectabat) pons erat à muris oppidi ad mare vsque longitudine quinquaginta passuum porrectus, aulæis, tapetis, & panno partim rubri coloris, partim gilui adornatus, qui sic & structura & altitudine puppi quadriremis Cæsareæ respondebat, vt commodissimus & facillimus ex ea in pontem esset transitus. Circiter horam nonam eiusdem diei ante meridiem Archiepiscopus Calaritanus cum Canonicis & vniuerso clero, ritu supplicationes statas aut indictas facientium, simul &*

*Prorex*

*Prorex cum Magistratu & consulibus, primariisq; ciuibus, pulchre digesto ordine ad pontem illum vsq; egressi sunt, vt Imperatorem quo decuit honore & reuerentia, exciperent. Qui ex sua quadriremi, vnà cum sororio suo Infante Lusitaniæ, aliisq; Principibus, Ducibus, Comitibus, suæq; aulæ nobilibus, per pontem illum ad portam proximam deductus est, vbi acceptis clauibus, confirmatis prærogatiuis, aut verius prædecessorum suorum indultis, illis datis & concessis, præstito iuramento promisit ea se pro more consueto sarta tecta seruaturum. Illinc recta ad Basilicam cathedralem progressus est, sacroque perfecto in quadriremem suam pransum venit: in platea autem, qua illi ad naues iter erat, erecti fuerant varij arcus triumphales inauratis picturis, & grauibus sed non illepidis sententijs & aphophthegmatibus, tum in ipsius, tum in expeditionis quam susceperat honorem & gloriam adornati, affabreque constructi: compita omnia, triuia, angiportus, domus, tecta, fenestræ, imbrices, vmbracula, veluti vestita & tecta fuerunt matronis, puellis, pueris, & innumera populi turba, qui summo desiderio principem suum spectare in votis habebant. In coronis autem portarum ac murorum infixa fuerant ampla & oblonga vexilla, aquilis alijsque Cæsaris & Sardaniæ insignibus graphice expressa & depicta. Audiebantur & horrendi machinarum è munitionibus varijs emissarum bombi & tonitrua, quibus Principi iam abeunti bene precabantur. Taceo hic nomina multorum Principum, primorum hastatorum, primipilarium, centurionum, decurionum, magistrorum cohortium, præfectorum legionum, tribunorum militum, ducum, & exercituum imperatorum, qui sua virtute laudem & gloriam sibi parauerunt nunquam intermorituram: plurimorum item nobilium, qui domi relictis vxoribus & liberis, suis stipendiis merere, vitamque pro laude pacisci, non dubitauerunt. Adeo ducimur, immo trahimur omnes, cum boni Principis in re laude digna præeuntis amore, tum gloriæ cupiditate, eiusmodi præsertim, quæ cum honestate & Reip. Christianæ protectione & saluti sit coniuncta.*

## TRIVMPHALIS INGRESSVS EIVSDEM CAroli. V. Augustissimi & inuictissimi Imp. redeuntis ab expeditione Tunetana, Messanæ.

## XXVIII.

*Hinc Imperator per fines Politiæ, Nicosiæ, Trachyniæ, Momachi, Rendachi, & Thorominiæ, vnde in conspectu est mons Ætna, qui superioribus seculis fauillas ardentes consueuit euomere, mons, inquam ille multorum nobilissimorum scriptorum monimen-*

*nimentis celebratus, Messanam venit. vbi duodecimo Calendas Nouembres tam a sacerdotibus & clero quam senatoribus, ciuibus, & vulgo promiscuo, summo cum gaudij & genuini erga principem suum affectus indicio & argumento, exceptus fuit. Vidisses plurimis in locis exstructos insignes arcus triumphales, varijs picturis, emblematis, & venerandæ vetustatis signis decoratos. Inter quos vnus præ ceteris imaginibus Scipionis & Hannibalis, summo artificio ad viuum in marmore incisis, spectabilis emicuit. Ad nonum Calendas Nouembres, consules & senatores patricijque Messanenses sub horam illam qua Imperator templum erat aditurus, ad Palatium in quo hospitabatur accedunt, atque intro admißi, Maiestatem eius summa cum veneratione salutant: expeditionemque susceptam, partamque Victoriam, oratione Latina ei gratulantur, immortalesque agunt gratias pro innumeris beneficijs, per eam victoriam sibi, totique Siciliæ collatis. Proinde in duabus peluibus argenteis deauratis, pro munere honorario, decem milia aureorum offerunt, obsecrantes vt boni æquique consuleret, neque tam donum ipsum, modicum quidem illud & perexiguum, quam animum & affectum clientum suorum perpenderet. Quibus tanta cum humanitate & affabilitate paucis quidem suo more, sed efficacibus verbis respondit Imperator, vt eos velut voti sui compotes à se dimiserit multoq́ue vehementiore amore sui animos illorum inflammauerit.*

## TRIVMPHALIS INGRESSVS EIVSDEM ADhuc Caroli V. Imp. Augustiss. redeuntis ab expeditione Tunetana Neapoli.

## XXIX.

*SEptimo Calen. Decembres, Imperator Neapolim ingressus est, vbi paßim fornices triumphales operosißime exstructi cernebantur, statuis & imaginibus multorum Imperatorum, Regum, Principum, Satraparum, cum in ære tum marmore viuo incisorum exornati: quæ omnia faciebant ad præclaram & nunquam intermorituram victoriam contra Mauros & Turcas habitam. Sed qua pompa, quo apparatu, quibus ceremonijs exceptus fuerit, qua hominum frequentia sacris initiatorum, nobilium, ciuium, vulgique promiscui, eidem acclamatum & congratulatum sit, ne credi quidem, adeo non scribi, aut dici queat. Cum enim Imperator appropinquasset Castro nouo, quæ arx in margine ipso maris constructa, eius Maiestati pro hospitio destinata & præparata fuerat, auditi sunt spacio semihoræ horrendi bombi & tonitrua machinarum ex arce emissarum: est nanque in eo castro*

*magna bellicorum tormentorum copia. Longæ vero naues, minoresque actuariæ & onerariæ quæ in portu erant, horribili impetu & stridore sua etiam tormenta eiaculabantur. Sexto Calend. Decembres, Andreas Auria omnes longas & triremes aliasque naues ex Africa, quo Panormo fuerat profectus, in portum Neapolitanum saluas reduxit: qui in ea expeditione Bisertam Barbariæ oppidum simul cum arce ab Oenobarbo in Regis Tunetani expulsione captam, & Turcarum præsidio munitam receperat, & in potestatem filij Regis Tunetensis traditam & relictam Cæs. Maiestatem tributariam & vectigalem fecerat. Tertio Nonarum Decembrium, Cardinalis Caraciola, pridie earundem Hercules Estensis Dux Ferrariæ, Neapolim venit: cui filius Pontificis cum Principibus aliquot, & clarißimis gentilitio stemmate viris, obuiam se honoris causa dedit, & in arcem, vt Cæsaream Maiestatem salutaret, deduxit: qui Idibus Decembribus ab Imperatore dimissus, Romam se recepit. Dux Ferrariæ negociorum ergò, vsque ad decimumtertium Calendas Ianuarias ibi mansit. Posteaquam vero Modenam, Rhegium, Ruberam & Carpum mancipio ab Imperatore, tanquam patrono, accepisset, acceptaque clientela, in fidem ipsius se cōtulisset, ac sacramento obligasset iusta se obsequia Maiestati Imperatoriæ præstiturum atque exhibiturum, domum reuersus est. post cuius discesionē, quatuor legati Veneti, viri ætate, prudentia, scientia, & seueritate quadam, quam reueritus fuisses, non reformidasses, venerandi cum insigni comitatu eodem appulsi sunt, gratulati vero nomine Reipub. suæ Cæs. Maiestati prosperum ab Africa reditum, victoriamque nouis dignā annalibus, domum profecti sunt, & intra dies quindecim Neapolim reuersi, singuli Maiestati Imperatoriæ torquem aureum mille ducatis æstimatum, pro dono obtulerunt.*

TRIVMPHALIS CONGRESSVS PAVLI III. Pont. Max. & Caroli V. Augustißimi Imperatoris Romæ anno cIↃ.IↃ.XXXVI.

XXX.

*ADulto iam vere Cæsar Neapoli profectus, Nonis Aprilibus a Capena Porta Romam intrauit, triumphali exceptus pompa ab omnibus Sacerdotum, Romanorumque ciuium ordinibus. Adduxerat p̄sidij causa veteranam Hispanorū legionem, & septingentos equites cataphractos, eo minore populi lætitia, quod plerique eosdem militum atroces vultus agnoscerent, qui recentis cladis,*

*cladis, omniumque suppliciorum, quæ perpeßi essent, memoriam renouabant: eo quidem grauius & acerbius, quod Paulus Pontifex nouo exemplo ad exornandos regionum arcus, singulis mercatorum & opificum collegijs pecuniam imperasset, scilicet vt Cæsariani importuno sumptu studiosè colerentur, à quibus summæ calamitatis iniurias pertulissent. Exceptus est ea parte Vaticanæ domus, quæ exornata laquearibus aureis, & marmoreo insignis podio despectat vrbem, qua etiam Alexander Sextus Carolum Galliæ Regem susceperat. Exinde dißimulata persona cum paucis perambulauit vrbem, miratusque rotundi templi, quod olim Pantheon fuit, incomparabilem structuram, in summum fastigium eius testudinis per plumbeos gradus ascendit, vt vniuersam vrbem oculis subijceret. Quatriduo autem moratus Romæ, non obscura succensus bile in Gallos pridie quam proficisceretur, grauißimam habuit concionem, qua animi sui intimos sensus ardentißima facundia denudauit, quod Gallorum legati pene conuitiosè postularent, vt Henrico Regis filio Mediolanensis principatus dominatum beneficiario iure adiudicaret. Id siquidem Cæsarem concessurum perplexis paulo ante sermonibus promisisse, Claudius Velleius asserebat. Quibus prope importunis atque alienis reflagitationibus Cæsar ita offendebatur, vt fidem suam nulla certa pollicitatione obstrictam Gallorum procacibus verbis sugillari ægerrime ferret, respondendumque ideo Gallis, & nomen suum à calumnia defendendum generosa concione arbitraretur. Itaque grauiter commotus, in eo conclaui, in quo Paulus Pontifex iturus ad sacra obeunda solennes amictus induere, & gemmata tiara exornari consueuit, aduocatæ concionis instar in corona stans verba fecit, astante Pontifice, cunctoque senatu, & principum fere omnium legatis, sic vt circumfusa totius aulæ turba Hispanico sermone loquutus audiretur, Primum omnium veterum odiorum causas, quæ adhuc inter Gallos Austriacamque domum vigerent, facundißime commemorauit, ostenditque neque Franciscum Regem, neque superiores Galliæ Reges, ictorum fœderum legibus vnquam stetisse, quum sibi Burgundiam ereptam & repudiata atque iniquißime intercepta connubia quereretur, & paßim Franciscum Regem acerbe perstringeret quod bello victus captusque, ac humaniter dimissus, nihil eorum quæ pro obtinenda libertate pepigerat, custodia statim exiliens, præstitisset, sed abrupta fide iurisiurandi, totum prope terrarum orbem aduersum se tam ingrate quam impie concitasset, quum ad Turcas vsque miserit legatos, vt hostilia pari odio aduersum se molirentur, scilicet vt inania aut exoleta iura ostentans Cisalpinæ Galliæ dominatum inuaderet, quod sibi Augustali atque legiti-*

*moiure partum, tanquam tuendis reliquis ipsius regnis maxime opportunum, omnino sibi retinendum statuerit, ne sibi maritimum adeundæ Hispaniæ, aut terrestre adeundis Germaniæ & Belgarum Regnis tutum & liberum iter præcidatur: quandoquidem nequaquam sit dignitatis Cæsareæ per alienas terras transitus facultatem precario petiisse. Propterea Franciscum nefario ausu Caroli Sabaudi auunculi sui Allobrogum Regiones in Transalpinis, & Ligurum in Subalpinis immaniter occupasse, vt inde ad inuadendum Mediolanense Imperium ire pergeret, Gallorum consuetudine, qui nouarum Prouinciarum auidi, quin aliena & proxima quæque occupent, neque pudore neque iure contineri queant. Quarum rerum in vestigio eos sæpe pœnitere oporteat, quum vi & armis æquo semper Marte iudice, eorum insolentia retundi reprimique soleat. Id vero agrestis impudentiæ sibi videri, quod Franciscus Mediolanensis Imperij possessionem ideo sibi concedi expeteret, vt singuli minores eius liberi, sublata omni honoris atque potentiæ obtrectatione pariter exornentur atque ditentur, ne scilicet Henricus iusto dolore angi possit, quum in fratre minore Carolo Aurelianensem principatum, in Francisco autem maiore, non Galliæ modo sed Britanniæ etiam citerioris coronam, ex paterna hæreditate conspiciat. Nō hoc equidē esse vel dignitatis vel Fortunæ suæ, vt alienos potius quam suos liberos exornet, & stultißima ratione intempestiuæ liberalitatis laudem quærat, qua inimicæ stirpis dubiæque fidei hominum opes augeantur, quibus aucti rursus aduersum se instructiores, vti semper fecerunt, inquieta arma resumant. Itaq; neq; hæc insolenter postulanti tributurum, neq; passurum vt Sabaudus Carolus tanta cum iniuria spoliatus dimidia parte Regni, diutius ab se, vti antiquitus in Romani Imperij clientelam recepto oporteret, iustam atque certißimam opem imploret. Proinde se recta ad Alpes, & in Galliam vsque progredi statuisse, vt propinqui sui, socijque Principis, & Romani Imperij clientis iniurias defendat. Hæc adeo graui concitataq; facundia, oreque flagranti protulit, vt subiungeret, se inuitum in id bellum trahi, in quo multæ gentes nihil mali meritæ & insontes, ipsorum Principum iracundia atque obstinatione, cladem essent subituræ, propterea pietate Christiana tacto sibi satius videri, & Reipublicæ quidem vtilius, vt ipse & Franciscus ad singulare certamen descenderent, enseque & pugione dimicantes controuersiam finirent. Tum vero Pontifex clementiora ominatus, Cæsaremq; cōplexus obsecrauit, ne vel non iniquæ iracundiæ impensius quam pietati indulgere mallet, Gallosq; oratores*

*Maconi-*

*Maconium & Velleium quædam respondere paratos diremit. nam hi abinitio concionis a Cæsare frustra postularant, vt Gallica lingua vti vellet, qua opportuna ipsorum responsa acciperet. Sed Cæsar ideo se Hispanice loquuturum dixit, vt a pluribus id idioma Romano eloquio proximum acciperetur. Per hunc modum prolato animi sui decreto, & reiectis regijs legatis, per Cassiam viam in Etruriam contendit. Senenses intrantem ipsorum fines Pientia vrbe liberaliter exceperunt, vetereq; suo studio Cæsaribus addicti, quum Senis appropinquaret, erectis passim triumphalibus ornamentis, cum exquisita Tunetanæ victoriæ gratulatione, subeunti portam vrbis claues ad declarandam antiquæ propensionis fidem obtulerunt. Alfonsus Picolomineus Amalphi regulus equi frena rexit, cunctiq; demum ciuitatis ordines, virique sacrati præcinentes hymnos, ad aram templi maximi deduxerunt. Suscepit eum per eleganti hospitio miroq; ornatu perpolito Marius Bandinus, in quo vel ob id quod Archiepiscopi germanus esset frater, summum Cæsarianarum partium & popularis factionis studium eminebat. Nam eo tempore populares in factiosa ciuitate Principes euaserant, quum obsolescente potentia antiquæ nobilitatis, reliqui duo ordines, qui tum Nouarij & Reformatores appellabantur, eximia auctoritate in Republica Pandulfo Petruccio Principe potiti, impotenti demum popularium impetu per cruentas contentiones interfecti pulsique fuerant, quoniam Clementi Pontifici, & Gallis fauisse credebantur. Inuisit Cæsar vrbem luculentissimè omnibus, quæ excogitari poterant, elegantiæ ornamentis instructam, spectauitque mirabundus innumerabilem prope fœminarum multitudinem. Nam hæ inter Italicas præcellentis formæ, & elegantis ingenij singulare decus constanti omnium fere fama obtinent. Exinde iuuentus extremæ iucunditatis spectanti Cæsari theatrales ludos edidit, per histriones variarum linguarum cum multo sale leporem affectantes, pugilque omnis Senensium ætas ab inueterato ludicri certaminis studio ad Cæsaris oblectationem incomparabili ardore dimicauit. A Senensibus autem ad Florentinos profectum Cæsarem Alexander Medices gener excoluit, & Cosmianis in ædibus ita suscepit, vt Etruscis artificibus ex mirifica ingeniorum solertia simulachra, varijque generis pegmata erigentibus, non modo superasse Senenses, sed veterum Romanorum magnificentiam æquasse censeretur. Inuisit Cæsar arcem nuper ab ipso Alexandro conditam instructamq; admirabili tormentorum apparatu, vsque adeo mirabundus vt cùm tanta vidisset præsidia, quando reliqua sibi curæ fore diceret, grauiter obtestaretur generum, vt liberis operam daret de vnaq; præsertim salute corporis solicitus esset tanquam in subacta armis ciui-*

*tate regnanti, insidiæ a multis forent pertimescendæ. Paucos pulcherrima in vrbe moratus dies, discessurus ex itinere Caianam adijt villam, admirabili structura terreno in cliuo ædificatam a magno Laurentio Medice, nullumque tum ea loci facie, tum erudito ornatu, iucundius ædificium se vidisse testatus est. E Caiana Pistorium atque inde Pisciam, & mox Lucam intrauit tanta alacritate amicæ ciuitatis, vt neque splendidius excipi, neque donari liberalius, neque vberius ali exercitus, comitatusque omnis posse Proceres iudicarent. Inuisit etiam vrbis de sua libertate solicitæ munitionem intra extraque muros, laudauitque militaris peritiæ erecta propugnacula: triduoque moratus, ornatissimæ quamquam modicæ ciuitatis opulentiam, quæ tyrannis aliquando seruiuerit, & superioribus temporibus Cæsarum auspicijs libertatis iura defenderit, decurionibus commendauit, & vt in colenda fide perseuerarent admonuit. Luca profectus per Macr[illegible] amnis valles, Apuanosque saltus Appennino transgresso ad Astam vrbem contendit, vbi reperit Fossanum ab Antonio Leua expugnatum, & Franciscum Salassum regulum alienatum a Gallis, propterea que deficientem, Antonij opera in partes traductum, quanquam eius equites fide integra erga Regem, eum ad hostes euntem minime sequerētur, sed ad Gallorū p̄sidia detestati p̄fecti sui facinus redirent. Quo felici rerum initio Cæsar, vt Alpes mature transiret magis ac magis accendebatur.*

## TRIVMPHALIS PROFECTIO CAROLI V. Augustißimi Imperatoris per Gallias anno cIↃ.IↃ.XL.

## XXXI.

*Mense Decembri anno* cIↃ.IↃ.XL. *Cæsar Bayonnam venit, vbi à Delphino & Duce Aurelio splendidißimo apparatu excipitur; oppidum Regio more ingreditur, sontibus impunitatem concedit, eosq; noxæ exemptos è carcere liberat, non secus atq; in proprio regno ac ditione faceret. Illinc Delphino & Aurelio comitatus cæteras vrbes pari splendore & dignitate ingreditur. Ianuario mense Castelloraldum venit, vbi Rex eum summo splendore more suo accipit, à quo nihil mediocre aut ieiunum fieri poterat: inde Ambasiam venit. Iam vero in arce Ambasiana duæ sunt maximæ turres à rege Carolo VIII. ædificatæ, quibus in ipsam arcem ascensus est. Tanta sunt latitudine atque eo artificio extructæ, vt carrucis, & mulis in summam arcem in montis iugo sitam conscendere liceat. Porro Rex, vt Cæsaris ingressus splendi-*

*ſplendidior eſſet, noctu in altera ex ijs turribus illum fieri iubet. Ea omni cultu & ornatu Regalique luxu inſtruitur, tot funalibus alijsque luminibus colluſtratur, vt non maior eſſet in apertiſſima planitie lux meridiana. Dum Cæſar media turri incederet, neſcio quis male cautus qui facem præferebat, ignem iniecit: quo tota turris ſubito conflagrare cœpit. Huius incendij tantus fumus ex aulæis flamma correptis extitit, qui meatu nullo exhalare poterat, vt magnus omnes timor inceſſerit ne Cæſar ſuffocaretur, quippe omnibus fuga ſaluti proſpicientibus. Comprehenduntur nonnulli, in quos huius facti ſuſpicio cadebat. Eos Rex, licet de induſtria minime feciſſe putarentur, ſuſpendi iubet: Cæſar tamen veniam illis dari voluit. Ambaſia Blæſas, Aureliam Fontem Bellandi denique venit. Is locus à Rege ad venationis voluptatem commodiſſime extructus fuerat. Itaque quicquid excogitari aut comparari ad oblectationem poterat, prolixe illic exhibetur, venationes, hoplomachiæ, velitationum & certaminum cum equeſtrium tum pedeſtrium ſpectacula, denique nullum hilaritatis genus prætermittitur. Inde Delphino continenter atque Aurelio comitatus Lutetiam venit: ex vrbe prodeunt omnium ordinum ciues, qui eum non alia ceremonia aut ritu excipiunt quam regem ipſum ſolent: vinctos omnes tum ex Palatina cuſtodia tum ex alijs locis donat libertate. Inde Cantillum, quæ Conneſtabilij ædes eſt proficiſcitur, a quo honorificentiſſimè ſuſcipitur. Ad extremum Picardorum fines ingreſſus tuto Valencenas peruenit, quod primum eſt Belgicæ ipſius ditionis oppidum: ad quem vſq; locum Delphinus & Aurelius eum proſequuti ſunt.*

## TRIVMPHALIS INGRESSVS HENRICI II. Regis Galliarum Lugduni anno cIↃ.IↃ.XLVIII.

## XXXII.



*Hriſtianiſſimus rex Franciæ Henricus II. cupiens inito ſtatim Regno limites eius in primis contra omnem fortunam tutos, quo id facilius confieret, inſpiciendos ſibi eos, vt erat Princeps longe prudentiſſimus, exiſtimabat: decreuit igitur pluribus de cauſis Pedemontanas ſuas ditiones inſpectum ire, atque ita Lugduno in Regnum redire. Quod è veſtigio Reuerendiſſimus Cardinalis Ferrarienſis, Archiepiſcopus idem & Comes Lugdunenſis, & Illuſtriſſimus Gubernator ſignificandum curarunt Præfecto vrbi Regio, Senatuique ac Populo Lugdunenſi,*

*Lugdunensi, ne imparati opprimerentur. Senatus autem, vt qui nollet tantillum degenerare a magnitudine illa animi Romanorum, ad quos genus referret, & vnde originem habere sibi gloriosum duceret; decreuit tantum sibi principem honoribus quam amplissimis exquisitissimisque accipiendum. maxime, quod, vt est in prouerbio, duos eadem fidelia dealbaturi essent parietes, pluresque sibi demerituri vna sedulitate & deuotione; constituto in idem fere tempus nuptiarum die ibidem Lugduni illustrissimorum principum Vendocini Ducis, & Ducis Aumalij. Igitur tam ipse Senatus populusque Lugdunensis, quam nationum, gentiumque corpora in eadem amplissima vrbe negotiantia erexerunt excogitaruntque medio tempore multos Arcus Triumphales, Spectacula, Scenas, ludos militares, Naumachias, & id genus alia terra mariq; ea magnificentia & splendore omnia, vt mox particulatim singula pluribus commemorari mereantur.*

*Mensis ergo Septembris* XXI. *anni* CIↃ.IↃ. XLIIX. *Rex Christianissimus Thurino sub noctem Esnæam venit; vbi Reginam coniugem cum multis principibus feminis reperit, & postridie etiam substitit.*

*Die dominico, qui fuit Septembris* XXIII. *vrbem ingressus est. Ad quam rem hora fere decima antemeri[illegible]na nauem ad hoc ipsum præparatam conscendit Esnææ, qua vectus ad suburbia vsque, prandium sumpsit in deuersorio, cui inter signe ouis. hic autem ei exstructa erat pergula siue tabulatum, in quo more à maioribus tradito audiret exciperetque Præfectos nationum, & Duces iuuentutis vrbanæ, qui honoris & gratulationis caussa ibi occurrere erant soliti. hæc pergula contecta erat serico viridi, stricturis argenteis; picta passim lunis adhuc crescentibus, quod erat symbolum regium. ad hæc interius æquè atque exterius auleis belluatis personatisq; magnifice condecorabatur. antefixis quibusdam, siue foris alijs etiam peripetasmatis viridibus instratis; vniuersisq; passim corollis triumphalibus & regiis insignibus adornatis. iuxta obumbrantibus etiam cuncta reginæ gentilitiis & Delphinatis imaginibus bracteisq; aureis vndiq; circumcrepantibus.*

*Inter prandendum honorem debitum regi venit habitum Dynasta Sanct Andreanus Gubernator & Seneschallus (sic enim vocãt) Lugdunensis, cum nobilitate prouinciali, siue municipali. Quibus vix digressis,*
Genuenses Lugduni negotiantes qua pōpa regē adierint. *consul Genuensium prudenti consilio, ne, quod sæpe aliàs, controuersia oriretur de ordine ingrediendi inter suos & Florentinos, hac pompa ad salutandum regem egressus est: Ipse medius ibat inter duos consiliarios, indutus toga ex holoserico nigro breuicula illa quidem, sed manuleata largè, fibulisq; seu nodis potius aureis crebris distincta: eius togæ subdititium perinde erat ex serico nigro; vt & tunica ex eiusdem coloris holose-*

*rico rursum; cæterum thorax & braccæ erant ex panno argenteo, pileus & calcei ex holoserico: sed candido hi, nigro siue atro potius ille. Præcedebant octo pueri à pedibus, veste ex serico candido opere Phrygio atricolore picta subinde, pileis similiter ex nigro holoserico; opacante eos pluma alba. Comitabantur autem Consulem suum Genuenses bini; quos singulos rursum duo à pedibus præcedebant, vestiti ipsi famulique ad eundem, quem diximus, modum. sublimes autem omnes in equis Turcicis aut generosissimis quibusq; prouincionalibus vehebantur: qui etiam equi nigro holoserico insternebantur: digna profecto tanto rege apparatu; quo salutato ad sua se receperunt.*

*Circa meridiem clerus & ecclesiasticus ordo omnis cum collegijs fratriarum & sodalitatibus, processit ad claustra vsque Obseruantium; vbi suo quique ordine iuxta consuetudinem longo vsu probatam collocati sunt; iussique exspectare dum interim Decanus & Comites diui Joannis induti togis suis illis sex vlnarum, sericis, damascenis, Cois, mulis ad Regem peruehuntur, quo venerato in vrbem rediere, ad cathedralem ecclesiam iterum eum visuri.*

*Interea temporis Senatus, collegia fabrorum, & artificum; Notabiles, quos dicunt, Nationes, Iuuentus vrbana, & Consiliarij extra vrbem egressi, de ordine tenendo etiam deliberarũt; tandemq; hac fere serie præter Regem omnes traducti sunt.*

*Primo loco ibant in equis Præfectus rerum capitalium, & legatus ipsius, pone sequentibus apparitoribus lictoribusq;: qui vestiti erant omnes tunicis viridibus, quarum manica altera vt & margines tunicarum acu picta esset opere viridi, & candido. hi loricis annulatis armabantur, & fustem manu singuli gestabant ad submouendam multitudinem, quæ tam copiosa confluxerat ad famam spectaculorum, ex vicinis etiam Burgundijs, Delphinatu, & aliunde, vt absque hoc cõsilio fuisset, difficulter locum pompæ datura, & in officio futura fuerit.* Pompa triumphi Lugdunẽsis; eiusq; ordo.

*Jbant autem vitandæ contentionis & dissidij caussa Ductores ordinum, Legati ipsorum, & Signiferi terni subinde, perinde sequentibus cohortibus, & eundem ordinem tenentibus:*

*Primus ergo præcedebat suos legatus Præfecti vrbi; quem vehebat equus Hispanici generis splendide phaleratus, & cristatus; peniculamentis aureis, byssinisq; atricoloribus. Ipsius paludamentum ex holoserico nigro, creberrimis rosis aureis spargebatur. præcedebant pueri à pedibus duo, veste ex serico cœrulea. sequebãtur vero terni sclopetarij vrbici ad numerum trecentorum & duodequadraginta bicolore omnes habitu, ex candido & atro ita, vt collaria & follicantes caligas gestarent ex holoserico nigro, bracteis aureis distincta; thoraces ex serico* Legatus Præfecti vrbi.

*candido qualis etiam fultura erat caligarum, late subinde exundans per fenestras ad hoc expreße in eis factas; nisi quod hæc etiam auro intexto subinde radiabat. galeæ omnibus erant auratæ; cristæ atræ candidæq; torulis aureis; sclopi quoque aurati erant. signum autem quod sequebantur habebat picta insignia vrbana, subiecto sclopo siue machina manuaria: Tympanistæ tibicinesque ijsdem quibus milites coloribus vtebantur.*

Laniones. Plaustrarij. Vestiarij. *Modico interuallo cohors altera sequebatur ducibus, vt ante prouisum erat, tribus præfectis; puta, Laniorum, Plaustrariorum, & Vestiariorum, siue Sarcinatorum. horum primus induebatur ex toto à summo capite ad imum solum holoserico rubro segmentato, crebro dehiscente, & nodis rursum fibulisque aureis coeunte: secundus holoserico nigro, limbis argenteis, & bracteis similiter aureis. tertius versicolore holoserico, ex atro, candido, & viridi; argentato, bracteatoque ad modum superiorum. horum gæsa pila habebant aurata; circaque summum & medium holoserico vestiebantur; tympanistæ & tibicines colorem candidum atrumque alternabant. vestigia autem proxime sequebantur octodecim lanij, terna serie; galeis auratis, caligis & calceis holosericis rubris, pinnis concoloribus, gladiorum & pugionum manubrijs auratis, vaginis ex holoserico rubro segmentato. eos antesignanos reliqui lanij pone comitabantur, perinde fere vestiti; cum vilißima inter eos Coa fuerit tunica. pila etiam fere omnibus (& erant numero quadringenti sexaginta sex) aurata erant. Lanios signa consequebantur terna; quorum latores ad ducum suorum exemplum induebantur; præcedentibus perinde vestitis tympanotribis & tibicinibus, sed sequentibus admodum centum septuaginta duobus plaustrarijs; sericatis, & holosericatis ac bicoloribus ex candido & atro; claudentibus hoc agmen tribus Legatis, opum ostentatione cum præfectis & signiferis certantibus; habentibusque à fronte tympanistas & tibicines suos; à tergo vero vestiarios plus minus trecentos triginta tres; omnes versicolores, mistimque candidos, atratos, virides. quæ varietas iucundißimum præbuit oculis spectaculum.*

Tinctores. Aurifabri. Textores. *Tertiam cohortem ducebant Præfecti, siue Tribuni Tinctorum; qui induebatur holoserico cineritio, & atro bracteis aureis; Aurifabrorum, qui holoserico atro exundante setam bombycinam candidam; segmentis aureis; fibulis, nodis, bracteis aureis creberrimis; Textorum, qui vtebatur similiter holoserico candido atroque; alternis stricturis, et limbis aureis. horum etiam pila aurata erant. sequebanturque (nam de tympanistis, et tibicinibus, qui ex lege triumphali eorum quibus operas suas locarunt coloribus vestiuntur semper, quid attinet ad singula capita eadem*

sæpius

*sæpius iterare? proximè cinerati atratique, galeatis aliquot primis ordinibus ad exemplum lanionum, auratis caßidibus, textores quadringenti quadraginta sex; atque inde rursum post signiferos (quos etiam vt & legatos, vestitum & luxum Præfectorum seu Tribunorum suorum in quoque collegio expreßisse, semel admonuisse satis sit) ducenti viginti sex Aurifices, aureis omnes fibulis, bracteis nodisque crepitantes, lunæq; crescentis species crebras argenteas præcipue in collaribus gestantes. claudebant autem & hoc agmen post legatos quadringenti quinquaginta nouem textores, candidati atratique alternis; pileis, collaribus, caligis, calceis, holosericis; picturis, limbisq; aureis & argenteis ita excultis magnifice, vt sumptu quibusuis ex superioribus certarent.*

*Tertia cohors ducebatur à Præfectis Arculariorum, Sellariorum, & Cæmentariorum. quos à rebus omnibus copiosißime instructos sequebantur primo trecenti & sedecim Arcularij, ex atro & candido bicolores; inde signiferi tres; tum ducenti octuaginta sex sellarum equestrium concinnatores; veste ex candido, atro, & rubro varia; ita vt colobia follicantesque caligæ ex holoserico nigro fenestrato, transmitteret subdititium sericum candidum; thoraces essent ex serico rubro segmentato. mox incesserunt legati; postremo trecenti et sex cæmentarij, tunicis alternatim aut atris, aut candidis.* Arcularij. Sellarij. Cæmentarij.

*Quartæ cohortis antesignani fuere præcedentibus tympanistis & tibicinibus (de quibus totiens monere operæ non esse putauimus) Tribuni, Polymitariorum, cuius pileus, colubium, caligæ, siue braccæ erant ex holoserico rutilante; ita picta auro arte Phrygia, vti vix cuius generis aut coloris essent singula dignosci posset; bracteis crebris aureis hæc inter opera crepitantibus: Calceariorum, qui ex toto holosericatus & atricolor erat; excepto thorace ex serico albo, sed ita, vt crebro auro omnia interpolarentur; & Acicalariorum, qui cetera atratus & holosericatus, thorace vtebatur e serico rubro segmentato. cuius generis etiam erat, quod exundabant follicãtium caligarum fenestræ, limbis & stricturis aureis. atque hos quoque pone comitabantur primo ducenti & septem polymitarij; quorum colores erant sanguineus & niger: tum signiferi; deinde ducenti quinquaginta sex calcearij atrati candidatique; mox legati, postremo centum nonaginta duo acicularii thoracibus ex holoserico, serico, aut seta bombycina rubra: colobiis & pileis nigris, pinna candida.* Polymitarij. Calcearij. Acicularij.

*Quinctæ cohortis vestigia premebat ilico sexta, colorũ varietate inprimis spectabilis ducebant autem hanc Præfectus Vici Noui; cuius tricolor vestis erat ex holoserico nigro, albo, & flauo; aureis bracteis ma-* Vici Noui Præfectus. Pileones. Fusores ærametarij.

 gnifice

*gnifice concrepans: Præfectus Pileonum, qui induebatur holoserico candido, atro & viridi, stricturis aureis, & præfectus Fusorum æramentariorum; veste ex holoserico candido, atro, & eum colorem referente, qui est auri proprius; limbis argenteis. sequebantur primi ordines loricati, galeatiq́; atq; inde reliqui Noui Vici incolæ, ad numerum quadringentorum viginti & trium: atq; hos rursum signiferi, & inde centum septuaginta sex pileones; quos vrgebant legati, vrsi vicißim a ducentis viginti sex æramentarijs fusorib. quibus erant vestes holosericæ, sericæ, aut certe bombycinæ; coloris aurei; fenestris, quas crebras habebant, euomentibus fulturam candidam atramq́; reliquis quoq; colorem ducum reddentib.*

Prefectus S. Vincentij. Pelliones. Tribunus Typographorum.

*Interuallo duarum fere orgyarum aberat a præcedente cohors septima, cuius primus Dux erat Præfectus Sancti Vincentij, cuius thorax ex serico rubro segmentato, sed fenestratus, & proinde exundans setam bombycinam candidam, intercurrentibus crebris filis argenteis decorabatur: colobium ex holoserico nigro subdititiam habebat setam bombycinam eiusdem, quod diximus, generis; eademque erat ratio follicantium caligarum ex serico rubro segmentato. hæ enim etiam bombycinam setam argentatam exundabant; subinde tamen coeuntibus & conniuentibus earum fenestris fibularum & bractearum aurearum morsu, conciliatuq́;. Secundus præfectus erat tribunus Pellionum, qui thorace e serico coloris cineritij, segmentis aureis; pileo, colobio, & caligis ex holoserico nigro, fultura serica cineritia, sed auro intertexta ornabatur: claudente eius latus tertio quoq; ductore qui erat Tribunus Typographorum, ex toto holosericatus & flauus; argenteis segmentis, limbisq́; tunicas eius marginantibus: hos ductores comitabantur pone primo loco incolæ vici Sancti Vincentij trecenti circiter & triginta; quorum præcipui auratis galeis, loricisq́; fulgebant: reliquis colores erant familiares candidus, ater, & ruber, secundo signiferi suis quique & ipsi coloribus dignoscendi; tertio centum octuaginta septem Pelliones; omnes pileis & colobijs holosericis, quæ morsicabantur clauis & vncinulis aureis, thoraces vero & caligæ ex serico cineritio erant, pinnulæ candidæ, pilis reliquisq́; telis & armis auratis: quarto legati, quinto & vltimo quadringenti & tredecim typographi, cusoresque librarij, quibus omnibus erant thoraces, caligæ, & calcei flaui, pilei colobiaq́; nigra, plumæ candidæ, qui fuit finis Mechanicorum siue arte manuaria viuentium. quorum nullum non collegium præconio Regio laudari meruit. ita simul vniuersa inter se studio & diuitiarum ostentatione certabant. neque minor modestiæ eorum, quam magnificentiæ gloria fuit. quippe cum silentio non aliter ingrediebantur, quam si militaribus ordinibus adsueti omnes fuissent. neque intercurrere necesse fuit ei rei præfectos ( quod tamen vulgo fieri solere*

*lere scimus) qui ordines restituerent, quiue hos subsistere, illos accelerare gradum iuberent: mirabanturque hanc disciplinam qui cum rege erant: quod tanta multitudo vrbana sesquihoræ spatio in tam ratum ordinem diuidi potuisset & digeri: nullo interim aut loquente, aut tussiente etiam, sed omnibus in rem præsentem oculis animisque intentis ita, vt facile appareret plerosq; omnes sub peritissimis ducibus aliquando militasse. Sed hos tamen tandem abire, & locum dare patiamur Nationibus, quæ iam pridem & ipsæ superbum Regi spectaculum præbere cupiunt.*

*Inter has autem primi & ante alios incedebant quatuor adolescentes Lucenses, habitu antiquo equestri Romanorum. quippe loricas gerebant ex panno argenteo optimæ notæ, adumbraculis artificiosissimis; hi a tergo patulos leonum rictus fixos habebant: braccæ non nisi femina supernè tegebant, genua etiam belluata specie operiebantur: paludamenta autem militaria q̃ ferebant (est autem hoc genus vestimenti non absimile ei, quo vtuntur pallij vice hodieq; Bohemi, sed genuum tenus, neq; vlterius pertingens) erant ex linteo argenteo panno lõgè subtilissimo, limbata serico atricolore; cuius generis peniculamentis etiam vndique eorum ora prætexebatur: passimque interuallo subinde duorum digitorum nodis nigris interpolabatur. hoc siue pallium, siue paludamentum, ita in dextro humero fibula stringebatur, vt sub ala sinistra retortum rediret, & collectum quasi hæreret in humero læuo; exertis ita brachijs, quæ, perinde vt crura, nuda erant. coma illis crispa erat, & ad quam formam Cæsares finguntur: vehebant autem eos quatuor prægrandes, & generosissimi equi; quorum strata erant ex panno argenteo quoque; non vltra tamen imum equorum ventrem dependentia: habenarum loco funibus vtebantur argenteis; cristæ erant candidæ, torulis aureis: hoc habitu iusto ab inuicem interuallo equitabant hi quatuor; equos ita dextrè flectentes, & subinde calcaribus vrgentes, vt cum altißime exilirent a terra, mirum fuerit sessores, (qui more veterum neq; equestris sellæ, neq; stapedum beneficio adiuuabantur) non sæpius excussos fuisse, et ad terram corruisse. Hos sensim præcedentes sequebantur Lucenses frequentissimi, bini per seriem; vestibus ex holoserico albo, limbis & segmentis ex atro holoserico. Vltimi autem erant Senatores & Proceres Lucenses, pileis, tunicis, caligis, togis ex holoserico nigro, cui subdebatur per omnia coloris eiusdem sericum. hos autem mulæ vehebant, phaleratæ strataque perinde vt sessores induebantur. qui eo & ipsi numero erant, eaque omnes vultus amœnitate simul & seueritate, vt non minus iucundum quam venerabile sui spectaculum præberent.*

Lucenses Lugduni negotiantes.

Florentini Lugduni negotiantes.

*Proximi à Lucensibus fuere Florentini: quorum sex pueri præibant in equis reliquos, primis duobus octauum, alteris decimumtertium, reliqs decimumsextum annum non excedentibus. equi autem erãt Turcici omnes; strati panno argenteo; byssinis nigris limbis Phrygianis: antilenis et postilenis ex holoserico nigro argento pictis. cristas autem habebant ingẽtes secundum aurem ex candido et atro bicolores. Ad hoc sessores tunicis splendebant argenteis, manica sinistra p̃lata opere Phrygiano nigro et albo laborata: galeri illis erant ex panno linteo etiam argenteo, sed ad eam formam concinnati, q̃ solet esse Polonis maximè in vsu. hos quoque modicis spacijs pedetentim præcedentes sequebantur Proceres Florentini, triginta septem numero, bini semper; vecti equis generis Turcici & Hispanici tantum, subinde alternatis. quib. phaleræ strataq; essent holoserica atra. ipsi autem rubris togis ex holoserico induti erant; subdito interius panno aureo coloris violacei, crebris clauis fibulisq; aureis manicas mordentibus. tunicæ erant ex serico violaceo, pictæ auro; caligæ siue braccæ ex holoserico rubro segmentato, tibialibus puniceis. pilei calceiq; ex holoserico nigro. Binos autem semper quatuor comitabantur famuli ad pedes; pileis, thoracibus, caligis ex serico candido, picto opere Phrygiano atro; colobia autem quibus singuli induebantur ex nigro etiam erãt holoserico; plumæ vero ex vtroq; colore æqualiter constabant. gladiorum manubria argentata erant; vaginæ nigræ, holosericatæ. extremus autem incedebat consul inter duos suos consiliarios, nonnihil quidem excedens splendorem cæterorum, sed sic, vt a colorib. non discederet. atq; ita q̃dem præter pedes & conspectum regis traducti sunt Florentini multorum iudicio nimis cito, cum tam insignẽ turmam semel vidisse sufficere nõ posset ijs, qui cupiuissent vsq; & vsq; oculos spectaculo tam eximio pascere.*

Mediolanẽses Lugduni negotiantes.

*Pone hos ibant Mediolanenses, bini etiam vestiti togis nigris damascenis florib. prægrandib. tribus limbis holosericis in orbem marginatis. manicæ autem harum togarum crebris clauiculis vncinulisque aureis crepitabant, perinde limbatæ inferne: caligis induebantur holosericis acu pictis, pileis item & calceis holosericis: equitabant autem omnes tellenones holosericis phaleris ad stapedes vsq;, sed stratis ex panno laneo tonsili: ambientibus eorum extrema tribus quàquà holosericis limbis. Iuxta hos quoq; singulos bini intercurrebant pueri a pedibus, cum caligis et thoracibus ex serico sanguineo exundante bombycinam setam rubram per rimas, quas crebras admodum habebant; pileis, calceis, cingulis, vaginis gladiorum rubris & holosericatis, pluma candida.*

Germani Lugduni negotiantes.

*Extremo inter nationes loco procedebant Germani; quibus erant thoraces fenestrati ex serico candido, vomentes argentum textile: tunicæ ex serico item, sed nigro, et ingentib. limbis holosericis atricolorib. vndiq;*

*diq; minutatim conscisis; pilei holoserici. equi quoque, quibus vtebantur generosissimis, holoserico strati erant; non infra imum ventrem tamen multum. marginatis ijs equorum integumentis argenteo perinde panno textili. singulis autem singuli apparebant a pedibus, quibus erant caligæ & thoraces ex albo serico fenestratim exundante bombycinam setam nigram.*

*Hinc sequebantur Judices rerum capitalium; præcedentibus in equis binis vsq; lictoribus Reuerendissimi Cardinalis Ferrariensis, Archiepiscopi & Comitis Lugdunensis. quibus omnibus tunicæ erant ex pannis tonsilibus purpurissum referentibus altera manica latiore & acu picta, opere atro candidoque: qui sunt colores Reuerendissimi eiusdem cardinalis; ipsi autem quorum hic præcipua erat auctoritas fuere consequenter, Præfectus lictorum, scribæ, præco, legatus supremi iudicis, Procurator & aduocatus Fisci, pluraque alia officia curialia Reuerendissimi Cardinalis.* Iudices rerum Capitalium.

*Premebant hos lictores regij, equites item, Symbolum suum manibus gestantes; baculum puta cœrulei coloris, sparsum lilijs aureis. post quos ibant scribæ siue Syndici Seneschallatus (ita enim eā curiā vocant) & delecti viri, quæstoresque. ac tandem Legati Iudicum, & Conseruator; habentes a tergo officia regia, consiliariosque magnæ curiæ eius prouincialis. equitabant autem omnes mulas ornatas phaleris holosericis, stratis ex tonsilibus pannis subtilissimis atricoloribus vti & ipsi nigris togis amiciebantur; hic sericis, ille damascenis; nonnullis etiam ex seta bombycina, quod genus Coas vocasse putantur veteres.* Regij lictores Lugdunenses.

*Proxime ante Juuentutem vrbanam equitabant, mulas item, aut certe equos eius generis, quos tellenonum nomine appellamus, quibus omnibus phaleræ erant holosericæ, strata ex pannis tonsilibus tenuiorib. Patricij, nobiles, ciues, & incolæ cæteri, pro re nata quisq; & opibus aut serico, aut panno laneo tonsili decenter vestitus.* Patricij nobilesq; Lugdunenses.

*His quoq; traductis ostentare se cœpit primum agmen vrbanæ iuuentutis; in quo erāt admodum sexaginta fulgentes loricis, galeis, gladiorum capulis auratis; cristisq; conspicui, quæ mixtim & regios & vrbicos colores exprimerent, atque ita alternatim candidis, atris, rubris; sarissæ quoque ipsorum ferro aurato circa medium vestitæ erant holoserico, dependentibus peniculamentis, perinde vt cristæ essent, tricoloribus.* Iuuentus Vrbana.

*Sequebantur ternos eos incedentes quaterna serie duodecim gladiatores, cætera inermes, nisi quod sex serico candido, sex sanguineo vestiebantur. qui, vt ad regem ventū est, substiterunt ilico, subque eius potissimum oculis depugnare inter se aggressi sunt, more cum maxime antiquo non quò ad armorum genus, sed quoad rationem inferendi aut exeundi* Gladiatorum XII. spectaculum.

*conductus. Primum autem dißimilibus telis vsi sunt; componebaturque frameæ xiphomachæra: (quod genus etsi propter longitudinem, spatium maius requirere videretur, coacti tamen sunt hoc loco depugnantes breuißime se colligere, et omnino supra quam credi potest, in vico præsertim non lato, aßidue ad ordines suos, aliorum exemplo, quibus tela breuiora erant, respondere) gladijs duobus, alius singularis iuncta parma longitudine brachij, latitudine pedali: gladio & sicæ Bononiensi, gladius & scutum breue. Ita compositi secundi ordines obuertunt se tertijs, defixisq́ in aspectu & vultu mutuo luminibus taciti stant aliquantisper, atque inde magno impetu in eos facto quibus diximus telis, ijsque non obtusis, sed vt ad veram & seriam pugnam comparatis, & acuminatis, non sine spectantium horrore quodam strennue rem gerunt. atque ita quidem, vt tertij ordines ad quartos se recipere necesse haberent; qui cernentes inclinatam fortunam suorum, auxilio accurrunt: lassosque tandem secundos ordines, recentes ipsi, loco pellunt; & ad primos retrocedere cogunt. qui imitati exemplum, & ipsi pro fatigatis socijs corpora obijciunt; atque ita subinde ex spectatoribus nunc hi, nunc illi ordines fiunt vicißim pars pugnantium. primi autem & vltimi ordines tanto quasi furore in mutuam pernitiem ruebant, vt nullum telorum genus subsisteret, et vim corporis, impetumque animi illorum sufferre posset. dißiliebant in partes plures frameæ, xiphomachæræ, gladijq́, vitri pene instar rumpebantur; tantumque terroris hæc animositas omnibus incußit, vt spectatorum vna vox esset, prohibendos viros fortißimos mutua indignatione moriendum, & vel vi pugnam separandam: cum interea ordines secundi resumtis iam animis viribusque suis se coniungunt, & simul ordines quartos palestra expellere conantur; fecissentque adeo, nisi retrocedentes iam tertij ordines, cognito periculo socios ab hac infamia prohibuissent: atque ita sex contra sex ferro decernere cœpissent, æqualibus iam telis, et frameæ framea, xiphomachæræ xiphomachæra obiecta, ac sic de cæteris. quæ fuit sane pugna spectatu digna; & ita bene pugnata, vt rex sexto inde rursum die sibi eam repræsentari voluerit. durauit autem supra dimidiam horam; nunc his, nunc illis vincentibus, sed quæcumque fuisset fortuna, certamen semper acriter restituentibus ita rato ordine, vt vel hoc solo admirabilis pugna ea videretur. quæ cum spatio quo diximus continuasset: iamque pristinum locum ordines singuli recuperassent; reddiderunt se agmini primo, a quo interim exspectabantur tacito, &, quamuis arderet spectandi studio (quod magis etiam inflammaretur audito eminus fragore concurrentium, & dißilientium telorum) ordines tamen seruante, quo nomine etiã impensius laudabantur; quod nouitas ipsa excusare potuisset discurrentes ad spectaculum, cuius omnino pauci conscij antea fuissent.*

*Præce-*

*Præcedentes ita cum primo agmine gladiatores subsecuti sunt tympanistæ et tibicines, atq; inde hastati duodecim stipatores Præfecti pedestrium copiarum, siue vrbanæ iuuentutis; quibus erant tunicæ antiquũ Romanorum ad morem consarcinatæ, cineritij, cãdidi & atri simul coloris. pone ibat Præfectus siue Ductor ordinum; q; perinde atq; illi, quos dicto audientes habebat, vestiebatur auro textili, coloris sanguinei (pro quo alij holoserico, quidam serico etiam rubro vtebantur) intercrepitantib. crebris bracteis, vncinulis, hamulis deniq; aureis. erantq; tunicæ omnib. ad formam sagi prisci Romanorum. cum contra equites, quos peditũ etiam nõnulli imitari malebant, tunicis vterẽtur anterius non vltra vmbilicum corpus tegentibus & superne ab humeris replicatis, subq; axillis coeuntibus; limbo ad latitudinem duorum digitorum marginatis, q gemmis, vnionib. carbunculis varie radiaret: reliqua parte auro puro fulgebant; rosarumq; & florum species varias referebant. Infra vmbilicum cinctus squãmis aureis quoq; horrebat; cuius pars ima ad femina media promissa, erat ex auro textili nigro. thorax & ipse ex auro textili squammis quoq; decorabatur, limbis argenteis præterea; squammarum autem singulæ aut clauiculo aureo, aut vnione, carbunculóue, aut deniq; stellis, semilunulísve aureis, argenteisq; variabantur. collare replicatu, & auro pictum, gemmis etiã lapidibusq; omne genus pretiosissimis collucebat; simileq; erat per omnia cingulum, quo lorica stringebatur. Pectus medium signabat caput leoninum; quod alijs erat ex auro puro, aliis ex argento deaurato; anulum aureum dentib. tenens, habensq; oculorum loco adamantem, carbunculum, aut eius generis alium lapidem. simili capite humeri etiam distinguebantur. perq; anellos quos capita hæc habuisse diximus traiectæ erant catenæ ex auro solidæ, vnde pendebant enses falcati, Persarum ad morem, longitudine duorum pedum cum dimidio. horũ capulus caput aut leoninum aut gryphis ex auro mentiebatur: oculis & lingua gemmata. prætẽturæ autem extrinsecus manubrii, quibus manus simul inmittitur et armatur, referebant caput feri capri, cornib. ita flexis, vt in crucis formam exirent. sed & vaginæ extremum capite peregrini & ignoti animalis muniebatur. caligæ illis erant ex panno laneo tonsili candido subtilitatis insignis; auro pictæ, & crebris gemmis distinctæ; cothurni ex auro textili, non nisi imam crurum partem cõtegebant; clauiculis aureis, gemmisq; & ipsi interpolati. Galeæ conus surgebat ex textili auro, totusq; gemmis & carbunculis densissimis fulgurabat. cristæ et ipsæ gemmatæ aurataq; per omnia, erant mistim rubræ, candidæ, et atræ. Singuli autem portabant dextra pilum, siue frameam, sesquisagittæ Indicæ longitudine: vtrinq; more antiquo præpilatam, & auratam, holosericoq; vestitam: peniculamẽtis, cum ipsæ frameæ rubræ essent, atris & candidis.* Princeps iuuentutis vrbanæ.

*Hoc tali habitu ordinum ductor suos præcedebat, qui eum terni consequebātur, iusto subinde relicto interuallo. omnesq; dextra frameas quasi trahebant ad terram depressas; sinistras vero capulo gladiorum suorum Persicorum admouebant. atque ita fere centum sexaginta ostentatione opum & luxu ante ea tempora inaudito inter se contendentes, splendidissimam pompam, & in qua pene vile aurum videretur, faciebant, medium tenente cum stipatoribus, tympanistis, & tibicinibus signifero; qui gestabat vexillum eius magnitudinis, vt etiam per cœnum raptaretur. cuius mediū leo obtinebat argenteus, exilienti similis. q̄ sunt vrbis Lugdunensis insignia. sequebatur extremum agmen sexaginta capitum, ad similitudinem ex toto agminis primi; ducente id præfecti legato.*

*Obstupuerant omnes ad tam augustum spectaculum, vix vidisse credentes, quæ viderant: cum subito insonuere tubæ duodenæ, excitandis illis, qui per somnium vsurpatas oculis tantas diuitias putabant; hi tunicis induti solennibus ex seta bombycina cœrulea, (cuius generis vexilla etiam ex tubis pendebant) & clangore ingenti personantes admonuerūt vnumquemque nouo spectaculo intentius vacare, quos sequebantur eos, quos diximus, tubicines, pariter in equis sex adolescentes, ministeria Magistri equitum vrbanorum. vehebātur hi omnes equis notæ optimæ, quibus essent strata phaleræque ex holoserico, cœruleis limbis, & pictura argētea. ipsi autem cœrulea etiam veste amiciebantur, cristasque secundum aurem eximias quatiebant, virgulis aureis interpolatas; iuxta ibant Magister equitum cum legato, signifero, & admodum septuaginta equites omnes ornati ad eum superbum modum, quem in peditibus ante iam satis curiose descripsimus; exceptis cothurnis, et galeis. nam pro cothurnis gestabant ocreas ex auro textili rubro, aut certe holoserico eius coloris, sed gemmatas, & pictas vti dictum est, pro galeis caßides equestres ferebant; gladium etiam non pendulum sed lateri consertum habebant, aureis tamen æque hoc catenis. singulos etiam duo comitabantur à pedib. quorum alterum suis, alterum communib. turmæ colorib. et symbolis quisq; adornarat. Equitabant autem equos omnes aut Turcicos, aut Hispanicos, aut Barbaricos certe duplicibus stratis intectos; quorum supius erat ex argento textili, crucib. & segmentis crebris serici candidi, aut auri textilis sanguinei, limbis gemmatis, peniculamentisq; aureis; imum vero ex auro textili nigro, squammis & hamulis ex filis argenteis: singulas eas squammas implentib. singulis vnionib. & clauiculis aureis simul consertis; respondentib. hoc pacto stratis equestrib. thoracib. sessorum et cinctib. q̄ p̄terea peniculamentis argenteis, byßinisq; marginabantur; insitis subinde cymbalis, q̄ iucundißima quadam harmonia aures spectatorū etiam pascebant, ne solis oculis voluptas q̄sita videretur. Ipse vero magister*

Magister equitum vrbanorum cum suis.

*magister equitum, legatus, signifer & primarij aliquot alij tanta dexteritate equos flectebant in omnem partem, & ad omnem nutum; nuncq́ adducto nunc laxiore freno moderabantur, vt regi & aulico eius comitatui magnæ admirationi essent.*

*Interea processerunt etiã quatuor Mandatarij (ita illic vocant) vrbani; vestiti velis, non togis: quarum manica altera punicea insignia & symbolum vrbis acu picta haberet. Processit & Præfectus vrbi, antecedentibus eum duodecim, in tunicis bipertito ex serico candido & cœruleo diuisis; ipse vtebatur veste holoserica nigra; vncinulis, hamulis, et clauiculis aureis plena vndique. equitabat autem prægrandem Hispanici generis equum, stratum holoserico nigro, pictura & peniculamẽtis aureis. sequebanturq́ eum pone pedetentim prægredientem, consiliarij & decuriones vrbici, togis ex serico nigro, tunicis holosericis, thoracibus sericis rubris, segmentatis; vehebantur autem mulis stratis panno laneo tonsili tenui phaleratisq́ nigro holoserico. ibantq́ bini: binis singulos à pedibus antecedentibus, quib: erant tunicæ ex serico segmentato violæ colorẽ imitante; sed fenestratæ, & bombycinam setam candidã vomentes. cogebant agmen hoc Procurator, Quæsitor, Ærarij præfectus, Silẽtiarius, & alia officia communis Lugdunensis: digna tanta vrbe grauitate et splendore quidem incedentes omnes, sed q[illegible]os tamen, si exemplum conferretur, longè maiestate à tergo relinquerent, perinde atq; in ordine sequebantur Palatina regis officia, & aulicus comitatus; qui prospectantes vndiq́ mulieres primarias non parum oblectabant agili equorum suorum circumactione; dum sæpe in eis velut inter cælum et terram sublimes pendere videntur, statimq́ velut nutu solo equos cohibentes, ordini se reddunt, & sensim procedunt: consequente extremo fere loco Dynasta Sanct Andreano regni Marescallo.*

Præfectus vrbi.

Aulicus regis comitatus, & officia Palatina.

*Quo abeunte mouit se Præfectus Heluetiorum, qui sunt laterones & stipatores regij: induebantur autem tum illi, terni ingredientes, caligis & thoracibus, variegatis ex argento textili & holoserico nigro, valde laciniosis & follicantibus ob subdititiam setam bombycinam argentatam crebris fenestris exundantem: sublatisq́ bipennibus siue securib. Romanis, satis indicabant regem confestim secuturum, nisi quod medij adhuc ibãt Cardinales Ferrariẽsis, Guisius, Vendocinus, Lotharingus, Borbonius, Pueris aulicis aurea calcaria singula præferentibus Comiti stabuli, qui sinistro latere equitabat, dextro vacuo relicto, perinde & non aliter, ac si magnus Præfectus Prætorij regij præsens affuisset. is autem stabuli Comes dextra baculum candidum, potestatis insigne, gestabat; prosequente rege, cuius tunica ex auro textili purissimo ita gemmis carbunculisque densata erat, & lapidibus omnis generis pretiosis, & repertu rarissimis*

Heluetij corporis regij custodes.

Rex.

*coruſcabat, vt æſtimatio eius iniri non poſſe ab omnibus iuxta iudicaretur; quibus ita oculos perſtringebat colorum varietas harum gemmarum, vt ſtrato equi & ipſi pretioſiſſimo gemmatiſſimoque adijcere eos non poſſent. Ceterum proximi à rege ibant Dux Vendocinus ſolus; atq; inde fratres eius, Princeps Rupiſurionius, & Dux Nemoroſus. mox Dynaſtæ alij, vt ſunt Sanct Adreanus, Maugeronius, Canaplius, cæteriq; ſupremi ordinis; trahentes poſt ſe turbam ſtipatorum regiorum aliam.*

I. Spectaculũ Obeliſci. *Hoc tam ſuperbo & vere magnifico apparatu rex ſecundum ſuburbia Vaſæ peruenit ad locum, cui Petræ-ſciſſæ nomen, vbi infra arcem ad læuam vidit Obeliſcum ingentis magnitudinis forma pyramidali quadrata, pedum ſexaginta trium altitudine. inſiſtebat autem baſi pedum duodecim, continebatque inſcriptionem:* NOMEN QVI TERMINAT ASTRIS. *occupabat vero ſummitatem eius luna creſcẽs argentea tripedalis. pyramidem vero ipſam ab imo ſuſtinere videbantur leones quatuor, baſis totidem angulis innitentes, ſeſquipedalis altitudinis, & inſignia vrbis ſinguli præferentes. ſculptura autem ipſa à ſummo ad imum arte diſſimulabat artem; dehiſcens etiam crebro, quos inter hiatus viſa ſuccreuiſſe herba antiquum mentiebatur opus marmoreum. Huius pars media picta habebat primo regia inſignia, corona imperiali eis impoſita: inde duos arcus Turcicos fractos, creſcenti in medio luna ſignatos argentea; tum ſymbolum regis, qui ſunt ductus litterarum D. ſæpius repetitæ & H. permiſti inter ſe, et inuicem circumplexi, ac coronati. atq; hoc parte maxime conſpicua: latere enim quod flumen ſpectabat, & viam dextram publicam, Victoriæ aliquot pictæ erant additis coronis triumphalibus & pacifica oliua; Seditio autem, Diſcordia, Bellona parte ima tamquam pedib. calcanda in vaſis antiqui operis ignem accendere, & flatu ſuo magno conatu nutrire velle videbantur, quos tamen ſtatim Cupidines quidam, ſiue Amores aqua gratiæ & beniuolentiæ exſtinguebant, cum titulo:*

TOTIVS GALLIAE RESTAVRATORI M. PLANCVS LVGDVNI RESTAVRATOR P.C.

II. Spectaculũ Dianæ venantis. *Juxta hunc obeliſcum ad dextram pratum erat muro cinctum, altitudine fere ſextipedali; conſito eo prato paſſim arbuſculis virgultiſque, nec non crebris dumetis horrente; quæ inter videre erat ceruos ceruaſq; & capreas, ſed ante cicuratas, ludere inter ſe; cum audito repente cornuum boatu venatum proceſſit Diana cum Nymphis ſuis; ipſa tenebat ſiniſtra arcum Turcicum magni pretij; pharetraq; pendente à latere, tunicam ſæpius præcinxerat. erat autem hæc ex auro textili nigro, ſparſa ſtellulis argenteis, manicæq; eius ex ſerico rubro ſegmentato pictura aurea Phrygiana micabant: nec propendebat hæc tunica infra genua; crura enim*

*ra enim cothurnis vinciebantur ex ſerico ſimiliter rubro ſegmentato, ſed auro gemmiſq; ita pictis, vt non cognoſceres vnde eſſent: capillum in nodum collegerat, interlucentibus paſſim & interſplendẽtibus vnionibus, carbunculis, adamãtibus, & id genus alijs aut pretio caris, aut raritate acceptis lapidibus: frontem creſcens luna argentea notabat. Sic & Nymphæ aliæ aliter veſtiebantur ad eos modos, quibus fingi pingiq; illæ hodieq; ſolent, & poëtarum adeò carminibus deſcribuntur. omnes ſerico tamen, vel Cois tunicis, ſtricturis crebris aureis, coloribusque, quibus vis oculos trahendi ineſſet quammaxima. nec ipſæ quoque neglexerant cothurnos ex ſerico & holoſerico auro pingere, aut comtui capitis crebras inſerere margaritas, carbunculosque, ac ſimiles delitias lapidum. ducebant autem loris numellisque iuncta paria canum tam Gallici quam Hiſpanici generis, aut pro loris numellisq; ne mentiar, funiculis byſſinis alternè candicantib. nigricantibusq;. Aliæ etiam iacula criſpabant hamis aureis ornata, peniculamentis atrocandidis. cornuaq; omnib. erant bubala aurata. Simul autem regem conſpexere, leo ex denſiſſimo nemoris pcurrens Dianæ ſe ad pedes proiecit; cuius illa viſa manſuetudine (blandiebatur enim etiam illi geſtibus interim) ligatum funibus byſſinis nigrocandidis ad regem prætereuntem adduxit; quem muro innixa his fere verſibus Prouinciali lingua allocuta eſt, feram illi offerens:*

Le grand plaiſir de la chaſſe vſitee,
Auquel par montz, vallees, & campaignes,
Ie m'exercite auecques mes Compaignes,
Iuſqu'en voz boys, Sire, m'ha incitee:
Ou ce Lion d'amour inuſitee
S'eſt venu rendre en ceſte noſtre bande,
Lequel ſoubdain à ſa priuaulté grande
I'ay recogneu, & aux geſtes humains,
Eſtre tout voſtre: Auſſi entre voz mains
Ie le remets, & le vous recommande.

*quod ſonat: Voluptas quam ex venatu aſſiduo cum comitibus magnam ſanè capio, ſenſim me etiam in tua, ô rex, nemora pertraxit: vbi cum hic manſuetiſſimus leo ſe nobis obtuliſſet, non difficulter ſane ex geſtib. blandientib. ac humanitatis plenis tuum eſſe agnoui; vnde etiam pro tali eum inter manus tuas conſigno, tibique commendo. Verum quando hoc quoque fortaſſis à nobis poſtulabunt quidam, carmina etiam carminibus quamuis ſubitaneis ita reddamus, ſed clauſula magis poetica tamen, atque id etiam de noſtro:*

Cum grege quæ mihi per ſyluas eſt ſumma voluptas
Nympharum ſæuis bella mouere feris:

Hæc me, Henrice, istos etiam descendere in agros
Cogit, & imperio tesqua superbo tuo.
In quibus vt facies mihi se hæc tam blanda leonis
Obtulit, à Domino pendula iure suo;
Agnouique tuum, & pro tali illum tibi sisto:
Inque fera mores gratulor esse Ducis.

*His dictis cum ipsa Nymphæq; vniuersæ regi iterato honorem exhibuissent, rex qui attentissime illam dicentem audiuerat, laudata secum hac inuentione, cum omnes prius oculis obiuisset, salueréq; vicissim iussisset, vltra tendebat. iamq; Portæ, q̃ à Petra-scissa nomen habet, appropinquabat; cum videt in aduersa eius frõte erectam porticum opere antiquario, columellis duplicib. testudinatis, crebris strigaturis. huius porticus in medio hortus pictus crebros Gallicos flores, hoc est, lilia pariebat, regio vbiq; symbolo implexarum in se inuicem litterarum vti dictum est inter ea quasi coalito, & vna crescẽte: duæ autem feminæ in speciem dearum hunc hortum, cuius exitus introitusq; à leone seruabatur, occupabant; sedentes ita, vt quæ dextro latere esset alteram amplecteretur, manuq; data amoris & concordiæ illi fidem firmaret, alludente iuxta canicula. Altera vero, quæ erat Obedientiæ typus, sociam, q̃ erat Fides, osculo excipiebat, & dextra vicissim ei studium suum paciscebatur; innixa læua iugo boum. Frontispicij titulus erat:* SEDES VBI FATA QVIETAS. *altrinsecus duobus alijs incisis; quorum prior esset;* TVAE SECVRITAS REIPVBLICAE. *posterior;* CVI FIDES ET AMOR OBEDIVNT. *in basi autem legebantur hi versus:*

III. Spectaculũ porticus cũ typo Fidei & Obedientiæ.

Salue ô rex felix, qui nostra ad limina tendis,
Visurus fidamque domum, fidosque Penates.

*In cimatio partibus extremis & media vasa tria flammiuoma & odora admodum collocata erant, indices lætitiæ & voluptatis extremæ, qua afficerentur hospitis tanti aduentu oppidani.*

IV. Spectaculũ historia Androdi.

*Interiore in porta qua vrbẽ ea spectabat visebatur historia Androdi, ad eum modum, quo Romæ marmori incisa spectatur. nempe quo pacto is leonis pedi infixam spinam exemerit, cui parti hæc verba subijciebantur:* GENEROSE PIO GENEROSA PIETAS. *adiectis in circuitu corollis triumphalibus alijsq; id genus.*

V. Spectaculũ Arcus triũphalis.

*Hinc cum ad locum rex venisset, cui Burgi noui nomen faciũt, arcus triumphalis peruius cernebatur, quinquaginta pedũ altitudine; colũnis vtrimq; geminis fultus: quarum coronides & bases auratæ erant; Stylobatæ Satyrorum, Silenorum, & similium monstrorum speciebus, ac capitibus leoninis decorabantur auratis, cum hoc infra disticho:*

Hoc quoniam non es veritus concredere nobis,
Accipe communis munera lætitiæ.

*Inter-*

*Intercolumnia autem habebant tam læua quam dextra plures quasi mansiunculas, et ædiculas; quarum in infima altera Bellona aditum eius occupans galeam regi offerebat, addito carmine:*

Quæ tibi iam socia est, tibi non Bellona timorem
Incutiet.

*in altera vero depreßiore ex aduerso Victoria regi palmam suam tendebat & lauream corollam, iuxta scripto;*

—Cedetque tibi victoria palmam.

*parte superiore hinc Pax stabat altera manu paciferæ suæ oliuæ tenens ramum; altera ardentem faculam qua ignem subijceret congestis prope armorum cumulis, inscriptione subiecta;*

Seu pacem terris, securè aut viuere cures.

*inde Concordia ferens vlnis aluearium in quo apes mellificant, indice digito monstrabat hunc versiculum:*

Concordes animos, felicia regna videbis.

*Frons vero eius arcus litteris prægrandibus hæc fere inscripta habebat.*

INGREDERE, HENRICE, INGREDERE FRANCORVM REX CHRISTIANISS. VRBEM TVAM, ANTIQVAM ROMANORVM COLONIAM, VT DEVOTISS. CIVIBVS TVIS SECVRITATEM REIP. PRÆSTES ÆTERNAM.

*altrinsecus constiterant, hinc Mars sinistra clypeum, dextra strictum tenens gladium, lupa ad pedes eius Romulum & Remum lactante, cum versu:*

Et regere imperio, dabiturque domare superbos.

*parte altera Juppiter sinistra aquilæ suæ innitens, dextra alte sublata fulmen vibrans, dicebat:*

Quos ego sub terras, adigamque hoc fulmine ad vmbras.

*Supra erat Diana rupi insidens; intendens digitum in Lunam crescentem argenteam ingentis magnitudinis, cuius cornua complectebantur duo hæc verba;* LVMEN ÆTERNVM. *hanc Dianam hinc inde comitabantur Nymphæ duæ aßidentes humi, canibus iuxta ludentibus. Fastigia arcus insederant leones tres; quorum extremi duo anterioribus pedibus ostentabāt insignia regis, reginæq́; medius tertius, cæteris editior, & coronatus imperiali corona aurea, tenebat vlnis Lunam argenteam cornibus longo adhuc interuallo non coeuntibus.*

*A latere, vt antiquitatis suæ omnia fidem certiorem mentirentur, murus erat crebris ruinis fatiscens, dehiscensq́; cornicib. etiam, & basibus, scapisque columnarum, sed semifractis, subinde insertis. vbi autem murus defecerat, succreuerāt iuniperi, genistæ, aliæq́; arbores; sub quarū vmbra*

*vmbra Satyri, Faunique ludebant; qui parte media nudi, erant solibus valde adusti & pruinis, barbam & comas hirtas plane habebant: fronti bina surgebant cornua; femina cruraque hispida desinebant, atque hoc quidem etiam serie minime recta, in caprinos pedes. Atque horum alius in summa rupe speculatorem agebat; alius pronus aut supinus iacebat; non nullus ita sedebat, vt altero pede suspenso terram non tangeret; omnes tamen simul tibias suas inflabant variorum sonorum, nec vniformes; sed sic interim vt concentum simul auribus iucundissimum ederent.*

*Quos cum aliquamdiu rex contemplatus esset, sub arcu transire cœpit; cuius cœlum rosis floribusque pingebatur; medioque sui, cum extenderetur latitudine quadraginta pedum, impluuium habebat forma ouali, quod exterius corona aurea crebris lilijs sparsa ambibat. Latera etiam rupium antrorumque speciem præ se ferebant, solo, vt in tesquis, petroso & impedito. Porticus Burgi noui insignia Gallica, seu potius regni Francici, lapidi incisa habebat; sustinente ea à tergo leone similiter*

VI. Spectaculũ Fidei & Iustitiæ.

*lapideo, & altrinsecus cingentibus eadem angelis singulis auratis magnificè, qui simul etiam hanc inscriptionem monstrare videbantur,* VN DIEV, VN ROY, VNE LOY. *quod est antiquum Lugdunensium Symbolum: sonans Latinè: Vnus Deus, Vnus Rex, Vna lex. dextro latere Fides dea nubibus insidebat amplexa crucem, vultu conuerso in transeuntes; depresso tamen eo in dextram crucis eius, quam tenebat, partem, sinuante vento tabellam iuxta suspensam, in qua erat:* IN FIDE: *Sinistro Iustitia similiter nubibus fulta manu altera gladium, bilancem altera, solita sibi Symbola, gestabat; exagitante alteram quoque scripturam aurarum varietate, quæ erat:* ET IVSTITIA.

*Ad hanc portam quatuor ex Senatoribus senioribus vestiti togis sericis regi se obtulerunt, ferentes vmbellã ex argento textili tam interius, quã exterius, pictã holoserico nigro, reddentemque insignia Regia, & amplissimum eius ordinem, qui sacer est D. Michaeli. sub qua deinceps vmbella*

Vmbella Regia.

*rex ire perrexit, gestantibus illam ijsdem Senatoribus capite aperto. viæ autem omnes, qua transitus erat Regi, aulæis tapetibusque hinc inde pretiosissimis condecorabantur, subindeque spectacula iterabantur; & insignia regia, corollæque triumphales frequentissimæ visebantur. nec aberant cœtus formosissimarum virginum, lectissimarumque matronarum; quæ quidem tanta copia extructa passim ad hoc theatra tabulataque occuparant, vt omnia late, & in primis Regem formæ suæ luce mire hi-*

VII. Spectaculũ Trophæũ Francicũ.

*lararent; donec inter hæc, & quæ dicere singula longum foret, appropinquatum est ei vrbis regioni, cui a Gryphe nomen est, vbi trophæũ Francicũ erectum erat altitudine quinquaginta trium pedum, sola columna exceden-*

*excedente pedes quindecim, quæ aurata tota, columellam & basim habebat marmoream, coloris candidissimi: Stylobata autem floribus exsculpta erat. coronidem statua occupabat, communem hominum magnitudinem nonnihil excedens; pallio quoq; regali induta, quod cærulei coloris crebris aureis lilijs distinguebatur & pingebatur; coronataque erat effigies ipsa vt quæ Franciam mentiretur; & alterã coronam imperialem manibus gestabat H. littera subiecta. ex media autem quasi columna omnis generis arma aurata argentataq; pendebant, tamquam hostiles exuuiæ, & magna vis telorum, gæsorum, pilorum simul colligatorum: cum titulo:*

SVO REGI FELICISS. FELICISSIMA GALLIA. *Stylobatæ autem insidebant vtrimque basi à tergo innitentes, hinc senex decrepitus longa & cana coma, ac in humeros defluente, itemq; barba perinde promissa vsq; infra vmbilicum, & candida, qui alis prægrandibus; cum dextra clepsidram ferret, sinistram falci admoueret, non difficilem de se spectatoribus coniecturam, quin Temporis typus esset, reliquit: inde Fama alata & ipsa, quæ manu tubam auream tenebat; & iuxta Temporis quidem typum legere erat:*

Huic ego nec metas rerum, nec tempora pono.

*iuxta Famæ:*

Vnum quem video fama super æthera notum.

*Stylobata autem ipsa habebat:*

Semper honore meo, semper celebrabere donis.

*Aræ quoque singulæ hinc inde iuxta trophæum positæ erant quadratæ, quibus insistebant duæ virgunculæ vrbanæ habitu dearum; comtu capitis adeo gemmato, vt omnia in eo adamantibus, carbunculis, amethystis, vnionibus radiarent. cuius generis, etiam inaures erant. puta, monstrosæ magnitudinis margarita. collum quoque baccis onerabatur. vestis erat ex serico sanguineo, segmentis & striaturis aureis; cothurnis quoq; concoloribus & non minore luxuria auro pictis. Harum altera fingebat Fortitudinem tenens manu læua palmæ termitem folijs auratis; dextra nassam, cuius generis illæ sunt, quib. capi pisces solent. in qua cernebantur Arces, Vrbes, Castella, permixtis vbique diadematis imperialibus regijs, ducalibus cum sceptris, tam ad antiquum morem, quam ad quem ijs hodieque Principes vtuntur, effigiatis. Altera simulabat immortalitatem. quæ quanquã omnibus suis numeris absoluta negabatur, omnibus tamen spectatoribus miraculo erat; præsertim alis ingentibus quæ erant arte eximia concinnatæ ex caudis superbæ alitis, quam Pauonem & Junonis auem alij vocant; caput illi corolla laurea opacabat; insistebatque strui armorum, librorumque; quasi quæ innueret*

*virtute bellica, & litterarum monimentis æternam quæri gloriam. ad quã rem magis & disertius exprimẽdam, sinistra innitebatur basi saxeæ non magnæ, in qua insculptum erat:*

SOLA VIRTVS IMMORTALITATE DIGNA.

*Brachio dextro duas coronas, quarum altera ex lauro, ex quercu esset altera, manuq; tertiam auream ostentabat. In fronte autem arularum, quæ leoninis capitibus auratis alijsq; belluatis operibus distinguebantur, sub Immortalitatis quidem pedibus legebatur:*

Aurea iam properat lustris labentibus ætas.

*Sub Fortitudinis vero:*

Fiant vt meritis regna minora tuis.

*Ipsæ quoq; deæ, ne statuæ viderentur, regem allocutæ sunt: dicente patria lingua Immortalitate;*

L'heur, qui t'attend, d'immortalité digne
Faict retourner soubz toy l'eage doré:
Parquoy la France icy t'ha honnoré
De ce Trophee à ta vertu condigne.

*quod sonat nobis, (puderet enim quamuis in summa & incredibili temporis angustia non versus versibus reddere; licet illi paraphrasis tantum quædam sint proximè præcedentis distichi.)*

Aurea, Rex, quia sub te de meliore metallo
Sæcla, pij quondam & sunt reditura Numæ;
Hoc tua te idcirco decorat deuota trophęo
Francia, ab auspicijs talia docta tuis.

*Fortitudinis vero oratio fuit ipsa quoq; numeris adstricta.*

Le temps aussi, lequel tout extermine,
Esgallera la Fame à tes merites,
Sceptres rendant & coronnes petites
A ta grandeur de maiesté benigne.

*quæ ita vertebam:*

Cætera edax rerum tempus; præconia in annos
Augebat laudi debita sola tuæ.
Virtutesq; istas sublimibus inseret astris,
Quæ merito hæc faciunt regna minora Ducis.

VIII. Spectaculũ Arcus Triumphalis duplex.

*Harum quoq; laudata forma, modestia, & eloquentia rex ad portum S. Pauli progreditur; vbi duplex rursum arcus triumphalis erectus erat operis Tuscanici; capitellis, coronidibusq; auratis; sustinente arcum vtrumq; base vna & eadem in formam vasis, aut receptaculi fontanæ scaturiginis. Horum arcuum singulos occupabant singulæ statuæ excedentes staturam hominum dimidio fere sui, erantque marmoreæ, & cubantes*

*bantes ficta; superius paulo inter vtramque tertia feminea statua prominente, cum hæ viriles essent, quæ genus omne fructuum instar Amalthea cornu funderet. cubantes autem statuæ superiore corporis parte nudæ erant. vt & ima iniecta leuiter circa vmbilicum & summa femina carbaso; eaq́ quæ Ararim referebat caput læua sustinebat, dormitantis instar & quiescentis; quod pertinebat ad fluminis eius naturam demonstrandam, quæ placida est, & leni fluens agmine; læuæ autem vrna subiecta erat operis antiqui, sed quæ aquæ loco vinum rubellum scaturiret. dextra, quam languenti similis genu admouebat, & quasi suffulciebat semierecto crure, scirpos, iuncos, cannasq́ tenebat, quod his ripæ eius in formam prope stagni aut paludis late vestiantur; carbasus qua integebatur, cœrulei erat coloris. Sed qui alterius Arcus spatium occupabat iacens Rhodanus, etiam brachio vrnæ innitebatur, at dextro; fundebatque vinum candidum. erat autem effictus corpore supernè semierecto, & commoto similis, ac vultu terroris furorisque pleno; vt violentiæ quæ propria illi est, indice; capillo & barba promissa erat, & stillante vndique; læua autem arreptum capulum antiqui gubernaculi auratum tenebat, indicans nauigabilem se esse, quo nomine reor etiam illi iniectam carbasum purpuream. Post has statuas rupes efficta erant musco vestita & arbusculis; in quibus effigiatæ auiculæ, arte cantum, quem veræ magistra natura modulantur, ad amussim exprimebant. cameræ sub rupibus & fornices diem vtrimq́ admittebant; lateribus exsculptis graphicè ad morem Tuscanicum. Editiore vero parte columellæ, quæ arcum vtrumque dirimebat, Persona feminea in speciem ridentis elaborata erat, cui pro crinibus hidræ serpentesque essent aquiuomæ, vt & ipsa quatuor fistulis dentibus insertis aquam eiaculabatur, sed ita subtiliter, vt, qui bibendi gratia ad vrnas propius accedebant, mirarentur sese madefieri, circumspicientesq́ auctorem, eius rei, spectatoribus deridiculo essent. sub hac persona tabula fixa erat cum inscriptione tali:*

TANTVM NATVRAE BENEFICIVM ARARIS ET RHODANI FELICITER CONFLVENTIVM PERPETVAM TIBI TVISQVE SPONDET HVBERTATEM.

*Vlterius paulo occurrit alius Arcus Triumphalis ingens, instar templi Honoris & Virtutis, quos antiquitas inter se iunxit, quia virtutis expers ad honores adspirat frustra: erat autem hic altitudine sexaginta facile pedum; & latitudine viam, quanta erat, occupabat. vtrimque columnarum vice sustinebant capitibus suis totam molem singulæ statuæ viriles & muliebres senum pedum; quæ vt antiquitatem suam & æs Corinthium plenius exprimerent, auratæ sub pectore habe-* IX. Spectaculũ III. Arcus Triumphalis.

 bant ora

*bant ora personata, quibus traiectæ catenæ tabellas suspendebant, quarum illa quæ sub virili specie erat continebat* HONORI PERPETVO; *quæ sub feminea* VIRTVTI AETERNAE: *capita etiam virilia gerebant querceam corollam, muliebria lauream. supra has statuas Titulus erat in hæc verba:*

HONORI VIRTVTIQ. PERPETVAE HENRICI PRINC. INVICTISS. SACRVM D D.

*Rursum supra hunc Titulum in coronice inferiore Honor armatus ex disciplina Romana, in solio residebat coronatus; tendens dextram admotæ feminæ, quæ typus erat Fidei, sinistra vero ad se trahebat comprehensum clementer brachio puerum, qui erat Amor: quo commento significabatur; Oppidanos, auctores huius arcus, honoris regij caussa omnem eidem venerationem, fidem, amorem promittere. fastigium huius coronicis à medio occupabat Victoria; læua palmam suam ferens, dextra duas coronas è quercu & lauro; à latere dextro Fama tubam suam ori admotam habens, quasi iamiam cantum occeptura; à sinistro Æternitas, siue Immortalitas nonnihil auersa, et occupata litteris quædam mandando; veluti diceret, neminem diu gloria celebrari, cuius non facta, quamuis laude dignißima, librorum monimentis tradita conseruarentur; à tergo harum adscensus erat ad secundam coronicem valde latam & spatiosam; quæ habebat pictum hunc Triumphum Honoris, trahentibus currum elephantibus, prosequentibus & cingentibus eum undiq; viris virtute bellica illustribus; præcedentib. vero captiuis manibus post terga reuinctis, adiecto versu:*

Terra tuos etiam mirabitur Inda triumphos.

*inde continebat Triumphum Virtutis; cuius currus trahebatur ab Vnicornibus; comitatus Nymphis omnis generis; quarum aliæ tympanis, citharis (perinde vt qui Honorem sequebantur claßico, tubis, cornibus, tibijs, lituis, clangebant) cymbalis, crotalis, personabant; aliæ ferebant ramos palmarum, lauri, oliuæ, & vasa fructibus varijs arborum pomiferarum plena, cum hoc infra carmine:*

En tibi quos nec habent alij virtutis honores.

*Templi summum fastigiũ planum erat, pensilium ad instar hortorũ; clausum septis quasi quibusdam, quib. inniti liceret; marmoratis tamen, & auratis subinde; in medio autem rotunda erat ædes exstructa habens in orbem columnas sex, octo pedum altitudine, auratas: tegebatur que opere scandulario; Luna crescente argentea tripedali desuper erecta. ipsa ædes mire exuuiis hostilibus & spoliis vndique prætexebatur; personata præterea, & belluata paßim: atque eius in circuitu cornicines sex habitu veterum Romanorum Regi aduentum clare gratulabantur;*

*bantur; qui sub arcu transiens interius quoq; certante cum omnibus ijs, qui vbiuis terrarum gentiumq; hodiè sunt, vidit Honorem, qui iam ab exteriore specie agnosci non difficulter poterat, depugnantem, & gladium, (hostili sanguine stillantem largè) vibrantem dextra, fugientibus quantum poterant aduersarijs. Honor autem conuersus ad suos, de quibus etiam nonnulli cæsi cernebantur, illis inculcare videbatur quod iuxta scriptum erat, ita:* PRO ARIS ET FOCIS SVB PRINCIPE GLORIOSE OCCVMBERE PRO PATRIA, VIVERE EST. *atque hoc ex vno latere. ex altero vero, vel potius in altero; vir mulierque, nudi ambo, depugnabant: Muliere, quæ erat Ratio, gladium ancipitem stringente, viro vero tensum arcum sagitta imposita tenente, quo significabatur Ingenium, quod eminus etiam valet. cæsi autem horum virtute cernebãtur aliquot Centauri, Satyri, aliaque monstra; indicium certum, violentiam, ferocitatem, ignorantiam, ratione & industria superari. quod & apposita tabella confirmabat in qua erat scriptum:* NON VI, SED VIRTVTE.

*Hinc ad extremum vici Flandrensis vrbis species stabat, Troiam signans. ac iuxta saxis quadratis insistebant hinc vir habitu Neptunum reddens; coronam capite, læua tridentem ferens, rupe illi obiecta ex aduerso; inde virgo formosissima, cuius verticem gemmata tegebat galea, vestis substricta monstrabat cothurnatam; non minore sumptu luxuq; in his quoque comparente: hæc dextra hastam tenebat; læua innitebatur clypeo, cui Medusæ vultus inerat: significabatur autem his contentio quæ fuit olim inter ea numina super Troiæ vrbis primatu, in qua hoc in controuersia erat, vtrius munus homines quam vtilissimum haberent, & maximè necessarium. rege autem his figuratis dijs propinquante, Neptunus tridente oppositam rupem ferijt, & ecce prosilijt media sui parte ex terra equus, cui pedes, caput, aures, oculi perinde mouebantur, ac si verus & viuus fuisset. adiecit factis verba Neptunus ad Palladem conuersus:* X. Spectaculũ Troiæ vrbis.

De mon Trident ce cheual ie procree,
Non tant pour estre a l'homme familier,
Que pour seruir cest heureux cheualier,
Qui tout ce siecle à son venir recree.

*quod perinde est ac si dicas:*

Hunc meo equum tellus fundit percussa tridente,
Humanis non tam vt seruiat ille bonis:
Huius quam vt placidas regis patiatur habenas,
Aduentu exhilarat qui loca cuncta suo.

*respondebat cum virginali quadam verecundia Pallas patruo;*

De ceste lance, ou toute force ancree

De Mars iadis confondoit les alarmes,
De ses haineux humiliant les armes,
Luy rendra Païx, qui tant au monde aggree.

*vnde faciebam, non elegantiore ista, sed crassa quadam, quod aiunt, Minerua:*

Hasta hæc, qua dubias solitus discernere pugnas
Mars, etiam huic gestit mittier ipsa Duci.
Speratque illius fieri virtute cruoris
Pro sitibundo, almæ pacis alumna, malo.

*cum dicto autem terræ defigebat hastam, quæ citra morā florens et frondens, in oliuam cōuersa cernebatur. quo symbolo virtus potentiaq; regis notabantur; vt quæ hostibus terrorem incussuræ, ac per hoc pacis necessitatem impositura essent.*

XI. Spectaculū Occasionis simulachrum. *Ad læuam porro, vico diui Joannis medio, Rex subsistere rursum voluit, contemplando Occasionis simulachro; quæ erat statua feminea rotunda octo pedum plus minus altitudine, insigni arte incisa; insistebat autem vasi capacissimo operis antiqui, cincta altrinsecus horrēdis Draconibus auratis, quos distinguebat medium personatum caput aureum iuxta omne genus fructibus proserpentibus. eadem hæc vrnæ seu vasis species basis loco erat columnæ in medio eius destitutæ, quæ passim ductibus H literæ auratis, & coronatis spargebatur; permixtis alijs quoq; symbolis, arcubus Turcicis, lilijs, cæterisq; similibus: coronam quoq; occupante lilij flore duplici aureo ingenti. Statua porro Occasionis nuda tota erat, fronte capillata, occipitio calua; innitebaturque tantum sinistro pedi; dextro ita retracto & subducto, vt non nisi primore digito terram attingeret; sinistrum brachium catena constrictum aurea, columnæ astragalo alligabatur: rotam pedibus premebat; ab vmbilico subtili linteo vmbrabatur, quod inter femina traiectum, brachio dextro sustinebat. manu globum terrestrem, geographicis figuris & dimensionibus interpolatum, ostentabat: vultu delicato admodum, & in subridentis speciem composito. à tergo habebat hemicyclij instar rotundum theatrum, Satyris, & Nymphis quatuor pro columnis opus sustinentib. brachijs & inferiore corporis parte desinente in flores, aut fructuum arboreorum congeriem: capitibus quæ arietinis cornibus auratis metuenda erant, sportas singulas ferebant, folijs & frondibus floribusq; ac fructibus omnigenis plenas; latera summa capitibus ceruinis ornabantur; distinguebaturque vniuersum hemicyclium tribus quasi ædiculis, quarum in dextraria Opis cernebatur coronam turritam vertice ferens, montemq; vestitum arboribus manu; vt quæ mater esset omnium: circa scriptum erat,* HANC TIBI IVRARVNT SVPERI. *in sinistræ ædiculæ*

*aditu Amphitritis Balenæ insidebat, sinu nauem fouens, dextra aquam vasculo hauriens, effundensq́: adscripto elogio* QVASCVMQVE PER VNDAS. *In media duæ deæ mundi machinam occupabant altrinsecus; quarum altera esset Prosperitas, non sine copiæ cornu; altera Felicitas, quæ dextra sphæram tenebat, sinistram tabellæ intendebat, cuius carmen esset:* VLTRA ANNI SOLISQVE VIAS. *in frontibus duarum columnarum, quibus latera vtrimq́; fulciebãtur, sub ijs, quæ diximus, ceruinis capitibus, exuuijs perinde ceruinis inscriptum erat hinc,* MANENT IMMOTA TVORVM FATA TIBI. *inde,* IMPERII SPES ALTA FVTVRI. *Stylobata autem, qua vniuersum opus sustinebatur, ne ipsa quidem muta, dicebat,* IMPERIVM SINE FINE DEDI.

*Ventum est inde ad Porticum quandam operis antiqui quatuor columnarum Ionicarum; intercolumnia quarum rupibus & antris distinguebantur. à fronte autem sub fornice quadam tres Nymphæ, siue deæ sedentes spectari poterant. Fide, q̃ esset vna trium, cãdida, Religione atra, Vestalium more, Spe viridi veste amicta. q colores implebant simul eos, quibus tam rex quam regina impensius delectantur. cornicem inuaserant Iustitia & Prudentia insignia regia præferentes. atq́; hic regem excepit festa gratulatione Reuerendiß. Cardinalis Ferrariensis, vt Archiepiscopus; amiciebatur autem veste cardinalitia, præferebaturq́; ei crux, & pedum quoddam argenteum, auro illitum, sceptri tamquam vice. vna erant Decanus, Archidiaconus, Procurator, Æditu us, Magnus Phonascus, siue Cantor, Præpositus, Comitiuæ dignitate illustres, equestri ordine spectabiles; omnes quam exquisitißimo ornatu cultuque. illi quidem ecclesiastico, hi vero suo, hoc est principali, & militari. hi obtulerunt Regi vmbellam alteram ex damasceno nigro alboque, insignibus Regijs pictam; sub qua in metropolitanam Ecclesiam ductus est, vbi ei lustrali aqua circumducto vestis pura data est, quam manibus tenuit donec ipse alijque precibus suis ad Deum fusis finem fecissent.*

XII. Spectaculũ Porticus antiqui operis.

Vmbella altera Regia.

*Inde consurrexit ingressurus domum archiepiscopalem, quam Cardinalis magnis sumptibus conatibusque variè instruxerat. Ante alia in ipsa area erectus erat obeliscus victoriæ; qui habebat in altitudinem pedes admodum quinquaginta sex; præter tres alios, quos corona, coronix, & cymatia consumebant. insistebat autem basi quadratæ pedes altæ viginti quinque. coronix erat Dorica, ad significandam stabilem, firmam, & perpetuam regis gloriam. basi insidebant quatuor Virtutes, quas cardinales vocamus, effigiatæ ex lapide, specie humana augustiores. Occupabantq́; singulas extremitates æqualibus interuallis, & manibus funalia tenebant, coronici globus impositus erat mundum hunc vniuersum designans, octopedalis, in orbem, quà terram referebat, auratus; quà*

XIII. Spectaculũ Obeliscus Victoriæ.

*mare,*

*mare, cœruleus, supra hunc globum Victoria sextipedalis se contorquebat, alis oppansis vento cuilibet; sic tamen, ut à proposito non dimoueretur dea, quæ manibus singulas coronas laureas gestabat. in stylobata, quæ præferebat superne hostilium exuuiarum, & armorum telorumq́; omne genus, infernè hoc exaratum erat elogium:*

HENRICI FRANC. REGIS VICTORIÆ AC VIRTVTIBVS INDELEBILITER.

XIV. Spectaculum. *In limine portæ supero, opere antiquario species duæ, viri & mulieris, altera in alterius amplexus ruebat; leone pede altero anteriore tabellam monstrante, quæ continebat:*

OB ADVENTVM HENRICI OPT. PRINC. VOTIS ANTEA EXPETITVM RHODANVS ATQVE ARARIS GRATVLANTVR.

*Vtrimq; proxime murum, vestibulum ornabant aliæ quoq; statuæ; quarum vna læuo brachio contortum pallium capiti circumuoluebat, indice dextræ ori admoto, in typum silentij & fidei; altera templum ferebat, vnionem ecclesiæ significans. in ingressu autem regis tormenta vndique tota vrbe, & in vallis propugnaculisque disposita displodebantur, tanto hercule fragore, vt tonitrua cœlestia nemo interim auditurus fuerit, etiam si violentissima coorta fuissent. Atrij autem in quo exceptus est rex parietes aulæis Attalicis personatis vestiebantur, solum erat tessfferulatum, et opere emblematico, atque asarotico stratum: occurrentibus crebro insignibus & symbolis regijs, principisque Delphinatis: permixtis subinde arcubus Scythicis, pharetrisque, & semi coeuntibus lunulis. desuper autem pendebant candelabra lychnique ex laquearibus aureis argentea septem, in crescentis lunæ speciem & ipsa conformata. & quia posticum eius domus flumen spectabat, turre in ipsas aquas excurrente à summo; ab imo etiam similis turris excitata erat, atque vtraque ita* Portus fictus. *crescentibus lunis coronata, vt singulas eas singulæ pinnæ haberent: spatium autem quod inter has turres patebat, muro interius ducto ad formam semicirculi, portum mentiebatur tribus porticibus insignem, & columnis in vniuersum duodecim, quarum intercolumnia habebant singulos deos marinos pictos, & inter alios Portunum timonem tenentem. in medio gradibus sedecim in fluuium descensus erat. quorum octo editiores semicentro portus simulati naturam æmulabantur; octo infimates centro integro à primo ad vltimum per interualla subinde crescebant. In hoc portu stabant plurimæ naues omnis generis; quibus rex flumen perambularet. in quo crebra etiam spectacula edebantur, crebræq́; naumachiæ. Sed inter naues facile primas obtinebat Bucentaurus; quæ* Bucentaurus nauis triumphalis. *strata erat in triclinij formam, patentis in longitudinem passibus tredecim, in latitudinem sex, in altitudinem deniq; pedibus duodecim. huius*

*aditus exitusq́ erant vtrinq; portæ duæ prisci operis, & artificij; supra coronicem surgebat alterum tabulatum septis pilisque, quæ diem transmitterent, à lateribus clausum, in medio fenestræ erant ad prospectum; ipsæ quoq; operis Romani antiqui; claudebantur autem linteis candidis ceratis, semilunulis & symbolis regijs pictis. hæc tota moles exterius rubebat flammeo & viuo, si ita loqui licet, colore; capitellis & cymatijs pilarum, columellarum, portarum, fenestrarumque auratis; cuius generis etiam leonini rictus, & lilia plurima passim cernebãtur. triclinium autem hoc vestiebatur interius damasceno candido & atro. sternebatur autem à solo tapetib. Turcicis: in medio transenna mensa modo suspendebatur, modo cælo suo & tabulato supero æqualis hiatũ eius, qui tamen etiam alioqui nullus erat, implere videbatur: tota autẽ nauis in circuitum etiam quemadmodum tabulatum superum, pilis columellisque cingebatur, quo ita impune & citra casus formidinem ambulari etiam à binis seriatim quaqua posset: his quoque columellis igneo colore rutilantibus & a summo imoque auratis. In puppi autem solium structum erat tribus gradibus crescens; exterius rubens, & ab auro fulgurans; interius damasceno candidonigro vestitum; lateribus fenestratis, ita vt Rex in eo solio considens & choreas spectaret, quæ in triclinio ducebantur, & simul ludorum, qui in flumine exhibebantur, spectaculo frueretur. Prora armabatur capite Gigantis, quod dentibus sanguineum rudentem mordebat stringebatq́, quo trahebatur ea moles, & agebatur à validissimis remigibus vestitu rubro indutis, qui alia naui vehebantur. hanc comitabantur quinq; aliæ naues non vnius generis. nam prima erat piratica ad eam formam, quæ hodie in maximo vsu est. rubra tota, & auro subinde infecta: puppeq́ instrata holoserico segmentato, pictura & peniculamentis argenteis; ad hoc malus etiam vestitus ab omni parte serico segmentato coruscabat; remis & omni instrumento nautico flammeo colore splendentibus. Secunda erat corbita longa admodum, in reginæ vsum præparata; hæc erat picta coloribus candido & viridi; strata circa medium holoserico viridi, limbis & peniculamentis argenteis; in prora curabant nautæ duodecim, in puppi duo, habitu thalassico, ex serico viridi candidoq́. vtebãtur autem hi celeumate Veneto. Tertia cymba cursoria erat regi destinata. pingebatur autem colore atro, semilunulis & symbolis regijs aliis argenteis intererrantibus. in medio habebat tabernaculum quadratum, lecticæ instar; id stratum fuit nigro holoserico, peniculamentis marginibusq́ argenteis, exterius; interius tapetib. Turcicis. vt & duo nautæ in prora, & tertius in puppi induebantur Turcarum in morem sarcinatis tunicis: quæ erant alioqui ex holoserico nigro, limbatæ argento, dependentibus eius generis etiam peniculamentis: pilei* Classis reliquarum nauium.

v erant

*erant editiores, ab imo replicati, & argento limbati: infra vmbilicũ cingebantur fascia Scythica candida insignis latitudinis, ex seta bõbycina. Quarta L b.irnicam mediocrẽ æquabat, strata itẽ nigro holoserico, limbis argẽteis. Quinta erat lembus speculatorius; cuius puppis vestiebatur holoserico impluuiato, peniculamentis argenteis. hæ naues omnes paratæ instructæq; exspectabant nutum Regis, qui postridie volebat esse spectator triumphalis ingressus suæ coniugis, reginæ, Catharinæ Mediceæ: perinde atq; ipsa eo die omnia quæ dicta sunt oculis vsurpauerat, dißimulata & sumpta persona ignobili, in vico diui Ioannis ex fenestra prospectans, quà vniuersa pompa traducta erat.*

## TRIVMPHALIS INGRESSVS CATHARINAE MEDICEÆ Reginæ Henrici II. Galliarum Regis coniugis eodem anno cIↄ. Iↄ. XLVIII. XXXIII.

*Postridie qui fuit* XXIV. *mensis Septem. regina in suburbia Lugdunensia venit, et vbi pridie rex. prandium sumpsit; dumq; collegia artificum in campo vrbi subiecto explicantur, & in ordinem rediguntur, Genuenses ante alios Reginam salutatum venerunt,* (Genuẽses.) *qua prius regem adierant pompa; in tunicis tamen exterius ex serico, interius ex holoserico atricolore: caligis & thoracib. Attalicis, siue ex auro textili, flammei coloris, tibialibus purpureis, cothurnis segmẽtatis holosericatisq;. famuli à pedib. induebantur holoserico et serico cãdido, limbis ex glauco holoserico, cuius mediũ filo candido signaretur, pluma erat illis viridis. Post Genuenses artificum variorum sodalitia alterum post alterum incessere, pridiano splendore, nisi quod viridi, quia color peculiariter reginæ grat° putabatur, õnia in veste et instrumẽto militari distinguerẽtur, et quasi vernarent. et cæteris quidem Typographi hoc etiam amplius faciebant, quod pileis omnes ex toto viridib. quos pluma candida opacaret, vtebantur: quod erat in tanta multitudine concolori res spectatu non indigna.* (Collegia artificum.)

(Lucenses.) *Lucenses pcedebant, quia ante quoq;, pueri; sed ita vt horum chlamydes peniculamentis viridib. variarentur; ministerijs quoq; eorum pedestrib. p clauo atricolore geminis viridibus ex holoserico ornatis: cuius generis etiam ipsorum erant colobia. viridis autem pluma pileum candidum obumbrabat. ipsi exterius interiusque sericati atricolores erant.*

(Florentini.) *Florentinorum pueri vtebantur tunicis nunc quoq; ex textili argento, quarum manicæ acu Phrygia variabantur. plumæ cæteraq; virebant. ipsi autem togis damascenis rubris segmentatis vestiebantur, quib. essent limbi & peniculamenta argentea; tunicæ erant item ex holoserico rubro segmentato. Famulis à pedibus erãt cætera ex serico candido, colobia tantum ex holoserico viridi: plumis ex candido viridiq; bicoloribus.*

*Medio-*

*Mediolanenses prodibant togis holosericis nigris, fultura subdititia nigra ex serico: manicis in primis clauiculis & bracteis aureis concrepantib. famuli quoque à pedib. seruabant vestitũ quo pridie vsi erant, nisi quod plumas gestabant coloris ex parte candidi, ex parte glauci.* Mediolanenses.

*Germanorum tunicæ Coæ holoserico prætexebantur; famuli serico candido vestiebantur; limbis candidis fenestratis, vnde exundaret seta bombycina viridis.* Germani.

*Iuuentus vrbana cætera pristina retinebat, excepto quod colobijs holosericis viridib. ornabatur, manicis dimidiatis & argentatis; thoracib. ex serico candido, pictura Phrygiana aurea. pluma candida rubra & viridi.* Iuuentus vrbana.

*Sequebantur Consiliarij togis nigris Damascenis cum præfecto vrbi, pcedentes pxime Palatina officia nobilitatemque aulicam, & Heluetiorũ stipatoriam cohortem; post quam paruo interuallo carpento vehebatur regina vndique patenti, cum Margareta sorore regia, ornatu cõptuque per omnia simili; atque ita gẽmis coruscante, vt scintillantes illæ spectatorum oculos pstringerent, tunicæ erant ex auro textili, peniculamentis argenteis: similique panno & carpentum stratum erat, & equi, quique aurigarum munere fungebantur pueri.* Consiliarij Vrbici. Regina Galliæ.

*Alio carpento inde vectabatur regina Nauarrea cum Principe virgine, carpento eo holoserico nigro strato, & Vendocino Duce per viam cum regina sermones miscente.* Regina Nauarrea.

*Tertia ibat ordine domina S. Pauli, quam deinde aliæ principes, & vniuersum gynæceum sequebatur, vestitu vtentes candido omnes, & capillis gemmis crebris fulgurantib. aureo reticulo cohibitis, vniuscuiusque autem lateri hærebat aliquis ex procerum ordine, aut primaria nobilitate familiæ regiæ. Hac pompa ventum est ad Scissam Petram, vbi regina repperit venantem Dianam cum Nymphis suis, vestitu ex holoserico, serico, & seta bombycina viridi, aderat etiam leo apparatu quo pridie, nisi quod pectore aperto & patente monstrabat reginæ insignia, cordi suo incisa: Diana his verbis reginam consalutante:* Spectaculũ Dianæ Venatricis.

Vous faisant part, Princesse tresprudente,
De nostre chaste, & honnorable queste,
Vous presentons ceste amoureuse beste,
Qui de son gré toute à vous se presente.

*quod sonat Latinè:*

Te quoque dum in partem cupimus, regina, venire
Prædæ, qua castus gaudet ouare labor;
Hunc tibi blandituum offerimus miti ore leonem:
Hac qui vltro voluit conditione capi.

Vmbella regia.

*Regina delectata & ficta Dianæ venuſtate, & porticu arcuq́ triumphali Burgi noui; ad portam eam obuios habuit quatuor Senatores togis damaſcenis veſtitos, qui ferebant vmbellam ex argento textili, holoſerico viridi ſubinde variato, & picto; additis etiam reginæ inſignibus: ſub qua deinceps vmbella regina vecta eſt.*

II. Spectaculũ Trophæi.

*Ad Gryphis obtulit ſe ſpectandum Trophæum Francicum, vbi virtus viridi ex parte veſte amicta, reginam ita compellat:*

Si la Vertu, Princeſſe vertueuſe,
Vous ha rendu ſur toutes fleuriſſante,
Encore plus de voſtre fleur iſſante
Se voit la France en voſtre honneur heureuſe.

*quaſi dicat:*

Eſt fateor virtus tua, Princeps, maxima; quæque
Vix vllo dignè poſſit honore coli:
Sed flos fœcundæ tamen hic, regina, iuuentæ
Lactat adhuc Francos ſpe potiore tuos.

*excipiebat Virtutis verba Immortalitas, ſubiungens:*

Parquoy de vous eſtant toute amoureuſe,
Se reſiouit de vous veoir iouiſſante
Du bien oſté a Fortune puiſſante,
Pour mieux vous rendre en terre glorieuſe.

*quæ vertebam libertate Poëtica:*

Immortalia mortales ergo tibi, Princeps,
Præmia Franci ijdem, & non peritura dabunt:
Et te fortunam ſupra cœleſtibus addent
Laude deis, ſidus certius Andromeda.

*His quoq́ regina plurimum delectata, non ſatis ex animi ſententia contemplari valuit tamen ſingula ſpectacula, quia iam adueſperaſceret; quod incommodum crebris funalibus, & facibus diſcutiendum fuit; ad quæ funalia peruentum tandem vbi Neptunus & Pallas ſtationem ſuam habebant; dicente illo, cum prius percuſſa tridente tellus equum edidiſſet;*

III. Spectaculũ Neptuni & Palladis.

Si ie voulus le Roy tant eſtimer,
Que mon cheual des Troye luy donnay,
Ce mien Trident auſsi vous deſtinay,
Pour auecq moy dominer la grand mer.

*quorum verſuum hæc eſt ſententia:*

Ille ego qui regem ornaui, percuſſa tridente
Quem tellus noſtro territa fudit, equo:
Hoc tibi idem dono princeps clariſsima telum,
Et facio arbitrij quod mare cumque tui.

*his di-*

*his dictis cum auratum Tridentem reginæ quasi obtulisset, ex parte altera Pallas, hasta ante in Pacis arborem conuersa, sic prosequutur:*

La France alors commenceant a aymer,
Muay pour vous, Princesse sage & bonne,
La guerre en Paix, comme le ciel s'adonne
A voz vertuz haultement consommer.

*ex quo faciebam:*

Francia amor meus est; doleat palus hospita quamuis,
Ex quo eadem optato te fouet vsque sinu.
Francia, pro bello tristi quam pace beabunt
Læta animi, ô princeps, plurima dona tui.

*hinc in vico S. Ioannis spectauit Occasionem, quæ illi obtulit vniuersi monarchiam dimidiatam, quòd per illam regi marito contingere olim deberet: postq; alia multa tandem locũ eum attigit, vbi Reuerendiss. Ferrariensis Cardinalis, tanquàm Archiepiscopus cum Decano, totoq; collegio ecclesiastico, qua pridie pompa regem, nunc eam excepit; quòd sub vmbella damascena candida viridiq; in templum ducta est; vbi cum aquis lustralib. circumlata esset, in domum archiepiscopalem se recepit; vbi magnifico et solenni conuiuio excepta est, choreis & cantib. in multam noctem durantibus.* IV. Spectaculũ Occasionis.

*Die Martis Senatores obtulerunt regi munus honorariũ inuolutum holoserico nigro, limbis argẽteis marginato, subdititia fultura è serico rubro segmentato. Erat aũt munus, rex armatus more antiquo, & in solio cõsidens; cuius antica posticaq; partes, et fulcra brachiorũ vtrimq;, quatuor lunis crescentib. affabre admodum factis, reliqua ope arcuato cõstabant, symbolis regijs interludentib. Ante pedes eius deæ geminæ medium Leonem cicuratũ, & blandienti adulantiq; similem regi offerebãt: quarum altera erat Fides, pictura & fictura antiquaria, manu altera panẽ, altera calicem, aut vasculum ostentans; secunda vero Liberalitas vocabatur, tesseram tenens, & pede dextro discum premens. hæc omnia basi quadratæ innitebantur insignibus vrbanis signatæ inscriptæq; à laterib.* Munera à Lugdunensib. Regi & Reginæ data.

FIDEI LIBERALITATISQ. PVBLICÆ D.

*Accepit rex hoc donum à deuotiss. suis subditis vt dignum eius humanitate erat; atq; illi mox pinde reginæ quoq; rationẽ habuerunt; cui, postquàm seq; vrbemq; suam de meliore nota commendassent, obtulerunt similiter munus cõtectum inuolucro ex holoserico viridi, marginib. argenteis, cuius interiora essent ex serico rubro segmentato. Munus autẽ erat, Proserpina dea, sedentis habitu, & tenens vlnis cornua duo Amalthea, fructib. plena in summo lilium germinabat supernè aptum, emergentib. humerorum tenus duobus puerulis, ad pedes deæ ludente tertio puero iam grandiusculo malo rubro, quod referret ea, quibus insignia eius notantur: sed*

*sic, vt circulo aureo ambiretur, Zodiacum signante: quasi dicerent auctores commenti, Delphinatem aliquando gubernaculis orbis mundiq; admouendum. hæ quoq; figuræ à basi quadrata sustinebantur, insignibus vrbanis ornatæ, cum inscriptione:*

Semper honos nomenq; tuum laudesque manebunt.

*A prandio rex reginaque conscensis cymbis oblectarunt se spectaculo, quod præbebant hastis aut contis potius concurrentes, & inuicem in aq̃ deturbantes, q̃ D. Vincentij, quiq; D. Georgij vicos habitant. inspexerunt etiam triremes, quæ ad naumachiam instruebantur: pambulatoq; flumine ad Sirenas vsq;, & p̃ximã insulã, tubarũ, lituorũ, tympanorũ, tibiarũ, tormentorũ deniq; sonitu, crepitu, tonitru, variè oblectabãtur.*

Conuiuiũ triũphale. *Die Mercurij Rex, Regina, Cardinales, proceresq; & principes fere omnes feminæ excepti sunt apparatu incredibili à Cardinale Ferrariensi in Nymphæo, (Rontalio nomen est) exterius interiusque rarissimis picturis recenter ornato; vbi inter alia cardinales quatuor virtutes iustæ magnitudinis scutum Francicum tenebant. Hic inter palatium & hortos sub vmbellis cœloque splendidissimè ornato & instructo mensæ positæ erant: ipsique horti variè vbiq; exculti spectabantur, arte supplente subinde, quod illis natura negasset. Atq; huc venerunt Ductores iuuentutis vrbanæ cum legatis, signiferis, & delectis plurimis ex numero suorum, vestiti omnes holoserico nigro, thoracem si tamen excipias, qui erat ex serico candido, & pluma similiter alba; obtulit autem eos regi, q̃ p̃ sua affabilitate humanissimè eos excepit, Dux Guisius. Post solennes choreas rex, regina, Cardinales & principes omnes vtriusq; sexus Bucẽtaurum conscenderunt, visuri sphæristerium Esneæ expresse Regij oblectamenti caussa extructum secundum flumen, si forte in proxima abbatia deuersari ei collibuisset. Erat autem hoc sphæristerium omnium eorum quæ in Gallia plurima spectantur longè spatiosissimum; & sumptuosissimum à fronte semilunis argenteis condecoratum: in orbem vero et quaquà circa turriculis, columnis, peristilijs, magnificè vestiebatur fulciebaturq;: atq; in eo rex interiectis diebus se exercuit. tum perrexit nauigare merẽdæq; tempore latens in Bucentauro mensa tragematis exoticisq; bellarijs, vt sunt Italica, Hispanica, Lusitanica, instructissima cum admiratione omnium quasi cœlitus demissa descendit; emersit que ab imo solo similiter cella vinaria, quasi dij superi huic Principum cœtui quod ederent, dij vero marini mitterent, quod biberent.*

Scenica spectacula. *Sub horam autem quinctam vespertinam rex in theatrum venit Comedos auditurus; cuius theatri apparatus cum reliqua vbiq; splendore certabat; angelis per aërem quasi volitantibus & faculas allucentibus; in orbem vero coronici cuiusque columnæ insistebant pueri duo capitibus*

*pitibus fructuum genus omne baiulantes; infernè iustæ erant statuæ excisæ duodecim, per æqualia interualla. quarum sex togatæ erant ad morem priscum Romanorum, & lauro à vertice coronatæ, Poëtas sex Florentinos signantes; sex armatura antiqua instructi reddebant totidem proceres ex familia Medicea, quæ conseruatrix fuit Græcæ, Latinæq; literaturæ, quæq; Architectonicen, plasticen, cæterasq; artes à Gotthorum Vandalorumq; barbarie suppressas, & tantum non interstinctas, in vsum reduxit Europæ, et non vitam tantum, sed dignitatem etiam pristinam sperare iussit. Lychni & candelabra, q̃ crebra lucebant candelis faculisq; ex cera virgine, conformata erant in Harpyarum similesq; monstrosas species. Histriones autem variè vestiebantur auro et argento textili, holoserico; serico; opere Attalico, Babylonico, Phrygiano, et quo non? horum actus distinguebantur Musica harmonia: Apolline per interualla, q̃ iuxta ætates septem fuere, in scenam prodeunte, & ad lyram Ethrusca multa carmina in laudem regis cantillante. quin noui quoq; modi excogitati sunt, & ratio in Comedijs adhuc non vsitata; qua veniens Aurora ludos committebat, cantansq; & sedens in curru suo à duob. gallis gallinaceis trahebatur; prosequente eam post iustum interuallum Nocte, quæ, finem ijsdem ludis scenicis factura, vehebatur perinde sedens curru à duabus lucifugis auib. cantillabat autem & ipsa, tectaq; erat stellis sideribusq;, & ante se lunam crescentem habebat argenteam. quod cõmentum adeo regi placuit, vt sæpius iterari meruerit.*

*Die Iouis hora secunda à meridie naumachia exhibita est; triremib. ad formam veterem ædificatis, sed a prora & puppi inaudito, & adhuc non viso artificio, aut certe nouo instructis specieb. ridiculis, & bellis simul tamen. harum Prætoriæ duæ erant communem magnitudinẽ excedentes: quarũ altera candido, atro, & rubro colore varia, proræ loco habebat collum monstrosæ cuiusdam belluæ altissime eductum, & in olorini colli similitudinem replicatum, ac desinens, qua aq̃ admouebatur, in caput pdigiosæ magnitudinis cornutum. trãstra tabulataq; antiquo more intexta erant, summitatib. auratis, argẽtatisq; rosis, flosculis, et leoninis rictibus argenteis vbiq; interiertis; aluus nauis à laterib. ornabatur armabaturq; simul laminis ferreis, telorum omne genus forma reddentib: infernè aũt ærũnæ Herculis continebantur. Puppis clatratæ fenestræ instar à tergo circularis erat; argento fulgens partim, partim atri color. à fronte duas lunas crescentes prægrandes habebat: ab imo surgente collo alterius animalis, quod reflexum perinde ad carinam demergebatur, laternam auratam suspendens, hæc puppis seta bombycina vestiebatur candida nigraq; alternis, et Damasceno Babylonioq; opere pingebatur. Habebat autem hæc Prætoria duas minores triremes dicto audientes; quarum alterius puppis in tabernaculi formam adornabatur, alterius*

Naumachia.

*aliam*

aliam speciem præ se ferebat; proræ vtriusque capita belluina etiam ostentabant eiusdem per omnia coloris. Altera Prætoria candidi & viridis coloris, erat puppi triangulari, reducta à summo in serpentis volum ina, vnde laterna quoque aurata pendebat; latera erant personata belluataq́ue, auroque & argento fulgebant. proram faciebat caput Capreæ aureum collo gruino in se redeunte; vela, rudentes, remi, cæteraq́ue nautica instrumenta candida & viridia simulerant: aluus quoque à laterib. pilis, gæsis, hastis, gladijs, telisq́ue cæteris ex ferro firmabatur, mucronibus argentatis; aplustre erat ex seta bombycina candida & viridi ad discrimen alterius Prætoriæ, quæ habebat aplustria candida atrataque. huic quoque Prætoriæ duæ minores triremes subseruiebant forma diuersæ, sed vnicolores. Hæ naues ita instructæ acceperunt militem, qui à prora, puppe, & lateribus præsidio esset; galeis, clypeis, scutis, parmis, pilis, gæsis, gladijs auratis; erant præterea in nauib. vrnæ cineribus ardentibus & igni plenæ; saxorumq́ue & mißilium magna copia. Atque hoc apparatu ex portu Augustiniano prouectæ sunt atricolores priore loco; sequētibus sensim viridibus cum multis Liburnicis minoribus cymbis, lembis, & speculatorijs nauiculis, ad excipiendos eos, qui in aquis periclitaturi erāt armis graues: ad ipsarum autem subuectionem, tormēta, sclopi, tubæ, litui, cornua, tibiæ, tympana eo sonitu perstrebant ex triremibus æque & alijs nauibus quas armata occupauerat iuuentus vrbana, & ciues; parati ipsi quoque eminus cominusq́ue depugnare, vt aures omnium, non secus ac eorum qui Nili cataractas accolunt, obsurdescerent. Primi autem Esneæ, vbi Rex exercebatur, cōstiterunt. virides ad pontem Araris contenderunt. interea fenestræ, tecta, locaque omnia ab vtraque ripa complebantur incredibili multitudine vndique ad spectaculum tam celebre confluente: flumen quoque nauibus quasi consternebatur, inter quas regem reginamq́ue Bucentaurus; reliquos principes, viros, feminasque, naues aliæ omnis generis regiè instructæ instrataque vehebant: atq́ue hæ constiterunt è regione Cælestinorū, quod hic summa esset fluminis tranquillitas. Vix rex inhibuerat cursum, cum Nigri, à parte inferiore signo dato, tormenta explodunt; faciunt idem Virides, obuersisq́ue proris alij in alios feruntur, medijs ita inter minores triremes prætorijs, vt vtrimque semilunæ speciem redderent; cum iam in propinquo essent, ad tubarum clangorem Prætoria in Prætoriam, reliquæ in sibi oppositam quæq́ue incurrit, cœptumq́ue pugnari à fronte magna contentione: atq́ue ita, vt mortalibus inter se odiis dißidere viderentur partes. quæ receptui canentes mox ad secundam coitionem reuertuntur; duæque vtrimque minores à prora & tergo Prætorias inuadunt, sed frustra, & irrito conatu. tertio igitur reuertūtur minora nauigia in mutuam perniciem armatæ ignib.

& mißi-

*& mißilibus; quibus dum res geritur, Prætoriæ à tergo suorum fortunam speculabantur; quæ talis fuit, vt tandem nigræ duæ triremes alterã ex viridibus suppresserint; quare triumphum canentes & victoriam tormentorum tonitru, tubarumq́; & lituorum clangoribus magnisque vocibus concelebrantes, se recipiunt. Et rex quoq; die iam deuexo nauem seu potius molem suam Bucentauricam remulco agi iubet ad Obseruantium sodalium monasterium, prosequente omni classe, triumphali pompa. in quam Bucentaurum cœnatus rex mox circa septimam rediјt inq; ea Prætorijs vtrimque cinctus triremibus peruenit ad arcem Scissæ Petræ; ibi tranquilla tempestate, & nocte illuni, tanto & tam horrendo fragore tormenta ex arce totaq́; classe detonarunt, vt omnia late ruere viderentur. crebri quoque adeo ignes claßiarij eiaculabantur arte Graia temperatos, & in bombos plaususque ingentes desinentes, vt omnia ardere crederentur; pſertim cũ in Prætorijs ignis admotus esset rotis magnã celeritate se versantibus & flammarum globos dẽsißimos iaculantibus, qui pariter incendebant centum iuxta posita per interualla machinamenta Græca ex tormentario puluere composita, tanto pauore quorundam, vt se carinis affigerent flebilique vlulatu aliorum lætitiam voluptatemque augerent. Inter quæ cum rex portum subijsset, postquam choreis modico tempore indultum esset, cubitum omnes concessere.*

*Die veneris gladiatorij ludi, de quibus supra memorauimus, iterati præsente regina, quæ eos adhuc non viderat, singularique voluptate spectati sunt ad tempus vespertinarum vsque precum; quibus rex interesse voluit, quod postridie essent feriæ S. Michaelis, cui sacrum ordinem honorare tunc etiam voluit, comitiis eius, quæ iampridem nulla in Gallia habita essent, celebratis, quod ea pompa, quã iam dicemus, factum est.* Iterantur ludi gladiatorij.

*Primos Heluetios stipatores cum tympanotribis & tibicinibus suis sequebantur centum nobiles hastati, atque hos rursum Accensus Ordinis toga talari ex serico candido, & cucullo replicato in morem aduocati Parisiensis ex serico rubro segmentato, in tergum reiecto; atque hic ferebat massam siue pedum argenteum & auratum superne habens regia insignia coronata. post eum ibat rex armorum Ordinis, scribã, & ceremoniarum magister, qui omnes eodem vestitu, & gerentes ex collo concham auream præcedebant Reuerendißimum Cardinalem Guisium, tamquam Magistrum supplicum libellorum, Ordinis Cancellarium vocant. hunc exterius chlamys rotunda ambibat ex holoserico candido, fibulata in humero dextro, & rediens in sinistrum; cucullus erat ex holoserico rubro segmentato. Sequebantur equites ordinis bini, habita cuiusque dignitatis ratione. omnibus autem erant chlamydes perinde rotundæ, & cinctu quo diximus, eæq́; ad talos vsque demissæ, sed ex argen-* Comitia ordinis Regij S. Michaelis. Pompæ ordo.

*to textili, limbo crebris lunis crescentibus distincto, quas inter erraret radij flammæq; aureæ, ita vt simul nubium speciem facerent. infra quem limbum etiam alter prætexebatur summæ oræ, symbola Ordinis, tesserasq; ex auro, argento, gemmis, intextas habẽs. cucullus ex holoserico rubro vermiculato similiter marginabatur gemmis, auro, argentoq;, symbola ordinis exprimentibus, quæ etiam ex auro torqui annexa singuli gestabant; vtentes tunicis interioribus etiam candidis, vt cuiq; ex holoserico aut serico eæ magis collibuissent. erant autem numero octodecim; quorum extremos, Duces, Vendocinum, & Guisium Rex sequebatur eodem quo alij vestitu, nisi quod crebrioribus gemmis vnionibusque distinguebatur, & chlamys peniculamentis aureis vndique fulgurabat. ibant pone Regem Cardinales; Borbonius, Vendocinus, Lotharingus & Ferrariensis habitu suo rubro vndulato. Hac pompa templum ingressi cum essent, interiora eius occuparunt, & rex loco Decani consedit; reliqui proceres pro dignitatis ratione hoc, aut illo, multis sedib. vacuis relictis absentib. sodalibus, ita vt singulæ insignia eius, cuius honori vacabant, nominaq; præferrent. Circa aram sacrarium reginæ instructum erat, vbi illa cum principibus feminis pompæ ordinem spectaret.*

*Vesperi Rex Comedis rursum se oblectauit: quæ comediæ etiam Lunæ die relatæ sunt in gratiam eorum, qui primis diebus illis interesse non potuerant.*

*Die S. Michaeli sacro Rex sodalesque ordinis, qua pridie pompa, sacris operati sunt cum solennibus & debitis cerimonijs; indeque prandium Rex omnibus præbuit triumphale, mensa ipsius in medio posita. Inter preces vespertinas defunctis sodalibus parentatum est: quo nomine togis pullis vsi sunt reliqui, rex vero veste violæ colorem referente.*

*Die Solis siue Dominico etiam pullati proceres sacris interfuere, Rexque ijs absolutis ægros tactu suo de more impertijt. à cœna spectauit ardentem nauem turritam, quam cingebant vndiq; triremes maiores, quæ ignita in illam tela mille iniecerunt, ita vt maxima coorta sit flamma, crebraq; fulgura & tonitrua, ob puluerem tormentarium variè præparatum, & per interualla in naui illa incendio destinata dispositum, qui prout flamma augmentum capiebat, & subinde longius promouebatur, corripiebatur ipse quoq;, neq; parua indignationis suæ indicia creberrimos edebat crepitus.*

Nauis ardẽtis spectaculum.

*Die Lunæ, hoc est ipsis Kalendis Octobribus rex decessit Lugduno, non paruum ibidem sui desiderium relinquens, & ad Fontem suum Bellaqueum redijt.*

TRIVM-

TRIVMPHALIS INGRESSVS PHILIPPI Hispaniarum Principis tum, nunc Regis eius nominis II. Mediolani anno cIↃ.IↃ.XLVIII.

XXXIV.

*IN ipso statim ingressu Portæ Ticinensis pons ligneus non parua arte instratus erat centum quinquaginta vlnarum longitudine, qui à lateribus vtrimque octo haberet statuas femineas, æqualibus distantes interuallis: hæ virginali habitu candido nouem vlnarum altitudinem singulæ facile æquabant; erantque typi octo vrbium Ducatui Mediolanensi subiectarum, puta ipsius Mediolani quæ est eius metropolis, ideoque principali loco ad dextram eius statua posita erat coronata, manibus sceptrum & claues geminas tenens. inde Cremonæ, cuius statua capite turrito arcem gestabat; tum Laus Pompeia, vertice corollam pampineam gestans, & manibus inter se implicitis; postremo Nouaria manu scutum præferens, quod est indicium sudarij sacrosancti ibidem depositi. E regione autem, hoc est latere sinistro, prima stabat effigies quæ Ticinum signabat, dextra fractam coronam regiam, seu diadema, sinistra hastam tenens: secunda, quæ Comum notabat, aquam ex vasculo effundebat; tertia Alexandria Insubrorum manu cornu Amalthea tenebat; ad pedes ligneo catino adiacente: quarta & vltima Dertona Appenninum gestabat.* I. Spectaculũ octo statuę femineæ in ponte lõgo CL. vlnas.

*In medio huius pontis erectus erat arcus triumphalis altus vlnas quinquaginta, latus triginta: isque supra portam, quæ erat altitudine vigintiquinque vlnarum, habebat hunc titulum.* II. Spectac[...] Arcus [...]phalis.

PHILIPPE PRINCEPS MAXIME, IN QVO PARENTIS TVI CAROLI V. IMPERATORIS AVGVSTI OMNIS REFVLGET VIRTVS, AMPLITVDO ATQVE MAIESTAS: TIBI FIDEM PERPETVAM MEDIOLANENSIS CIVITAS SPEMQVE FELICITATIS LAETA INDICAT.

*A lateribus huius tituli pictura rarissima exprimebat hinc principis ortum, & in hanc vitam ingressum; inde eiusdem inaugurationem in principem Hispaniarum: supra vero media erant fixa insignia Cæsarea, habẽtia vtrimque ea quæ sunt Hispanicorum regnorum; infra cernebantur altrinsecus Ferdinandi Gonzagæ & coniugis eius insignia, medium tenentib. Mediolanensibus. hinc alia rursum legebatur inscriptio talis:*

FORTVNA ETIAM RELVCTANTE, ARDVA CVNCTA VOBIS DATVM EST SVPERARE, DIVINAM SIQVIDEM PIA MENS SIBI CONCILIAT GRATIAM.

*Atque hanc quoque inscriptionem ornabat pictura referens parte altera quomodo inuictissimus & sanctissimus Imperator ipse diadema capiti filij imposuerit suis manibus; altera vero quopacto idem serenissimus Philippus traiecto mari in Italia Comi appulerit.*

Obuij honoris caussa.

*Cum autem iam Princeps hora fere tertia pomeridiana vrbem ingredi pararet, in occursum eius portis se effudit Senatorum amplissimus ordo, constititq; in Burgo Trinitatis, ibidem eum salutaturus.*

*Ad pontem vero venere honoris caussa, primum Cæsar Gonzaga illustrissimi Ferdinandi Gonzagæ filius natu maximus, cum Comite Ioanne Triuultio, Comite Carolo Belgioso, Ioanne Baptista vicecomite, præter innumeros alios proceres, quorum nomina hic breuitatis studio omittimus; vestiti omnes holoserico rubro segmentato, auro picto.*

*Inde Mutius Sfortia cinctus frequenti nobilitate prouinciali, Insubriæ præsertim iuuentute; quibus omnibus etiam vestis erat ex holoserico, & candido serico; gestabantq; singuli securim militarem auratam, a summo ad imum candido holoserico intectam.*

*Tum collegia doctorum omnia: post quæ ibant; trecenti equites sclopetarij tunicis omnes flauis; sequentibus turmis alijs duabus leuis armaturæ, quarum agmen claudebant Proceres nobilitasq; æuo maturior Insubriæ, inter quos multi Principes, Comites, Baronesq; fuere; & tanto quidem numero, vt hæc pompa vix horis duabus traduci potuerit. Omitto hic dicere de splendido ornatu singulorum, quod de eo sigillatim commemorare instituti mei ratio non patitur.*

Proximi ante Philippũ Principem.

*Ante Serenissimum Philippum equitabant Dux Albanus, Dux Sessæ, Marchio Pescariæ, Præfectus rei maritimæ Castellæ Regni Hispaniæ, Marchio Storgensis, Marchio Millonius, ac proxime quidem Ferdinãdus Gonzaga Insubriæ pro Cæsarea maiestate gubernator. sequebatur Philippus iuuenili vultu senilem prudentiam profitens; tunica ex holoserico auro variegata pictaq; opere Phrygiano; in equo prægrandi fusci coloris, auratis stratis, & phaleris. habebat autem dextra Cardinalem Tridentinum, sinistra Ducem Sabaudiæ: a tergo quinque cohortes militares auro argentoque fulgentes. nec ab ornamentis quam ab armis tamen instructiores: quarum ductores erant Comes Alexander Gonzaga, Comes Franciscus Somaia, Comes Philippus Torniellus, Illustres Raimundus N. & Franciscus N.*

*Cum ad pontem S. Eustorgij ita ventum esset, exquisitissimis ibidem honoribus exceptus est à Senatu primum, inde Cæsare Gonzaga, & quos cum eo holosericatos segmentatosq; fuisse diximus; tum a Mutio Sfortia cum suis, ac postremo ab ordine togato doctorum.*

*Simul*

*Simul vero Serenissimus Princeps clangentibus tubis, lituisque & strepentibus frementibusque cornibus, tympanis, tibijs, alijsque idgenus pontem conscendere cœpit tormenta vniuersa quæ in propinquis propugnaculis disposita erant vno impetu detonuere; tanto fragore, quantum credere ij demum possunt, qui similibus ludis aliquando affuerunt.*

*Ad portam vrbanam alius arcus erectus erat altus vlnas quadraginta, latus triginta; cuius porta patebat in altitudinem vlnas octodecim, in latitudinem decem, cum hoc supra elogio:* III. Spectaculũ Arcus triũphalis II.

MAGNI GENITORIS EXEMPLO AD TVI NOMINIS GLORIAM QVOCVMQVE EXPEDIERIT, ADITVM TIBI FACIET DEXTERA TVA POTENS, INVICTVS ANIMVS, ATQVE PRVDENTIA.

*Inde transiit Princeps duos alios arcus triumphales insignibus ijs quibus de primo diximus ornatis, sed mutis alioqui, & triginta tantum vlnarum; atque hinc quoque rursum alios duos postremis non absimiles: à quo loco ad primarium templum plateæ panno laneo tonsili instratæ erant; & ita vndabant densabanturque multitudine ad spectaculum sui principis vndique concurrente, vt ægre progredi pompa triumphalis potuerit; cuius gratia fenestræ omnes formosissimis nymphis complebantur, quas nihil omisisse aut domi in capsulis suis reliquisse, quod iuuandæ formæ aliquo modo esset, facile illis, credo, persuadebitur, quibus mulierum mores non sunt omnino ignotissimi.* IV. Spectaculũ quatuor alij arcus triumphales minores.

*Ad aream templo vicinam alius surgebat arcus triumphalis altitudine vlnarum quadraginta, latitudine triginta, innitens pilis quatuor, quæ virgultis ambiebantur, altæ alioqui vlnas viginti singulæ, & singulis speciebus femineis tubas tenentibus condecoratæ; adiecta scriptura.* V. Spectaculũ arcus triũphalis VII.

CAESARVM PROLES FELICISSIMA, PATRE INTER CAESARES MAXIMO, TE DIGNVM FILIVM HABERE RELIGIO CHRISTIANA LAETATVR, QVI AD EXTREMVM VSQVE TERRARVM ORBEM IPSIVS TERMINOS STATVAS.

*Supra hanc scripturam media Cæsarea insignia habebant vt alibi semper altrinsecus Hispanica. Exterior vero Arcus facies quatuor masculas effigies pictas habebat, nominibus ita additis.*

MAXIMILIANVS ROMANORVM IMPERATOR. PHILIPPVS HISPANIARVM REX, MAXIMILIANI FILIVS. CAROLVS QVINTVS IMPERATOR MAXIMVS. FERDINANDVS ROMANORVM REX.

*Sub porta arcus aliæ quatuor effigies cernebantur cum nomenclatura tali:*

ALBERTVS QVINTVS ROMANORVM REX. FRIDERICVS TERTIVS ROMANORVM IMPERATOR. PHILIPPVS HISPANIARVM PRINCEPS, CAROLI QVINTI IMPERATORIS FILIVS. MAXIMILIANVS FERDINANDI ROMANORVM REGIS PRIMOGENITVS ARCHIDVX AVSTRIÆ.

*Interiore arcus facie, quæ perinde insignibus solitis & duobus pilis ornabatur, scriptum erat:*

PATERNI IN TE ANIMI MAGNITVDO, PRINCEPS OPTIME, ABS TE NIHIL NON REGIVM CÆSAREVMQVE POPVLO MEDIOLANENSI SVADET EXSPECTANDVM.

*Quia autem iam nox erat, tenebræque omnia inuoluere, & contegere conabantur, ad improbitatem illarum discutiendam sclopetarij, leuis armaturæ equites, & iuuentus ex nobilitate conflata, quam candidis vestibus nituisse diximus, facibus instructi omnes serenissimo principi occurrerunt, qui in vestibulo templi primum hoc elogium legit:*

VI. Spectaculum. CHRISTIANA LIBERTATE PER MAXIMVM CAROLVM QVINTVM IMPERATOREM SVBLATIS ERRORIBVS RESTITVTA, PHILIPPVM PIISSIMVM FILIVM LÆTA EXCIPIT ECCLESIA, QVO MAGNO DEFENSORE AC DVCE FELICISSIMA QVÆQVE SIBI PROMITTIT, ET SPERAT.

*Superiore parte insignia Cæsarea aquilam suam explicabant, habentia altrinsecus singulas statuas, quarum altera esset Dauidis, picta iuxta singulari eius congressu cum monstrosæ staturæ Goliath; altera Iudith gladium exertum dextra, caput holofernis sinistra tenentis, prœlijs & impreßionibus Holofernis copiarum circa expreßis.*

*Hic Principem, cum equo descendisset, clerus ordoque ecclesiasticus suscepit, susceptumque ad altare primarium deduxit; tot templum illustrantibus facibus & cereis, vt totum collucere flammis videretur; nec cessabant interea organa pneumatica concentusq; suauißimi, quæ tamen explosa in arce crebra iteratione tormenta omnis generis plenè exaudiri non patiebantur.*

*Precibus ad Deum Optimum Maximum profusis Princeps ad Palatium pergens, in via qua necessario eundum erat reperit arcum triumphalem cæteris omnibus magis affabre exornatum, nec quoquam ex primoribus minorem, cuius portæ limini supero incisum erat:*

VII. Spectaculū Arcus Triumphalis octauus. QVI NOBIS AVCTOR ES PVBLICAE LAETITIAE, FRVERE NOBISCVM COMMVNI GAVDIO, HONORES AVTEM QVI TIBI DEBENTVR DIVINI ET IMMORTALES,

PATERE

PATERE AD TVVM REDITVM RESERVARI, CVM VICTIS HOSTIBVS AGES TRIVMPHVM EX PACATO ORBE TERRARVM.

*Altrinsecus (superiora decorantibus de more Cæsarijs alijsque insignibus) pictæ erant virginali habitu mulieres quatuor, quæ erant* IVSTITIA, TEMPERANTIA, FORTITVDO, & PRVDENTIA: *quia Justitia Temperantiæ bono non moderata sæpe exit in summam iniustitiam, & Fortitudo Prudentiæ expers parum prodest. quatuor arcus angulos totidem pilæ ornabant viginti vlnarum; porta quoque quæ alta vlnas quindecim, lata erat facile decem, regio diademate coronabatur; intercolumnia inferna occupabant statuæ altrinsecus duæ, quarum altera adscriptum habebat nomen Martis, altera Mercurij. Gradus Palatij, quos Philippus Princeps cum toto triumphali comitatu conscendit, habebant singuli singulas statuas, quæ dextris nudos gladios, sinistris, regni symbolum, sceptra gestabant.*

*Hactenus breuiter retulimus ab ipsis Jtalis memoriæ de hoc triumphali ingressu mandata; qui Itali quia alia pleraq; vt minus ad rem pertinentia, aut certe sibi minime noua silentio transierunt: cætera accepta bona fide a Germanis, qui in re præsenti fuerunt spectatores, consequenter paucis attexemus:*

*Primo igitur loco Principi gratulabundi occurrerunt ducenti equites sclopetarij, loricati omnes, sed qui armis tunicas ex holoserico flauo induxerant, marginibus ex holoserico rubro segmentato limbatas, ac pictas opere Phrygio rubro candidoque. galeri etiam flauis fascijs bombycinis cingebantur, & cristis rubris candidisq; opacabantur.*

*Sequebantur legati Mediolanensis ducenti equites, ductore, qui aurea longa veste stratiotica induebatur, & octuaginta Equites priuatis sumptibus magnificè instruxerat; omnes enim (omnes cum dico, etiam ducentos illos publicos connumerari volo) armaturam politißimam celabant tunicis Italicis ex holoserico: sinistra manica diuisim consarcinata ex argento textili, & holoserico nigro; cristæ etiam alternis nigricabant albicabantq;. singuli autem ministros suos in equis sequentes habuere, qui dominorum hastam galeamq; portarent, terni incedentes, more eorundem suorum dominorum.*

*Hos insecutus est Comes Caiatzenus, cum sexaginta equitib. perinde holosericatis, ministrisq; singulis comitatis, sed ita, vt tesseræ cristæque omnibus essent mistæ ex flauo & atro.*

*Proximus à Caiatzeno ibat illustris Flaminius cum quinquaginta quinque equitibus grauis armaturæ, tunicis holosericis partim atri,*

candidi

*candidi partim æqualiter coloris. Sequebantur clientelæ procerum & nobilium magno numero, & superbo apparatu, habentes à tergo ipsos Proceres prouinciales, qui inter se symbolis & coloribus splendore alioqui pares, distinguebantur quidem, sed cui tantam virorum principum copiam oculis vel obire leuiter vacasset? succedentibus præsertim aulicis aliquot Serenißimi Philippi proceribus in equis Hispanici generis, ac rursus decem pueris primariæ nobilitatis holoserico nigro vestitis ex familia Ducis Sabaudiæ, quos totidem alij consequebantur ex ministerio Marchionis Piscaræ, etiam nigris holosericis tunicis, sed limbis & picturis ex holoserico albo. puerorum vestigia premebant togati ordinis doctores viginti holosericati & atrati pariter ad eundem modum; ac, ne longum faciam, post hos etiam ibant primi amplißimi Senatores, præfectique rerum capitalium:*

*Secundi viginti nobiles pueri, ministri omnes sereniß. Philippi, eius coloris vestem gestabant ex flauo holoserico, equitantes pariter Hispanicos equos longe generosißimos.*

*Tertij Principes viri aliquot ex Philippi item Principis comitatu:*

*Quarti incedebant pedibus quinquaginta stipatores, & corporis principalis custodes Germani ac totidem Hispani: his dextrum, illis læuum viæ latus occupantibus, atq; his quoque vestis erat ex flauo holoserico; occupabat autem medium eorum eques Ferdinandus Gonzaga, legatus pro Cæsare Insubriæ.*

*Quinti ibant duodecim comites Dynastæque duce filio Gonzagæ, vestiti holoserico rubro segmentato, acu picto, pictura aurea, & fenestrato, ac textile aurũ exundante; inter quos demum apertis capitib. ingredientes, perinde ac factitabant stipatores omnes, serenißimus Philippus equitabat equum Hispanicum pretiosißimum, indutus tunica nigra holoserica auro picta. Galerus etiam erat ex holoserico nigro, ita vt eum pro funiculo circulus ex auro ductili ambiret. dextrã eius adequitabat Cardinalis Tridentinus, sinistram Dux Allobrox; non tamen æquata fronte, sed vt nonnihil Philippus præcederet.*

*Sexti & primi à Principe Philippo erant ductore Mutio Sfortia centum ex nobilitate Insubriæ; omnes primo flore ætatis, forma, & statura conspicui; omnes induti thoracibus & caligis follicantibus ex serico candido, colobijs vero holosericis rubris segmentatis, & auro pictis: vt & thoraces, caligæque aureis limbis marginabantur: calcei pileiq; erant ex holoserico candido, plumæ etiam albæ; singuli autem gestabant singulas secures militares auratis pilis, intectas holoserico albo.*

*Septimi fuere ducenti quinquaginta equites, qui in turmas quinque diuisi quinq; ductores diuersos habuere, coloribus etiam inter se distincti.*

*Quos enim Franciscus ducebat, his vestis fuit bipertita ex holoserico flauo nigroque; ipsius autem tunica holoserica etiam auro pingebatur.*

*Quos Philippus comes ducebat, eorum tunicæ ex holoserico nigro pictura aurea in modum & formam flosculorum marginabantur.*

*Quibus Dux erat Comes Samaliæ Franciscus, vestis erat holoserica rubra segmentata, auro textili limbata.*

*Raimundi Cardonæ turmales induebantur holoserico nigro in nubium speciem exciso, & penículamentis rubris byßinis ornato.*

*Alexander Gonzaga tunicas suis diuiserat ex holoserico fusco, limbis pictis candidis.*

*Duces autem à fronte quinos in equis ingredientes sequebantur quini legati, ac hos rursum signiferi totidem: seriem illam quinariam seruantibus etiam militibus eorumque armigeris ministris, qui singuli singulis erant.*

*Claudebant agmen equites alij omnis generis, neq; in numeros, neq; in turmas diuisi, sed permixti inter se, & eo solo ordine notabiles, quod ordinem omnino nullum seruarent.*

*Hac pompa Philippus multa nocte vix ad primarium templum peruenit tandem, à cuius porta vtrimq; duo leones ingentis magnitudinis pro basi erant, pilæq; totidem; in quibus spectare licebat historias varias sacras prophanasq;, atque adeo etiam fabulosas; interq; alias Dauidis & Goliæ monomachia, Judithæ & Holofernis, Herculis & Atlantis, Iosuæ, Nabuchodonosoris, Senacherib, &c.*

*Obtulerunt autem honorarij loco Sereniſsimo Philippo Senatus Populusque Mediolanensis pateram auream plenam numismate aureo, quod ducatos duplices vocamus, cuius generis millia decem ei pateræ infuisse feruntur.*

*Ludi autem militares & bellici editi fuerunt duorum generum: in quorum prioribus equestribus septem omnibus armis instructi cum totidem alijs hastis concurrerunt macerie non interiecta, & gladijs deinde depugnarunt; in posterioribus fuerunt antesignani duodecim sequentes, coloribus omnes discreti, & solo auro textili aut serico vestiti.* Ludi militares.

*N.N. candido vestitu,*
*Mutius Sfortia cineritio,*
*Comes Philippus Tornellus cœruleo,*
*Comes Franciscus rubro,*
*Franciscus Beneuentanus flauo,*
*Raimundus Cardona viridi,*
*Alexander Gonzaga,*
*Comes Caiatzenus candido & atro alternatim,*
*Ferdinandus Noya aureo,*
*Præfectus Arcis Cremonensis fusco,*
*Nicolaus Rusterla cereo,*
*Dominus Trinitatis.*

Qui Principes & Proceres præcipui nominis Philippum in Germaniā prosecuti sint; & ministeria eius.

*Sequuntur nomina omnium Principum, Comitum, Baronum, & nobilium primæ notæ, qui cum Serenißimo Philippo Hispaniarum Principe in Germaniam venerunt:*

*Dux Albanus,*
*Dux Sesse,*
*Præfectus rei maritimæ in Regno Castellano,*
*Marchio Astorgius,*
*Princeps Ascoli,*
*Marchio Piscaræ,*
*Dux Ferendinæ,*
*Dux Montelianus,*
*Comes Lunensis,*
*Comes Ciphantæ,*
*Ludouicus Dauila, magnus Commendator,*
*Gomesius à Figureia, Præfectus stipatorum tam equitum quā peditum.*

*Oeconomi:*

*D. Franciscus Astensis,*
*Marchio à Naue,*
*Comes Oliuarius,*
*D. Iacobus ab Azeneda,*
*Gauterus Padillanus.*

*Cubicularij:*

*D. Antonius Rosanus decurio eorum,*
*Ruigonius a Sylua.*

*Sacellani:*

*Episcopus Valnmachensis eorum princeps,*
*D. Franciscus Curriquius,*
*Doctor Moscoso, & quatuor horum administri.*

*Nobiles Aulici:*

*D. Gabriel à Cuenna,*
*Marchio Falcesius,*
*D. Bernardinus Mendoza,*
*D. Alphonsus Tonarius,*
*D. Iacobus a Cardona,*
*D. Iacobus ab Achuna,*
*D. Petrus Emanuel,*
*D. Ludouicus Caransolius,*
*D. Iacobus ab Azeneda,*
*D. Alphonsus a Vuald,*
*D. Petrus Osorius,*
*D. Franciscus Mendoza,*
*D. Rodericus Emanuel,*
*Comes Celnesius,*
*D. Petrus Dauila,*
*D. Ianuarius ab Achuna Pedillanus.*
*D. Henricus Euriguus,*
*D. Bernardus Manricquius à Lara,*
*D. Iuarus a Seiauerda,*
*D. Michael a Luna,*
*D. Ludouicus a Cardona,*
*D. Gomesius Suarius a Figureia,*
*D. Ferdinandus a Vuald,*
*D. Henricus Mendoza,*
*D. Henricus Arragonius,*
*D. Rodricus a Moscoso,*
*D. Suarius a Vuald,*
*Antonius Toletanus Præfectus Stabuli,*
*Iacobus Lupus a Medrano eius legatus,*
*D. Rodricus Rosanus,*

*D. Fride-*

*D.Fridericus Crauasalius,*
*D.Petrus Quintanus,*
*D Petrus Castellanus,*
*D.Mancinus,*
*D.Iuarus à Villaneda,*
*D.Iuarus Toletanus,*
*D.Petrus à Coniga,*
*D.Gomesius à Manul,*
*D.Iuarus à Lanitza,*
*D.Ludouicus Toletanus,*
*D.Lupus Mexianus,*
*D.Ocheas à Zalatzar,*
*D.Iuarus à Mendoza,*
*D.Iuarus à Niuo,*
*D.Alphonsus à Cardona,*
*D.Iuarus ab Auila,*
*D.Franciscus à Velasco,*
*D.Iuarus Paclerus,*
*D.Petrus à Rocla,*
*D.Rindoricus à Mendoza,*
*D.Ludouicus Mendoza à Saro,*
*D.Bernardinus Manricquius,*
*D.Petrus à Ribeca,*
*D.Raimundus Baccanus,*
*D.Inigus Aluarus,*
*D.Prigus à Cardona,*
*D.Iacobus à Lara,*
*D.Garzias Sarimentus,*
*D.Garulascius à Vega,*
*D.Ianuarius Sibrinus,*
*D.Inigus ab Auila,*
*D.Bernardinus ab Ayela,*
*D.Gabriel Zappata,*
*D.Lupus Zapeta,*
*D.Ianuarius à Mendoza,*
*D.Lupus à Cuniga,*
*D.Tristanus Legnicanus.*
*Pueri autem nobiles Serenissimo Philippo administrabant viginti,*
*Abacum curabant quatuor,*
*In culina nouem curabant,*
*Salinorum concinnatores erant quatuor,*
*Vestiarij tres,*
*Candelis & funalib. præfecti duo,*
*Pharmacopæi duo,*
*Peristromatis præfecti tres,*
*Stabularij famuli vigintinouem,*
*Agasones et id genus quadraginta,*
*Serenissimo Philippo equi priuatim centum attributi sunt.*
*Mulæ clitellariæ centum quinquaginta,*
*Sclopetarij ducenti,*
*Stipatores hastati centum.*

TRIVMPHALIS INGRESSVS PHILIPPI
Hispaniarum tum Principis, nunc Regis eius nominis
II. Comitis Flandriæ &c. Gandaui anno
cIↃ.IↃ.XLIX.

XXXV.

*QVamquam olim apud Romanos Arcus Triumphales non nisi in eorum honorem, qui rebus Pop. Rom. feliciter gestis victoriam triumpho dignam reportassent, erigi consueuerunt: tamen Senatus Populusque Gandensis cum sibi Philippum Imperatoris*

*Cæsaris Caroli V. Principis Flandriarum filium, Flandriarum hæredem, primum in suam vrbem ex Hispanijs ingressum quam posset aptissimis & amplißimis honoribus ornandum esse cognouisset, nihil absurdi se facturum putauit, si exemplo quoque aliarum ciuitatum quædam arcuum triumphalium simulachra cõstitueret, tanquam omina quædam, & incitamenta rerum gerendarum.*

*Arcus autem huiusmodi fuere temporarij illi quidem ex tabulatis compacti, sed solidi, & marmorei operis speciem maiestatemq́ referentes: in quibus architectus hanc formam, ac rationem sibi proposuit, vt singulos arcus ad certum structuræ genus arte rationeq́ conficeret. Cum autem structuræ species numero omnino quinque tradantur: Tuscana, Dorica, Jonica, Corinthiaca, eaque quæ à posteris reperta est, ex quatuor superioribus composita, hunc quoque numerum & ordinem imitari visum fuit. Cumque in singulis arcubus spectaculum aliquod exhibendum esset; nihil aptius & commodius visum est, quam si quinque ex ordine exempla, ex quinque præstantißimis regnis & imperijs desumpta, eaque ad rem propositam accommodata proponerentur.*

*Exempla itaq́ fuerunt hæc: Hebræorum, Græcorum, Romanorum Francorum, seu Germanorum, & nouißimè Flandriarum.*

I. Arcus triũphalis, forma Tuscana.

*Arcus primus forma Tuscana sub finem viæ, quæ ab aggere lapideo nomen habet (vulgo de Steendam) positus erat, & in eo exemplum à Judæis mutuatum ex lib. Regum* III. *cap.* I. *Dauidis iussu Solomon à Sadoc sacerdote, & Nathan Propheta vnctus in Regem Jsraelitarum his inscriptionibus:*

Hæ inscriptiones Hebraice quoque hic inseri poterant, & fortasse debebãt, sed nos quia pauci, harũ præsertim rerum studiosi, ei⁹ linguæ vsũ habent; nõ magnopere interesse existimauimus, dummodo sententia earũ hic quoquo modo exprimeretur.

DEDIT HODIE DOMINVS SEDENTEM IN SOLIO MEO VIDENTIBVS OCVLIS MEIS.

II.

AMPLIFICET DOMINVS NOMEN TVVM SVPER NOMEN PATRIS TVI DAVID.

III.

SICVT FVIT DOMINVS CVM DOMINO MEO REGE DAVID, SIC SIT CVM SOLOMONE, ET MAGNIFICENTIVS FACIAT SOLIVM EIVS, A SOLIO DOMINI MEI REGIS DAVID.

IV.

ILLI PRÆCIPIAM VT SIT DVX. IPSE REGNABIT POST ME.

*In huius arcus fastigio ex Ecclesiastæ cap. x. hæc erant scripta:*

BENE TIBI O TERRA, SI PRINCEPS TVVS FVERIT FILIVS NOBILIVM.

*Arcus secundus Dorica architecturæ ratione dimensus, haud longe ab æde Senatoria, in via quam vulgus altum portum appellat extructus, Græcanicæ Monarchiæ exemplum ostendit. Philippus Macedonum rex Alexandrum filium amplissimi regni successorem disciplinis & virtutibus tanto imperio dignis, quam accuratissime instituendum curans, his inscriptionibus:*

II. Arcus triũphalis forma Dorica.

ΙΣΟΚΡΑΤΟΥS ΠΕΡΙ ΕΙΡΗΝΗS.

ΤΩΝ ΑΡΧΟΝΤΩΝ ΕΡΓΟΝ ΕΣΤΙ ΤΟΥΣ ΑΡΧΟΜΕΝΟΥΣ ΤΑΙΣ ΕΑΥΤΩΝ ΕΠΙΜΕΛΕΙΑΙΣ ΠΟΙΕΙΝ ΕΥΔΕΜΟΝΕΣΤΕΡΟΥΣ.

PRINCIPVM OFFICIVM EST, EOS QVI PARENT, CVRA ET INDVSTRIA SVA REDDERE FELICIORES.

ΑΓΑΠΗΤΟΥ ΔΙΑΚΟΝΟΥ ΠΡΟΣ ΙΟΥΣΤΙΝΙΑΝΟΝ.

ΥΠΕΡ ΠΑΝΤΑ ΤΗΣ ΒΑΣΙΛΕΙΑΣ ΤΑ ΕΝΔΟΞΑ ΤΗΣ ΕΥΣΕΒΕΙΑΣ ΤΟ ΣΤΕΜΜΑ ΤΟΝ ΒΑΣΙΛΕΑ ΚΟΣΜΕΙ.

PRAETER DECORA EXIMIAQVE OMNIA, QVAE IN SE REGNVM CONTINET, PIETATIS, CVLTVSQVE DIVINI DIADEMA PRINCIPEM EXORNAT.

ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ.

ΧΡΗΣΑΙ ΔΕΟΝΤΩΣ ΤΗ ΚΑΤΩ ΒΑΣΙΛΕΙΑ ΙΝΑ ΚΛΙΜΑΞ ΣΟΙ ΓΕΝΗΤΑΙ ΤΗΣ ΑΝΩ ΕΥΔΟΞΕΙΑΣ.

INFERIORE HOC PRINCIPATV SIC VTARE, VT PER EVM ASCENSVS TIBI AD SVPERIOREM PATEAT CLARITATEM.

*Arcus tertius Ionica proportione compositus visebatur in ponte Comitis, qui est infra forum piscium, & aream S. Pharaildis, Romani imperij nobile exemplum offerens ex Tranquilli Cæsaribus duodecim: Titus Flauij Vespasiani Imp. filius à patre in tribunitia potestate, & in * septem consulatibus collega adsumptus, vna cum eo triumphans, censuramque gerens.*

III. Arcus triũphalis forma Ionica.

*ita, q triũphum hũc describit; ego tamen puto Titũ cum patre sex solum consulatus gessisse, septimo vero collegã ei fuisse Domitianũ fratrem.

*Inscriptio:*

OPTIMI PARENTIS OPTIMVS FILIVS TITVS, COGNOMINE PATERNO AMOR AC DELITIAE GENERIS HVMANI APPELLATVS.

*Arcus quartus Corinthiaca effigie spectabatur pro domo monetaria cum Germanico exemplo, ex historijs antiquis de vita Caroli in bibliotheca S. Panthaleonis petito. Carolus Magnus affecta iam ætate Ludouicum filium exercitui, populoq; commendatum, Aquisgrani regnorum suorum successorem designans. Inscriptiones huius arcus erant Latino & Francico idiomate, alio videlicet, quam quo nunc Franci vtuntur, nam ex eo quod tunc fuit, & militari lingua Latina, Francica seu Gallica ista lingua, qua nostri nunc passim vtuntur, posterius concreuit. Galliam enim à Romanis militib. habitatam inuaserunt olim Franci, & diuturno commercio vtriusq; populi, Romanensis & Francorum nouum hoc idioma Gallicum est conflatum, cuius quidẽ phrasis Germanica est, verba autem omnia partim Germanica sunt, partim Latina.*

IV. Arcus triũphalis forma Corinthiaca.

*Inscriptiones huius arcus in culmine,*

THIE FVRIST IST GOTTES BILIDI.
SALIGE SINT MAND VVARE VVANTA
THIE BESIZZENT ERDA.
SIE SINT SO SAMA KVANI.
SELPSO THIO ROMANI.
ZI VVAFANE SNELLE.
SO SINT THIE THEGAN ALLE.
SALIGE SINT THIE THAR SINT MILT.
HERZE VVANTA SIE FOLGENT MILTIDVM.

*Francorum hæc lingua est naturalis, solum monumētis historiarum, æditisq; etiam libris conseruata, & hac tempestate à laudatissimis passim scriptoribus antiquitatis nomine celebrata.*

*Inscriptio in medio;*

IMPERATOR CAESAR CAROLVS PRAESTANTISSIMAE GERMANICARVM OMNIVM GENTIS FRANCORVM REX, QVI EX RERVM GESTARVM MAGNITVDINE, MAGNI COGNOMENTVM INVENIT, LVDOVICVM FILIVM, MAXIMA VIRTVTIS INDOLE IVVENEM, IMPERII, AMPLISSIMIQVE REGNI HAEREDEM HIS VERBIS COMMONEFECIT.

*Ab vno latere:*

DEVM OPTIMVM MAXIMVM SYNCERA RELIGIONE VENERATOR. ECCLESIARVM DEI CVRAM HABETO, ET NE QVID INFIDELIVM INCVRSV DETRIMENTI PATIANTVR CAVETO. PIETATEM PROPINQVIS ET AMICIS EX ANIMO PRÆSTATO. SACERDOTES VT PATREM HONORATO. POPVLVM VT EX TE NATVM FILIVM DILIGITO.

*Ab altero latere:*

SVPERBOS REBELLESQVE, QVANTVM FAS ÆQVITASQVE PATITVR, COMPESCITO. COENOBIORVM CONSOLATOR ESTO, ET PAVPERVM PATER. ECCLESIARVM ET REIPVB. MINISTROS CHRISTIANÆ RELIGIONIS GLORIA CELEBRES, INIVSTORVMQVE OSORES MVNERVM ADHIBETO. TEMET OMNI TEMPORE APVD DEVM CARDIOGNOSTEN, HOMINESQVE IRREPREHENSIBILEM CONSERVATO.

*Hæc sumpta sunt ex gestis Caroli Magni scripto conseruatis, & in dictionem paulo Latiniorem conuersa.*

V. Arcus triū-phalis forma cōmuni.

*Arcus quintus composita siue communi structuræ ratione, collocabatur in quadriuio, qua se via à ponte Liuiæ descendens, versus aulam Principis inflectit, cum exemplo Monarcharum Flandriæ. Theodoricus Elzatius è Flandria in Palestinam decessurus, præfectis vtriusque ordinis ecclesiastici & prophani, populoque Flandriarum Philippum filium commendans, eidemque Prouinciam administrandam relinquens.*

*Inscriptiones hic erant Latinæ & lingua Flandrica, qua tunc est vsus Theo-*

*sus Theodoricus. Æquum autem est cum exoticis linguis nostram non negligere, quæ purior paulo, & naturalior permansit reliquis linguis, potissimum ijs, quæ nunc in precio habentur, vt Italica, Hispanica, Gallica, ex Barbara & Romana prouinciali corruptis.*

*In huius Arcus postremi summitate leo constitutus vtroque pede prisca & noua insignia Flandriarum tenebat, cum hac inscriptione:*

VVILT HELPEN BEVVAREN DEES SCHOONE LANDAVVVE.
IC VVIL MET V PAREN, TOTTER DOOT GETRAVVE.

*quod verti potest subitario carmine hoc modo:*

Sit tibi tutari populosa hæc oppida curæ
Princeps, mecum huius parsq; laboris erit.

*Sub hoc disticho circumquaque suspensa erant insignia potentatuum Flandriarum, cum hoc indice:*

PRAESTANTISSIMVS COMITATVS FLANDRIARVM.

*A dextro latere inscriptio:*

THEODORICVS ELZATIVS ILLVSTRISSIMVS MONARCHA FLANDRIARVM, IN TERTIA EXPEDITIONE, QVAM E FLANDRIA IN PALESTINAM VSQVE, ADVERSVS BARBAROS ET FIDEI HOSTES SVSCEPIT, PHILIPPVM GENEROSISSIMÆ ET EXIMIÆ INDOLIS IVVENEM FLANDRIÆ ADMINISTRATIONI PRÆFECIT.

*In medio:*

PHILIPPO PRINCIPI HISPANIARVM, HÆREDI FLANDRIARVM, IMP. CÆSARIS, CAROLI AVGVSTI, FLANDRIARVM PRINCIPIS FILIO: PHILIPPI HISPANIARVM REGIS FLANDRIARVM PRINCIPIS NEPOTI: IMP. CÆSARIS MAXIMILIANI ET MARIÆ FLANDRIARVM PRINCIPIS PRONEPOTI; PRIMVM EX NATALI HISPANIARVM SOLO, IN FLANDRIAM, GANDAVVMQVE EIVSDEM PROVINCIÆ METROPOLIM, OPTIMIQVE PARENTIS VRBEM NATALEM INGRESSO, S. P. Q. GANDAVENSIS AMANTISSIMI ET DEVOTISSIMI ANIMI MONVMENTA, QVANTVM TEMPORA FACVLTATESQVE TVLERE FAC. CVR.

*A sinistro:*

MAXIMÆ VIRTVTIS, AMPLISSIMIQVE GENERIS REGIBVS, ET IMPERATORIBVS SATVM, MONARCHIÆ FLANDRIARVM HÆREDEM PHILIPPVM, SALVS ET FAVSTITAS INCOLVMEM PATRIÆQVE FELICEM CONSERVENT.

I.

Edel hooggheboren vorst, rein conijnclic zaed zoet,
Van Vlaender landt eruich natuerelic heere;

God vermeerdere u vroomheyt ende vvyſen raed goet,
Om het lant te berechten tot zynder eere.

II.

O Prince vercoren, zeer hooch gheboren,
Zyt vvillecomme.
Beuuaert dit land, voor eenen pand,
Ten goeden vvaeromme.

III.

Den vpperſten heere, V rycke vermeere,
Mids vvyſen rade;
VVant uus vaders duechd, Bloyt in u iuechd,
Duer gods ghenade.

*quæ omnia ita ſonant:*

I.

Priſcorum Princeps genus alto à ſanguine regum;
Hæres Flandriaci, præſidiumque ſoli:
Dij tibi conſilium id, dij dent artemque regendi:
Floreat auſpicijs Flandria vt aucta tuis.

II.

Nate patre imperij dominas qui tractat habenas;
Nate abauo imperij qui moderator erat:
Edite Rege & auo Princeps, hæc arua tuere,
Ad nouum ea vt ſurgant te faciente decus.

III.

Rex Regum tua regna bonis bonus auctet opimis,
Augeat & partas vſque ſecundus opes.
In te quippe tui reuireſcit nota parentis
Virtus, digna omni ſemper ab ore cani.

*Ab vtroque platearum latere quas ingreſſus eſt Princeps, ordinata erant ſedilia fere mille varijs depicta coloribus inſcripta his verbis:*

VI. Spectaculū mille ſedilium per viā.

*Græcè:*

ΠΙΣΤΙΣ ΚΑΙ ΕΡΩΣ.

*Latinè:*

*FIDES ET AMOR.*

*hæc decem pedum ſpatio ſemota ab ingreſſu portæ S. Georgij, in Principis vsque aulam ſe ordine ſequentia, ſpecie propemodum erant huiuſmodi: Tabellæ erant octonum pedum in longitudinem, ab imo qua terræ infigebantur paulatim faſtigiatæ, à ſummo vero latiores, atque in eam formam fabrefactæ, vt in eis puellæ conſiſtere, & ſedere potuerint. In ſingulis virgines infra duodecimum & ſupra ſextum ætatis annū collocatæ fuere,*

*omnes*

*omnes lineo eoq; candido ac Milesio amiculo vestitæ, per quod purpureũ palliolum pulcherrime pellucebat: faces librarum quatuor dextra, fasciculum ex lilijs, flosculis, spicisq; consertum sinistra tenentes.*

*De Theatris:*

*Quatuor erant constituta theatra siue spectacula, pro numero & ordine quatuor virtutum cardinalium, cum statuis Comitum Flandriæ, qui potissimum illis virtutibus præ ceteris nobiles extiterunt. Nescio enim an Principatus vllus fuerit, in quo tot fortes & strennui Heroes, tot tamq; præclaris corporis & animi virtutibus insignes se ordine consequentes extiterint, Sed illud præpostere; nostrates peregrinis nimium occupantur historijs, posthabitis domesticis: vt fere auidius omnes quid Græci, quid Romani fecerint, quærant, legant, & prædicent; quam quomodo nostri fortissimi olim & prudentissimi Principes remp. Flandricam administrarint.*

*Primum theatrum in ipso statim Principis ingressu, in porta S. Georgij erat collocatum; quod Prudentia cum suis asseclis Intelligentia, Memoria, Prouidentia possidebat, hac inscriptione:* VII. Spectaculũ Theatrum Prudentiæ.

PRVDENTIA VIRTVTVM PRINCEPS, IN REBVS HONESTIS, COGNITIONEQVE DIGNIS, OMNEM OPERAM CVRAMQVE PONIT.

*Asseclæ istæ Nympharum ornatissimo habitu sunt ostensæ, sicut & reliquæ in omnibus hisce theatris, quæ symbola sua singulæ & propria elogia manibus tenebant. vt puta,*

*Intelligentia,*

EA QVÆ SVNT PERSPICIO.

*Memoria,*

EA QVÆ FACTA SVNT REPETO.

*Prouidentia,*

FVTVRA ANTEQVAM FACTA SVNT VIDEO.

*Supra theatri fastigium statua erat Arnulphi Magni Comitis, seu Marchionis Flandriarum, hoc elogio, quod basi, cui principis statua insistebat, inscriptum erat:*

ARNVLPHI MAGNI CONSILIIS, ET ARMIS, FRANCI FLANDRIQVE A NORMANNORVM INCVRSIONE DEFENSI.

*Hic paullo inferius virgo erat pudibundo & venerando vultu, ornatu mediocri, quam leo candidus demulcebat, Symbolum hoc erat ciuitatis Gandauensis.*

*In aditu pontis qui est pro porta S. Georgij, ad ripam Scaldis fluuij, simulachrum erat eiusdem fluminis, hominis iacentis specie, sed gigantea forma, quippe longum pedes triginta. Item alterum eadem specie, supra* VIII. Spectaculũ simulachra fluuiorum.

*pontem Liuiæ, haud longe à Palatio Principis, dextra cornu copiæ, sinistra anguillam tenens, longum pedes xx.*

IX. Spectaculũ theatrum Iustitiæ. *Secundum Theatrum in foro Suario dicatum erat Iustitiæ, quam venerabantur Natura, Lex, Cõsuetudo. Natura autem comitata venerat Religione, Pietate, Gratia, Vindicta, Obseruantia, Veritate, Pacto, quæ omnes diuino adspectu virgines cum suis symbolis & elogiis Naturæ se submisere.*

*Consuetudo elogio hoc:*

QVAE SINE LEGE VETVSTAS APPROBAT, EXIGO.

*Lex,*

QVAE IVSTA SVNT PRAESCRIBO.

*Natura,*

AETERNAM DEI VOLVNTATEM ANIMIS INSITAM SVGGERO.

*Religio,*

CASTVM DEI CVLTVM DOCEO.

*Pietas,*

PATRIAE PROPINQVISQVE OFFICIVM TRIBVO.

*Gratia,*

BENEMERITIS OFFICIVM REPENDO.

*Vindicta,*

VIM INIVRIAMQVE PROPVLSO.

*Obseruantia,*

DIGNOS HONORE COLO.

*Veritas,*

REM NVDE, ITA VT EST, PROFITEOR.

*Pactum,*

LITES ET BELLA COMPONO.

*Theatri autem ipsius inscriptio erat:*

IVSTITIA QVÆ NATVRA FVERANT COMMVNIA DISTRIBVIT, VNICVIQVE SVVM, PRINCIPI, POPVLO, PATRIÆQVE TRIBVENS.

*Hic erãt statuæ Balduini cognomẽto Securis, & Caroli Boni Monarcharum Flandriæ, qui summa & incredibili Iustitiæ laude præcelluerunt. Huius Caroli statua longa erat octo pedes cum dimidio, quã fuisse viri staturam ex ossibus quæ Brugis ad S. Donatianum conseruantur, compertum est. habebat autem ad dextrum pedem, insignia Imperii, seu regni Germanici, ad sinistrum regni Hierosolymitani, quæ duo regna ipsi oblata, & ab eo ob insignem modestiam, & patriæ charitatem recusata, vetustissimus quidam & fide dignissimus scriptor tradit. Horum principum elogia,* BALDVI-

BALDVINVS COGNOMENTO SECVRIS, QVEM NESCIO,
IVSTITIÆ NE PRIVS MIRER, BELLINE LABORVM.

CAROLO IVSTITIÆ STVDIVM, ET INDIGNAM A CONIVRATIS NECEM, ET MERITISSIMVM APVD POSTEROS BONI COGNOMENTVM PEPERIT.

*Tertium theatrum in vertice montis arenosi iuxta domum a falcicula cognominatam in quadriuio, imaginem Fortitudinis repræsentabat, cuius hæc erat inscriptio:* X. Spectaculum, theatrum Fortitudinis.

FORTITVDO IN PERICVLIS CERNIT[illegible] QVÆ CVM HONESTATE AD PROPVLSANDAM INIVRIAM SVSCIPIVNTVR.

*Huius Pedissequæ erant Magnificentia, Patientia, & Perseuerantia elogijs eiusmodi,*

*Magnificentia:*

RES MAGNAS SPLENDIDE ADMINISTRO.

*Patientia,*

RES ARDVAS ET DIFFICILES LIBENTER TOLERO.

*Perseuerantia,*

IN RE DILIGENTER PERSPECTA FIRMITER CONSTANTERQVE PERMANEO.

*Hic statuæ Comitum Flandriæ erant; Balduini, cui primo comitatus titulus obtigit; & Roberti Hierosolymitani. Hi enim Principes fortitudinis gloria Fabijs, Camillis, Scipionib. Metellis haud inferiores fuere.*

*Balduini erat hoc elogium:*

BALDVINVS PRIMVS COMITATVS TITVLO FLANDRORVM PRINCEPS, OB INSIGNE CORPORIS ROBVR, ET PRÆCLARA REI MILITARIS FACINORA, BRACHIVM FERREVM DICTVS.

*Roberti hoc:*

ROBERTVS COGNOMINE HIEROSOLYMITANVS, MAXIMIS REBVS IN BITHINIA ET SYRIA GESTIS, AB VNIVERSO EXERCITV S. GEORGII FILIVS CONSALVTATVR.

*Quartum theatrum Temperantiam exhibuit, in quadriuio à latere monasterij Augustinianorum, inscriptione huiusmodi:* XI. Spectaculū theatri Tēperantiæ.

TEMPERANTIA SEDATIONEM PERTVRBATIONVM ANIMI, ET PVLCHERRIMVM QVENDAM RERVM MODVM SEQVITVR, NE CVPIDITATE QVIS VICTVS, A VIRTVTE RVAT.

*Hæc comitata erat his nymphis, Continentia, Clementia, Fidentia, Modestia.*

*Continentia:*

CVPIDITATES CONSILIORVM FRENO COERCEO.

*Clementia:*

ANIMOS IRA CONCITATOS REPRIMO.

*Fidentia:*

RES MAGNAS HONESTASQVE CONFIDENTER AGGREDIOR.

*Modestia:*

HONESTO PVDORE AVCTORITATEM CONCILIO.

*Statua hoc loco, Balduinus Pius Insulanus Comes Flandriæ, Tutor & administrator Regni Francorum. Hic tanta animi magnitudine, & continentia extitit, vt nec occasione tutelæ adductus sit vmquam aliquid contra Modestiam, Continentiam, et Pietatem admittere, genusque suum multis sæculis virtutis nomine, rerumq́ gestarum gloria amplissimum, ambitionis macula adspergere.*

*Balduini Elogium:*

BALDVINVS PIVS SVMMA FIDE, ET ANIMI MODERATIONE FRANCORVM REGNVM TVTELÆ NOMINE ADMINISTRAVIT.

*Erant in Theatris his fidicinum moduli dulcissimi omnis generis, Testudines, Cytharæ, organa pneumatica &c. In singulis vero arcubus triumphalibus ab vtroq; latere tubicines quinque modulato clangore personabant. Pro Senatoria æde tibicines sex annuo ciuitatis stipendio honorati, cum princeps iam montis arenosi superasset verticem, artificiosissimè cecinere, donec fere vicum totum, quem altum portum nominant, excessisset.*

*In acie celsissimæ turris S. Nicolao sacræ, supra crucis hastile, aciemq́; ventorum indicem, quæ fastigio sacrarum turrium imponi solet, ad viginti pedes pertica eminebat, è qua faculæ ardentes dependebant, quæ à principis ingressu vsq; ad noctis medium collucentes, flammam edebant quæ ad quatuordecim passuum milia conspiciebatur.*

*Omnium harum rerum procurationi quatuor ordinis Senatorij, patricijq́; viri; Ægidius Theodericus, Paulus Veldius, Liuinus Ophthalmius, Adrianus Gallus præfuere; qui ne vsquam muneri suo defuisse viderentur, in statuaria & fabrili industria sibi Architectum ingeniosum Franciscum Veldium liberali mercede persoluta, adiunxerunt.*

*Historiarum vero rerumq́; exhibendarum ordinem, & arcuum triumphalium, & spectaculorum inscriptiones Senatus Gandensis Joanni Othoni ludi moderatori mandauit.*

*Cæterum cum imbrium importunitas aerisq́; iniuria, operarijs sedulo alioqui instantibus operi, multum negotij facesseret, angustia temporis intercidit, quæ plurima coegit subito principis ingressu nuntiato, interrupta imperfectaq́; pendere opera.*

*Veluti*

*Veluti simulachrū fluminis Legiæ, longum* XXV. *pedes, quod in aditu pontis S. Jacobi fuerat collocandum: Nam cum tribus fluminibus Gandauum irrigetur, commoditatesque Scaldis & Liuiæ latericio figmento vtcumque essent ostensæ: æquum etiam fuerat Legiam, cuius non mediocris est Gandensibus nostris gratia, & vsus; suo honore non spoliare.*

*Erant insuper præ manibus omnium Comitum Flandriæ ad viuum expressæ imagines, quarum singulæ propria habuissent elogia, quæ grato quodam compendio, quid quisque memorabile instituerit, quidue præclari gesserit, exhibuissent. Postremo nobiles picturæ exhibitarum historiarum parabantur, quarum fuisset vsus, ne in arcubus triumphalibus personatus aliquis histrio, historiam tamquam fabulam videretur exhibere.*

## TRIVMPHALIS INGRESSVS MAXIMILIANI Romanorum & Boëmiæ Regis Presburgi anno cIↃ.IↃ.LXII.

## XXXVI.



*Vm iuxta mandatum inuictissimi Imperatoris Ferdinandi Viennenses pedestres copiæ die Saturni, qui fuit Augusti* XXIIX. *in viam se dedissent Presburgum versus; easq; postridie consecutæ essent equestres Bohemicæ: serenissimus Romanorum Rex Maximilianus ne ipse quidem vltra sibi prolatandum ratus, cum coniuge lectissima, Archiduce Carolo, & Archiepiscopo Saltzburgensi die Lunæ* XXX. *Augusti relicta Vienna Hainburgum contendit; atq; ibi cum comitatu suo pernoctauit; Archiduci Carolo præbente Porauiæ hospitium dynasta Harrachio; & Archiepiscopo diuertente Brugas ad Leytam.*

*Archidux autem Ferdinandus, qui cum domesticis & aulicis suis subsederat Paterneliæ, qui locus abest Hainburgo semimiliari fere, ante noctem adhuc regi fratri se coniunxit.*

*Interea bona pars palatinorum officiorum, & comitatus Augustalis cum stipatoribus partim apud Archiducem Carolum, & in pagis vicisque vicinis Rorauriscanis, partim Brugis in suburbijs hospitium habuere: ita diuisis Viennensibus quoq; per municipia proxima Hainburgo, vt remotissimi non vltra miliare abessent; atq; ita Rex in medio suorum quasi consideret.*

*Eodem etiam adhuc die miserunt ad regem, qui cum eo de tempore, quo ingredi metropolim suam cōstituisset, & loco vbi sibi occurri vellet, transigerent Hungarici regni ordines: cuius legationis Principes fuere Ioannes Baloschius, & Petrus Ianuschius.*

Die Martis, id est pridie Kalendas Septembris, summo mane vniuersæ copiæ in campum productæ sunt; atq; ibi inter Hainburgum et Ketseam, à suis quæque præfectis ordinibus diuisis instructæ, steterunt tamquam in procinctu ad horam fere vndecimam; quo tempore Rex cum duobus Archiducibus & Archiepiscopo SaltZburgensi ad eas venit, signoq; itineris dato, hac fere pompa cum illis progredi cœpit.

Pompa itineris.

Primi ibant scutiferi siue galearij, quibus omnibus galeæ erant intectæ holoserico nigro, pictura partim aurea, partim argentea, ad hoc magnifice cristatæ; singuli etiam torques ingentis magnitudinis ferebant aureos collo, & manu altera gæsum seu venabulum, ferro aurato, vestitu & peniculamentis holosericatis, auratisque.

Proximi his erant famulorum & asseclarum ordines Principibus, Comitib. Baronib. & nobilitati reliquæ ac consiliarijs aulicis seruientes: omnes tunicis equestribus strictis, ac cinctu peculiari cohibitis, quibus ad ornatum simul & vsum quoque fibulæ prægrandes argenteæ adsutæ erant, crebro eas morsu fatigantes.

A famulitio primi fuere proceres & nobilitas Bohemici regni, luxu inter se ita contendentes, vt difficile iudicatu reliquerint, cuius hic primæ, cuius secundæ partes forent. Bohemos sequebantur nobilissimi quiq; ex principatibus Merherniæ, Silesiæ, & Lausniziæ, quib. rursum proximi ibant aulici Arciducum duorum, Archiepiscopi SaltZburgensis, & regis Maximiliani, permistis etiã ex comitatu Augustali multis: itemq; illis, qui euocati aduenerant ex quinq; prouincijs Austriacis inferiorib.

Hinc ingrediebantur tubicines et æneatores vniuersi; sequentib. primo consiliarijs Cæsareis, regijsq;; inde officijs regni Bohemici (inter quos senior Rosenbergius solus instruxerat regi equos trecẽtos) tum Principibus Silesiacis; puta Duce Theschensi, & duobus Ducibus Munsterburgicis, itemq; Ducibus Lignitzijs, Georgio & Henrico, quibus omnibus accedebat senior Princeps Plauiensis.

Consequenter incedebant duo serenißimi regis filij natu maximi; Archidux Carolus, Archiepiscopus Saltzburgensis, & Episcopus Preslauiensis; quos demum sequebatur rex, cuius sinistram adequitabat, sed aliquanto interius, Archidux Ferdinandus, habens à tergo reginam cum vniuerso cœtu mulierum. ipsa autem primariæq; aliquot feminæ vehebantur currib. quatuor. regijs verè, sed tamen cum omnes auro fulgerent aliter atq; aliter adornatis elaboratisq;, æmulatione quadam luxuriæ. postremi fere ibant Imperatoris et regij corporis stipatores custodesq; politißimis omnes armaturis conspicui.

A latere comitabantur hanc pompam instructis ordinibus Viennenses pedites ad duo milia, & sex explicata signa militaria. omnes, exceptis, qui

*qui nunc sunt sagittariorum & leuis armaturæ loco, sclopetarijs, loricis reliquisq́ armis magnificè simul & ad vsum idoneè instructi. præcedebant autem hoc agmen duodecim machinæ bellicæ currules eius generis, quas campestres vocant; eiusq́ agminis ductor, qui erat Cōsul siue Burgimagister Viennensis, præfectiq́ secundarij, & signiferi regijs coloribus & symbolis internoscebantur à reliquis; cristati egregiè, holosericatique aut sericati omnes.*

*Vehicula etiam impedimentaq́ omnia, quæ noctu traducta erant, loco designato ita constiterant, vt munitissimorum castrorum speciem præberent, dispositis in orbem carris.*

*Hoc ordine peruentum est ad angustias pontis, qui est ad arcē Kettsensem; quo loco subsistere aliquantisper Viennēses, dum præterirent extremi custodes corporis regij, quos deinde sequi cœperunt.*

*Vbi vero rursum in patentes campos sese regij dimisere; ibi ostentare sensim se occœpit medio ferè miliari ab iis, quæ diximus, castris equitatus pulcherrimus Hungaricus; de cuius in veste, phaleris, reliquoq́ tam suo quam equorum ornatu splendore, aut luxu potius, silere satius est, quam parum plene narrando eam rem corrumpere. quæ certe tanto admirabilior fuit, quanto maior erat numerus sic sumptu certantium. hastæ certe, quæ oblongæ singulis erant, nouis flammulis omnes vestiebantur; in cultu autem corporis, cingulisq́ & phaleris crebræ gemmæ, auri & argenti pretium vilius faciebant.*

*Ad maiorem etiam ostentationem Proceres singuli cum suis quisque clientelis discretis ordinibus tendebant. ad quorum imitationem nobilitas reliqua terni quaternive se coniunxerant, symbolisque paribus peculiares turmas faciebant.*

*Nemo tamen aut comitatior aut apparatu splendidiore prodiit Comite Serinensi, cui etiam eo die cura omnis incubuit ordines & instruendi, & ducendi. ac Proceres quidem & nobiles inermes omnes prodierāt, vestibus pretiosissimis induti, & equis generosissimis vecti, sed comitantes eos Hussari tanquam iusto prœlio cum hoste certaturi armis decentissime muniebantur. bona & bello & pompæ triumphali, qualis hæc fuit, manus.*

*Ita cùm Rex progrediendo præter Kettsensem arcem campos late subiectos teneret, in quibus eques Hungaricus se explicarat, & Archiepiscopi, Episcopi, Proceresq́ alii ecclesiastici, & ex diuerso ordine cōsiliarii, primariiq́ aliquot tam ab Imperatore quam ordinibus Hungaricis viri pedites regē exspectabāt; Archiepiscopus Granensis luculentissima eum oratione vt regem Romanorū Bohemorumq́ nomine ordinū regni Hungarici consalutauit; gratulatus eidem cum serenissima regina con-*

iuge &

iuge & liberis de felici in istas oras aduentu, & accessione Romani nuper diadematis. subiunxit inde laudes regias, & commendationē à virtutibus & dotibus tam animi quam corporis; seq; & rempublicam Hungaricam pluribus ei commendauit: obtestatus, vt apud patrem Augustum patrocinium eius suscipere non grauaretur. deprecatus est etiam quod minus frequentes ordines regni, & comitatu quam voluissent minus numeroso regi occurrissent, appellans ipsam regis conscientiam, quot & quales ex Hungariæ regno aut Imperatorijs totiusq; Christianæ reipublicæ negotijs districti, aut finibus regni à vi & iniuria hostis prophani tuendis distineantur: deniq; desiit in eo vt diceret, ordines Hungaricos iubere regem omnia ea ab ipsis sperare, quæ ad eius serenißimorumq; liberorum eius commoda decoraq; quoquo modo pertinerent.

Ad hæc vt responderet mandauit Rex Episcopo Preslauiensi, qui etiam ante de hac re admonitus fuerat, & per quem potißimum Rex ordines Hungaricos beneuola respōsione dignatus est, quod cum ab Archiepiscopo Granensi salutatus esset Romanorum & Bohemorum Rex, nemo magis idoneus huic negotio reperiri posse videbatur eodem Preslauiensi Episcopo, vt qui esset inter Bohemicos proceres facile princeps; præcipuusq; regni eius Consiliarius.

Fuit autem ipsa responsio paucorum quidem verborum, sed concinna tamen & elegans, cuius hæc summa esset; Regem ordinibus Hungariæ de deuota & propensa illa eorum erga se voluntate magnas habere gratias, vicißimq; promittere ipsis tam suo quam inuictißimi Imperatoris nomine omnem beneuolentiam.

His dictis Proceres Hungarici vtriusq; status equos iterum conscenderunt; equitatus autem Hungaricus per alas diuisus camporum extrema vtrimq; occupauit, atq; ita medij transiere turmales Germanici Bohemiciq; & quia ijdem Bohemi, Merhernii, Silesii, Lausnitzii, iiq; qui euocati erant ex quinq; inferioribus Austriæ prouinciis iußi erant vi[...] nis castris succedere, eorum loco deinceps Hungari incesserunt.

Proceres autem Hungarici proximi ibant serenißimis liberis regiis Archiducibus Rudolpho, & Ernesto: sic quidem, vt inmediate eos antecederet Archiepiscopus Granensis, habens sinistra Episcopum Preslauiensem, sequebantur Archidux Carolus & Archiepiscopus Saltzburgensis. ac rursum Rex cum Archiduce Ferdinando, indeq; Regina cum Gynæceo & vtroque corpore stipatorum, claudentibus & cogentibus agmen Viennensibus.

Neq; tamen hi ipsi Viennenses, neq; Hussari equites vrbem ingreßi sunt: nam sibi, quosq; in castris subsedisse diximus, simul etiam Germanicus & Bohemicus equitatus vna oppidum subiissent; præterquam quod dies

*dies defeciſſet traducendæ pompæ, multum etiam turbarum dari potuit & tumultus. vt mittam nationes moribus diſcretiſſimas Germanorum, Bohemorum, & Hungarorum ſimul commode diuerſari nec potuiſſe, nec debuiſſe.*

*Atque ideo eſt, quod primo Germani, Bohemi, Merhernij, Sileſii, & Lauſnitzij in caſtra ſua ſe recipere iuſſi ſunt, ſimul rex tranſiſſet: quæ caſtra & vallo Germanis ſolenni carrorum, & tabernaculorum frequentia ſplendoreq; non paruam ſpectantibus voluptatem afferebant.*

*Cum reliquo comitatu Rex pontem naualem ſuper Danubium ſtratum, & vtrimque arboribus ad quærendam amœnitatem diſtinctum, tranſmiſit: ornantibus eundem pontem ab vtraque ripa duobus arcubus triumphalibus, in quibus cernebantur inſignia imperij media inter ea quæ ſunt regis dextra, & læua quæ ſunt reginæ.*

*Traiecto ponte Viennenſes quæ ſibi poni locarique eodem die mane etiam curarant ſecundum Danubium prope hortos vrbi ſubiectos caſtra petierunt; quæ regio ideo illis attributa eſt, vt vrbanæ portæ curam facilius haberent; regiq; in omnes euentus præſto eſſe poſſent. ad quam rem etiam vna ipſorum cohors in vrbem admiſſa eſt quæ pro palatio regio excubaret, & portam ſpectantem caſtra Viennenſium pſidio ſuo teneret.*

*Sed & Huſſari ſua quoque ipſi caſtra parte diuerſa ſub vrbe locata ante paucos dies, ſimiliter adierunt.*

*Ita vt Rex ſolo comitatu ſuo, Archiducum, & Archiepiſcopi Saltzburgenſis aulico, præter conſiliarios & domeſticos Cæſareos, procerumq; Hungaricorum ingentes cateruas ſtipatus vrbis portam ſubierit.*

*Et quia neq; dum ab Hungaris rex Hungaricus, ſed tantum Romanus & Bohemicus ſalutatus fuerat, pro taliq; oppidum eorum ingrediebatur; per Conradum Pappenhemium Mareſcallum & ſtipatorum præfectum, imperialem gladium præferri ſibi curauit.*

*Ingreſſus eſt autem vrbem hora fere quinta; cum tamen locus, quo ei ab Hungaricis ordinibus occurſum eſt, non vltra dimidium miliare ab oppido diſtaret, gratulationisq; & ſalutationis ſolennia iam ad medium tertiæ peracta fuiſſent.*

*Germani & Bohemi fuerunt numero ad milia quatuor. Hungari vero vniuerſi equites numerum trium milium facile explebant. Quæ copiæ quo tubarum clangore, quo ahenotympanorum ſtrepitu, qua deniq; lituorum Hungaricorum perſonatione, & tormentorum maiorum minorumq; fragore inter ſe ſalutarint, pluribus deſcribere non eſt inſtitutæ breuitatis.*

*Præcipuam tamen hic dexteritatis laudem tulerunt iteratis crebrius exploſionibus ſcloporum ſuorum ciues Preſburgenſes; quorum cohortes*

*plenæ duæ portis se effuderant, & citra pontem naualem constiterant quarum altera manuarijs tantum tormentis fulminabat, altera grauis armaturæ pilis sarißisq; præmuniebatur.*

*Rege in palatium suum deducto Archiduces diuersi decessere: & Ferdinandus quidem vrbe rursum egressus in positum tensumq; sibi in castris tabernaculum abijt: Carolus in arcem se recepit, reliquis quoq; procerib. ad designata descriptaq; sibi hospitia et diuersoria contendentibus.*

*Postridie Kalendas Septembris mane redierunt Archiduces honoris causa ad regem, simulq; cum eo omnes sub horam tertiam pomeridianam portis se effuderunt, ad flumen properantes in occursum Augustißimi Imperatoris, qui nauibus appulsurus exspectabatur. vbi, quia opinione serius Cæsar aduenit, per horam prope integram substiterunt.*

*Curarat autem Rex vti obuiam prodirent Imperatori non Proceres tantum nobilitasq; omnis, sed etiam vti Hungaricus equitatus, Viennensisque & Presburgensis peditatus instructus staret, qua Cæsareæ maiestati transeundum erat. Mandarat etiam tormētorum machinarumque præfectis, & sclopetarijs, pulueri nitrato vti ne parcerent: quæ mandata alacriter admodum exhauserunt illi, perpetuo mox fragore detonantes à tempore quo naues Cæsareæ in conspectu esse cœperunt, donec arcem Imperator adscendisset.*

*Accesserunt ad hanc festiuam salutandi gratulandiq; rationem ignes arte compositi, & mißiles, quorum magna copia ex turri fluuio vicina iacta, eo ipso articulo, quo appulit Cæsar, iucundam simul & terribilem de se speciem late volitans, & crebra tonitrua edens, præbuit.*

*Antequam vero Imperator exscenderet, Rex, Archiduces, alijque proceres relictis equis nauim Prætoriam salutandi & venerandi eius gratia ingreßi sunt.*

*Exscensione autem facta etsi currus imperialis præsto erat, conducibiliusq; propter pulueris nubes densas videbatur Imperatori, clauso vehiculo in vrbem peruenire; maluit tamen, credo, vt ostenderet Hungaris bene se ætate vti, equum conscendere.*

*In eo igitur a rege ad equitatum Hungaricum ductus, ordines eorum armaturamq; oculis lustrauit: eo, vt pridie fuerat, magnificè exculto, et diuisis alis vtraque viæ latera obsidente: ac sic per medium sui transitum Cæsari dante, non sine tubarum, ahenotympanorum, lituorumque insigni clangore.*

*Et quamquam præcipui quiq; tantum hanc pompam comitabantur, sic quoq; tamen sero admodum Cæsar in arcem peruenire potuit.*

*In ingressu autem idem Imperator præferri sibi iußit per Taium Ferozium hæreditarium Marescallum Hungariæ gladium, non tam-*

*quam*

*quam Romanorũ Imperatori, sed tamquam regi Hungariæ; vt ipse postea expostulanti ea de re nomine septemuiri Electoris Saxonici Marescallo regio Pappenhemio satisfactionis loco declarauit.*

*Eodem vesperi adhuc Cæsar Hungaricis ordinibus edixit, vti postridie frequentes in arcem deliberandi, & de Republica tractandi caussa conuenirent.*

*Archidux autem Ferdinandus, qui pridie extra vrbem in castris sub pellibus se tenuerat, ex eo tempore in arce pernoctare cœpit: commoditate diuersorij ipsi perinde atque Archiduci Carolo suffragante. sed rex in palatium suum se recepit, quod erat alioqui Archiepiscopi Granensis.*

## TRIVMPHALIS PROFECTIO HENRICI VALESII electi Regis Poloniæ per Germaniam anno cIↃ.IↃ.LXXIII.

## XXXVII.

*SVb idem tempus, omnes & singuli, tam Poloni quam Lituani vnanimiter concordibus vocibus, & suffragijs electum & confirmatum regem Poloniæ, magnumque Ducem Lituaniæ, &c. ducem Andegauensium Henricum Caroli regis Galliæ fratrem, denuntiauerunt, solenniterq́; confirmauerunt. Quem Ioannes Fierlei de Dambrouicza Palatinus Cracouiensis Marschalcus regni Poloniæ, & Joannes Chodkieuuicz, capitaneus Samogitiæ, & Marschalcus generalis magni Ducatus Lituaniæ, Lituanis proclamauerunt. Sicque rebus omnibus confectis, Varschouiæ in ecclesia diui Ioannis, tam catholici quam euangelici conuenerunt: concordibusq́; vocibus vnanimiter, Te Deum laudamus, & alia secundum ritum ecclesiæ Romanæ decantauerunt: bombardas & tormenta grandia, ad lætitiam testandam explodentes. Concilio nondũ dimisso tabulæ electionis cõfectæ sunt: Ad eas in Galliam perferendas, & salutandum regem electum, delecti tam à Senatu Poloniæ, & Lituaniæ, quam ab equestri ordine, tredecim oratores magno nati loco, & singularis prudentiæ viri. Legationis autem principem locum obtinebat Adamus Conarski episcopus Posnaniæ, eius collegæ erant Albertus à Lasko Palatinus Syradiensis: Ioannes Comes à Tenczin Castellanus Voinicienfis: Ioannes Tomiczki cum Nicolao filio, Gneznensis Castellanus: Andreas Comes à Gorka: Ioannes Herbortus Castellanus Sanocensis: Stanislaus Criski Castellanus Raciaznensis: Nicolaus Christophorus dux in Olika & Niesvuiez: Ioannes Zamoiski Belsensis præfectus: Ioannes Zborovuski Odalanouiensis: Nicolaus Fierlei Casimiriensis: Alexander Prunski Palatinus Kiouiensis: qui petita quidem fa-*

*dem facultate, nondum tamen impetrata per Germaniam transeundi, accelerantes in Galliam salui peruenerunt. Parisiis XIIII. Calendas Septembris feliciter appulerunt, nullo suorum in itinere relicto, quorum præter legationis principes & complures nobilissimos adolescentes, in comitatu erant amplius ducenti quinquaginta: omnesque à Rege Carolo ipsiusque proceribus comiter suscepti, omnibus officijs blandæ hospitalitatis tractati sunt. Deliberationibus autem vltro citroque habitis cum frequentia conuiuia lautissime apparata interuenirent, Rex electus Henricus omnibus rebus ad tantum iter comparatis, Parisiis valedixit IIII. Calen. Octobris. Abeuntem vniuersa Gallica Nobilitas, ciuium omnium turmæ faustis ominibus sunt prosecutæ. Rex Carolus proposuerat cum vniuerso comitatu ad vltimos regni fines cum fratre amantissimo progredi, nec prius diuelli, quam ad Germaniæ limites ventum esset: verum in ipso itinere morbo correptus propositum mutare coactus est: animo & corpore fratris discessum ægre ferens. Rex electus, fratre Carolo amantissimo infirmo relicto, à Catalonorum finibus Nanseum peruenit: vbi à Duce Lotharingiæ sororio, cum omni Comitatu, lautissimo hospitalitatis apparatu exceptus est. Quo tempore duplex gaudij causa fuit: nam Claudia coniunx Ducis filiam recens enixa erat: cui in sacrosancto baptismo, Posnaniensem Episcopum, & collegas, Christiano ritu sponsores esse voluit. Postea valedictione facta, Henricus ad imperium citato cursu pergens Blamontum peruenit, vbi Catharinam charissimam matrem, & Franciscum Ducem Alenconium fratrem dilectissimum, item Margaretham sororem amantissimam, & alios proceres Galliæ vltimo complexus est. Eum in Poloniam vsque sedis Romanæ nuncius Episcopus Montisregalis, & magna Procerum nobilitatisque Gallicæ caterua numero viri admodum sexcenti, cum suo comitatu Gallico, præter Polonos secuti sunt. & Germaniæ principes Blamontum vsque Regi obuiam venerunt, puta Christophorus Friderici Comitis Palatini filius, Princeps Paruæ Petræ cum Ludouico fratre, per quos velut itineris duces rex Tabernas oppidum deducitur, vbi ab episcopo Argentoratensi susceptus est incredibili hospitalitatis officio, cum vniuerso comitatu. A tabernis per Nemetes et Vangiones ad Rhenum fluuium celeberrimum venit, quo superato, ad Fridericum Comitem Heidelbergæ agentem diuertit, qui etiam Regem insperatum hospitem, summa hospitalitate prosecutus est. Transito postea iterum Rheno, ad Vangiones reuertitur, & Moguntiam peruenit, a cuius vrbis antistite cum sexcentis equitib. Germanis, honorificè exceptus est. Rhenoq; fluuio tertio superato Francofurtum ad Mœnum contendit, vbi etiam à ciuibus summa cum obseruantia tractatus fuit. Francofurto Fuldam*

*to Fuldam profectus, id oppidum in vigilia natalis Domini ingreditur, hicq; festis transactis, Vahicum petit, vbi etiam à Vuilhelmo Landgrauio Hassiæ cum tribus equitum Teutonicorum millibus occurrente, maximo hospitalitatis honore susceptus est. Postea superatis Visurgi & Albi fluuijs Saxoniam intrauit, ibiq; a Casimiro Saxoniæ principis genero, cum duobus millibus equitum, ex nobilitate Saxonica armatorum salutatus est, & ad fines vsq; ducatus honorifice perductus. Sicq; Locris postea à legato Maximiliani Imperatoris mille quingentis equitibus comitato susceptus, & salutatus ad Marchiæ Brandeburgensis Principis fines peruenit, à cuius quoque aulicis, nullo officio hospitalitatis prætermisso, honorificentissimè excipitur, indeque Francofurtum ad Oderam, qui fluuius Poloniam à Germania dirimit ingreditur. Unde læti Poloni, Deo omnipotenti vota persoluebant: Rexq; etiam Henricus Imperatori omnibusq; Germaniæ Principibus, per quorum regiones iter habuerat, pro fide publice data, & sincere conseruata, gratias immensas per legatos egit: ac tandem feliciter Miedzirzece oppidum Polonicum peruenit, vbi maximo cum gaudio à nobilitate regni Polonici, proceribusq; & magnatibus summoq; cum apparatu, editis spectaculis, & ludis militaribus susceptus est.*

## TRIVMPHALIS INGRESSVS HENRICI VALESII Electi Regis Poloniæ Cracouiæ anno cIↃ.IↃ.LXXIV.

## XXXVIII.

ANno cIↃ.IↃ.LXXIV. *curato solenniter funere diui Sigismundi Augusti, & depositis atris lugubribusque vestimentis, pullisque integumentis, omnes ordines regni Poloniæ, & magni ducatus Lituaniæ, Russiæ, Massouiæ, ac cæterarum Regionum Sarmatiæ, in noui regis desideratissimum adspectum anhelantes, studioq; visendi illius exspectatissimi vultus non secus ac patres in lymbo olim ardentes, animos deuotissimos ad honores illius adiecerunt, nullisque sumptibus quamuis profusissimis ad cohonestandum tantum Principem pepercerunt. Longum esset hic referre incredibilem, inæstimabilemq; vestium apparatum, quibus inter se cum superbi Poloni, tum magnifici & profusi Lituani, ac vinci impatientes cum Massouitis Rutheni, splendidissimis sumptibus concertabant, cum vnusquisque quibus potuit modis, & quã maximo luxu, suum præ cæteris in Regem affectum ostentare niteretur. Hi aureis tunicis, argẽteis isti, illi holosericeis, alij polymitis, qdam planis, nõnulli villosis, tũ infectis purpura, et tinctis murice ac cocco, itẽ Attalica Semiramideaq; textura, & Phrygio opere elaboratis, in-*

*sertisque cum vnionibus variarum gemmarum lapillis, resplendebant. Equi omnibus tales, quales Virgilius Turno fuisse describit, & Homerus ad Troiam narrat venisse Memnonis, Euripidesq; Rhesi Thracum Principis. Ea erat pomparum solennitas, cui nihil adiici ad gloriæ magnitudinem potuisset. Cracouia quoq; vrbs, regni caput, et metropolis nihil ad tanti principis aduentum exspectatissimum omisit; non sumptibus, non continuis diu noctuq; laboribus pepercit. quid referam publicos priuatosq; apparatus? quacumq; ingressurus erat Rex, expurgatæ plateæ, frondibusq; abietum ac pinearum semper virentium exornatæ, parietes peripetasmatibus auro purpuraq; distinctis, & hinc inde pendentibus, vbique radiabant, affixa longis tractibus in palatiis aurea cingula, baltheique; tum aurea & argentea vasa instar scalarũ per gradus exposita, crebris repercussa solis radiis fulgurabant, illa quoque olim pulueribus squalentia ob diuturnam regis mortui absentiam inaurata pauimẽta, aurea lacunaria optime exters a, excussa, & expolita resplendebant. Plebs quoque passim portas & fenestras virentibus sertis coronabat; alij ad nocturna lumina funalia parabant: alii lignorum strues congerebant. tormenta etiam bellica in vallo & propugnaculis arcis, & vrbis disponebantur; nullusq; reperiebatur aut ætate, aut valetudine tam imbecillis, qui otio detineretur; qui non aliquid ad publicum gaudium pari lætitia diligentiaq;, aut excogitaret, aut operaretur. Cumque iam omnia apprime & plus quam perfectè apparata optatum diem exspectarent; rex electus ad Balicias, sesquimiliari à Cracouia distantem villam Palatini Cracouiensis hæreditariam, aduenit, innumera Gallorum & Polonorum multitudine stipatus: ibi noctem ineffabili sua & omnium cum lætitia feliciter transegit. Die vero illa acceptissima & niueo calculo signanda illucescente, quæ erat* XIIX. *Februarii; cum discursu triumphali nobilium turmæ plateas vrbis complent, tantaq; hilaritate cuncta gaudebant, & serena facie gestiebant, vt præter peculiarẽ morem, etiam equi & canes, aliaque domestica hominibus animalia, iucundis gestibus, vocibusque exultare sentirentur, canoræque auiculæ suauissimos concentus, vltra consuetum adsonarent, exultantiumque plausibus ipsum cælum reboaret. Phœbus pater, qui caput suum atris olim (ob regem mortuum mœrorem exprimens) nubibus occuluerat, obscura caligine pariter cum hominibus disiecta, igniuomis radiis coruscans, propriæque lucis candore resplendens gratissimus apparuit. Interq; & post inaugurationem regis aliquot hebdomadis adsidue lætus permansit, vt non bruma, sed ver ipsum appareret. Antequam se autem e Baliciis rex mouisset, de repente vndarum violenter altis de montibus cadentium in speciem effusa senatorum, equitum, populi, et totius vulgi, vtriusq; sexus*

*inæstima-*

*inæstimabilis multitudo, in occursum eius, magnifico ornatu, spectabiles, Xerxisque exercitum referentes, omnes campos extra vrbem, omnes montes, colles, aggeres; omnes vias ac villarum tecta, & summa arborum oppleuerunt, densissimisque turbarum globis, Principi suo quam longissime obuiam procedere voluerunt. Primus autem Senatorum Archiepiscopus Gnesnensis Hungarico habitu ducentos hastatos equites, fulgentes holoserico auro intertexto, produxit, quos ipse insequebatur rubea rheda, quam sex equi serico rubeo ornati trahebant, erant autem vna cum eo episcopi Posnaniensis Adamus Konarski, & Plocensis Petrus Miscobski, præeunte signo crucis. Hos Leopoliensis Archiepiscopus Stanislaus Slomovuski, cum Camenecensi Episcopo, subsequebatur, qui etiam splendenti equitatu roboreq; militum magnum triumpho supplementum addiderunt. Cracouiensis Episcopus Franciscus Crassinski proximus fuit, quem Italico ornatu ducenti equites, holoserico vestiti, marturibus subducto, & argento affabre depicto, ac aureis torquibus insigniti præcedebant. Eius vestigijs Cuiauiensis Stanislaus Carncouski cum Chelmensi Episcopo & Lancicienſi Palatino viris & equis illustres insistebant. Castellanus Cracouiensis Hungarico ornatu primus post episcopos ducentos hastatos equites auro & argento conspicuos, clypeisq; & vexillis fulgentes produxit. Hinc Palatini summa grauitate insignes procedunt, quorum primus Cracouiensis cum fratre Sandomiriensi Capitaneo generali, trecentos viros, auro argentoiuxta, ac equos Hungarico more, & Scythico supra modum exornatos producunt. Sandomiriensis quoque Palatinus cum fratre ensifero regni, ducentis quinquaginta equitibus tam ad pompam, quam ad pugnam perfectè instructis, holoserico, auro, & argento fulgentibus, Hungarico more pariter cum equis comitati procedunt. Hos Osvuiecimensis, Bresinensisque Castellani subsequuntur, qui numero & apparatu insigni etiam hoc triumphale cumulabant agmen. Tandem Calissiensis Palatinus Hunnorum habitu instructam turmam clenodijs monilibusque coruscantem, & equis auro ornatis superbam ducebat. Quem lumen patriæ, & firmum virtutum omnium propugnaculum Albertus à Lasko Palatinus Siradiensis visendo apparatu, cum quadringentis equitibus Hungarico, & centum Scythico more instructis sequebatur, qui omnium consensu facile tulit in hoc triumpho partes primas, tanta enim cura suas apparauerat turmas, vt neque virum alio equo, neq; equum alio viro indigere diceres. Postea Podoliæ Palatinus huic triumphi agmini centū quinquaginta equitum armatorum decora quasi addidit corollaria. Deniq; Lituaniæ et Russiæ pceres pmiscui, sumptuosè et profusè ornati, acies tam ad bellum q̄ ad triumphum instructas agebant.*

*Quorum*

*Quorum primus Nicolaus Georgius Radiuilus Dux, Palatinus Vilnensis: cuius decoris patriæ, & senatoris eruditi, ac solertis planeq́ diuini ingenij equitatus Polonorum adæquabat laudem. Hunc Castellanus Trocensis decenter tam viris quam equis instructus comitabatur; atq́ hinc Ioannes Chodkieuicius Samogitiæ generalis capitaneus, bello ac pace clarißimus, & ad res magnas [illegible] endas natus, ingrediebatur. vt & mox eiusdem Ducatus thesaurarius supremus, & Minscensis Castellanus equis & viris auro coruscantibus superbi sequebantur. Post quos Nicolaus Christophorus Radiuilus Dux, aulæ Marescallus, Italico eoque sumptuosißimo equitatu cinctus ibat. Tandemq́ exercitũ Campiductor, Structor, Dapifer, Pocillator, hic Hungarico, ille Italico, iste Scythico, Moscouiticoq́ habitu & ornatu superbè instructi insequebantur, & alij innumeri, quos recensere longum esset. Dies enim me deficeret si ordine persequar singulos, qui viri, qui heroes, qui duces ad illam celebritatem cohonestandam vndique confluxerunt. Apparebat Lituanorum equitatum tria milia superare, holoserico, gemmis, vnionibus coruscantem. Post Lituanos Proceres Dux Constantinus, Kiouiæ Palatinus cum duobus filijs, vno Italico, altero Moscouitico habitu ornato, præcedentibus trecentis equitibus superbe auro & argẽto rigentibus stipatus occurrebat. Braslauiensis quoque Palatinus VVolinios suos Scythico more pulcherrime & sumptuosißime vestitos ducentos produxit, pharetris & arcubus auro inductis. Mox Culmensis, Marienburgensis, & Pomeraniæ Palatini Germanico ritu superbas producunt acies. quibus Dulscius quoque Prutenus XXXVI. equites loricis indutos, & auro fulgentes adiunxit. Hinc comites à Tekin, Ioannes Vuoinicensis, & Andreas Belzensis Castellani, familia antiqua & rebus insigniter gestis illustres CCL. Hungarico more hastatos equites, clypeis, vexillisq́, ac vestibus, & equis auro micantibus educunt. Eos Herbortones, ingenio & prudentia, librisq́ à se editis clari, cum ducentis; Camenecensis, Sanich Vuostensisq́ Castellani cum centum quinquaginta equitibus insequuntur. ac hos rursum Andreas Vuapovuski cum centum, & Biecensis, ac Radomiensis cum octuaginta bene armatis. Post quos Stanislaus Comes Tarnouu Castellanus Cechouiensis cum CC. equitibus clypeis, hastisq́, & vexillis auro redimitis, vesteq́ tincta cocco & marturibus subducta indutis, cumque tormentis duobus currulibus affabre instructis progreditur. sicq́ Castellani quoq́ cæteri, quos sigillatim numerare infiniti laboris esset, in acies instructi, ad triumphum cohonestandum tanti principis subsequuntur. Cancellarius quoq́ cum thesaurario regni Hieronymo Buzinski omni virtute & patriæ amore Senatores venerandi suas copias insigniter adornatas repræsentant. Postque hos*

*Marescal-*

*Marescallus aulæ Andreas Opalinski vndequaq; virtutibus absolutus vir sequitur cum* LXXV*. equitibus Italico more egregie exornatis. Vltimum agmen claudebant capitanei, ciuitatumq; & officiorum regiorum præfecti, qui etiam suas in acies pompose instructi ingentem exercitum exprimebant, aliorūq; aut adæquabāt, aut superabant laudē. Lublinensis vero Palatinus Macieovuski cum filio & nepotibus insigni virtute præstantibus ducebat ducentos equites vulturinis alis, & clypeis ac vexillis Hungarico more terribiles. Post quos DZialini Secignieuiorum, Camieneciorū, Ociescij, Coscielecij, Tomicij Castellani, Gnesnensis cum filio, Padnieuy, Barsi, Bonaronum, Miscouij, Droieuy, Lesniovuolij, Staskouy, Nemstæ, Reiorum cum oloribus in tergis coronatis, & lilijs in pectore super clypeos ad similitudinem candidarum aquilarum insignitis; Noscouij, Belzensis, Præfecti Zamoiscij, alijq; innumerabiles & inæstimabiles equitum exercitus, vt ita dicam, omnibus portis & suburbiorum latebris sese effundebant. Nec aulici regis mortui officia sua neglexerunt. & equi singulorum senatorum, equitumq; ductitij, magnam triumpho præbebant speciem. Cubicularij etiam regis defuncti hi Italico, illi Hungarico habitu, auro & argento vesteq; prætexta fulgidi, cæteros claudebant, quibus nihil neq; dici, neq; fingi speciosius potest. Post senatorum & equitum turmas ciues cum plebe, subsequebantur; quorum equites Germanico habitu erant centum viginti; pedites numerum quatuor milium facile adæquabant; omnes fulgidis armaturis splendidi, ac discolori vestitu; & vexillis secundum opificum contubernia coruscantes: similiter Cleparianæ, Casimirianæ, & Stradomianæ gentes. Exercitu omni per hunc modum disposito, iuxta LobZovuium & Bronouice vicos ciuitatis, Rex suis Gallis, Vasconibus, & magna nostrorum turba stipatus aduenit; tormenta autem vbiq; horribiliter interdum explodebantur, & taratantara, taratantara, acriter resonabat. Ibi Episcopus Plocensis Miscouius & facunda & Ciceroniana oratione regem omnium ordinum nomine salutauit. & Bibracus postea regio nomine affabiliter ad omnia respondit. Dehinc ciues Casimirienses, Cracouienses, & Clepariensés, eum salute humiliter impertiunt, qui etiam placida & optimæ spei plena responsa retulerunt. Absolutis salutationibus, Rex singulas turmas, & agmina constricta, oculis auide perlustrat, quæ tanta erat hominum bene armatorum congeries, vt pleriq; rerum bellicarum periti eandem etiam valido hosti opponi potuisse affirmarent. Tormentorum magistri interim & sclopetarii tonitrua crebra iterabant, resonabatq; contra & concutiebatur fragore æther. Tandem Rex circa primam noctis horam vrbem ardentibus facibus resplendescentē diui Floriani porta ingreditur; albo equo & sublimi altitudine illustri magnificentißime*

*centissime strato, phaleratoq́; ac auro vndiq́; refulgente vectus; cui insidens altior omnibus eminebat, vt à cunctis conspiceretur. Consules autem vrbis vmbellam auream vsque in arcem supra illum portauerunt. Veste nigra pellib. pantherinis suffulta indutus erat. Vascones sclopetarij* XL. *& Heluetij* LX. *cum securibus tympano & fistula p̄euntibus latera eius muniebant; quibus holosericæ virides vestes, croceo colore distinctæ erant; primo vero loco circa regem Niuernensis, & Dumeneius Duces: Marchio Elbensis, Dux Guisiæ, aliiq́; primores Galli, & aulici regii, singuli honoris caussa inter binos Palatinos deducebantur. Sequebantur et anteibant tympanistarum, tibicinum, cornicinum multitudo; singulis suum taratantara reddentibus. Succedebāt quoq́; diuersorū Principum & populorum oratores & legati. Populus p̄miscuus p̄ varias turmas & cuneos egrediens regem suum videre gestiens, quo ille procedebat, ferebatur; omnes sui ordinis & decoris obliti, quem sors cuiq́; locum obtulisset, occupabant. Conscendunt alii tecta, & summis pendent tegulis; alii trabib. insident, alij columnis implexi, quidam muris hærēt, omnes fenestræ, omnes rimulæ suis spectatoribus complentur: perforati parietes, dirupta maceries, quo oculos suos tā exspectati regis spectaculo populus expleret; nullus locus non occupatus, ne ijs quidem exceptis, vbi nō nisi ruinosum & periculosum imprimeretur vestigium. Cum ad forū fuisset p̄uentum, tandem omnium aures tubarum clangore, & sclopetariorū, bombardariorumq́; tonitrib. obsurduerunt. in ipso autem Castrēsis portæ vestibulo Arcus affabrè extructus erat triumphalis; tapetis exornatus aureis; in quo tibicines officiū suum strennuè adimplebāt. in summitate vero turris aq̄la alba subtiliter & artificiose facta, lilijs in pectore insignita, in oēs partes quo rex ibat circūuoluebatur, stridentib. alis, & capitis inflexione, ac quodam strepitu lætitiam quasi præ se ferens. Cumq́; rex arcē ingrederetur, sclopi oēs & maiores machinæ tāto strepitu fulgoreq́; exoneratæ sunt ac si Iupiter ipse, q̄dquid vspiam in thesauris suis fulminum tonitruumq́; conclusum habuerit, id totum pariter, simulq́; nunc cælo demisisset; tum vero tympanorum, tibiarū, tubarumq́; sonis nubes p̄strepebant. Arcem ingressus vbi etiam supra aq̄la scitissime facta alis applaudebat; in ecclesia diui Stanislai cathedrali à canonicis salutatur, et postquam Te Deū laudamus suaui melodia decātatū esset, ad reginā deducitur recta, vbi vltro citroq́; data salute in palatium auro splēdidum cœnaturus, et acq̄eturus pergit. Postridie vero rex in Senatum veniens p̄ Bibracū Cancellarium priuatum omnib. ordinibus regni gratias egit, q̄ sibi integrum atq́; floridū tantum regnum diuinitus administrandum p̄stiterint, Deumq́; omnipotentē precatur, vt ea res ipsis atq́; adeo toti reip. Christianæ sit salutaris; pollicitus daturum se sedulo operā, vt cōceptæ de se apud illos opinioni cumulate satisfaciat.*

TRIVM-

# TRIVMPHI CELEBRATI VENETIIS IN INgressu Henrici III. Galliarum & Poloniæ Regis, anno cIɔ. Iɔ. LXXIIII.

## XXXIX.

*REx Poloniæ Henricus, accepto tristi de morte fraterna nuntio, motus cum alijs multis caussis, tum suorum & matris inprimis precibus, quibus reditum in Galliam maturare obsecrabatur, relinquendam sibi primo quoque tempore Poloniam iudicauit. quod quum bona cum Procerum gratia fieri non posse statueret ex vsu regni Gallici, cui omnis mora perniciosissima futura cernebatur; nocte intempesta paucis conscijs comitatus in viam se dedit, nihilque ad extremum celeritatem reliquum faciens Viennam contendit, vbi omnibus amoris paterni officijs ab Imperatore ornatus & regiè excultus est. Hic datis ad Senatum Venetæ Reipub. amplissimæ litteris amoris & beniuolentiæ plenis significauit, cupere se ex itinere, quo in Galliam paternumque & auitum regnum redire statuisset, Venetias deflectere, quo eius ciuitatis adspectu, quam alteram quasi patriam suam æstimaret, vbique tamquam domi suæ liberè & familiariter versaturus videretur, animum oculosque pasceret. Gratissima patribus ea fuit longè oratio; cupiebant enim iampridem talem aliquam sibi occasionem dari honorandi Regem tantum; ab omni tempore confœderatum & amicum: quem hoc nomine etiam digna se & reipub. suæ maiestate pompa apparatuque excipere constituerunt. Statimque miserunt Secretarium Borizzum qui Regem in hac sententia confirmaret, deque itineris ratione quæ viderentur edoceretur. Legatos ad hoc quatuor de suo corpore legerunt, splendidissimos & clarissimos viros, Andream Badoarium, Ioannem Michaelem, Ioannem Soranzium, multis illustribus legationibus defunctos tres, rerumque gerendarum peritissimos, & quartum Iacobum Fuscarinum qui anno proximo superiori classi cum summo imperio præfuerat. Designati sunt aliquot præterea, quibus mandatum est darent operam diligenter conquirendis & præparandis omnibus ijs, quæ ad tantum apparatum, quantum animo conceperant, quoquo modo vsui futura videbantur. Iussus & præfectus Valerius Chieregatius instructos paratosque habere ordines omnes militares, ad quam rem etiam datæ litteræ ad Iulium Sauorgnanum aliosque Duces, vti ad diem cum suis quisque copijs præsto adessent. Amplius, iniunctum est Marco Molino Præfecto sinus maritimi, & Ioanni Baptistæ Contareno præfecto eius classis, quæ pro Cypro excubat, cum triremium suarum præsidiarijs primo quoque tempore ad vrbem*

*accedere; Collegijs quoque vrbanorum opificum artificumque singulis imperatæ sunt singulæ Liburnicæ. ad hæc placuit magnam illam molem naualem, Bucentaurum vocant, auro puro ex integro infici. quod ne tardius forte procederet, coacti sunt aurifices & aurifabri vniuersi ei operi manus coniunctim admouere. atque hanc tantam arcem, non nauem, visum præterea est cōsternere panno raso vermiculato. Deuersorium autem Regi decreuerunt Palatium Fuscarorum, vti quod amœnissimo & splendidissimo vrbis loco situm esset, cum duobus alijs contiguis Iustinianorum. quæ omnia ad hoc regia magnificentia instructa sunt. Multa & alia eo die in Senatu ad hanc rem pertinentia decreta facta sunt; sed quæ ex serie narrationis colligere difficile non erit.*

*Allatis vero iam litteris Secretarij Bonrizzi, quibus Rex haud procul a finibus Veneti imperij abesse nuntiabatur; Hieronymus Mocenicus legatus in occursum ei contendit, cum quingentis ex patria Nobilitate Equitibus, peditibus vero octingentis: cui mox se coniunxerunt legati quatuor, de quibus supra diximus, cum magno item numero hominum, iumentorum, curruumque ad impedimenta portanda. nec ita multo post ijs Rex occurrit, cui statim illi currum egregij operis obtulerunt quem trahebant equi nobilissimi quatuor generosissimiq;. Huncque confestim etiam sua maiestas conscendit; cui ita iter facienti gratulati sunt aduentum crebris tonitribus & maximis fragoribus præsidiarij in arce Osoponia. excipiebatur autem quacumq; transibat stupendo plane apparatu; traiectisq; fluminibus rapidissimis intermediis duob. pontib. expresse ad hoc iūctis opere tumultuario, venit Teruisium Veneris die, qui fuit Iulii mensis sextus decimus, hora à vicesima altera. quò tamen ante quam appulisset, tertio fere ab ea vrbe lapide obuios habuit è nobilitate quatuor qui præfecti sui Bartholomæi Lippamani, & communis nomine Regi Henrico generosissimum equum magnifice stratum obtulerunt, in quo sedens mox vrbem inuectus est. qui equus præter formam hoc etiam eximium habebat, quod volēti inscendere Regi in genua se submiserit, acceptoq; sessore continuo se erexerit, tamquam intelligens quem veheret. Ad portarum aditus præsto erat reuerendissimus Episcopus Cornarus cum vniuersis Ecclesiasticis, splendida simul & venerabili pompa; atque ex parte altera Præfectus cum nobilitate ad quorum statim conspectum Rex equo descendit, & ante crucem, quæ præferebatur, procidit; eique Reuerendissimus post lustricas aliquot precationes osculandum præbuit pacis symbolum, cum solitis beneprecandi cerimoniis; quo facto inter tubarum clangorem, tympanorum stridorem, tormentorum fragorem deniq; in palatium Bressarum ductus est sub vmbella pretiosissima, quam ferebant equestris ordinis sex. hic cum cœnasset, postridieque*

dieque ientaculum sumsisset, horam circa sextam decimam Venetias versus in viam rursus se dedit; peruenitque hora fere vicesima prima cum primo agmine comitatus (in quo erant præfecti militares Comes Alfonsus Portius, Comes Brandolinus Vallis Marinæ, & Pius Obicius, cum suis quisq; copiis) Mergaram, vbi rursum tormentorum bombis, & horrendis fragoribus salutatus est. Ibi exspectabant eum sexaginta patres ex amplissimo ordine, omnes ducalibus vestimentis induti; quique singulas proprias haberent nauiculas, gundulas ipsi vocant, auleis Attalicis, holosericis, rasis vermiculatis ita constratas, vt inter se luxu quasi contendere viderentur. regebant autem has quaterni famuli perinde vestiti splendidissimè. Erat autem inter alios Senatores veste Attalica splendidiss. Ioannes Corrarius equestris ordinis vir, qui nuper apud Cæsaream Maiestatem, olim etiam in Gallia legati munere magno suo cum honore defunctus erat; isque, vt caput legationis, exscensione in terram facta Reipublicæ nomine Regi gratulatus simul est grauissima oratione de felici ipsius aduentu, gratiasque egit quod visere eam aliquando ciuitatem decreuisset, quam semper amicissimam expertus esset; quamque hoc nomine vniuersam, quod venire nuntiatus esset, incredibile gaudium cepisset. Regi autem, præter innumeras alias magnifice instructas, quæ comitatui eius cesserũt, tres in primis naues præparatæ erant, holoserico nigro, holoserico Turcico, opereque byssino Phrygiano constratæ vestitæque; quas etiam conscendit cum Ducibus Ferrariensi, & Niuernensi Muranum versus nauigaturus, quo tendenti cum infinitis omnis generis nauibus, ex speculis Sancti Iuliani, Sancti Secundi, Sancti denique Ludouici honoris gratia machinarum bellicarum crepitu ingens plausus datus est: comparentibus mox ex aduersa parte nauibus quadraginta, quæ facto discessu in crescentis adhuc lunæ, et cornua sua extendere laborantis formam, regem medium acceperunt: adornauerant autem has, instructasq; deduxerant senatus iussu quadraginta ex primaria nobilitate, regi apparituri donec Venetijs esset, & a latere eius non discessuri. Vestiebantur autem ipsi splendidè Romanorum antiquorum ad morem; habebantque binos singuli ministros, coloribus suis varie distinctos. Cum ventum esset ad Palatium Lippamanorum, in quo hospitabatur Marchio Vicanus, agmen ibidem cernebatur stipatorum longe optime instructorum, qui erant ex aula concilij decemuiralis ductu Scipionis Costantij, personantibus tubicinibus & tympanotribis, ad instar Gallicorum, certis symbolis siue tesseris descriptis. hic etiam effusa turba omnis sexus, omnis ordinis, omnis ætatis denique ruere cernebatur ad tanti Regis spectaculum. Postridie, hoc est die Dominico Illustrissimus Dux Venetus iussit deduci

*ingentem & nobilem illam molem Bucentauricam, cum Liburnicis plus minus ducentis; ipseq; adeo cum amplissimo ordine, & legatis regum populorumq; conscendit triremem instructam ante per præfectum naualium copiarum Soranzium; cumq; hac, sequentibus præterea tredecim, quatuordecim item triremibus, Muranum petijt, regem Venetias deducturus pompa triumphali. qui mox etiam Prætoriam, quam diximus, triremem conscendit inter tormentorum horrenda tonitrua, tubarum incredibilem clangorem, campanarum denique late resonantem plausum; habens dextra Reuerendissimum Cardinalem S. Sixti, sedis Apostolicæ legatum, sinistra vero ipsum Principem Venetum. ingressus autem nauem, statim cum summa beneuolentia complexus est Antonium à Canale, præfectum triumphalis pompæ, eumque laudatum amplissimis verbis ob virtutem egregiam, & industriam singularem, equestri balteo donauit. quod idem prius etiam Teruisij eius vrbis Præfecto Bartholomæo Lippamano præstiterat. In exscensione rursum tormentorum fragor increpuit, non tantum ex vicinis arcibus, speculis, propugnaculis; verum etiam ex vniuersa classe. Regem autem sub vmbella ducebant sex Procuratores D. Marci, nominatim, Thomas Contarenus, Sebastianus Venerius (vterque cum summa laude functus olim præfectura rei vniuersæ maritimæ) Nicolaus Pontanus Doctor, & eques; Marcus Antonius Barbarus, Octauianus Grimanus; & Hieronymus Contarenus.*

I. Spectaculũ arcus triũphalis. *Primum autem erectus erat arcus triumphalis per mediam ecclesiam D. Nicolai; opus architecti nobilissimi Paladij, ad eius imitationem & similitudinem, quem prisci Romani Imperatori Septimio olim ad Capitolij radices posuisse traduntur. Exterior autem huius titulus erat:*

HENRICO TERTIO FRANCIÆ ATQVE POLONIÆ REGI CHRISTIANISSIMO, ET INVICTISSIMO, CHRISTIANÆ RELIGIONIS ACERRIMO PROPVGNATORI, ADVENIENTI VENETORVM RESPVBLICA AD VETERIS BENIVOLENTIÆ ATQVE OBSERVANTIÆ DECLARATIONEM.

*Interior vero titulus erat:*

HENRICO TERTIO FRANCIÆ ET POLONIÆ REGI OPTIMO, ATQVE FORTISSIMO, HOSPITI INCOMPARABILI, VENETORVM RESPVBLICA OB EIVS ADVENTVM FELICISSIMVM.

*Sub his titulis, præter alia ad laudem Regis excogitata, tropheosque, videre erat quo pacto Poloniæ regno solenniter inauguratus fuerit, hostesque aut supplices fieri coegerit, aut catenis onerarit. E regione vero erat peristylium decem columnarum Corinthiacarum, operis rari & exqui-*

*exquisiti: cuius in medio & summo perinde à nobili quodam pictore expressæ erant quadrangulæ Victoriæ alatæ, altera manu pacis symbolum, altera auream coronam sic ferentes, vt viderentur eas Regis intrantis vertici velle imponere. cuius rei auctor alludere haud dubie volebat ad victorias quatuor, ab Henrico, sed tum adhuc tantum Duce exercitus regij, in Gallia contra hostes continenter partas. parietes autem huius peristylij pictas habebant Virtutes per species suas; à fronte vero ara posita erat cum tabella artis exquisitæ, quæ referret propitiatoris & sequestri nostri Optimi Maximi Iesu Christi imaginem, cui se submisit Rex cum toto comitatu, gratias agens, habensque quod itinere inoffenso feliciter in eam vrbem venisset: Cum interim clerus hymnum lætitiæ alternis decantauit; post quem Patriarcha Venetus Treuisanus dixit aliquot lustricas precationes, Regique fausta & felicia omnia deinceps quoque optauit, cum iterato tormentorum tonitru, quo euanescente paulatim, Bucentaurum Rex conscendit, vrbem versus nauigaturus; tot cingentibus eam arcem mobilem vndique triremibus, biremibus, Liburnicis cuiusque generis, lembis, scaphis, &c. vt mare plane illis constratum videretur. triumphus sane tanto Rege dignus; cuius qui vel millesimam partem verbis adsequi posse speret, nugas agat. Quis enim Musicorum instrumentorum harmoniam, marino murmure conditam; quis signorum aura sinuatorum multitudinem, quis denique velorum & stratorum variorum ex auro, argento, holoserico, serico, bysso, vt nominibus ita coloribus discrepantium magnificentiam digne satis explicet? Plane illis transmissis silentio potius quam parum plene enarratis, ista quæ videntur minus habere difficultatis, atque hæc etiam quam breuissime poterit, tradere pergemus. Igitur Rex admiratus hanc tantam magnificentiam, quantam credere nemo possit, qui nō oculis eam subiecisset; vi quadam lætitiæ prorupit in ea verba, vt diceret, optare se, præsentiam lectissimæ matronæ, matris suæ, quo simul tanto spectaculo frui illa posset. Ceterum cùm ventum esset ad Sancti Marci, triremes Liburnicæ, & quodcunque aliud nauium genus, quarum mali procul visentibus densissimi luci in mari medio speciem præberent, ordine instructæ, tamquam acie & prœlio decertaturæ, substiterunt, cursumque inhibuerunt; & postquam canalem Bucentaurus attigit, simul omnes horrendo tonitru cælum, mare, terram concusserunt; respondentibus ijs, qui erant in speculis Sanctæ Mariæ Iuuenicæ, Sancti Viti, Charitatis, Sancti Samuelis; ex quibus certatim, prout moles illa naualis maiestate quadam præcipua, tamquam conscia quem veheret, sensim promouebatur, lætitiæ & alacritatis signa data sunt: donec hora fere vigesimaquarta ventum est*

*ad Pala-*

*ad Palatium Foscarorum; quo Rex conscenso, fenestram ilico petiit, per quam reuertentem ad Sancti Marci cum amplißimo ordine Principem Venetum spectaret in famosa illa Bucentauro; simul vt incredibilem hominum multitudinem oculis vsurparet, quæ ita latus vtrunq; canalis à summo ad imum occupauerat studio visendi regis, vt tecta ipsa plena vbiq; essent, adeoq; constipata, vt ruinæ periculo multa non vacauerint; stupore quidem tanto regis, vt confluxisse ad hanc vrbem putaret, quidquid est vbiq; per vniuersum orbem hominum. Nocte autem iā primaria erat ea voluptas, cernere tota vrbe frequentiam funalium, & igniū; etiam artificiosorum; quorum alii liliorum, alii pyramidū formas mentiebantur; nonnulli vagi citra noxam, nec citra admirationem tamē ludibundi discurrebant; hocq; spectaculum iucundißimum patebat à Sancti Marci ad Sanctæ vsq; Luciæ, quod est interuallum duorum plus minus miliarium: quod totum ita luminibus coruscabat, et scintillabat, vt sideribus tanquam creberrimis distinctum, viæ, quæ lactea in cælo vocatur, faciem imitaretur. totum autem hoc, quod illi gratißimum longe & acceptißimum erat, oculis Rex metiri liberè poterat nullo obstaculo visum vsquam intercipiente. quo nomine etiam hoc potißimum Palatium hospitium regium Senatus prudentißimus esse voluit. qui etiam hoc curarat, vt secunda quaq; noctis hora regem demulcerent concentu & modulatione quadam suauißima optimi vndiq; musici, tam voce boni, quam manu in genere quouis instrumentorum nobiles: hi autem, ne*
II. *simplex esset aurium oblectatio, vehebantur Nympheo quasi quodam, quod nauibus substernebatur, & harum adminiculo qua lubitum erat agebatur: supernè lucentibus vigintiquatuor facibus. breuiter, tubæ, tibiæ, cytharæ, testudines, cōcentus interius, & hæc ambulantis arcis flammiuomæ species exterius, non absimile quid repræsentabant à fabulosis illis Alcinæ palatijs, tantopere poetarum carminib. celebratis. hæc autem lucernarum, funalium, facium, ignium festa hilaritas durauit mandato amplißimi ordinis singulis noctibus ad decessum vsque Regis. Lunæ die sub primam facem naues omnes & triremes cuiuscunq; generis, veluti per pompam, præter conspectum Regis actæ sunt, ad ostentationē maritimarum virium: naumachiæq; editæ, exædificata rupis specie in medijs aquis, sub qua exesa Neptunus, Tritones, & totus ille maritimorū deorum chorus, in vtroq; sexu frequentißimus, spectare cernebatur belli hæc in regno suo simulacra, velut arbitri & brabeutæ quidam. Martis die aduenit serenißimus Sabaudiæ Dux, gratißimus, vt apparuit, cum Regi Henrico, tum amplißimo ordini Senatus Veneti; qui hospitium ei adsignauit clarißimi viri Ludouici Mocenici palatium, vicinum admodum ei in quo Regem diuersatum diximus. Eodem die Princeps Venetus*

Spectaculū Nymphæi ambulatorij & flammiuomi.

*comitan-*

*comitante Senatu inuitatum iuit regem ad solenne conuiuium postero die in curia præbendum; ad quam rem subsellia Senatorum ex ea amota sunt; & loco honoratissimo pauimentum quoddam satis alte eductum, & auleis magnifice intectum, sede Regia iuxta posita, aurea veste instrata, è regione vero, qua Veneti Principis sedes ponebatur, Abacus instructus est ea diuitiarum copia, vt aurum argentumque præ gemmis innumerabilibus vile iam videretur. Vtrimque vero à latere scamna item, mensæque ritè disponebantur. duæ præterea aliæ cœnationes præparatæ erant in vicino huic loco, quæ tribus hominum primariorum milibus inibi pransuris, sufficerent. Mercurij die mane Princeps Venetus cum Senatoribus & legatis regum, gentiumq; iterum ad regem venit; qui iam sacris operatus erat; ideoque cum Principe Bucentaurum conscendit; ad Sancti Marci profectus cum solito tormentorum fragore; moxque ad pontem rursum exscendit, in cuius fronte pyramides duæ operis artificiosissimi positæ erant; tota autem via ad vestibulum vsque ecclesiæ strata erat panno coccineo. per hanc igitur rex medius ibat inter Cardinalem Sancti Sixti Pontificium legatum, et Principem Venetum, præcedentibus Ducibus Niuernensi, Ferrariensi, & Sabaudo: & ferentibus vmbellam ijs, quos supra memorauimus, sex S. Marci Procuratoribus: ante aram autem maximam sedes regi panno aureo strata erat, antequam is in genua procubuit, concinente clero Hymnum lætitiæ, & alacritatis, cuius initium, Te Deum laudamus. quo finito ad prandij locum profecti sunt vbi cœlesti quadam Harmonia, quam modulabantur euocati ad hoc præstantissimi quiq; vndiq; Musici, lubentius aures pasceres, quam ciborũ apparatu, quamuis vere tanto Rege dignissimo, vẽtrem. finito prandio rex armamẽtarium decemuirale inspexit, rursusq; ad prandij locum reuersus, cum se cantu aliquantisper oblectasset Musico, secessit in cubiculum principale, nec ita multo post Bucentauro in hospitium suum redijt comitatu eodem, quo ad prandium profectus fuerat. Iouis die, hora vigesimaprima, Rex familiariter priuati in morem scapha ad Principem venit; qui eum comitatus est ad ripam vsque; vbi cum à classe tormentorum plausu de more salutatus esset, profectus est visum Patriarcham Aquileæ, & nobile illud musæum eius antiqui & prisci operis monimentis. Veneris die appulerunt Illustrissimus Mantuæ Dux, & magnus Prior Franciæ. frater quidem hic regis, sed toro natus illegitimo. eodem etiam die sub horam vigesimam secundam rex in Senatum venit, inspecturus comitiorum, quæ tum habebantur, in creatione nouorum magistratuum rationem. seditq; medius inter S. Sixti Cardinalem & Principem Venetum; oblato autem ei a Silentiario pila aurea, (ballotam ipsi vocant) suffragium suum dedit Jacobo Contareno, qui,*

III. Spectaculũ pyramidũ.

*quamuis occlamantibus septem competitoribus, acclamante Cancellarie subinde, & applaudente Regi, cum solita titulorum præfatione, magistratu fungi à toto consilio iussus est. quo nomine cū Contarenus pedib. regÿs affusus ingentes illi gratias ageret; rex surgeret mandauit, & gratias haberet ordini amplissimo, qui meritum honorem virtutibus eius habuisset. inde magna comitante caterua, & infinitis cum lembis præcurrentibus, tum facibus prælucentib. ad hospitium suum deductus est; vbi hora noctis secunda in medio canali domus magna exhibita est plena i-*
IV. Spectaculū domus ardentis. *gnibus arte mira compositis interius; cui cum essent iniectæ faces, visus est Ætna mons discedere, & flammas vomere vndique non exiguo fragore; ita hiabat passim & fulminibus, tonitribusque horrendis coruscabat, personabatque. Die Saturni post sumtum ientaculum Rex cum procerum legatorumque multitudine Naualia ingressus est, ibique omnia cum cura inspexit: monstrantibus quidquid visu dignum esset Antonio à Canali, & Præfectis Naualium; mirabatur autem Rex locum tam capacem, vt qui pateat ad duo miliaria, muro tantæ altitudinis, & tam crebris turribus, propugnaculisque ornato, munitoque, potuisse includi: mirabatur nauium & triremium præparatam vim; armorumq; inprimis copiam; quæ triginta millibus hominum instruendis sufficeret. nam de reliquo instrumēto militari, naualiq; tormentisq;, & ad vsum eorum pertinentibus, vt sunt puluis, globique omnis generis, & quæ alia bello vel inferendo, vel propulsando faciunt, quando omnia oculis obire potuisset? singulare tamen hoc visum, & spectatu dignissimum, collegium siue corpus mille ducentorum virorum: quibus hic de vitæ necessarÿs in tempus omne est prospectum: quique & consilio & dextra boni, si res postulet, vel vno die triremem ingentem exædificare possint; ita vnanimes, & in fide erga Principem suum consentientes, vt sub sole simile collegium inueniri non posse putetur. Inter hæc Regi mensa posita est gustandi caussa, tragematis omnis generis opipare referta; in qua hoc mirum, quod etiam cultri, orbes, patinæ, reliquaque è saccaro erant; hinc discedentem Regem tormentarÿ, vt aduenientem exceperant, bombis suarum machinarum salutarunt. Die postero, qui erat Dominicus, Rex cum fratre magno Franciæ Priore, & Ducibus Illustrissimis venit in curiam ad festum apparatum alterum; vbi tum erant simul ducentæ formosissimæ feminæ patriciæ, vestitu omnes è serico candido Florentino gemmis vnionibusque ita collucentes, vt monstri simile esset, vnde tantum rarissimorum lapidum conquiri, & in vnum locum comportari potuisset. erant autem scamna vtrinq; à latere his posita, vacante spatio quod medium erat; sedes autem regia collocata erat vbi solebat esse Principis; vm-*

*pis, vmbella aurea hæc integebatur, & à summo ad imum velum ex aureo panno dependebat; solumque ipsum circa in proximo stratum erat ita, vt esset res augustissima videre hic sedentem Regem in sublimi solio, considentibus prope tot Ducibus; totque alijs primarijs viris, Comitibus, Baronibus, nobilibus, Senatoribus, officij caussa adstãtibus, quibus quasi obumbraret consessus ille pulcherrimus ornatissimarum Nympharum, quem rex primo ingressu cum conspexisset, non sessum statim, sed honorem habitum ijt formosissimo lectissimarum feminarum cœtui, qui eo animaduerso consurrexit, obuiamque processit Regi, quo salutato, Musici officium suum facere cœperunt; statimque coram Rege venerunt ex nobilitate qui chorum hunc Nympharum decentissima serie saltatum ducerent; ita quidem, vt præter Regem singuli singulas sic obuerterent, vt Rex consalutandi vnamquamque sigillatim copiam haberet. in quo ne sæpius caput detegere cogeretur, pileum manu tenuit, donec omnes traductæ essent. quo facto, in vicino atrio tragemata more regio apposita sunt omnibus. Solium quoque regium fuit principali loco; exhibitaque sunt ex saccaro Regi omne genus animalia rara, vt leones, gryphes, &c. item statuæ artificio magno fictæ à celeberrimo Nicolao Pigna, ad priscarum maxime similitudinem; & inter alias opposita erat Regi muliebris quædam ita conformata, vt Regi coronas siue diademata bina porrigere velle videretur. Erant iuxta tres aliæ quoq; mensæ, duæ altrinsecus, & tertia è regione regiæ, quibus trecentæ item statuæ ex saccaro illatæ sunt. Et si quis apparatum eius quoque loci considerasset, cum auleis aureis perinde omnia coruscarent, conuiuium hoc Deorum, nõ hominum esse iudicasset. quo soluto sub horam vigesimamquartam, cum magna laude Joannis Donati, qui ei festo apparatui præfectus fuerat, omniaque ita administrauerat, exteros æque & ciues pro merito & dignitate quemque tractando, vt rite atque ordine in eo processum omnes iudicarent, Rex cum Principe, totoq; Ducum, legatorum, nobilitatisque comitatu ad Musicorum instrumentorum sonitum Bucentaurum repetijt, itaque in hospitium suum reductus est. vbi cum Princeps Venetus honoris gratia Regem comitari vellet ad cubiculum vsque, vnaque gradus conscendere; neutiquam id Rex passus est, sed officio quasi cum eo contendens, cum summa beniuolentia dimisit.*

*Lunæ die ad pontem Carminium exhibita est Regi pugna Castellanorum & Nicolottorum. Vocabatur hæc antiquitus lingua vulgari battagliola, quasi prœliolum dicas. fiebatque festis hyemalibus fustibus non præpilatis aut acuminatis, sed obtusis. neque verè res gerebatur, sed simulabatur tantum initio, exercitij caussa, & oblectandi animi:*

*sed paullatim, præsertim à paucis annis, in desuetudinem abijt, non voluntate quidem ciuium, sed mandato amplißimi ordinis, qui mißis ductoribus militum ad eum pontem pugnam vetuerunt; ea maxime caussa, quod res iam serio ageretur, multique sæpe occisi essent, multi grauiter læsi, & membris mutilati. vti enim cœperant quidam, hostilibus odijs dissentientes, fustibus ex canna Indica, corno, & similibus ligni generibus acuminatis, & ardente oleo induratis, ita vt etiam loricis perrumpendis satis essent, ictusque letales inferrent. neque hæc inter cessabatur à lapidum & saxorum iactu, quo multi sæpe perierant. cuius rei nunc quoque memor ordo amplißimus, cupiensque Regi incruentam voluptatem offerre, per præconem edixit, ne quis aut acutis fustibus vteretur, aut lapides iaceret; proposita huic pœna laquei, illi perpetuæ seruitutis, & ad remos damnationis: amplius etiam, vt seditionibus prospiceretur, & casibus qui forte fortuna incidere possent, præfectis militaribus mandauit vti armati paratique ad pontem adessent: ad quem diuulgata per vrbem fama de belli simulacro futuro ingens multitudo omnis ordinis, sexus, ætatis confluxit; ibidemque toto fere die sub sole perstitit, visendi studio, donec hora altera à vigesima, cum Rex iam fenestram occupasset in ædibus Iacobi Foscarini; Castellani admodum ducenti galeis muniti pontem occuparunt; quibus oppositis totidem & perinde armatis Nicolottis, pugna committi cœpit magnis animis; sed sic, vt nunc hi, nunc illi vicißim pellerent, aut pellerentur. bis tamen Nicolotti visi superiores, cum hora vigesima iam tertia Castellani nisi recuperare quod amiserant, pellunt ponte aduersarios, cōsternatos casu ductoris sui, Lucæ Piscatoris, qui ictu impacto in aduersam faciem sopitus fuerat. quo facto, Rex manu innuit finem facerent; ipseque locum suum deseruit; frustra conante mox Luca Piscatore amissum decus recuperare, cum ad se redijsset, & contendente impetum in aduersarios facere, quod digresso Rege nulla vlterius pugnandi fieret à Senatu copia. Martis die, quo abire Rex constituerat, demandauit curam distribuendorum donatiuorum, quæ plurima & maxima erant, legatis suis. venerant autem ad eum, dum Venetijs ageret, oratores à Serenißimo Ioanne Austriaco, à Genuensibus, à Florentinis, ab Vrbinatibus, a Parmensibus, alijsque. Ipsius vestitus erat simplex; vultus benignißimus erga omnes. annorum erat vigintiquatuor, statura satis procera, & bona, barbæ quod parum habet, nigellum est. quotiens cum Principe Veneto locutus est magna semper beniuolentiæ & familiaritatis signa dedit; neque prius ille ducale diadema deponere poterat, quam Rex perinde caput aperuisset. Discesit autem hora decima quarta vno & eodem cum Principe nauigio, val-*

*gio, valde magnifice instrato; comitante quoque honoris caussa amplissimo ordine, splendore se dignissimo. ad Lizzafusinam autem tormentorum plausu, bombisque late resonantibus honoratus est: iterumque similiter ad Sanctum Georgium; vbi reliquit Principem Venetum, plenum adhuc studij amplius tantum hospitem honorandi. Ipse cum Ducibus Sabaudiæ, Ferrariæ, Niuernensi; itemque fratre suo, magno Franciæ Priore, legatisque multis, & magno præterea procerum, nobiliumque comitatu contendit Patauium versus: ciboque refectus Moranzany in palatio Foscarorum, vbi omnia ad hanc rem necessaria prouisa, præparataque erant; continuato itinere (in quo multum delectabatur spectaculo palatiorum, quæ ripis vtrimque prætexuntur, nominatimq́; eius quod est Friderici Contareni, Procuratoris, cuius propius inspiciendi caussa, etiam in terram exponi voluit) multa nocte Patauium appulit; vbi crebris funalibus facibusque accensis obuij illi effusi sunt Præfecti, ductoresque ordinum, Antonius Martinengius, Comes Brandolinus à valle Marina, & Pius Obicius, cum copijs suis, totaque nobilitate: à quibus solenni pompa ductus est ad crepitum machinarum, clangoremque tubarum, in palatium Foscarorum; vbi cœnauit, postridieque ientaculum sumpsit, & donato equestri balteo Victore Bragadino loci præfecto, porta Sanctæ Crucis Patauio decessit, comitante ad duo miliaria nobilitate, & militaribus ordinibus, quibus mox dimissis ad Rouigium obuium habuit equitatum Ducis Ferrariensis, qui maximo etiam apparatu Regem tam potentem Ferrariæ mox excepit.*

## TRIVMPHVS IMP. TVRCICI DVCTVS Constantinopoli ante paucos annos.

## X L.

*SVb idem tempus Imp. superioribus dieb. venatum quasi egressus, cum vniuersa aula in gratiam legati Persici vrbem solenniter ingreditur. Moris est enim Sultanis, vt legatis exterorum Regum cum pompa sese spectandos exhibeat. Comitatus fuit ingens & splẽdidè decoratus, armisq́; instructus, equitum quidem millia quinque tam præcisè, vt nec deesse quisquam nec superesse eo ex numero deprehenderetur. Pedites, præsertim Janizari, Solagki, & Asapi, cum inordinate ac gregatim incedant, exacte numerari non potuerunt. Hi ad septem millia fuerunt æstimati, omnesque decorè vestiti. Atque hîc erat cernere syluam quasi plumarum & alarum aquilinarum, quas pileis gestare, speculis insertis, solent. Equites magna ex parte amicti*

*fuerunt aureis textis, & ipsorum equi, elegantiores alioquin & exquisiti, phaleris & ornatu equestri Turcis vsitato fuere splendidißimi: præsertim vero regij, qui proxime ante Imperatorem ducuntur, dici vix potest, quanto preciosorum lapidũm, gemmarum, & auri apparatu nituerint. Magna quoque canum vis tum Molossorum, tum aliorum venaticorum ducebatur. Nec ineleganter circumpedes incedebant, gestantes pileos pyramidales argenteos tenuis laminæ deauratos, inde satellites, arcubus & pharetris instructi. Imperator ipse placido nutu omnes tam Turcas, quàm Græcos & Hebræos salutabat. Ornatus equi erat admirabilis ac splendidißimus. Ipsi stapedes latiores ex solido auro, vti perhibent, confecti varijs gemmis insertis coruscant, vt de vnione inusitatæ magnitudinis, qualis à fronte equi dependebat, de freno, monili, antilena gemmatis, ephippio deaurato, strato margaritis conserto nihil dicam. A tergo sequebantur pueri nobiles & equites cataphracti bis mille centum, apparatu certe magnifico. Claudebant hunc triumphum* XII. *Croati & Hungari captiui, tribus curribus impositi, quorum vnus tympanum pulsabat.*

TRIVMPHI CELEBRATI IN CIRCVMcisione Mehemeti Imperatoris Turcici filij nuper, stricta & summaria narratio.

XLI.

*VIgesimo nono Martij Legatus Persicus cum trecentorum ferme comitatu, ad condecorandum festum Circumcisionis, à Murathe in honorem filij institutum, Byzantium appulit. Cui extra Scutarium Beglerbegus Græciæ, aliique aulici numeroso cum equitatu, Præfectus regiæ claßis cum* XXV. *triremibus eleganter instructis obuiam processerunt: in littore vero Constantinopoleos Aga Janizarorum, Odo & Capitschi Baßi, cum tribus suorum millibus eum præstolati ad hospitium decenter deduxerunt. Et quamuis præsente iam Legato pacis tractandæ atque ineundæ spes esset, tamen Imp. maioris securitatis atque authoritatis gratia triremes aliquot milite imposito emisit, cùm non ita pridem* IIII. *quoque Czauschos ad Persam ablegasset. Interim festum Circumcisionis, præsentibus legatis præcipuorum orbis Principum eò inuitatorum instituitur, fitque eius initium* II. *lun. extructis in Hippodromo stationibus, siue pergulis pro Imperatore, filio & Gynecæo ipsius, necnon legatis exteris, ac primoribus Turcarum; durauitque illud* L. *dies continuos. Quo tempore non solùm Vezirijs*

*Baßis,*

*Baßis, Beglerbego Græciæ, Præfecto Ianizarorum & claßis regiæ cum suis ministris, Czauschis atque Spahis: sed & legatis, quos Sinam Bassa Sultani iussu, oblatis varij generis animalibus ac figuris è mero saccaro confectis, solenniter inuitauit, & horum ministris, adeoque multitudini plebis epulum quotidie fuit appositum, totaque Hippodromi area cibis consita. Ludi quoque ac spectacula omnis generis, pleraque inusitata, ac mirabilia fuerunt exhibita; ita vt infinita propè ariolorum, funambulorum, præstigiatorum, pugilum, saltatorum, athletarum, musicorum ac aliorum, quiduis ridiculè, iocosè aut scurriliter quoque agentium siue conantium, confluxerit colluuies. Filius Regius Sultan Mehemet, ætatis suæ annum decimumseptimum ingrediens à Mehemete vltimo Vezirio, Imperatoris quondam tonsore,* VII. *Iun. seorsim, adhibitis vsitatis ceremonijs circumciditur. Tantus in eo festo luxus atque ostentatio fuit vsurpata, vt Imp. ac filius congregata plebe sæpius nummos, & patellas argenteas ternis vicibus quadragenas aut quinquagenas manu sparserint: quo concursu plerunque aliqui fuerunt oppreßi. Breuiter, inusitatæ miræque festiuitates ac spectacula sunt edita: atque ita quidem vt simile festum neque apud Turcas vmquam, neque alibi celebratum sit.*



PANDE-

# PANDECTARVM TRIVMPHALIVM TOMI PRIMI LIBER TERTIVS, QVI EST *de ludis & spectaculis.*

## DE SPECTACVLIS A IVLIO CAESARE editis Romæ.

I.



*EDidit Iulius Cæsar spectacula varij generis: munus gladiatorum, ludos etiam regionatim vrbe tota, & quidem per omnium linguarum histriones. Item circenses, athletas, naumachiam. Munere in foro depugnauit Furius Leptinus stirpe prætoria: & A. Calpenus senator quondam actorq; causarum: Pyrrhicham saltauerunt Asiæ Bithyniæq; Principum liberi. Ludis Decimus Laberius eques Romanus mimum suum egit, donatusque est quingentis sestertijs, & anulo aureo. sessum in* XIIII. *scena per Orchestram transijt. Circensibus, spatio circi ab vtraque parte producto, & in gyrum Eurypo addito; quadrigas bigasq; & equos desultorios agitauerunt nobilissimi iuuenes. Troiam lusit Turma duplex, maiorum minorumque puerorum. Venationes editæ per dies quinque: ac nouissimè pugna diuisa in duas acies: quingenis peditibus, elephantis vicenis, tricenis equitibus hinc & inde commissis. Nam quo laxius dimicaretur, sublatæ metæ, inq; earum locum bina castra ex aduerso constituta erant. Athletæ, stadio ad tempus extructo, in regione Martij campi certauerunt per triduum. Nauali prœlio in morem cochleæ defosso lacu, biremes ac triremes, quadriremesq; Tyriæ & Ægyptiæ classes, magno pugnatorum numero conflixerunt. Ad quæ omnia spectacula tantum vndiq; confluxit hominum, vt plerique aduenæ aut inter vicos, aut inter vias tabernaculis positis manerent, ac sæpe præ turba elisi exanimatiq; sint plurimi, & in his duo senatores.*

## DE LVDIS ET SPECTACVLIS AB AVGVSTO Cæsare editis.

II.



*SPectaculorum & assiduitate & varietate atque magnificentia patrem Iulium Augustus etiam antecessit. Fecisse enim ludos se ait suo nomine quater: pro alijs magistratib. qui aut abessent, aut non sufficerent, ter & vicies. Fecitque nonnunquam vicatim ac pluribus scenis per omnium linguarum histriones: non in foro modo, nec*

*do, nec amphitheatro, sed in circo, & in septis, & aliquando nihil præter venationem edidit: athletas, exstructis in campo Martio sedibus ligneis: item nauale prœlium circa Tyberim cauato solo, in quo postea Cæsarum nemus fuit. Quibus dieb. custodes in vrbe disposuit, ne raritate remanentium grassatoribus obnoxia esset. In circo aurigas, cursoresque & confectores ferarum, & nonnũquam ex nobilissima iuuentute produxit. Sed & Troiæ ludum edidit frequentissimè, magnorum minorumque puerorum delectu: prisci decorique moris existimans, claræ stirpis indolem sic notescere. In hoc ludicro Caium Nonium Asprenatem lapsu debilitatum, aureo torque donauit: passusq́; est ipsum posterosque torquati ferre cognomen. Mox finem fecit talia edendi, Asinio Pollione oratore grauiter inuidiosèque in curia questo Æsernini nepotis sui casum, qui & ipse crus effregerat. Ad scenicas quoque & gladiatorias operas etiam equitibus Romanis aliquando vsus est: verum priusquam Senatusconsulto interdiceretur. Postea nihil sane, præterquam adolescentulum Lucium honestè natum, exhibuit: tantum vt ostenderet, quod erat bipedali minor librarum septemdecim, ac vocis immensæ. Quodam autem muneris die, Parthorum obsides tunc primum missos, per arenam mediam ad spectaculum induxit, superque se subsellio secundo collocauit. Solebat etiam citra spectaculorum dies, si quando quid inusitatum dignumque cognitu aduectum esset, id extra ordinem quolibet loco publicare: vt rhinocerotem, apud septa: tigrim, in scena: anguem quinquaginta cubitorum, pro comitio. Accidit votiuis Circensibus vt correptus valetudine, lectica cubans, thensas deduceret. Rursus commissione ludorum quibus theatrum Marcelli dedicabat, euenit vt laxatis sellæ curulis compagibus caderet supinus. Nepotum quoque suorum munere, cum consternatum ruinæ metu populum retinere, et confirmare nullo modo posset, transiit è loco suo, atque in ea parte consedit quæ suspecta maxime erat. Spectandi confusissimum ac solutissimum morem correxit ordinauitque, motus iniuria Senatoris, quem Puteolis per celeberrimos ludos consessu frequenti nemo receperat. Facto igitur decreto patrum, vt quoties quid spectandum vsquam publice ederetur, primus subselliorum ordo vacaret Senatoribus; Romæ legatos liberarum sociarumque gentium vetuit in orchestra considere, quum quosdam etiam libertini generis mitti deprehendisset. Militem secreuit à populo. Maritis e plebe proprios ordines assignauit: prætextatis cuneum suum, & proximum pædagogis: sanxitque ne quis pullatorum media cauea sederet. Feminis ne gladiatores quidem, quos promiscue spectari solenne olim erat, nisi ex superiore loco spectare concessit. Solis virginibus vestalibus locum in theatro separatim & contra Prætoris tribunal dedit. Athletarum vero spectaculo*

*muliebrem sexum omnem adeo summouit, vt Pōtificalib. ludis pugilum par postulatum, distulerit in sequentis diei matutinū tempus: edixeritq́; mulieres ante horam quintam venire in theatrum non placere. Ipse Circenses ex amicorum ferè libertorumq́; cœnaculis spectabat, interdum è puluinari. Et quidem cum coniuge ac liberis sedens, spectaculo plurimas horas, aliquando totos dies aderat, petita venia commendatisq́; qui suā vicem præsidendo fungerentur. Verum quoties adesset, nihil præterea agebat, seu vitandi rumoris caussa, quo patrem Cæsarem vulgo reprehensum commemorabat, quod inter spectandum epistolis libellisq́; legēdis ac rescribendis vacaret: seu studio spectādi ac voluptate, qua teneri se neq; dissimulauit vmquam, & sæpe ingenue professus est. Itaq; corollaria & præmia alienis quoq; muneribus ac ludis & crebra & grandia de suo offerebat. Nulliq́; Græco certamini interfuit, quo non pro merito certantium quemq́; honorauerit. Spectauit autem studiosissime pugiles, & maxime Latinos: non legitimos atq; ordinarios modo, quos etiam committere cū Græcis solebat, sed & cateruarios oppidanos inter angustias vicorum pugnantes temere ac sine arte. Vniuersum deniq; genus operas aliquas publico spectaculo præbentium etiam cura sua dignatus est, Athletis & conseruauit priuilegia & ampliauit. Gladiatores sine missione edi prohibuit. Coercitionem in histriones, magistratibus in omni tempore & loco, lege vetere permissam, ademit, præterquam ludos & scenam: nec tamen eo minus aut xysticorum certationes aut gladiatorum pugnas seuerissime semper exegit. Nam histrionum licentiam adeo compescuit, vt Stephanionem togatarium, cui in puerilem habitum circumtonsam matronam ministrasse compererat, per trina theatra virgis cæsum relegauerit: Hylam pantomimum, querente Prætore, in atrio domus suæ, nemine excluso, flagellis verberauerit: & Pyladem vrbe atque Italia submouerit, quod spectatorem à quo exibilabatur, demōstrasset digito conspicuumque fecisset.*

## DE LVDIS A C. CALIGVLA CAEsare editis.

### III.

*MVnera gladiatoria C. Cæsar Caligula partim in amphitheatro Tauri, partim in septis aliquot edidit: quib. inseruit cateruas Afrorum, Campanorumque pugilum, ex vtraque regione electissimorum. Neque spectaculis semper ipse præsedit: sed interdum aut magistratibus aut amicis præsidendi munus iniunxit. Scenicos ludos & assidue & varij generis, multifariam fecit, quondam etiam & nocturnos ac-*

*nos accensis tota vrbe luminibus. Sparsit & missilia variarum rerum, & panaria cũ obsonio viritim diuisit. Qua epulatione, equiti Romano contra se hilarius auidiusq; vescenti, partes suas misit: sed & Senatori ob eandem caussam codicillos, quibus Prætorẽ eum extra ordinem designabat. Edidit & Circenses plurimos à manè vsq; ad vesperã, interiecta modo Africanorum venatione, modo Troiæ decursione; quosdã autem præcipuos, minio & chrysocolla constrato circo, nec vllis nisi ex Senatorio ordine aurigantibus. Commisit & subitos, quum è Gelotiana apparatũ Circi prospicientem pauci ex proximis Mænianis postulassent. Nouum præterea atq; inauditum genus spectaculi excogitauit: Nã Baiarũ medium interuallum & Puteolanas moles, trium millium & sexcentorum fere passuum ponte coniunxit, contractis vndiq; onerarijs nauib. & ordine duplici ad anchoras collocatis, superiectoq; aggere terreno, ac directo in Appiæ viæ formam. Per hunc pontem vltro citro cõmeauit biduo continenti. Primo die phalerato equo, insignisq; quercica corona, & securi, & cetra, et gladio, aureaq; chlamyde: postridiè quadrigario habitu, curriculoque biiugi famosorum equorum, præ se ferens Darium puerum ex Parthorum obsidib. comitante Prætorianorum agmine, & in essedis cohorte amicorum. Putant autem pleriq;, talem à Caio pontem excogitatum, æmulatione Xerxis, qui non sine admiratione aliquanto angustiorẽ Hellespontũ contabulauerit: alij vero etiam existimant tale quid ab eo factum, vt Germaniam & Britanniam, quib. imminebat, alicuius immensi operis fama territaret. Sed auum meum narrantem puer audiebam, inquit Suetonius, causam operis ab interioribus aulicis proditam, quod Thrasyllus mathematicus anxio de successore Tiberio, & in verũ nepotem proniori, affirmasset, non magis Caium imperaturum quam per Baianum sinum equis discursurum. Edidit & peregrè spectacula: in Sicilia Syracusis hasticos ludos, & in Gallia Lugduni miscellos. Sed & certamen quoque Græcæ Latinæq; facundiæ. Quo certamine ferunt victoribus præmia victos contulisse, eorundem & laudes componere coactos. Eos autem qui maxime displicuissent, scripta sua spongia, linguáve delere iussos, nisi ferulis obiurgari aut flumine proximo mergi maluissẽt.*

## DE LVDIS A CLAVDIO CAESARE EDITIS. IV.

*SPectacula complura magnificaq; Claudius edidit, non vsitata modo ac solitis locis, sed et cõmentitia et ex antiquitate repetita, & vbi præterea nemo ante eum. Ludos dedicationis Pompeiani theatri, quod ambustũ restituerat, è tribunali posito in orchestra*

commisit, quum prius apud superiores ædes supplicasset, perque mediam caueam sedentibus ac silentib. cunctis, descendisset. Fecit et sæculares quasi anticipatos ab Augusto, nec legitimo tempori reseruatos: quamuis ipse in historiis suis prodat intermissos eos, & Augustum multo post, diligentissime annorum ratione subducta, in ordinem redegisse. Quare vox Præconis irrisa est, inuitantis more solenni ad ludos quos nec spectasset quisquam, nec spectaturus esset, cum superessent adhuc qui spectauerant, et quidam histrionum producti olim, tunc quoque producerentur. Circenses frequenter etiam in Vaticano commisit, nonnunquam interiecta per quinos missus venatione. Circo vero maximo, marmoreis carcerib. auratisque metis, quam vtraque et tophina ac lignea ante fuerant, exculto, propria senatorib. constituit loca promiscuè spectare solitis. Ac super quadrigarum certamina Troiæ lusum exhibuit, et Africanas conficiente turma equitum prætorianorum, ducib. tribunis ipsoque præfecto. præterea Thessalos equites, qui feros tauros per spacia Circi agunt, insiliuntque defessos, & ad terram cornibus detrahunt. Gladiatoria munera plurifariam ac multiplicia exhibuit. Anniuersarium in castris prætorianis, sine venatione apparatuque, iustum atque legitimum in septis: ibidem extraordinarium & breue, dierumque paucorum, quodque appellare cœpit sportulam: quia primum id daturus dixerat, velut ad subitam condictamque cœnulam inuitare se populum. Nec vllo spectaculi genere communior aut remissior erat, adeo vt oblatos victoribus aureos, prolata sinistra pariter cum vulgo, voce digitisque numeraret: ac sæpe hortando rogandoque ad hilaritatem homines prouocaret, dominos identidem appellans, immixtis interdum frigidis & accersitis iocis: qualis est, vt, cum palumbum postulantibus daturum se promisit si captus esset. Illud quoque plane quantumuis salubriter & in tempore, quum essedario, pro quo quatuor filii deprecabantur, magno omnium fauorem indulsisset rudem, tabulam ilico misit, admonens populum quantopere liberos suscipere deberet, quos videret & gladiatori præsidio gratiæque esse. Edidit & in Martio campo expugnationem direptionemque oppidi ad imaginem bellicam, & deditionem Britanniæ regum, præseditque paludatus. Quin & emissurus Fucinum lacum, naumachiam ante commisit. sed cum proclamantibus naumachiariis, Aue Imperator, morituri te salutant, respondisset, Auete vos: neque quisquam post hanc vocem, quasi venia data, dimicare vellet; diu cunctatus an omnes igni ferroque absumeret, tandem è sede sua prosiluit, ac per ambitum lacus non sine fœda vacillatione discurrens, partim minando, partim adhortando ad pugnam compulit. hoc spectaculo classis Cypria & Rhodia concurrerunt, duodenarum triremium singulæ, exciente buccina Tritone argenteo, qui e medio lacu per machinam emerserat.

DE LV-

## DE LVDIS ET SPECTACVLIS A NE-rone editis. V.

*SPectaculorum plurima & varia genera edidit, Iuuenales, Circenses, scenicos ludos, gladiatorium munus. Iuuenalibus senes quoq; consulares anusq́; matronas recepit ad lusum; Circensib. loca equiti secreta à cæteris tribuit: commisitque etiam camelorum quadrigas. Ludis quos pro æternitate imperij susceptos appellari Maximos voluit, ex vtroq; ordine et sexu plæriq; ludicras partes sustinuerunt. Notissimus Eques Rom. elephanto supersedens per catadromum decucurrit. Inducta est Afranij togata, quæ Incendium inscribitur: concessumq́; vt scenici ardentis domus supellectilem diriperent ac sibi haberent. Sparsa & populo missilia omnium rerum per omnes dies, singula quotidie milia auium cuiusq; generis, multiplex penus, tesseræ frumētariæ, vestis, aurū, argentum, gemmæ, margaritæ, tabulæ pictæ, mancipia, iumenta atq; etiam mansuetæ feræ: nouissime naues, insulæ, agri.*

*Hos ludos spectauit è proscenij fastigio. Munere, quod in amphitheatro ligneo, in regione Martii campi intra anni spatium fabricato dedit, neminem occidit, ne noxium quidem. Exhibuit autem ad ferrum etiam quadringentos senatores, sexcentosq́; equites Romanos: & quosdam fortunæ atq; existimationis integræ, ex ijsdem ordinib. confectoresq́; ferarū, & varia arenæ ministeria. Exhibuit & naumachiam, marina aqua innantib. belluis. Item Pyrrhichas quasdam è numero epheborum, quibus post editam operam diplomata ciuitatis Romanæ singulis obtulit. Inter Pyrrhicharum argumenta, taurus Pasiphaen ligneo iuuencæ simulacro abditam inijt, vt multi spectantiū crediderunt. Icarus primo statim conatu iuxta cubiculum eius decidit, ipsumq́; cruore respersit. Nam præro p̄sidere, cæterum accubans primum paruis foraminibus, deinde toto podio adoperto spectare consueuerat. Instituit & quinquennale certamen primus omnium Romæ, more Græco triplex, Musicū, gymnicum, equestre: quod appellauit Neronia. dedicatisq́; thermis atq; gymnasio, senatui quoq; et eqti oleum p̄buit. Magistros toti certamini præposuit consulares sorte, sede p̄torum: deinde in orchestram senatumq; descendit; et orationis qdem carminisq́; Latini coronā, de qua honestissimus quisq; cōtenderat, ipsorum cōsensu concessam sibi recepit. Citharam aūt à iudicib. ad se delatam adorauit, ferriq́; ad Augusti statuam iussit. Gymnico qđ in septis edebat, inter buthysiæ apparatum, barbam primam posuit, conditam in auream pyxidem, & pretiosissimis margaritis adornatam in capitolio consecrauit. Ad athletarum spectaculum inuitauit & virgines Vestales: quia Olympiæ quoq; Cereris sacerdotibus spectare conceditur.*

## DE EISDEM LVDIS A NERONE EDItis paulo fusius.

## VI.

*LVdos maximos & magnificentißimos in honorem matris Nero fecit: nam simul in quinque sexue theatris complures dies festos egit. Quo tempore elephas introductus in theatrum in summum eius fornicem conscendit, atq; inde vehens hominem in fune ambulauit. id vero turpißimum visu atque grauißimum fuit, quod viri feminæque non solum equestris verum etiam senatorij ordinis, in orchestram & circum amphitheatrumq; inducti sunt vt homines inhonestißimi: ex quibus nonnulli cecinerunt, saltauerunt, tragœdias & comœdias egerunt, citharœdi fuerunt, equos agitauerunt, belluas occiderunt, munus gladiatorium obierunt. Id multi fecere volentes, multi etiam inuiti. Visæ sunt eo tempore veteres prosapiæ illustresq; familiæ, Furij, Fabij, Porcij, Valerij, cæteriq; omnes quorum trophæa atq; templa conspiciebãtur, ea de inferiore loco facere, quæ ab alijs hominibus visa fuerant nunquam. Itaq; vicißim digito demonstrabantur: dicebant .n. Macedones; hic est nepos Pauli; Græci autem, ille Memmij: tum Siculi aiebant, videte Claudium; mox Epirotæ, vos vero Appium videte. Asiatici Lucium ostendebant; Hispani Publium: Carthaginenses Aphricanum: Romani vero omnes. Quod cum viderent ij qui mente præditi erant, tum etiam propter magnitudinem sumptuum ingemiscebãt. Etenim magnificentißima quæq;, et lautißima quib. homines vescuntur, cæteraq; omnia pretiosißima; equos, mancipia, vehicula, argentum, vestem diuersi generis in signis et notis qbusdam dabat: iaciebat .n. ad plebem paruos globos inscriptos, tamq̃ in singulis eorum aliquid inesset, & vt quisq; signum collegerat, ita ei largiebatur. Quamobrem sic cogitabant, eum qui tantos sumptus faceret ad ignominiam, nullo modo lucrifaciẽdi caussa ab indignißimis & insolentißimis rebus abstinentem fore. Cæterum ludis iuuenalibus interfuerunt multi nobilißimiq; viri. Cuius rei argumentum est, quod Ælia Catula femina antiquißimi stemmatis atq; ditißima, ac tam grandis natu (nata erat .n. annos octoginta) saltauit: cæteri qui propter senectutem & morbos præcipue, nihil poterant aliud facere, choreas canebant. Exercebat aũt se vnusquisq; vt poterat, erantq; ob eas res scholæ constitutæ, quas frequentabant clarißimi viri, mulieres, puellæ, adolescentuli, vetulæ, senes. Quod si quis nõ posset aliter spectaculum pbere, ad choreas ibat; quumq; multi, pudore adducti, ea facerent personati, Nero, petente populo, ab eis personas auferebat, eosq; patefaciebat omnib. apud quos ipsi paulo ante magistratus gesserant. Quoniam autem oportebat*

*extrema*

*extrema principijs respondere, ipse quoq; Nero in theatrũ prodijt, Gallionis voce nominatim prædicatus, Erit (inquit) Cæsar in scena habitu citharœdi. Quin etiam ipse Imperator dixit; Domini mei, audite me libenter. Igitur Augustus cecinit Attin quandam & Bacchas coram magno militum numero, & vniuerso populo, quantum sedes capiebant: et si (vt traditum est) tam parua voce & cantu erat, vt risum fletumq; omnib. excuteret. Assistebant ei Burrus & Seneca vt magistri, suggerentes aliquid: quumq; dixisset, plaudebant manib. & vestimentis, vt reliquos ad idem faciendum inducerent. Erantq; ob eam causam parata quinque militum milia, q Augustales nominati, incipiebant eum laudib. extollere: post hos cæteri omnes inuiti acclamare cogebantur, vno Thrasea excepto, q nunquam ei visus est assentari. Reliqui, atq; inprimis nobiles viri, studiosè simul & ingemiscentes omnia comprobabant, quæ ab Augustalib. dicta essent, atq; vna simulata lætitia conclamabant. Tum licebat audire q ita dicerent; quam pulcher Cæsar, Apollo, Augustus; vnus veluti Pythius: nemo te per Iouem vincit Cæsar. Peractis his rebus, populo epulum dedit intra naues, in eo loco in quo ab Augusto bellum nauale factum fuerat. Inde media nocte per cloacam in Tyberim nauigauit. Quæ cum facta essent propterea quod mentum pilis nudasset, postea pro salute ac diuturnitate imperij sui (sic enim edixit) certamen quinquennale instituit, quod appellauit Neronia, cuius causa gymnasium ædificauit, in cuius dedicatione equitibus ac senatoribus oleum gratis, vt supra quoq; commemorauimus, distribuit.*

## DE ALIIS ADHVC LVDIS ET TRIVMPHO NEronis. VII.

*REdeunte ex Græcia Nerone cum non longe ab vrbe abesse nunciaretur, pars muri diruta est, & portæ aliqua ex parte fractæ sunt, idque ob eos qui certaminum coronas, quas in Græcia aut meruerat, aut meruisse videri volebat, ferebant. nam hi primi omnium introierunt; sequentibus ijs qui tabellas longis hastis affixas ferebant, in quibus scriptum erat nomen & genus certaminis: vtque Nero Cæsar primus è ciuibus Romanis qui vmquam extitissent, victor ex eo rediret. deinde ipse Nero curru triumphali, in quo Augustus olim tot triumphos duxerat, vehebatur: amictus erat veste purpurea atque auro intexta, & oliua coronatus, laurum Pythicam præ se ferebat: cumque eo vna Diodorus citharœdus vehebatur; atque ita per circum & forum cum militibus & equitibus ac senatoribus transijt: ascensoq; Capitolio inde in Palatium venit, tota vrbe coronata lychnisq; ac suffimentis plena. Acclamabant omnes, & senatores inprimis, Oua*

mis, Oua Olympiaca, oua Pythica, Auguste, Auguste; Neroni Herculi, Neroni Apollini, quam solus περιοδονίκης, solus ex æterno tempore Auguste; sacra vox; Beati qui te audiunt. His rebus cōfectis, circenses imperauit, has coronas & reliquas omnes quas ex curru certando victor obtinuerat, attulit in circum, & obelisco Ægyptio imposuit. Hæ erant numero mille octingentæ octo. Post hæc currum agitauit. Cum quidam Larcius Lydus ad eum venit, obtulitque ei decem milia aureorum vt cithara caneret: quos etsi Nero repudiauit, ratus sibi turpissimum fore mercede aliquid facere, tamen hanc summam Tigellinus à Larcio accepit, ne eum interficeret. Itaque Nero ingressus in theatrum, cithara cecinit, egit tragœdias, ex curru certauit creberrime: nonnunquam vinci se sinens, vt magna ex parte de cætero vere vicisse crederetur.

## DE LVDIS ET SPECTACVLIS A TITO Imperatore editis.

## VIII.



Mphitheatrum Titus venationum causa, & balnea suo nomine dedicauit: vbi multa eaq; admirabilia exhibuit. Grues enim certauerunt inter se: p̄terea quatuor elephanti; ac pecorum ferarumque milia nouem interfecta sunt, quæ mulieres ignobiles confecerunt. multi obierunt munus gladiatorium: multi quoq; conferti pedestria ac naualia prœlia commiserunt. Nam amphitheatro derepente aqua impleto, in ipsum equos taurosque aliaque mansueta animalia introduxit, quæ facere didicerant ea quæ in terra consueuerant: In hanc aquam introducti sunt homines in nauibus: qui in Corcyrenses & Corinthios diuisi, prœlio nauali certauerunt. Extra hunc locum pugnatum est ab alijs in horto Caij & Lucij, quem Augustus perfodi ob eandem causam iusserat. Ibi enim primo die bellum nauale, cædesque beluarum facta est, lacu qua parte statuas spectat, tabulis inædificato, ac fixis vndique trabibus. Postridie eius diei ludi circenses facti sunt. Tertio die rursum nauale prœlium edidit hominum trium milium: quod pedestris pugna inde consecuta est. Nam Athenienses superatis Syracusanis (his enim nominibus vsæ partes pugnauerunt) cum in paruam insulam descendissent, magno impetu celeriter facto, monumētum quod ibi exstructum erat inuadunt capiuntq;. Fuere per centum dies spectacula eius generis; hac quoque causa plebi maxime grata & vtilia quod Titus de superiore loco tesseras iaciebat in amphitheatrum, in quibus scripta erat nota alicuius esculenti, vestis ve, aut vasis argentei, aut aurei, equorumque & iumentorum ac mancipiorum. Quas tesseras qui rapuisset attulissetq; ad eos quibus hæc cura demandata fuerat, quod scriptum in eis erat consequebatur.

DE LV-

## DE LVDIS ET SPECTACVLIS A DOmitiano editis.

### IX.

*SPectacula Domitianus magnifica aßidue & sumptuosa edidit, non in amphitheatro modo, verum & in circo: vbi præter solennes bigarum quadrigarumque cursus, prœlium duplex etiam equestre ac pedestre commisit: atque in amphitheatro nauale quoque. Nam venationes, gladiatoresque & noctibus ad lychnulos, nec virorum modo pugnas, sed & feminarum. Præterea quæstorijs muneribus quæ olim omissa reuocauerat, ita semper interfuit vt populo potestatem faceret bina paria è suo ludo postulandi, quæ nouißima aulico apparatu induceret. Ac per omne gladiatorum spectaculum ante pedes eius stabat puerulus coccinatus portentoso paruoq; capite, cum quo plurimum fabulabatur, nonnunquam serio. Auditus est certe dum ex eo quærit, ecquid sciret & quid sibi visum esset, ordinatione proxima Ægypto præficere Metium Rufum. Edidit nauales pugnas pene iustarum claßium, effosso & circumducto iuxta Tyberim lacu: atque inter maximos imbres prospectauit. Fecit & ludos seculares: computata ratione temporum ab anno, non quo Claudius proximè, sed quo olim Augustus ediderat. In his Circensium die, quo facilius centum missus peragerentur, singulos à septenis spatijs ad quina corripuit. Instituit & quinquennale certamen Capitolino Ioui triplex, Musicum, equestre, gymnicum, & aliquanto plurium quam postea fuit coronatorum. Certabant etiam prosa oratione Græcè, Latinèque, ac præter citharœdos, chorocitharistæ quoq; & psallocitharistæ. In stadio vero cursu etiam virginis certamini præsedit crepidatus purpureaque amictus toga Germanica, capite gestans coronam auream, cum effigie Iouis, ac Iunonis Mineruæque, aßidentibus diali sacerdote, & collegio Flauuialium pari habitu: nisi quod illorum coronis inerat & ipsius imago. Celebrabat & in Albano quotannis quinquatria Mineruæ, cui collegium instituerat: ex quo sorte ducti magisterio fungerentur, redderentque eximias venationes & scenicos ludos, insuperque oratorum ac poetarum certamina. Congiarium populo nummorum trecentorum ter dedit, atque inter spectacula muneris largißimum epulum. Septimontiali sacrorum die senatui equitique panarijs, plebeijs, sportellis cum obsonio distributis. Initium vescendi primus fecit, dieque proximo omne genus rerum mißilia sparsit: et quia pars maior inter popularia deciderat, quinquagenas tesseras in singulos cuneos equestris ac senatorij ordinis pronuntiauit.*

# DE EISDEM ADHVC LVDIS ET ALIIS spectaculis Domitiani.

## X.

*Dies festos, & triumphales Domitianus plurimos egit. exhibuit enim crebra certamina, prœlijs peditum ac deinde equitum cōmißis in circo: tum etiam in nouo quodam loco bello nauali facto, in quo non solum omnes fere qui pugnauerunt mortui sunt, sed etiam multi ex spectatorib. propterea, quod maximo imbre, & vehementi tempestate repente commota, nemini permisit abire ex spectaculo: et quamq̃ ipse penulam mutarit, tamen cæteros idem facere passus non est. Qua ex re non pauci in graues morbos inciderunt, & mortui sunt. Itaq; populo nocturnum epulum dedit, eius consolandi causa. Noctu enim sæpe exhibebat certamina, in eaq; etiam mulieres introducebat. Vtq; plebi eo tempore, ita post principib. senatorij & equestris ordinis conuiuium in hunc modum fecit; Apparauit ædes nigerrimas ex omnib. partib: erant enim atra laquearia, parietes ac pauimentum, in eoq; sedes nudæ eodem modo collocatæ erant. Quib. paratis rebus eos de nocte introduci iubet absque comitibus: ac primum omnium iuxta vnumquemq; columnam collocat, factam instar sepulchri, in qua nomen eius scriptum erat, pendebatq; de ea lychnuchus paruus, vt assolet in monumentis: tum nudi pueri, atramentoq; obliti, tamquam spectra quædam ingrediuntur, ipsosq; horribili saltatione circumeunt, eoque facto ante pedes ipsorum consistunt, fiuntque ad extremum omnia quæ in exsequijs mortuorum fieri solent. Nam & res atræ in vasis eodem modo eis appositæ fuerunt. Quas ob res quisq; maximè reformidare cœpit & perhorrescere, q͏̃ se iam iam exspectaret interfectum iri, præsertim cum cæteris magnum silentium, quasi iam mortuis esset, quodque Domitianus sermonem habebat de ijs reb. quæ ad mortem, quæque ad cædem pertinerent. Tandem vero illos dimittit, præmißis famulis ipsorum qui in vestibulis ædium remanserant. Quumq; præparasset alios incognitos homines, à quibus domum reducerentur, vehiculis & lecticis datis, ijs metum multo maiorē incußit. Iam quisque domum venerat, iamque respirare quodammodo incipiebat, quum nuntiatum est nonnullos ab Augusto venire. Qua ex re eis mori omnino exspectantibus, ab vno horum oblata est columna argentea, ab altero aliud quippam; ab alio vas ex ijs quæ in cœna apposita fuerant, quæque erant pretiosißima. postremo dæmonium vnicuique suum (puta eos quos diximus pueros atratos pro spectris, inuitatis adstitisse, eosque territasse) lotum & ornatum offerri iubet; atque ita illi qui totam noctem in magno timore peregerant, munera acceperunt. Et Domitianus*

*tianus hos triumphos egit, vel (vt vulgo loquebantur) exequias, ob eos qui in Dacia Romæq; mortem obierant.*

## DE LVDIS ET SPECTACVLIS A COMmodo Imp. editis.

## X I.



*Vrrus Commodus numquam agitauit publicè, nisi si quando nocte obscura id facere concupiuisset; pudebat enim eum multitudinis. Id vero domi faciebat assidue prasino ornatu: vbi magnum numerum beluarum confecit, licet multas etiam interfecerit publice. Munus verò gladiatorium ita obibat domi, vt crebro aliquem occideret: nam & suis quasi vellet eorum capillos radere, nasum aut aurem, aut aliud quippiam nouacula præcidebat. Publice absque ferro aut humano sanguine non erat. Solebat autem anteq̃ veniret in theatrum, amiciri tunica manuleata, serica, alba: eumq; ita ornatum patres salutabant. cum autem ingressus esset induebatur purpurea auro intexta, accepta pari chlamyde, more Græco, & corona aurea, illuminata gemmis Indicis. Ferebat etiam caduceum quale Mercurius solet. Pellis quidem leonis clauaque gestabãtur ante eum, quum iter faceret: in theatris autem, siue adesset ipse præsens siue abesset, in sella aurea collocabantur. Itaque habitu Mercurij introibat in theatrum, abiectisque cæteris quæ ferebat, præter tunicam, nudis pedib. ad rem gerendam aggrediebatur: ac primo quidem die centum vrsos de superiore loco iaculis cõfecit. Erat enim diuisum theatrum omne, connexis quibusdam diametris tectum habentibus, circum quod inambulari poterat, ac sese bifariam secantib. quo facilius vndique ex angusto loco beluæ diuisæ in partes quatuor iaculis traijcerentur. Bibebat defessus in medio certamine, capiebatque poculum vini dulcissimi refrigerati de manibus mulieris. Quo exhausto, statim multitudo ipsiq; Senatores, id quod in conuiuijs dici solet, magno cum clamore dicebant, ζήσειας (prosit) indeque ille abijt; at post prandij tempus fungebatur muneribus gladiatorijs, exercebatque se, dum vteretur armis cuiusdam cui secutor nomen fuit; teneretque scutum dextra, gladium ligneum sinistra, ob eamque causam maxime gloriabatur, quod scæua esset. Certabat cum eo eius ludi magister, vel potius gladiator, cui ferula erat in manibus, eumque ipse prouocabat interdum, interdum deligebat populus. Id enim cæteraque omnia pariter cum reliquis gladiatorib. faciebat: quamquam hoc vno differebat, quod illi parua accepta pecunia descendebant in certamen, Commodo autem numerabantur singulis dieb. de pecunia gladiatorum, aureorũ decem milia. Assiste-*

*bant pugnanti Æmilius Lætus Præfectus Prætorio, & Electus cubicularius, quos pugnata ea falsa pugna, victor scilicet osculabatur per galeam quam gerebat. Post eum pugnabant cæteri, quos omnes primo die coegerat de inferiore loco, ornatu Mercurij, caduceoq; aureo accepto, vbi in consimile tribunal adscendisset, eorum pugnam cõmisit. Post reuertit in sellam in qua sedere consueuerat, indeq; vna spectabat cætera, et si nihil gerebatur quod ludis conueniret, cum paßim multi necarentur. Quin etiam nonnullos interdum quod cunctarentur aduersarios interficere, vna cum eis colligari atque ita simul omnes pugnare iußit. Quo facto, vincti certauere inter se, occideruntq; multos ex spectatoribus, cum quibus certamen non erat; quod à multitudine & angustijs loci compulsi propius acceßissent. Quatuordecim dierum fuere spectacula huius generis; eoq; senatores conueniebant cum equitibus separatim. personabantq; assiduè magnis vocibus; Dominus es; Primus es; vincis omnium felicißimè. Ex æterno tempore Amazonie, vincis. Multi ex reliqua plebe ne introibant quidem in theatrum; plerique vbi paulum spectassent, discedebant; partim pudore adducti, partim quod rumores sparsi erant, constituisse Imperatorem tela in aliquot plebeios conijcere, vt Hercules olim in Stymphalidas fecerat: idq; ex eo credebatur futurũ, quod ante omnes qui in vrbe morbo aut alia de causa pedibus carebant, vnum in locum cõduxerat; cumq; eorum genua quibusdam reb. serpentib. simillimis complicauisset, dedisset q; eis spongias quas iacerent pro lapidibus, omnes clava, vt si gigantes essent, percußit atq; interfecit.*

## DE EISDEM COMMODI SPECTACVLIS & pugnis paullo aliter.

## XII.



*Ommodus cum temperare iam sibi vltra non posset, publicè spectacula edere professus, omnes se sua manu feras occisurum pollicebatur, et cum fortißimis quibusq; iuuenum singulari certamine depugnaturum, quæ cum rumorib. celebrarentur, concurrebant ex omni Italia ac finitimis gentib. vniuersi ad id spectaculum, quod nec antea oculis vsurpauerant, neq; vnquam fando audiuerant. Siquidem ita esse certa manus illius dicebatur, vt quodcumq; destinaret, iaculo sagittaue cõtingeret. Erantq; cum illo aßiduè Parthorum lectißimi sagittarij ac Numidæ iaculatores, quos ille tamẽ omnes longè artificio superabat. Vbi aũt spectaculi dies affuit, pleno amphitheatro ex ædificatus Cõmodo peridromus fuerat, per quem decurrere in orbem posset, ne cominus cum bestijs pugnans periclitaretur; sed supernè ac de tuto loco tela iaciendo, iaculandi potius scientiam quam fortitudinem ostentaret. Ceruos igitur &*

*tur & damas, item cornigera alia præter tauros, currens pariter ipse atque insequens impetebat, ac præuenta fuga certissimis ictibus prosternebat. Leones vero & pantheras, aliaque id genus nobilissima animalia, currens in orbem superne iaculis confodiebat, sic vt nec telum quisquam secundum, nec vulnus viderit nisi letiferum. Nam vt primum se fera concitauerat, statim illam vel in fronte vel in corde sauciabat, nullo præterea vsus scopo, neque ad aliam corporis partem telo destinato, sic vt pariter cum vulnere ipso conficeretur. Cæterum bestiæ conquirebantur vndique, ac tum primum visa sunt Romæ, quæ ante in pictura admirationi fuerant. Quippe ex India Æthiopiaque, item à meridie & à septentrionibus quidquid incognitum prioribus sæculis fuerat, confecit ille pariter atque ostendit, nullo non obstupefacto, tam certa illa manu, tamque nusquam telis aberrantibus. Idem aliquando sagittas limatæ cuspidis in Maurusias struthos intorquebat, quæ & pedum celeritate & alarum quasi velis ocyssimè ferebantur, sic vt summum contingeret collum, atque ita capita amputaret, vt exectis ceruicibus (qui teli impetus fuerat) aliquamdiu tamen viuentibus similem cursum continuarent. Quin & pantheram, quæ scilicet eductum quendam in harenam cursu acerrimo comprehenderat, sic vt iam iam laniatura videretur, ita oportuno vulnere consecutus est, vt interfecta belua hominem seruauerit, ac dentium quoque aciem cuspide ipsa iaculi præuenerit. Leones item cauea centum eductos totidem missilibus vniuersos occidit, ita suo ordine iacentib. corporib. vt numerari facillimè singula possent, nullo scilicet superuacuo incidente telo. Hactenus igitur quæ gerebantur quamuis à principe aliena viderentur, tamen quoniam fortitudinem scientiamque præ se ferrēt, popularē quandam gratiam emerebantur. Verū vbi iam nudus ingressus amphitheatrum est, sumptisque armis numeros gladiatorios implebat, tum vere triste Rom. populo spectaculum id visum, nobilissimum Imperatorem, post tam multos parentis sui maiorumque triumphos, non quidem aduersus beluas arma capere militaria vel Romanorū imperio congruentia, sed amplissimam dignitatem turpissimo fœdissimoque cultu contaminare. Facile aūt dimicans suos compares superabat: neque tamen vltra vulnera procedebat, dante vnoquoque manus, atque imperatorem potius quam gladiatorem agnoscente. Eoque vesaniæ perfectus est vt deserere principalem aulam atque in ludum gladiatorium migrare instituerat: neque se amplius Herculem appellari patiebatur, adoptato nobilissimi gladiatoris nomine qui iam vita excessisset. quin simulacro illi colosseo quod Romanis venerabile est, solis effigiem gerens, capite dempto suum imposuit, atque in basi subscripsit, non quos consueßet imperatorios paternosque titulos, sed pro Germanico, mille gladiatorum victorem.*

## DE LVDIS A SEVERO IMP. EDITIS. XIII.

*Euerus postquam attigisset decennium Principatus sui, congiario populo prætorianisque militibus dato, tot singulis aureos, quot annos imperauerat, distribuit. Quam ob causam sibi mirum in modum placebat, quum re vera nemo vmquam simul tantundem eis dedisset. consumpta sunt enim in ea largitione aureorum vicies centena milia. Eodem anno celebratæ sunt nuptiæ Antonini filij Seueri, & Plautillæ Plautiani filiæ. qui tantum filiæ suæ dedit quantum reginis quinquaginta satis fuisset. quæ omnia per forum comportabantur in Palatium magna pompa, vbi Senatui equestrique ordini epulum datum est regio & barbarico apparatu. Aderant enim epulæ rerum omnium quibus vesci homines solent; multaque in his cocta, multa cruda, nonnulla etiam viua capiebantur. Tum edita sunt varia spectacula propter reditum Seueri, & decennium principatus eius, ac victorias quas reportauerat: in quibus spectaculis apri sexaginta Plautiani inuicem certauerunt iussi, cæsaque sunt aliæ permultæ bestiæ, atque inprimis elephas & crocota. Id animal est Indicum, ac tum primum, quod sciam, Romam aduectum est. Color eius est leænæ permixtæ cum tigri: figura quodammodo ex cane & vulpe constat. Earum receptaculum in amphitheatro ædificatum erat instar nauis, ita vt reciperet quadringentas feras, easdemque simul omnes redderet: qua ex naui subito dissoluta exilierunt vrsi, leænæ, pantheræ, struthiones, onagri, bissones, quod genus boum est patria & adspectu barbarum. Itaque septingentæ feræ, mansuetæque bestiæ simul concurrere, & postea confodi visæ sunt. Occisis enim singulis diebus centum, pro numero dierum festorum, qui septem fuerunt, septingentæ sunt occisæ.*

## DE LVDIS ET SPECTACVLIS EDITIS ab Antonino Heliogabalo Imp. XIV.

*Ntoninus vt in vrbem venit diuiso congiario in populum (vt mos est imperium suscipientibus) spectacula omnifariam edebat magnificentissima, templumque item maximum pulcherrimumque deo suo Heliogabalo erexit, plurimasque circa templum constituit aras, ad quas quotidie mane taurorum hecatombas & ouium magnam multitudinem immolabat. Coaceruatisque supra aras omne genus odori-*

*odoribus, etiam veterrimi cuiusq; optimique vini plurimas amphoras profundebat, sic vt riui paßim vini sanguinisque promiscue defluerent. Choros autem circa aras agitabat, nullis non organis consonantibus, vnaque mulieribus Phœnißis cursitantibus in orbem, cymbalaque inter manus habentibus aut tympana, omni circumstante senatu atque equestri ordine ad theatri formam. Exta porro victimarum atque aromata intra lances aureas capitibus imposita gestabant, non quidem famuli aliqui aut humiles personæ, sed præfecti exercitibus, & quicumque maximas dignitates obtinebant, induti tunicas talares ac manuleatas, vnamque in medio purpuram ferentes; sed & linteis calciamentis vtebantur, quemadmodum vates in eis regionibus consueuerunt. Porro ingentem se honorem tribuere putabat, quibus eiuscemodi sacrificia participaret.*

*Fecit & in suburbano templum maximum ac magnificentißimum, in quod anno vertente deum suum adulta iam ætate deducebat, ludisq; curulibus & scenicis, epulisq; & peruigilijs populum à se oblectari arbitrabatur. Ipsum porro dei simulacrum impositum vehiculo quod esset auro pretiosisque lapidibus exornatum, deducebat ex vrbe in suburbanum, trahentibus equis seiugibus emaculato candore ac magnitudine præcellentibus, auroque multo & phalerarum varietate conspiciendis. Neq; enim quisquam mortalium eum inscenderat currum, sed circumstabãt omnes quasi aurigantem deum. Antoninus autem retrorsus currens, ac simulacrum ipsum adspectans, currum antecedebat: frenos manibus retinens, totumque iter ita retrorsum currens, ac deum semper adspectans confecit. Ac ne caderet lubereturque ignarus quo tenderet, aurosa substrata erat harena, milites que eum vtrimque retentabant, quo tutius retrocederet, discurrente etiam cum facibus vtrimque populo, & coronas floresque iaciente. tum deorum omnium simulacra, & quidquid conspicuum in templis, principatusque insignia & pretiosißima supellex, equites item et exercitus vniuersus pompã hanc comitabantur. Vbi autem deduxerat atque in templo deum constituerat, sacris iam celebritatibusque peractis, maximas altißimasque turres ad id ipsum exstructas conscendebat: inde scilicet in plebem mißilia sparsurus, aurea puta argenteaque pocula, vestesque & lintea omne genus, bestias præterea cicures omnes, exceptis subus, quibus ipse (vt mos est Phœnicibus) abstinebat. Multi igitur inter rapiendum periere, partim inuicem proculcati, partim militum contis transfixi, sic vt ea celebritas calamitatem quam plurimis attulerit.*

## DE LVDIS A PHILIPPO ARABE IMperatore editis.

## X V.

*Philippi imperij anno II. ante XI. Kalen. Maias, ingenti pompa magnoque apparatu & sumptu seculares ludi anno vrbis conditæ* CIↃ. *celebrati sunt. Beluæ triumpho Persico & ijs ludis a Gordiano asseruatæ (nam iuuenis natali vrbis triumphare decreuerat) hæ fuisse memorantur: Elephanti triginta duo; alces decem; tigrides decem; leones mansueti sexaginta; leopardi cicures triginta; hyænæ decem; hippopotamus vnus; rhinoceros vnus; arcoleontes decem; camelopardi decem; onagri viginti; equi feri quadraginta; gladiatorum paria mille. Quæ omnia in circo maximo exhibita sunt; & scenicos ludos in Pompeij theatro tribus diebus totidemque noctibus, (mirum dictu) peruigil populus spectauit, funalibus atque lychnis tenebras vincentibus, sed cum multitudo solennibus ludis intenta esset, incendium aut ex luminaribus aut ex ignibus coalitum, in curia diuagatum est. Theatrumque Pompeij arsit, & ei propinquum hecatonstylon, centum columnarum in campo Martio opus, centenariam porticum appellabant. Circenses dati, in quibus certamine currendi quadragesimus equorum è carcere missus numeratus est.*

*Atque hactenus ista ex historicorum scriptorumque veterum monimētis excerpsisse sufficiat; quæ quo plenius intelligantur, & sciant omnes quid sit ludus Troiæ, quid munus gladiatorium, quid Circenses, &c. deinceps quam breuissimè fieri poterit de omnibus & singulis ludis spectaculisque Romanorum auribus & oculis olim vsitatis & solitis ita ex ordine agemus.*

## DE LVDORVM ORIGINE ET QVI LVDOS edere Romæ consuerint.

## X V I.

*A Græcis ludos Latinis fuisse communicatos, atque ab his ad Romanos defluxisse, plerosque etiam ab vsque Troiæ excidio Æneam attulisse, haud ambigua res est. Deinde cum à Numa Pompilio ad sacra paulatim esset populus manuductus, fuerunt & numero ludi & cæremoniis aucti, vt de Apollinaribus ludis in secundo bello Punico manifestum est. Inuenio vero duo genera magistratuum dedisse ludos, ædiles scilicet curules, & prætores. De ædilib. Cicero septima in Verrem ita scribit:* Nunc sum designatus ædilis: scio mihi ludos sanctissimos

simos maxima cum ceremonia Cereri, Libero Liberæq; faciundos: mihi Floram matrem populo plebique Romano ludorum celebritate placandam: mihi ludos antiquissimos, qui primi Romani sunt nominati, maxima cum dignitate ac religione Ioui, Iunoni, Mineruæque esse faciendos: mihi sacrarum ædium procurationem, mihi totam vrbem tuendam esse cõmissam. *& Plutarchus, Cæsarem in ædilitate sua munificentia sumptuosa circa spectacula atque conuiuia, factum apud plebem fauorabilem ait; idemque significat Tranquillus, scribens Cæsarem ædilem exornasse comitium, Capitolium, & basilicas. nam & hoc erat officij ædilium, vt in ludorum editione forum & comitium signis ac tabulis pictis exornarent, vt Plinius libro trigesimo sexto historiæ Naturalis, & Asconius Pedianus tradunt. quorum ille, Varronem & Murenam in ædilitate deportauisse Romam ex Lacedæmone opus tectorium refert, propter excellentiam picturæ inclusum ligneis formis ad exornandum comitium. Erat autem comitium locus in foro Romæ, quò coire equitibus Romanis, & populo licebat (vt inquit Pedianus) in quo & ludos ædiles vel prætores dare consueuerant. quem alij locum à coitione, alij à cote dictum existimant, quem Actius Nauius augur discidit, & vna cum nouacula eo loco defodit. Porro ædiles in ludis faciendis magnum adhibebant & apparatum & sumptum in vestibus ac tabulis pictis comparandis. Vnde scribit Plinius libro trigesimo sexto: In spectaculis Marci Scauri, quæ in ædilitate sua fecit, tantum apparatum tantasq; reliquias superfuisse ex Attalica veste, tabulisque pictis, vt in Tusculanam villam deportata fuerint quæ superfluebant. prætores autem pariter vrbanis ludis in vrbe præfuisse, ostendit Ælius Spartianus in vita Hadriani, & confirmat etiam Marcellinus, libro historiæ suæ vigesimo septimo. Cæterum inclinante iam imperio transiit hic mos edendi ludos vt ad alia quoque loca, paßim per prouincias Romano imperio subiectas, sic etiam ad alios cum diuinos tum humanos magistratus: vt alibi, cum de ludis sacerdotalibus & quæstorijs agemus, dicturi sumus; nunc hic monuisse cõtenti, vt præcipua in Græcia fuere ludicra illa nobilia Olympia, Pythia, Isthmia, Nemæa. sic Romanis antiquißimos & gratißimos eos, qui dicti sunt ludi Latini, Troiæ ludicrum, ludi Magni, Circenses, ludi Apollinares, Populares, Natalitij, Nuptiales, Quinquennales, Gladiatorij, Actiaci, Scenici, Augurales, &c. Atq; hi ludi paßim in templis & theatris dari solebant. De templis meminit Dion Caßius in Hadriano, cum de architecto quodam Apollodoro loquens ita ait:* Hadrianus vero imperium adeptus, iniuriæ recordatus est, atq; licentiam huius non tulit: siquidem descriptionem & formam templi Veneris, quod Romæ fabricabat ad eum misit: quippe significans,

ficans, sine illius opera & ministerio, etiam ingentia ædificia extrui posse. Quærebat itaque, an ædificium illud rectè & commodè se haberet. Rescripsit de templo, sublime illud & concauum fieri oportere, vt ex loco superiori in Sacram vsque viam insignior prospectus esset, & magis conspicuus: concauum, ad excipiendas ludorum machinas, quæ in eo loco latenter compingi, & item ex occulto in theatrum duci possent. *De theatro quod ad formam hemicycli erat cōstructum, ad omnis generis ludos & spectacula spectanda, meminit sæpe Martialis, & tractat ita doctè simul & eleganter peculiari libello noster Lipsius, vt ad eum lectorem remittendum putem.*

Ita quidem viri docti censent, à quibus hęc mutuati sumus: sed ego arbitror ideo concauum esse debuisse tēplum, non quod in eo ludi exhiberentur, sed quod in eo machinæ compingerentur in vicinum theatrum, vbi ludi edebantur, producendę.

*Cæterum in subsellijs primum plebem à patribus separasse Scipionem Africanum, Liuius libro quadragesimo author est:* Senatus (*inquiens*) primum à populo secretus spectauit: tum sermones indignantium exorti sunt, quid repentè factum, cur immisceri sibi in cauea patres plebem, cur dites pauperem consessorem fastidirent? *atque Africanum quidem, quod author eius rei fuisset, pœnituisse ferunt: tanquam omnia discrimina talia, quibus ordines discernuntur, & concordiam minuant, & libertatem.*

## DE LVDIS APOLLINARIBVS QVI Pythij Græcis.

## XVII.

*QVos Romani ob vaticinia Martiana secundo bello Punico instituerunt Phœbo sacros ludos, hos iampridem Græci habebant, & in Parnasso monte sub nomine Pythiorum celebrabant: quæ à nomine perdomitæ serpentis nominata fuisse, Ouidius libro primo Metamorphoseon testatur. & refert originem eorum T. Liuius libro quinto Decadis tertiæ, in hæc verba:* Religio deinde noua obiecta est ex carminibus Martianis: Vates hic Martius illustris fuerat, & cum inquisitio priore anno ex senatusconsulto talium librorum fieret, in M. AEmilij prætoris vrbis, qui eam rem agebat, manus venerant: is protinus nouo prætori Sullæ tradiderat. Ex huius Martij duobus carminibus, alterius postea aucta celebrato euentu auctoritas, alteri quoque, cuius nondum tempus venerat, afferebat fidem, Priore carmine Cannensis prædicta clades, in hæc ferme verba erat. Amnem Troiugena Cannam Romane fuge: ne te alienigenæ cogant in campo Diomedis conserere manus. Sed neq; credes tu mihi, donec compleris sanguine campum, multaq; millia occisa tua

deferat

deferat amnis in pontum magnum ex terra frugifera: piſcibus atque auibus, feriſque, quæ incolunt terras, ijs fiat eſca caro tua: nam mihi ita Iupiter fatus eſt. Et Diomedis Argiui campos, & Cannam flumen, qui militauerant, in ijs locis iuxta atque ipſam cladem, agnoſcebant. Tum alterum carmen recitatum, non eo tantum obſcurius, quia incertiora futura præteritis ſunt, ſed perplexius etiam ſcripturæ genere: Hoſtes Romani ſi expellere vultis vomicamque, quæ gentium venit longè, Apollini vouendos cenſeo ludos, qui quotannis comiter Apollini fiant: cum populus dederit ex publico partem; priuati vti conferant pro ſe, ſuiſque. ijs ludis faciendis præerit prætor is, qui populo plebiq; ius ſummum dabit. Decemuiri Græco ritu hoſtijs ſacra faciant. Hæc ſi rectè faxitis, gaudebitis per, fietque res veſtra melior. Nam is diuus extinguet perduelles veſtros, qui veſtros campos paſcit placidè. Ad id carmen explanan n, diem vnum ſumpſerunt. poſtero die ſenatuſconſultum factum eſt, vt decemuiri libros de ludis Apollini, reque diuina facienda inſpicerent. Ea cum inſpecta, relataque ad ſenatum eſſent: cenſuerunt patres, Apollini ludos vouendos, faciendoſq;: & quando ludi facti eſſent, duodecim millia æris prætori ad rem diuinam, & duas hoſtias maiores dandas. Alterum ſenatuſconſultum factum eſt, vt decemuiri Græco ritu facerent: ijſque hoſtijs Apollini boue aurato, & capris duabus albis auratis, Latonæ boue femina aurata. ludos prætor in circo maximo cum facturus eſſet, edixit, vt populus per eos ludos, ſtipem Apollini, quantum commodum eſſet, conferret. Hæc eſt origo ludorum Apollinarium, victoriæ, non valetudinis ergò, vt plerique autumant, votorum: factoſque populus coronatus ſpectauit: Matronæ ſupplicauere. Vulgo apertis ianuis in propatulo epulati ſunt, celeberque dies omni ceremoniarum genere fuit.

Apud Græcos his ludis à Diomede primū inſtitutis victores lauro coronati triumphabāt, exhibebātur aūt in ijs comœdiæ & tragœdiæ aliaq; fabularū argumenta, ad quę inuitabantur ſpectatores tibia & cātu.

*Meminit idem Liuius libro ſexto eiuſdem Decadis:* Ludi Apollinares vt priore anno fuerant, eo anno vt fierent, repentè Calpurnio prætori ſenatus decreuit, vt in perpetuum vouerentur.

*Et iterum libro ſeptimo eiuſdem Decadis:* Ludi Apollinares Q. Fuluio, Ap. Claudio Coſſ. à P. Cornellio Sulla prætore vrbis primùm facti erant. Inde omnes deinceps prætores vrbani fecerunt, ſed in vnum annum vouebant, dieque certa faciebant.

*Idem Liuius libro decimo eiuſdem adhuc Decadis:* Inter quæ etiam aquarum inſolita magnitudo in religionem verſa. Nam ita abundauit Tyberis, vt ludi Apollinares circo inundato extra portam Collinam ad ædem Ericinæ Veneris parati ſint.

Cæterum ludorum ipso die serenitate subita orta, pompa duci cœpta ad portam Collinam, reuocata deductaque in circum est, cum decessisse inde aquam nunciatum esset, læticiamque populo & ludis celebritatem addidit, sedes suo solenni spectaculo reddita. *Ad huiusmodi ludos alludit idem Liuius Decade quarta libri septimi:* Per eos dies quibus profectus est ad bellum consul, ludis Apollinaribus, ad quintum Idus Quintilis cælo sereno, interdiu obscurata lux est, cum luna sub orbem solis subisset. *Et iterum libro nono eiusdem Decadis:* Senatus à cõsule est habitus, decretumque, quoniam prætoris subrogandi comitia ne legibus fierent, pertinacia Q. Flacci & praua studia hominum impedirent, senatum cẽsere, satis prætorum esse. P. Cornelius vtramque in vrbe iurisdictionem haberet, Apollinique ludos faceret. *Porro meminit hoc nomine ludorum & Ælius Lampridius in historia Alexandri Cæsaris:* Calendis autem, *inquit,* Ianuarijs & Hilarijs matris deûm, & ludis Apollinarib. & Iouis epulo, & Saturnalibus, & huiusmodi festis diebus fasianus, ita vt aliquando & duo ponerentur, additis gallinaceis duobus, *hæc ille. Atqui nec illud nobis silentio prætereundum est, ludis Apollinaribus Lentulum Spinterem carbasina vela primùm induxisse. ad euitandum namque solis æstum, in omnibus ludis & spectaculis, etiam in foro, vela à parte superna ducebantur. quo pertinet quod Plinius tradit, Cæsarem totum Romanum forum velis intexisse in munere gladiatorio: id quod de ipso etiam Tranquillus meminisse videtur, rationem reddens, ne populus scilicet æstu conficeretur. Denique Romæ in hunc vsque diem ludi Apollinares celebrantur, ad ritum tamen Christianum mutati. qua de re ita scribit Blondus Romæ triumphantis lib.* 11. Ludos Apollinares ad nostram quoq; ætatem peruenisse constat. si quidem hi sunt quos per extremos Carnispriuij dies in circo Flaminio vbi nunc Agonis est appellatio, fieri quotannis videmus. principio enim mutationis prudenter factæ à Gentilium superstitione ad ritus Christianos; vt aliquid Apollinariũ appellationis ipsi ludo remaneret, prope Sancti Apollinaris ecclesiam, ea etiam ratione institutis ludis locus est retentus: nec multum variat tempus, quando & hi sicut & illi ad finem Februarij vt plurimum eduntur: & quando hostiæ illorum, sicut decuit, sunt omissæ: retinetur consuetudo aliquod victoriæ simulacrum faciendi; sicut eos victoriæ ergo inchoatos Liuius asseruit: quale proximis dieb. fuit spectaculum omnibus nobis gratissimũ, qui ecclesiasticæ Romanæ reip. membra curiam sequimur Romanam, cum in eodem Circi Flaminij agone prœlij similitudo quædam fuit, quod præclarissimum æternaque dignum

Vide librũ de Amphitheatro Iusti Lipsij.

dignum memoria æſtate proxima geſtum eſt; ad Danubium, qua fluuius influit Sauus. Cum Mahumeth Turcorum Imperator, ſupra centum milia in exercitu habens, ad Bellogradum oppidum aliquandiu oppugnatum: machinisq; & bombardis prope ſolo æquatum fuſus, & ſuis quibusque melioribus ad ſedecim milia occiſis fugatus, bombardas & vim pene infinitam machinamentorum ac armorum amni terraque amiſit. Lætum quippe nobis & dulciſſimum fuit inſpicere perſonatum quendam Ioannem Caruaial Hiſpanum Cardinalē ſancti Angeli indumento & ornamentis referentem: Chriſtianorum & Romani Pontificis exercitui in illam ducendo barbariem præeſſe. Sed lætius erat videre alia in perſona Ioannem Capiſtraneum ordinis Sancti Franciſci fratrem: qui multis continuata annis opinione ſanctitatis tanto impletos miraculo milites adduxerit Ieſu Chriſti vexilla ſecutos: qui celeberrimo Ioanne Huniat Vaiuoda Tranſyluano duce pauca alioqui hominum milia ſupradictam in barbaris cædem edidere: fueruntq; ad id Circi agonis ſpectaculum ex noſtratibus ingenio & doctrina cultiores nonnulli, quibus ea die Romanam rem lacertos adhuc mouere, Romanum celebrari nomen apparuit: Cum tātas adhuc res aduerſus Scythas Tanais olim & Riphæorum montium accolas Turcos: maximæ partis Aſiæ & Europæ dominatores, ſub Romanis ſignis Romanique legati nomine geri, nō magis ob ſpectaculi quod ante oculos erat oſtenſionem: quam ob recentis victoriæ refricatam memoriam gratum videretur. Et quidem his in ludis Apollinaribus ſuffectis etiā quod habet Liuius propemodum ſeruatur, vt vulgo apertis ianuis epulentur. Namque die illa vrbaniores quiq; Romani aut conuiuia celebrant: aut cibaria in id conſuetudine introducta, vicinis amicisque miſſitant: dum plebs infima ad tabernas vinarias in propatulo comedit. *Hæc Blondus: de reliquo celebrabantur iidem etiā olim ludi quarto Non. Iulij, per octo dies, à P. Licinio Varo inſtituti. Ludi aūt Capitolini inſtituti ſunt à Romanis, ob ſeruatum à Gallis Capitoliū, vt eſt autor Liuius libro quinto Decadis primæ, vbi loquitur de Camillo,* Omnium primum, *inquit,* vt erat diligentiſſimus religionum cultor: quæ ad deos immortales pertinebant, retulit: & ſenatuſconſultū fecit, fana omnia, quod ea hoſtes poſſediſſent, reſtituerentur, terminarentur, expiarentur; expiatioque illorum in libris per duumuiros quæreretur: cum Ceretibus publicè hoſpitium fieret, quod ſacra populi Romani ac ſacerdotes recepiſſent, beneficioque eius populi non intermiſſus honos Deum immortalium eſſet: ludi Capitolini fierent, quod Iupi-

ter Optimus Maximus suam sedem atque arcem P. R. in re trepida tutatus esset: collegiumque ad eam rem M. Furius dictator constitueret ex ijs, qui in Capitolio atque arce habitarent.

## DE LVDIS CIRCENSIBVS QVI ET MAgni & Iouis ludi dicti sunt.

### XVIII.

CIRCENSES *ludos multi sunt qui eosdem cum plebeijs esse contendant: Ioui autem institutos à Tarquinio Superbo primùm omnium, & à Circo Romæ nomen accepisse, certius est, quàm vt probari debeat. Atque huius & Varro mentionem facit. Et Dion in Hadriano:* Assistebat *(inquit)* interdum consulibus, quoties hi iudicarent. In Circensibus ludis eos apprime honorabat, domumque à circo plerunque reducebat. *Porro Circum Romæ locum patentem & celebrem fuisse, vndique in orbem ædificijs comprehensum, Varro tradit: atq; inde nominatum, quod ibi equi circum metas currerent. Plinius libro trigesimo sexto sic scribit:* Nunc vt Circum maximum à Cæsare dictatore extructum, longitudine trium stadiorum, latitudine vnius, sed cum ædificijs iugerum quaternum, ad sedem ducētorum & sexaginta millium, inter magna opera dicamus. *Huc pertinet & illud Virgilij:*

—Magnis Circensibus actis.

*Atq; hæc de Circo. Porro Tarquinium, quamuis primum hos constet ludos instituisse, scribit tamen Liuius lib. 5. Dec. 1. à Camillo primùm omnium ludos tales esse votos, in obsidione Veiensi. Verba Liuij hæc sunt:* Latini Hernicique operam suam pollicentes, ad id bellum venere: quibus cum gratias in senatu egisset dictator, satis iam omnibus ad id bellum paratis, ludos magnos ex senatusconsulto vouit Veijs captis se facturum. *Et iterum:* Creati consules L. Valerius Potitus, Marcus Manlius, cui Capitolino postea cognomen fuit. hi cōsules magnos ludos fecerūt, quos Marcus Furius dictator vouerat Veienti bello. *Idem scribit in Punico bello quemadmodum Ioui ludos magnos vouendos esse retulerint Decemuiri ad senatum, si bellatum esset prosperè aduersus Hannibalem, resq; publica in quo erat antea statu permansisset. Traditur & Scipio Carthaginis victor precatus esse deos, vt in eo statu rempublicam conseruarent, in quo tunc esset. Suetonius in Augusto, cum magnitudinem Varianæ cladis exaggerat:* Vouit *(inquit)* & magnos ludos Ioui Optimo Max. si rempublicam in meliorem

ſtatum vertiſſet: quod factum Cymbrico Marſicoque bello erat. *Inuenio verò ludos Circenſes celebratos cum pompa & ſolennitate, quotannis decimoquarto Calendas, ſole Taurum ingrediente: & ludos Megaleſiacos per ſeptem dies ab initio Aprilis. Meminit horum ludorum nominisque & inſtitutionis, Titus Liuius libro tertio Decadis tertiæ, in hiſtoria Punica:* Viginti omnino legionibus & centum & ſexaginta nauibus longis res Romana eo anno geſta. Prætores in prouincias ire iuſſi: conſulibus imperatum, vt priuſquam ab vrbe proficiſcerentur, ludos magnos facerent, quos T. Manlius Torquatus dictator in quintum annum vouiſſet, ſi in eodem ſtatu reſpublica ſtaret.

*Idem libro nono Decadis quartæ:* His victus caſtigationibus tribunus, cum templo exceſſiſſet, referente Seruio Sulpitio prætore, triumphus M. Fuluio eſt decretus. Is cum gratias patribus conſcriptis egiſſet adiecit, ludos magnos ſe Ioui Optimo Maximo eo die quo Ambraciam cepiſſet, vouiſſe. In eam rem ſibi centum pondo auri à ciuitatibus collata: petere vt ex ea pecunia, quam in triumpho latam in ærario poſiturus eſſet, id aurum ſecerni iuberent. Senatus Pontificum collegium conſuli iuſſit, num omne id aurum in ludos conſumi neceſſe eſſet: cum Pontifices negaſſent ad religionem pertinere, quanta impenſa in ludos fieret: Senatus Fuluio, quantum vellet impenderet, permiſit, dum ne ſummam octoginta millium excederet.

*Huc pertinet, quod idem ſcribit libro quarto Decadis quintæ:* Iuuenes etiam quidam Romani ludicro Circenſi ad vſum belli verſo, partem humillimam muri ceperunt. Mos erat tum, nondum hac effuſione inducta beſtijs omnium gentium Circum complendi, ſpectaculorum varia conquirere genera: Nec ſemel quadrigis, ſemel deſultore miſſo, vix vnius horę tempus vtrumque curriculum complebat. inter cætera ſexageni fermè iuuenes, interdum plures ab apparitoribus ludi armati inducebantur: horum inductio in parte ſimulachrum decurrentis exercitus erat, ex parte elegantioris exercitij quàm militaris artis, propriorque gladiatoriorum armorum vſum: Cum alios decurſus edidiſſent motus, quadrato agmine facto, ſcutis ſuper capita denſatis, ſtantibus primis, ſecundis ſubmiſſioribus, tertijs magis & quartis, poſtremis etiam genu nixis, faſtigiatam, ſicut tecta ædificiorum ſunt, teſtudinem faciebant. *Ex quib. apparent & ritus omnes q̃ in Circenſib. adhibebantur, & Circenſes etiam extra vrbem in caſtris & prouincijs editos fuiſſe. Scribit porro idem ab initio libri quinti Decadis quintæ:* Quod poſtquam

veris

veris nuncijs Fabij, Lentulique, & Metelli aduentu firmatum est, cum victoria ipsa, tum augurio animorum suorum lætabantur. Et aliter traditur Circensis turbæ non minus similis veri lætitia. ad x. Cal. Octobris ludorum Romanorum secundo die C. Licinio consuli ad quadrigas mittendas ascendenti, tabellarius, qui se ex Macedonia venire diceret, laureatas literas attulisse dicitur: quadrigis missis, consul currum conscendit, & cum per Circum veheretur ad foros publicos, laureatas tabellas populo ostendit. *Vbi per foros intelligenda subsellia & loca, quibus patres distincti à populo tales ludos spectabant. Unde forulos per diminutionem existimat Festus dici, quasi minores foros.*

*Cæterum ex his quæ adduximus Liuij locis, colligimus, Circenses ludos non habuisse certum & definitum in anno tempus: sed quando respublica laborabat, vti in eodem statu permaneret, a duce exercitus fuisse votos. Porro reperio tales ludos & in funere Cæsarum, & natalitijs celebratos. Scribit enim Iulius Capitolinus in Pertinace:* Filius Pertinacis, patris flamen est factus: Martiani sodales, qui diui Marci sacra curabant, Heluiani sunt dicti, propter Heluium Pertinacem: Circenses & imperij natalis additi, qui à Seuero postea sublati sunt. *Sic & Suetonius in Tiberio scribit:* Natalem suum plebeijs incurrentem Circensibus, vix vnius bigæ adiectione honorari est passus. *Reperio & in adoptione tales ludos à Cæsaribus editos. Vnde Spartianus in Hadriano:* Adoptauit ergo Ceionium Commodum Verum, inuitis omnibus, eumque AElium Verum Cæsarem appellauit. Ob cuius adoptionem ludos Circenses dedit, & donatiuum populo ac militibus expendit: quem prætura honorauit, ac statim Pannonijs imposuit. *Sunt etiam interdum tales ludi dati in consulatu. vnde est illud Vopisci in Aureliano:* Cui consulatum, inquit, obtulimus ob paupertatem, qua ille magnus est, cæteris maior. dabis ad editionem Circensium aureos Antoninianos trecentos argenteos, Philippeos minutulos tria millia, in ære. H-S. quinquagies. *Sic quoque in publicis victorijs & triumphis Circenses celebrantur. vnde describens Vopiscus Aureliani triumphum de Zenobia:* Deniq; vix nona hora, *inquit*, in Capitolium peruenit, serò autem ad palatium. Sequētibus diebus datæ sunt populo voluptates ludorum scenicorum, ludorum Circensium, venationum, gladiatorum, naumachiæ. *Atq; huc pertinet quod Trebellius Pollio scribit in Gallieno:* Sed Gallienus cognito quòd Macrinus cum suis liberis esset occisus, quasi securus rerum, ac patre iam recepto, libidini & voluptati se dedidit. Ludos Circenses, ludosq; scenicos, ludos gymnicos, ludicram etiam venatio-

nationem, & ludos gladiatorios dedit, populumque quaſi victorialibus diebus ad feſtiuitatem ac plauſum vocauit. *Memorat & Iulius Capitolinus in Maximo & Balbino, hos ludos fuiſſe editos ab Imperatoribus & Ducibus, proficiſcentibus ad bellum. ita enim ſcribit:* His geſtis, celebratisque ſacris, datis ludis ſcenicis, ludisq; Circenſibus, gladiatorio etiam munere, Maximus ſuſceptis votis in Capitolio, ad bellum contra Maximinũ miſſus eſt, cum exercitu ingenti, prætorianis Romæ manentibus.

*Atque hæc de origine ludorum Circenſium. Nunc quemadmodum celebrari ſint ſoliti, dicemus. Equidem meridie celebratos, & in Circum per plateas ordinem perſonarum inceſſiſſe, portatasque effigies, & etiam ſimulachra deorum inuenio: Et cum in circum ventum eſſet, aurigaſſe Magiſtratus & feras luſiſſe. Denique equeſtre certamen ſecutum fuiſſe, adeo vt oſtenſionales ludi equeſtresque horum partes fuerint: de quibus omnibus ad fidem rerum ex hiſtorijs loquemur. Primum omnium in meridie ſolitos celebrari, oſtendit diuus Auguſtinus libro* VIII. *Confeſſionum, vbi ſpectaculum Circenſium pomeridianum appellat. Huc alludit Suetonius in Claudio*: Beſtiarijs meridianisque adeo delectabatur, vt à prima luce ad ſpectaculum deſcenderet & meridie dimiſſo ad prandium populo pr cederet. *Secundo, quod per plateas & fora celebrati fuerint, teſtatur Tranquillus in hiſtoria Auguſti ita ſcribens:* Ipſe Circenſes ex amicorum fere libertorumque cœnaculis ſpectabat, interdum è puluinari, & quidem cum coniuge & liberis ſedens, ſpectaculo plures horas, aliquando totos dies aderat, petita venia, commendatisque qui ſuam vicem præſidendo fungerentur. *Erant autem cœnacula, ſuperiores domus contignationes, quas plerunque Romani locabant. Vnde cœnaculariam exercere, Iureconſultis, pro eo quod eſt, viuere ex inquilinis. Tertio in Circenſibus ſimulachra & imagines deorum ordine portatas fuiſſe, oſtendit Cor. Tacitus lib. ſecundo:* Honores vt quiſque amore in Germanicum aut ingenio validus reperti decretique: vt nomen eius Saliari carmine caneretur, ſedes curules ſacerdotum Auguſtalium locis, ſuperque eas querceæ coronæ ſtatuerentur, ludos Circenſes eburnea effigies præiret, neue quis flamen aut augur in locum Germanici niſi gentis Iuliæ crearetur. *Eiuſdem Tranquillus meminit in Tito:* Erant autem adeo familiares, *(loquitur de Tito & Britannico Claudij filio)* vt de potione, qua Britannicus hauſta perijt, Titus quoque iuxta cubans guſtaſſe credatur, grauique morbo afflictatus diu. Quorum omnium mox immemor, ſtatuam ei auream in palatio poſuit: & alteram ex ebore equeſtrem, quæ Circenſi pompa hodie quoq; præfertur, dedica-

uit, prosecutusque est. *Quartò, omnis generis Pontifices, sacerdotes, flamines ac sodales, auguresque in Circensi pompa ordine incessisse insinuat Tacitus libro historiæ Augustæ tertio:* Sed tum supplicia dijs, *inquit*, ludiq; Magni ab senatu decernuntur, quos Pontifices, & Augures, & quindecimuiri, cum septemuiris simul & sodalibus Augustalibus ederent. Censuerat L. Apronius, vt fœciales quoque his ludis præsiderent. Contra dixit Cæsar, distincto sacerdotiorum iure, & repertis exemplis. neq; enim vnquam fœcialib. hoc maiestatis fuisse. ideoq; Augustales adiectos, quia proprium eius domus sacerdotium esset, pro qua vota persoluerentur. *Quinto, bigis & quadrigis decursum esse Circensibus, vt in veteribus Romanis numismatibus etiam hoc genus ludi repræsentatur, ostendit Suetonius: Sessum, inquit, in* XIV. *scenæ per orchestram transiit. Circensibus spacio circi ab vtraque parte producto, & in gyrum Euripo addito, quadrigas bigasq; & equos desultorios agitauerunt nobilissimi iuuenes. Erat aūt orchestra locus in theatro, in quo senatorū erāt sessiones designatæ. Hinc est illud Iuuenalis.*

Similemque videbis orchestram.

*Huc alludit Herodianus libro quarto in historia Antonini Caracallæ:* Denique id quod nunquam aliàs factitatum, cum Circenses spectante eo populus Romanus in aurigā cui studebat, nescio quid cauillatus esset, ratus sibi contumeliam illatam, repente omnem exercitum facere impetum iussit in populum, ac raptare & occidere quicunque in aurigam dixissent. *Inuenio autem in Circensibus factiones aurigarum quatuor fuisse, videlicet Venetam, prasinam, albam & russatam. Quibus addidit duas Domitianus Cæsar, purpurei videlicet, & aurati panni. Hinc est illud Suetonij in Domitiano:* Duas Circensibus gregum factiones, aurati purpureique panni, ad quatuor pristinas addidit. *Cassiodorus refert, propter quatuor anni tempora tales colores obseruatos ac distinctos in Circensibus fuisse. Nam prasinus, qui viridis, virenti veri: russeus, flammeæ æstati: albus, pruinoso autumno: venetus, nebulosæ hyemi, rectè comparatur. Neque mirum est, Cassiodori tempore has mansisse in Romano imperio factiones, cum Phoca etiam imperante longe posterius tantæ potentiæ extiterint, vt in oriente bellum excitarint. cuius rei meminisse videtur Paulus Diaconus libro quarto Longobardicæ historiæ, capite vndecimo:* Huius tempore Prasini & Veneti (*inquit*) per Orientem & AEgyptum ciuile bellum fecerunt, ac se mutua cæde prostrauerunt. *Ad huiusmodi factiones alludit Lampridius in Commodo:* Circenses multos addidit, ex libidine potius, quam religione, & vt dominos factionum ditaret. *Atq; hæc de aurigatione, Circensibus quondam familiari: Nunc venio*

*etiam ad equorum curſum, qui ſimiliter eiſdem in ludis viſebatur. Erant autem carceres & metæ conſtitutæ, ad quas certi miſſus equorum certando procurrebant. ita emiſsiones equorum vocabantur, ea in ſolennitate. cuius rei meminiſſe videtur T. Liuius libro ſeptimo ab origine vrbis: qui etiam ex topho, vel ex ligno factos tradit. quo alludit Tranquillus in Claudio*: Circenſes frequenter etiam in Vaticano commiſit, nonnunquam interiecta per quinos miſſus venatione. Circo verò Maximo marmoreis carceribus, auratiſque metis, quæ vtraque & tophina & lignea antea fuerant, exculto; propria ſenatoribus conſtituit loca promiſcuè ſpectare ſolitis. *Idem in Nerone*: Ad omnes, *inquit*, etiam minimos Circenſes ſeceſſu commeabat, primò clam, deinde propalam, vt nemini dubium eſſet, eo die vtique adfuturum. Neque diſſimulabat, velle ſe palmarum numerum ampliare: quare ſpectaculum multiplicatis miſſilib. in ſerum protrahebatur. ne dominis quidem iam factionum dignantibus, niſi ad totius diei curſum, greges ducere. *item alibi*: Circenſium die, quo facilius centum miſſus peragerentur, ſingulos à ſeptenis ſpacijs ad quina corripuit. *Porro ad illa ſeptem ſpacia & miſſus in Circenſibus vſurpata, ſubinde alludunt authores. Seneca quarto Epiſtolarum*: Agitatorum lætitia cum ſeptimo ſpacio palmæ appropinquat. *Lactantius ſeptimo Inſtitut*. Quoniam decurſis propoſiti operis ſeptem ſpacijs ad metam prouecti ſumus: *ſiquidem vbi ſeptimo ſpacio agitatores dum à carceribus ad metam properabant, circum metas in circo decurriſſent, palma victori dabatur.*

*Adhibebatur autem mappa in huiuſmodi curſu, ſigni loco. Vnde rectè monet Quintilianus, mappam circo vſitatum eſſe nomen, propterea quod in Circenſib. ſpectaculis pro ſigno mittebatur à magiſtratu. Tranquillus in Nerone*: Mox & ipſe aurigare, atque ſpectari etiam ſœpius voluit: poſitoque in hortis inter ſeruitia & ſordidam plebem rudimento, vnde magiſtratus ſolent, vniuerſorum ſe oculis in circo maximo præbuit, aliquo liberto mittente mappam, &c. *Ad hæc nec illud omittendum, quòd vltimus equorum miſſus vocabatur ærarius, proprio vocabulo, & ſeorſim, ex eo, quòd de collatione populi exhibebatur. Erant & in Circenſi deſultores, non equi, ſed homines illi ita appellati, qui præludia ludorum faciebant, & qui miſſus equorum denuntiabant exituros, quod adhuc hodie in haſtiludijs fieri aſſueuit. Meminit Caſsiodorus libro tertio Epiſtolarum: Et Hactenus de curſu equorum. cui olim in Auſtria ſimiles ludi fuerunt, quotannis bis ſpectare ſoliti, à brauio panni Scharlacus curſus appellati. Cui multos conſtat acceſsiſſe & miſſus equorum, & homines, in hominum memoria.*

*Superest vt illud etiam cõprobemus, feras, & præcipuè insolitas, populo in Circensibus ab Augustis exhiberi solere: quæ partim à venatoribus, partim à condemnatis conficiebantur. Suetonius in Augusto, capite de spectaculis:* In circo aurigas cursoresque & confectores ferarum, & nonnunquam ex nobilissima iuuentute produxit. *Appellabantur autem tales confectores à bestijs, quas cogebantur conficere, Bestiarij. Vnde est illud Senecæ:* Nuper in ludo bestiariorum vnus è Germanis, cum ad matutina spectacula pręparetur, secessit ad exonerandum corpus. *Vbi notandum obiter est, quod quemadmodum in Circo dabantur feræ, ita etiam seorsim ludi erant ostensionales dicti, qui manè tempore matutino edebantur. Martialis:*

Matutinarum non vltima præda ferarum.

*Huiuscemodi ludos intelligit T. Liuius libro nono Decadis quartæ:* Apparatos deinde ludos M. Fuluius, quos nouerat AEtolico bello, fecit. Multi artifices ex Græcia venerant, honoris eius causa. Athletarum quoque certamen primo Romanis spectaculo fuit, & venatio data leonum & pantherarum, & prope huius sæculi copia ac varietate ludicrum celebratum est. *Huiuscemodi porro productionum bestiarum in spectaculum, subinde meminere procedentis Imperij authores. vt alibi pluribus docuimus. Atq; ita non solum Romæ, sed in castris passim, prouincijsque, Circenses ludi edebantur: in quibus non tantum sacra ferebantur, aurigationes erant, & equorum cursus, verum etiam bestiæ incognitæ, harumque Venationes ostendebantur. Quæ consuetudo Romana in Republica, vt constituto florenteque Imperio maxima fuit, ita inclinante adhuc Imperio perseuerauit semper. Id quod ex tribus potissimum authoribus eius Imperii ætatis colligitur; Marcellino videlicet, Symmacho, & Claudiano poëta, qui omnes huius adhuc ludicri Romano iam populo* CHRISTO *vendicato, ab anno Domini* CCCC. *mentionem faciunt. Quorum Marcellinus libro decimo quarto in historia Constantii Imperatoris, qui fuit Constantini Magni filius, ita nominatim scribit:* Arelate hyemem agens Constantius post theatrales ludos atq; Circenses ambitioso editos apparatu, ad diem sextum Idus Octobris, qui imperij eius annum tricesimum terminabat, insolentia pondera grauius librans si quid dubium deferebatur, aut falsum pro liquido accipiens & comperto, inter alia excarnificatum Gerontium Moguntianæ comitem partis, exulari mœrore multauit. *Et rursus libro vigesimo primo in historia eiusdem:* Postridie ludis Circensibus idem ex aduerso imperatoris, vbi consueuerat spectans, repentino clamore sublato, cum certamen opinatum emitteretur, diffractis cancellis, quibus

vna

vnà cum pluribus incumbebat, cunctis cum eo inuanum excussis, læsisque leuiter paucis, interna compage disrupta efflasse spiritum repertus solus: vnde Constantius futurorum quoque præscius exultabat. *Atq; hæc ex Ammiani testimonio. Meminit huius & generis & nominis ludorum & Symmachus, vrbis quondam præfectus, in epistola ad Theodosium & Arcadium, patrem & filium:* Ergo cum expectari munera principum solcant; nunc accita venerūt. Prætereo illum diem, quo elephantos regios per conferta agmina equorum nobilium pompa præcessit. malo fremitum Martiæ vallis exponere, atque illam quadrigarum distributionem, in qua sibi cum fortunatior videretur, cui electionem mox vrna tribuebat, par vel potior erat, quem sors fecisset extremum.

*De reliquo progrediente imperio in ludorum Circensium solennitate, qui in consulatus auspicio, Cæsarumque natalitijs, triumphisque potissimum edebantur, præter equorum cursum, aurigationem, ferarumq; exhibitionem, & animalium insolitorum, histriones insuper & tibicines lusisse, musicosq; & funambulos certum est: præterea Naumachia etiam his ludis adiecta est, & ignis eiaculationes artificiosæ, quæ etiamnum hodie in triumphis ludisq; publicis eiaculantur, & vulgo* Fewrwerck *appellantur. Manent & Circēsium hodie vmbræ quædam in his solennibus, quæ in Cæsaris Aquisgrani inauguratione, non admodum dissimili ratione parantur.*

## DE EQVESTRIBVS LVDIS OMNIS generis & Naumachijs.

### XIX.

*QVinque generum, qui equis fiebant, ludos reperio: hoc est, prodromum, cum equi ad metam à carceribus emissi, contentione insidentium currebant: cursum vehicularium, cursum decursorium circa rogum, ludos seuirales, & ludos Neptunales equestres. Ad primi generis cursum, qui etiam nunc Germanis in aliquibus locis in vsu est, Cicero secundo de Legibus, alludit his verbis:* Iam ludi publici quoniam sunt cauea circoque diuisi, sicut corporum certationes cursu: pugillationes, luctatione, curriculisque equorum, &c. *At Varro de equis scribens, alios ad militam, alios ad cursuram laudat: alios militibus idoneos ait, alios quadrigarijs. Hucque pertinent & illa Ammiani libro decimoquarto:* Et ingressus Constantinopolim, tanquam in rebus prosperis & securis, editis equestribus ludis, capiti Coracis aurigæ imposuit coronam vt victoris. *Loquitur autem de Constantio Imperatore.*

*Idem libro vigesimo octauo, cum Valentiniani res gestas recenset:* Inter quos hi qui ad satietatem vixerunt, potiores authoritate longæua, per Ianos & fora clamitant sæpe: Rempublicam stare non posse, si futura concertatione quem quisque vendicat, carceribus non exiluerit princeps, & circũflexerit metam. Exoptata die equestrium ludorum inlucescente, nondum solis puro iubare, fusius omnes festinant præcipites, vt velocitate currus ipsos anteeant certaturos.

*Porro sub hoc genere ludorum erant ludi* SEVIRALES, *&* NEPTVNALES. *de quorum primis Capitol. ita meminit in Marci vita:* His ita gestis, adhuc questorẽ & consulem secum Pius Marcum designauit, & Cæsaris appellatione donauit: & seuirum turmis equitum Romanorum, iam consulem designatum creauit: & edenti cum collegis ludos seuirales assedit, & in Tiberinam domum trãsgredi iussit. NEPTVNALES *autem ludi cursorij bis in anno dabãtur, vndecimo Calend. Iulij, &* XV. *Calend. Augusti: de quibus Naso in Fastis mentionem facit. Erant & ludi* EQVESTRES, *qui in decursionibus funebribus militaribusque fiebant in gyrum, non à carcerib. ad metam, vt eleganter describit Herodianus libro quarto, de consecratione Seueri Imperatoris loquens:* Vbi verò ingens aromatum aceruus aggestus est, ac locus omnis expletus, tum circa ædificium illud adequitant vniuersi; equestris ordinis certa quadã lege, ac recursu motuque Pyrrichio, numerisque in orbem recurrentibus. *Postremum genus huius ludi bigis quadrigisq́; fiebat, à carcerib. ad metam currentibus: quẽ morẽ Hungari adhuc obseruant. & huc alludit Tranquillus in Caligula: qui quod ait in Tiberio: Nouem annos natus, defunctum patrem pro rostris laudauit. dehinc pubescens, Actiaco triumpho currum Augusti comitatus est, sinisteriore funali equo, cum Marcellus Octauiæ filius dexteriore veheretur. sciendum est funales equos, siue habenales dictos, qui in tali cursu vel in triumphali curru fune tenti præcurrebãt: de quibus Dionysius in octauo Antiquitatum scribit; Institutum vetus fuisse, & heroicum vt trium equorum curru in ludis decurrerent: duobus enim equis iunctis, tertius iuxta adhibebatur, habenalis ob hoc dictus. Et sic intelligitur versus Statii sexto Thebaidos:*

Nominibusque cient Pholoen, Admetus, & Irin,
Funalemque Thoen.

*Et illud Propertii libro secundo Elegia decima sexta:*

Aut prius infecto deposcit præmia cursu,
Septima quàm metam triuerat ante rota.

*Erat autem consuetudo in hoc ludo vel certamine, vt victor dexterioris*

*terioris bigæ Marti Deo immolaret. Et hæc de equestribus ludis: quos olim etiam, vt nunc fiunt quoq; in ordine nobilium, ob amorem factos, & institutos in gratiam puellarum spectantium, docet hæc Romæ reperta inscriptio:*

QVISQVIS lecturus accedis, caue si amas, at si non amas, pensicula. Miser qui sine amore viuit, dulce exit nihil. Ast ego tam dulce anhelans me incaute perdidi & amor fuit, equo dum aspectui formosissimæ Durmioniæ puellæ virgunculæ summa puluoria placere cuperem casu desiliens pes hæsit stapię tractus interij.

*Et hactenus de equestribus.*

*Quibus de* NAVMACHIA *aliquid addere placet, quod erat ludicrum in fluuijs vel lacubus, ostentatum, cum pugnæ classicæ similitudine. de qua Tranquillus in Claudio vt iam ante dictum est, & Cornelius Tacitus his verbis:* Inter lacum Fucinum *(inquit)* amnemque Lyrim perrupto monte, quo magnificentia operis à pluribus viseretur, in lacu ipso nauale prœlium adornatur: Claudius triremes quadriremesque & vndeuiginti millia hominum armauit, cincto ratibus ambitu, ne vaga effugia forent.

*Ad has autem Naumachias potest fortasse accommodari gratiarum actio, quæ Neptuno fiebat Nonis Nouembris: & desponsatio maris quæ hodieq; a Venetis fit in festo Ascensionis.*

## DE LVDIS LATINIS.
## X X.

*LVdi Latini, & feriæ Latinæ vocabantur à Latinis, à quibus scilicet ad Romanos peruenerunt: vbi Consul Ioui Latiali solenne sacrum facturus, eos in monte Capitolino & vouebat & faciebat. Unde legitur, Flaminium Consulem, ne Latinarum feriarum mora & consularibus alijs impedimentis retineretur in vrbe, simulato itinere priuatum clam in prouinciam abijsse, eamque rem iram infestis senatoribus mouisse. Templum vero Ioui Latiali in Albano monte primus dicitur Tarquinius Superbus condidisse, & primus nundinas Latinas instituisse illic quotannis celebrandas: ad quas populi Latini, qui fuerunt numero septem & quadraginta, conueniebant, alii agnos, alii carnes, alii lac, & similia esculenta rustica adferentes. Postremo immolato Tauro, qualibet ciuitas portione carnis accepta, discedere solebat. Refert Dionysius in quarto Antiquitatum, principatum sacri feriarum Latina-*

*Latinarum Romanos obtinuisse. Huc pertinet illud Auli Gellij, qui decimotertio Noctium Atticarum demonstrat, præfectum vrbis Latinarum feriarum causa Romæ relinqui solitum: quem Mutius negat senatum habere posse.*

*Cæterum si libet nostram inopiam cum Romanorum comparare maiestate, Belgis similes quidam ludi eodem Maio mense extant in singulis propè ciuitatibus, ad quos tum conueniunt pariter, & Gigantes equosq; circumducunt: non quidem de tauro immolato carnem petentes, sed fistulis certantes inter se, adeo vt iudicibus constitutis, cuius ciuitatis tibicinibus palma tribuitur, ea anno illo prærogatiuam habeat, ac primas in conuentu sedes.*

## DE LVDIS GLADIATORIIS SEV CERTAmine quod Græcis Pancration, Latinis Munus appellatur. XXI.

*LVdi gladiatorij vt ad exercitium corporis spectabant, sic periculo vitæq; discrimine non carebant, à Romanis autem recepti sunt partim ad exercendas corporis vires, armorumq;: partim ad vulnerum contemptum, quia bella continua gerebant, partim deniq; quia diuitijs & omnis generis voluptatibus is populus lasciuiebat, animorum exhilarandorum gratia, quemadmodum rectè Tullius ait in oratione pro Murena:* Ludis oblectamur, & ducimur. *Quæ causa fuit, vt munera tales ludi siue spectacula digladiantium vocarentur. quod videlicet iis tamquam muneribus soleant homines capi, vel quòd necessariò lanistæ ad hos ludos mortiq; exponendos pugiles erant instructi. Nam vt Martianus iureconsultus in l. munus. ff. de verb. & rer. signific. testatur: Munus propriè est, quod necessariò subimus, lege, more, imperióve eius qui iubendi habet potestatem: cum dona sint, quæ nulla necessitate iuris, aut officio, sed sponte præstantur. Hinc & pro officio ac debito, muneris voce abutuntur: vt, tuum est munus, tui muneris, &c. Meminit vero muneris in hac significatione pro ludo, siue spectaculo pugilum, Liuius lib. 1. Dec. 5.* Munera gladiatorum eo anno aliquot parua, alia data. vnum ante cætera insigne fuit T. Flaminij, quod mortis causa patris sui cum visceratione epuloq; & ludis scenicis per quatriduum dedit. *Et ad huiusmodi munus funebre, hoc est, ludos gladiatorios in honorem funeris adhibitos, alludit Iul. Capitol. in M. Cæsare:* Et laudauere, *inquit*, vterq; pro rostris patrem, Flaminemque ei ex affinibus, & sodales ex amicissimis, Aurelianos creauere. Adepti imperium, ita ciuiliter se ambo egerunt, vt lenitatem Pij nemo desideraret, cum eos Marullus sui temporis mimographus cauillando impunè perstringe-

ſtringeret. Funebre munus patri dederunt. *Plin. lib. 33. cap. 3.* Cæſar, *inquit*, qui poſtea dictator fuit, primus in ædilitate munere patris funebri omni apparatu harenæ argenteo vſus eſt. *Hucque pertinent loca Suetonij in dictatore*: beſtias quoque ad munus populi comparatas trucidauerant. *Et iterum*: Munere in foro depugnauit Furius Leptinus, ſtirpe prætoria. *Idem in Auguſti vita, cap. 43*: Quodam autem muneris die Parthorum obſides tunc primum miſſos per arenam mediam ad ſpectaculum induxit. *Meminit etiam Ælius Lampridius in Alexandro:* Quæſtores candidatos ex ſua pecunia iuſſit munera populo dare, ſed vt poſt quæſturam præturas acciperent & inde prouincias regerent: ærarios vero inſtituit, qui de ære fiſci ederent munera, eademque procurarent. Habuit etiam in animo, vt munera per totum annum diſpergeret, vt per triginta dies munus populo daretur. *& huc pertinet illud Plinij in Epiſtolis*: Recte feciſti, qui gladiatorum munus Veronenſibus noſtris promiſiſti. *Ex quibus apparet, & inclinante Imperio tales fuiſſe ludos in vſu, qui modo incruenti & exercendarum virium cauſa paßim in Germania exhibentur, & noſtra lingua* Fechtſchul, *hoc eſt, ſchola pugilũ nuncupantur.*

*Sed Romanis ego reperio duplex munus potißimum celebratum: munus Arcadicum, quod bis in anno dabatur, pridie Nonis Decemb. &* x. *Cal. Decemb. Et munus candidati, quod itidem bis in anno,* VI. *Idus &* XIII. *Cal. Decembris dabatur. Cæterum à munere munerarius adiectiuum ijs omnibus accomodabatur, quæ ad ludum gladiatorium pertinebant: vt Munerarius, qui ludum gladiatorium inſtituit; Munerarius libellus. Suetonius in Domitiano:* Patremfamilias, ait, quod Thracẽ Mirmilloni parem, munerario imparem dixerat, detractum è ſpectaculis in arenam canibus obiecit. *Quibus verbis, Munerarius ipſe Domitianus Cæſar à Tranquillo eſt appellatus, vt ludorum exhibitor, à quo Thrax coactus fuerat depugnare. hoc enim ſignificat imparem ei fuiſſe: quæ figura ſermonis exitialis homini intempeſtiuè faceto, fuit. Et ſic intelligitur inſcriptio vetuſta, quæ Tergeſti in Iſtria extat:*

Constantivs Munerarius gladiatoribus ſuis propter muneris munus ſepulchrum dedit: Decorato Retiario qui peremit Ceruleum & peremptus decidit ambos extinxit rudis vtroſque protegit rogus Decoratus ſecutor puſnarum VIIII. Valeriæ vxori dolore priuum Reliqvit.

*Et quia facta eſt in hoc monumento Retiarij, Cerulei, & rudis mentio: operam luſuri non videmur, ſi ſpecies & diſcrimina gladiatorum paulo altius repetierimus. Inuenio autem gladiatorum hæc fere diſcrimina fuiſſe: pugiles, athletas, pancratiaſtas, Xyſticos, Thraces, mirmillo-*

*nes, tunicatos, retiarios, piscinenses, bestiarios, rudiarios, agones, mastigophoros, & athlothetas.*

PVGILES *tametsi à pugnando, omnes generaliter gladiatores, qui in arena pugnabant, Latinis sint dicti: tamen propriè, qui cestibus certabant, hoc peculiari nomine significabantur. Id quod elicitur ex his Ciceronis verbis libro secundo Tuscul.* Pugiles cestibus contusi, ne ingemiscunt quidem. *Et iterum de Claris oratoribus:* Pugiles inexercitati, etiam si pugnos & plagas Olympiarum cupidi ferre possunt, solem tamen sæpe ferre non possunt. *Tales fuerunt illi Virgiliani pugiles, Dares & Entellus, quos Maro libro quinto Æneidos ita describit luculento carmine:*

Post vbi confecti cursus, & dona peregit:
Nunc si cui virtus, animusque in pectore præsens,
Adsit, & euinctis attollat brachia palmis.
Sic ait, & geminum pugnæ proponit honorem:
Victori velatum auro vittisque iuuencum:
Ensem atque insignem galeam solatia victo.
Nec mora, continuò vastis cum viribus effert
Ora Dares, magnoque virûm se murmure tollit:
Solus qui Paridem solitus contendere contrà:
Idemq; ad tumulum, quo maximus occubat Hector,
Victorem Buten immani corpore, qui se
Bebrycia veniens Amyci de gente ferebat,
Perculit, & fulua moribundum extendit harena.
Talis prima Dares caput altum in prœlia tollit,
Ostenditque humeros latos, alternaque iactat
Brachia protendens, & verberat ictibus auras.
Quæritur huic alius, nec quisquam ex agmine tanto
Audet adire virum, manibusque inducere cœstus.
Ergo alacris, cunctosque putans excedere pugna,
Aeneæ stetit ante pedes, nec plura moratus,
Tum læua taurum cornu tenet, atque ita fatur:
Nate dea, si nemo audet se credere pugnæ:
Quis finis standi? quò me decet vsque teneri?
Ducere dona iube. cuncti simul ore fremebant
Dardanidæ, reddique viro promissa iubebant.
Hic grauis Entellum dictis castigat Acestes,
Proximus vt viridante toro consederat herbæ:
Entelle heroum quondam fortissime frustra,
Tantáne, tam patiens, nullo certamine tolli

Dona ſines?vbi nunc nobis Deus ille magiſter
Ne quicquam memoratus Eryx?vbi fama per omnem
Trinacriam?& ſpolia illa tuis pendentia tectis?
Ille ſub hæc:Non laudis amor,nec gloria ceſſit
Pulſa metu:ſedenim gelidus tardante ſenecta
Sanguis hebet,frigentque effœtæ in corpore vires.
Si mihi,quæ quondam fuerat,quaque improbus iſte
Exultat fidens,ſi nunc foret illa iuuenta,
Haud equidem precio inductus,pulchroq; iuuenco,
Veniſſem:nec dona moror.Sic deinde locutus,
In medium geminos immani pondere cœſtus,
Proiecit:quibus acer Eryx in prœlia ſuetus
Ferre manu,duroq; intendere brachia tergo.
Obſtupuere animi,tantorum ingentia ſeptem
Terga boum,plumbo inſuto,ferroq; rigebant.
Ante omnes ſtupet ipſe Dares,longeq; recuſat.
Magnanimusq; Anchiſiades & pondus & ipſa
Huc illuc vinclorum immenſa volumina verſat.
Tum ſenior tales referebat pectore voces.
Quid?ſi quis cœſtus ipſius,& Herculis arma
Vidiſſet,triſtemq; hoc ipſo in littore pugnam?
Hæc Germanus Eryx quondam tuus arma gerebat:
Sanguine cernis adhuc,ſparſoque infecta cerebro:
His magnum Alciden contrà ſtetit:his ego ſuetus,
Dum melior vires ſanguis dabat,æmula necdum
Temporibus geminis canebat ſparſa ſenectus.
Sed ſi noſtra Dares hæc Troius arma recuſat,
Idque pio ſedet Aeneæ,probat auctor Aceſtes:
Aequemus pugnas. Erycis tibi terga remitto:
Solue metus,& tu Troianos exue cœſtus.
Hæc fatus,duplicem ex humeris reiecit amictum:
Et magnos membrorum artus,magna oſſa,lacertosq;
Exuit,atque ingens,media conſiſtit harena;&c.

*Sequuntur* ATHLETÆ,*qui propriè gladiatores dicebantur, quos in vrbe laniſtæ emptos, vel precio conductos ex ſeruis, ad ludum inſtruebant, & harenæ precio accepto committebant. Inſtruebant autem non ſolùm armis atque veſtitu, verùm optimo cibo ita ſaginabant, vt multo elaboratiſſimoque ſanguine producto robur naturæ augerent, oleoque ſubinde perfrictos neruos flexiles, & ad omnem eos motum verſioneſque expeditos perficiebant. Vnde metaphoricè athletica vita pro*

 *firmiſſi-*

*firmißima: & medicis athleticus habitus, pro temperamento optimo pletorico vsurpantur. Hinc cum alter dixisset apud Plautum in Epid. Quid herilis noster filius valet? Respondet alter: Pugilice atque athletice valet. Item in Bachidibus: Bene ne vsque valuit? Respondet alter: Pancraticè atque athleticè. Apud Vlpianum iureconsultum in l. athletas. ff. de his qui not. infa. dicuntur etiam Athletæ qui non lucri, sed virtutis gratia, se exercent publicè, & non magis coacti quam sua sponte, vt sunt qui hodie gladiatoriam sine sanguine exercent. Addit quoque Imperator Alexander in tit. Cod. de athletis: Si ·ribus non minus coronis publice fuerint donati, ciuilium munerum vacationem consequi. Ab his autem Athletis &* ATHLOTHETÆ *dicuntur, sicut agonothetæ: hique iudices & curatores horum ludorum erant, & præmium certantibus propone[illegible]t.*

PANCRATIASTÆ *erant pugiles, qu[illegible] in harena omni genere resistendi pugnabant: quemadmodum recte Suidas Pancratiasten, manibus pedibusque pugnantem interpretatur. Quintil. 2. Inst. orator.* Sicut ille exercendi corpora, *ait*, peritus, non si docendum pancratiasten susceperit, pugno ferire, vel calce tantum, aut nexus modo, atque in ijs ictus certos aliquos docebit: sed omnia quæ sunt eius certaminis: *Quid autem differat pancratiastes ab athleta, cæterisque gladiatorum generibus, ex his verbis A. Gellij lib. 3. cap. 15. aduertitur:* Diagoras tres filios adolescentes habuit, vnum pugilem, alterum pancratiasten, tertium luctatorem. *Ab isto genere gladiatorum pancratium ipse actus, veluti pugillatus, nomen accepit, quod ex eo dictum est, quod aduocatis omnibus viribus corporis, omniumque neruorum contentione transigatur: calcibus enim & cubitis, non pugnis modo, vtebantur. vbi notandum est, esse tamen qui pancratiastas propentathlis intelligi volunt, id est, qui quinque illa antiqua certamina Græciæ obierunt & vicerunt: qua in sententia est Hermolaus Barbarus lib. 34. Emendationum. Græci namque hos sua lingua appellare solebant,* παγκρατιάζοντας, παντῶν κρατοῦντας. *Et sic intelliguntur loca poetarum. Virgilii:*

-Fulua luctantur harena.

*& Propertii libro tertio Elegia decimaquarta:*

Et patitur duro vulnera pancratio.

XYSTICI *gladiatores erant, non in harena, sed in porticu & ambulacris hyberno tempore pugnantes. Est enim Xystus ambulacrum, quod Græci* ὑπαίθριον *dicunt. De quo Cicero in Bruto:* Cum ambularem in xysto, & essem ociosus. *& Plinius 5. Epistolarum:* Et ante porticum, *inquit*, xystus concisus in plurimas species, distinctusque buxo. *Meminit huius generis gladiatorum & Suetonius in Augusto:*

*guſto*: Nec tamen eo minus aut xyſticorum concertationes, aut gladiatorum pugnas ſeueriſſimè ſemper exegit.

Hoplomachi *ſcuto & armis muniti erant. de quibus Suetonius in Caligula*: Hinc è ſpectaculo detractum, & in arenam deductum, Thraci, & mox Hoplomacho comparauit. *Et ſic enucleatur ille Epigrammatarij verſus,*

Hoplomachus nunc es, fueras ophthalmicus ante.

Crupellares, *toto corpore laminis erant tecti: vt ſunt hodie in haſtiludiis Germanorum gladiatores, qui Tornizantes dicuntur, pede congredientes, qui olim mos è Gallia ad Romanos eſt tranſlatus. Meminit Tacitus libro tertio: Quadraginta milia fuere, inquit, quinta ſui parte legionariis armis, cæteri cum venabulis & cultris quæque alia venantibus tela ſunt: adduntur è ſeruitiis gladiaturæ deſtinati, quibus more gentilitio continuum ferri tegmen (crupellarios vocant) inferendis ictibus inhabiles, accipiendis impenetrabiles.*

Thraces & Mirmillones, *hinc dicti quod qui armatura Thracica in gladiatoriis, Thraces: qui Gallico ritu vtebantur, Mirmillones Romanis vocabantur. Meminit Suetonius in Tito*: Quin & ſtudium armaturæ Thracum præ ſe ferens, ſæpe cum Populo & voce & geſtu vt fautor cauillatus eſt: verum maieſtate ſalua, nec minus æquitate. *Et ſic intelligitur hic Auſonii verſus:*

Quis Mirmilloni contenditur? æquimanus Thrax.

Retiarii & Tunicati, *erant qui rete habebant, & tunica erant induti, retique aduerſarium inuoluebant. quod genus pugnæ à Pithaco vno ex ſeptem Sapientibus traditur repertum, cum aduerſus Thrynonem depugnaturus proceſſiſſet. Meminit Trãquillus in Caligula*: Retiarij tunicati quinque numero gregatim dimicantes, ſine certamine vllo, totidem ſecutoribus ſuccubuerant: cum occidi iuberentur, vnus reſumpta fuſcina, omnes victores interemit. *vocabantur autem ſecutores qui aduerſus retiarios pugnabant. qui retiarij vtebantur fuſcina, hoc eſt, tridenti, qualis Neptuno appingitur.*

Piscinenses, *qui in piſcinis exercebantur atque pugnabant. Erat enim piſcina Romæ publica, ad quam natatum & exercitationis cauſa veniebant. Et ſic poſſunt rectius intelligi loca autorum. Suetonii in Nerone*: Epulas à medio die ad mediam noctem protrahebat, refotus ſæpius calidis piſcinis, & tempore æſtiuo viuarijs. *Idem de Heliogabalo Lampridius refert. Et huc pertinet illud Martialis:*

Piscinam peto, non licet natare.

BESTIARII, *qui in gladiatorijs spectaculis, contis aduersus bestias productas pugnabant.*

RVDIARII *Pugiles erant, ob saepe nauatam operam rude donati, hoc est, virga signo vacationis & manumissi è seruitio. De quibus Suetonius in Augusto:* Vniuersum deniq; genus operas aliquas publico spectaculo praebentium, etiam cura sua dignatus est. Athletis & conseruauit priuilegia & ampliauit. Gladiatores sine missione edi prohibuit.

*Inuenio etiam rudiarios dictos, qui huiusmodi virgis publicè pugnabant. Ad quos alludit Lampridius, referens Commodum Imperatorem in harena rudibus inter cubicularios gladiatores depugnasse.* FEMINAS *pugiles etiam instituisse Domitianum, Tranquillus est author, ita scribens:* Venationes, gladiatoresque & noctibus ad lychnuchos, nec virorum modo pugnas, sed & feminarum, &c. *Ad quod genus pugilum alludit Papinius primo Syluarum:*

Stat sexus rudis, insciusque ferri,
Et pugnas capit improbus viriles,
Credas ad Tanaym, ferumque Phasin
Thermodontiacas calere turmas.

*Et Martialis primo:*

Belliger inuictusque tibi Mars saeuit in armis:
Non satis est Caesar, seruit & ipsa Venus.

*Sic Iuuenalis ad hoc genus pugnae alludit:*

-Neuia fuscum
Figat aprum, & nuda teneat venabula mamma.

MASTIGOPHORI, *qui athletas in certaminibus comitabantur, & cum flagellis praeibant, spectatoresque & turbam importunam submouebant, ne spectaculo impedimento esset: qui etiamnum in huius generis ludo supersunt, & morionum habitum mentiti, cestis coriaceis officio suo funguntur.*

## DE LVDIS PALATINIS, TRIVMPHALIBVS, Natalicijs, alijs.

## XXII.



CONSTITVTO *Imperio, & occiso Caesare dictatore, in eius honorem & memoriam Augustus in paruo rotundo templo, quod fuit in palatio, ludos instituit, qui sexto Calen. Ianuarias per octo dies agebantur, quorum meminit Iosephus, vbi interitum Caligulae recen-*

*la recenset, tradens scilicet Chæream tribunum ludorum nouissimo die exhortatum conscios coniurationis, rem tandem peregisse: qui cum omne tempus oportunissimum iudicaret huic negotio, cogitauerat Caligulam stantem primo in culmine Capitolij impellere, ac præcipitem dare, quum se à nullo videri putaret. Sed conscijs visum est, vt in celebratione spectaculi res perageretur. id quod etiam factũ. & sub meridiem, dum ludis Palatinis frueretur, occupatus à cõiuratis, & interfectus est.*

*Porro* TRIVMPHALES *ludi post insignes victorias celebrabantur, alij quidem Epinicia peculiari vocabulo dicti, alij vero certo anni tempore in memoriam victoriarum iam olim latarum edebantur: quales Antoniani* XIII. *Cal. Septemb. Traiani die sequenti celebrabantur. & Augustales* XII. *eiusdem mensis per dies* IIII. *fiebant. Meminit autem Epiniciorum Suetonius in Nerone:* Reuocatisq; ad pœnitentiam defectoribus, sequenti die lætum inter lætos cæteros cantaturum Epinicia, quæ iam nunc sibi componi oporteret. *Meminitque Epiniciorum & D. Hieronymus in secundo Machabæorum.*

*In ludis vero Victoriæ fontes aquarum adoriferarum instruebantur, quod hodie adhuc fieri solet. Cuius solennitatis meminit & Spartianus in Adriano: Romæ post cæteras immensissimas voluptates, in honorem socrus suæ aromatica populo donauit, in honorem Traiani balsama & crocum per gradus theatri fluere iussit.*

*Præterea ludi in Natalibus magnorum virorum edebantur, qui Natalicij dicebantur. veluti* VIII. *Idus Februarij Alexandri Magni Natalicij edebantur:* IIII. *Idus Iulias, Cæsaris dictatoris Natalicij: Non. Cal. Ianuarij, Titi Cæsaris: sic* IIII. *Cal. Decemb. Neruæ,* VI. *Calen. Nouemb. Hadriani, Cal. Aprilis Antonini,* III. *Id. Aprilis Veri Cæsaris,* XVIII. *Cal. Decem. Septimiani,* XIII. *Cal. Ianuarii Gordiani,* IIII. *Calen Februarii Constantini Magni, & Iunioris,* VII. *Idus Augusti celebrabantur. Et de his accipienda sunt authorum loca. Capitolini in Pio:* Circenses Natali suo dicatos non respuit. *Ælius Spartianus in Hadriano:* Gladiatorium munus per sex dies continuos exhibuit, & mille feras Natali suo edidit. Optimos quosq; de Senatu in cõtubernium Imperatoriæ maiestatis asciuit, ludos Circenses præter Natalicios decretos sibi respuit.

*Inuenio & ludos* NVPTIALES *&* FABARICOS, *qui celebrabantur per quatuor dies sub finem Maij. Item* SOLARES, XIIII. *Calen. Octob. per quatuor dies, maximis mysteriis. In quibus illuderat solenne, quòd tum Liber pater ex vrbe in Eleusina transmittebatur. Cui non dissimile in Diui Vrbani festo apud nos in Patrum memoria, vt arbitror ethnica origine inoleuerat, iam magna ex parte intermissum & sublatum.*

*sublatum. Inuenio & ludos Iancionicos,* XV. *Calend. Decembr. agi solitos, quo die Athenis festa Æsculapij erant: sed quales fuerint, nondum comperi. Fuerunt denique & Miscellanei ludi, ex varijs multiformibusque ludicris commixti, quod eleganter vno vocabulo Miscellam Gellius in Atticis noctibus, & Miscellaneam Apuleius in Asino aureo nominauit. Meminit horum Suetonius in Caligula:* Edidit & spectacula peregrè: in Sicilia Syracusis Atticos ludos, & in Gallia Lugduni Miscellas. *Et sic intelligitur illud Satyrici:*

-Veniunt ad miscellanea ludi.

*Sunt porro qui hos ludos eosdem fuisse cum athleticis existiment, & à Miscello Crotonis cõditore sic appellatos, non à commixtione ludicrorum. Porro in Crotone peculiari quadam ratione athletæ extollebãtur, qualis fuisse & Milo ille perhibetur, de quo canit Ouidius in* XV.

-Fletque Milo senior, cum spectat inanes
Illos qui fuerant solidarum more ferarum,
Herculeis similes, fluidos pendere lacertos.

## DE LVDIS PYRRHICIS, QVI PERAGEbantur cursu, saltatu, rotatu, &c.

## XXIII.

*HI ludi potissimum vsurpabantur in Isthmo vbi cursu certabatur, & iaculis: & ad lætitiam certa mensura ac modulatione pedibus saltabatur, quod hodie Germani in eo ludicro obseruant, quod Ziganorum choream dicunt,* Ein Zigeiner Tantz. *His & pilæ ludus adijciendus, qui Græcis Corycouelon vocatur: de quorum singulis dicendum est ordine.*

ISHTMIA, *quæ & Hieronica, ludi erant quinquennales apud Græcos, à loco prope Corinthum Isthmo, sic dicti, vbi celebrabantur: qui à Theseo primum omnium instituti traduntur, in honorẽ Neptuni. Plutarchus tamen ad imitationem Herculis institutos à Theseo memorat: cum Hercules Olympicos incœpisset in honorem Iouis. ad quod Plinius in 4. alludit:* Isthmo pars altera, cum delubro Neptuni, quinquẽnalibus inclyta ludis. *Alij tradunt in Scyronis memoriam Isthmia fuisse reperta: vt ita se Theseus à cæde Scyronis, quem necauerat, ob propinquitatem expiaret. Non desunt denique, qui in Melicertæ honorem, qui alio nomine dicebatur Palæmon, ludicrum Isthmiacum constitutũ primum omnium prodiderint. Ad quod Corinthii ex pacto vetustissimo accedere tenebantur, & in sedendo cæteris præferebantur. Scitũ est quod Plutarchus tradit, olim Philippo Macedonum Rege profligato à L.*

*Flaminio,*

*Flaminio, omnes Græciæ ciuitates in publico Iſthmiorum ſpectaculo per præconem libertate donatas: quæ res tanto gaudio cunctas Græciæ ciuitates affecit, vt L. Flaminium* σωτῆρα, *hoc eſt, Saluatorem nuncuparint. quod priuilegium cõfirmaſſe atq; renouaſſe rurſus Neronem, Suetonius in eius hiſtoria teſtatur his verbis:* Decedens deinde prouinciam vniuerſam libertate donauit, ſimulq; iudices ciuitate Romana & pecunia grandi. Quæ beneficia è medio ſtadio, Iſthmiorũ die, ſua ipſe voce pronunciauit. *Porro in Iſthmiorum ludicro præcipuo tria edebantur, iaculorum certamen, curſus pugna, ac muſicorum poetarumq; congreſſus. De primis meminere veteres poetæ. Simonides:*

ἴσθμια καὶ πυθοῖ Διοφῶν ὁ Φίλωνος ἐνίκα:
ἅλμα, ποδωκείην, δίσκον, ἄκοντα, πάλην.

*Quos verſus ſic reddidit Alciatus:*

Iſthmia Philonis Diophon, & Pythia vicit:
Et curſu, & iaculo, ſaltibus, orbe, pale.

*Huc pertinet & illud Pindari interpretis:*

ἅλμα ποδός, δίσκου τε βολή, καὶ ἄκοντος ἐρωή,
καὶ δρόμος ἠδὲ πάλη, μία δ' ἔπλετο πᾶσι τελευτή.

*Quæ idem Alciatus tranſtulit:*

Cum diſci iactu, ſaltus pedis, impetus haſtæ,
Atque pale, & curſus, ſtudium fuit omnibus vnum.

*Suidas meminit alterius generis ludi curſorij, quod diaulon, hoc eſt, per duo ſtadia vocat. Legimus & apud Imp. Iuſtinianũ* κῶμον δίαυλον. *Quod vero etiã in his cantu certabatur, elicitur ex his Suetonij verbis in Nerone:* Reuerſus è Græcia Neapolim, quod in ea primum artem protulerat, albis equis introijt, diſiecta parte muri, vt mos hieronicarũ eſt. *Porro victores in his ſacris ludisq; corona pinea coronabantur: et peculiaribus vocabulis olim Pythionices & paradoxi nuncupabantur, qđ eſt (ſi velis interpretari) ſupra hominum opinionem. Hinc Cicero Paradoxa, hoc eſt,* παρὰ τὴν δόξαν, *contra opinionem hominum inſtituta inſcripſit. Denique quanti honores talibus impendebantur, qui ita in Iſthmicis viciſſent, docet abundè Vitruuius libro nono, et Plutarchus in Sympoſiacis: Victoribus, inquit, curru vehentibus, permiſſum eſt partem muri deiicere, vt ſignificaretur, non magnopere ciuitatem talem muro opus habere, habentem viros qui poſſint pugnare & vincere. hæc ille. Cæterum talium hieronicarum ad nos vmbra quædã peruenit. Et in Galliis potiſſimum Belgisque & apud Francos reliquiæ quædam permanſere, in iis certaminibus ſiue exercitiis cum arcubus ad ſcopum & cum in auiculam ligneam palo ſublatam ſagittis collimatur. Atque hæc de Iſthmicis.*

*Venio ad Pyrrhicos ludos, in quibus virgines implicando ſe ac conuoluen-*

*uoluendo saltabant. quod genus choreæ, vt nobis etiamdum extat: ita Ziganorum hodie choream vocamus, vel vt aliqui nominant, Sepestrem choream,* ein Zauner Tantz. *Quam Apuleius decimo Asini ita affabre delineat his verbis:* Nam puelli puellæq; floreti virentes ætatula, forma conspicui, veste nitidi, incessu gestuosi, Græcanicam saltantes Pyrrhicam, dispositis ordinationibus, decoros ambitus inerrabant, nunc in orbe rotarum flexuosi, nunc in obliquã seriem connexi: & in quadratum patorem cuneati, & in cateruæ dissidium separati. *Supra quem locum Apuley, Beroaldi hæc extant verba: Eleganter exprimitur forma Pyrrhicæ saltationis, quæ modo orbiculata rotunditate circumagitur, modo obliqua serie per manus connectitur, modo ad effigiẽ cunei figuratur. Alludit ad huiusmodi genus ludicri Liu. lib. 2. Punici: A porta Iugario vico in forum venere: in foro pompa constitit: ꝑ manus rectè data, virgines sonum vocis pulsu pedum modulantes incesserunt. Describit vero eo loci Iunonis solennia. Delineat huiuscemodi saltationem ridiculam & Plato libro septimo de Legib. vbi nominatim scribit: Motum Pyrrhicum imitari flexus corporum, quibus tela plagæque vitantur declinando, concedendo, exiliendo in altum, humiq́; se contrahendo: rursumq́; contrarios gestus imitari, quibus scilicet contra alios ictus infertur, sagittando, iaculando, feriendo. Huc pertinet illud Maronis, cum equum fatalem Troiam introductum cum concentu puellarum describit, publicam lætitiam significans:*

-Scandit fatalis machina muros,  
Fœta armis: circum pueri, innuptæq́; puellæ  
Sacra canunt, funemq́ue manu contingere gaudent.

*Arbitror enim Pyrrhicum ludum eo euentu in Troianam sobolem fuisse diffusum ab equo illo fatali, quo non solum Romani, sed multæ etiam aliæ gentes nationesque quæ similiter ad Troianos originem referunt publica in læticia & in Saturnalitijs vtuntur, & Ziganorum choream vel Sepestrem vocant. Ad hæc meminit & Solinus Pyrrhicæ equitationis, qua hodie potissimum Hungari vtuntur, quamq́; appellant Germani* Hertschiren. *Denique potest his ludis, qui in exercitando corpore consistunt, & pilæ ludus addi, de quo Galenus Medicus integrum librum scripsit, & quem Iustinianus Imperator alibi Corycouelon vocat, à κορύκω, id est, pila. Erat autem pila coriacea instar vtriculi, quæ inflata vento, plerunque lusorem malè afficiebat. Suidas in dictione σάκκος. Corycum, saccum appellare videtur, in quo panes reconduntur. Hinc & prouerbium est ortum, à coryco exerceri, de eo qui incassum fatigatur.*

DE QVIN-

## DE QVINQVATRIBVS MINERVAE, LVDIS Iunonis, Martis &c.

### XXIV.



*Vi in honorem Mineruæ Romanis ludi celebrabantur, Quinquatria proprio seorsim vocabulo nuncupabantur, & in Albana villa edebantur Martio mense, per dies quinq; à Calen. Mart. Romæ etiã in Cælio monte Mineruæ captæ,* VIII. *Calen. Martias sacra celebrabantur. Quorum meminisse videtur T. Liuius libro quarto Dec. 5.* His intra triduum simul cum legatis Alexandrinis profectis, legati ex Macedonia Quinquatrib. vltimis adeo expectati venerunt, vt nisi vesper esset, extemplò Senatum vocaturi cõsules fuerint. *Meminit & Tranquillus in Nerone:* Atq; ita reconciliatione simulata, iucundissimis literis Baias euocauit ad solennia quinquatrium simul celebranda. *Idem in vita Domitiani:* Celebrata & in Albano quotannis quinquatria Mineruæ, cui collegium instituerat: ex quo sorte ducti magisterio fungerentur, redderentq; eximias venationes, & scenicos ludos, insuperq; oratorum ac poetarum rtamina. *Et sic intelliguntur loca et versus poetarum. vt illud Papinij quarto Syluarum, quo ostendit se eo in certamine reliquos poetas vicisse:*

Lux mihi Romanæ qualis sub collibus Albæ
Cum modò Germanas acies, modo Daca sonantem
Prœlia, Palladio tua me manus induit auro.

*Originem quinquatriorum ab initio Martii in honorem Mineruæ institutorum repetit Ouidius tertio Fastorum, in oratione Martis, qui à raptis Sabinis hos ludos introductos testatur.*

*Venio nunc ad ludorum Iunonis mentionem quam in vnico, quod equidẽ sciam, T. Liuio obseruaui, qui lib. 7. Dec. 3. hoc scriptum reliquit:* Ab æde Apollinis, oues feminæ albæ duæ porta Carmentali in vrbem ductæ, post eas duo signa cupressea Iunonis reginæ portabantur: tum septem & viginti virgines longam indutæ vestem, carmen in Iunonem reginam canentes ibant, illa tempestate forsitan laudabile rudibus ingenijs, nunc abhorrens & inconditum, si referretur. virginum ordinem sequebantur decemuiri coronati laurea, prætextatiq;, à porta Iugario vico in forum venere. in foro pompa constitit, & per manus reste data, virgines sonũ vocis pulsũ pedum modulantes incesserunt. Inde vico Thusco velabroque per boarium forum in cliuum publicum, atque ædem Iunonis Reginæ perrectum: ibi duæ hostiæ ab Decemuiris immolatæ, & simulachra cupressea in ædem illata. *Equidẽ clarius describi hi ludi nõ potuerunt:*

*à quibus forsitan choreæ illæ defluxerunt, quibus in Sueuia & ad lacum Acronium virgines vesperi diebus feriatis saltantes, pedum quoque sonitu cantilenas modulantur. Id quod & in Austria, in festo Sancti Iohannis Baptistæ solenne admodum est.*

*Sequuntur* LVDI MARTIALES, *aliàs proprio vocabulo* SALIARIA *dicta, quod in his Salij cum Ancilijs saltarent: Nonis Martij dabantur, qua solennitate nihil quisquam occipere tanquam infaustò audebat. Ad hoc alludit Suetonius in vita Claudij, in textu epistolæ Augusti ad Liuiam:* Colloquutus sum cum Tiberio, vt mandasti mea Liuia, quid nepoti tuo Tiberio faciendum esset ludis Martialibus. *Et iterum:* In præsentia tamen, quibus de rebus consulis, curare eum ludis Martialibus triclinium sacerdotum non displicet nobis, si est passurus se à Syllani, &c. *Porrò celebrabantur huiusmodi Saliaria* VII. *Idus Martias, & pridie Idus,* MAMVRALIA, *quorũ originem à Numa Rege repetit Naso tertio Fastorum, qui cum piandi fulminis remedium à Ioue accepisset, in tempestate simul cum fulgure Ancile scutum decidit, cui multa similia Mamurius fabrefecit.*

*Cæterum alij fuerunt ludi Castrenses, quibus milites in castris & exercebantur, & delectabantur. quorum meminit Suetonius in Tiberio:* Ac ne quam suspicionem infirmitatis daret Castrẽsibus ludis, non tantum interfuit, sed etiam missum in harenã aprum iaculis desuper petijt. *Porro eosdem Martiales vocat Trebellius Pollio in Claudio:* Fecerat hoc, *inquit*, etiam adolescens in militia, cum ludicro Martiali in campo luctamen inter fortissimos quosq; monstraret. Nam iratus ei qui non baltheum, sed genitalia sibi contorserat, omnes dentes vno pugno excussit.

*Inuenio & Lustrales Marti à Romanis ludos fuisse institutos peculiari nomine Rubigalia,* VII. *Calend. Aprilis, in quibus tubæ, aquilæ, & alia arma lustrabantur. Reperio denique Marti ludos fuisse celebratos* IIII. *Idus Maij. Ex quibus colligimus, Ostensionales Venatoriosq́; ludos tales in castris extitisse.*

*Venio ad ludos Floræ deæ sacros, qui Floralia nuncupabantur, Græcis Scœnobatica dicta, quæ die* IIII. *Calend. Maij mensis edebantur, suadente Sibylla, ab omnis generis meretricibus nudis, & verbis & moribus pudendis, ad placandam instituti deam Floram, quæ floribus & fructibus præerat, & quam Naso 5. Metamorphoseon Nympham fuisse asserit, quæ antea fuerit Chloris dicta: hanc enim ait Zephyro vento nuptã, à marito idcirco hoc munere affectam, vt omnium florum potestatẽ haberet: quam ita instituto obsceno ludicro Romani se placare existimabãt. Meminere illius grauissimi autores. Varro lib. 1. de Re rust. Plini⁹ in 18.*

*Lactantius in 1. Diuinarum inſtit. Equidem legitur olim Cato, cùm hos ludos ſpectaret, diſceßiſſe è theatro: cũ populus maieſtate Catonis motus phibuiſſet, ne meretrices nudarẽtur: vt eſt Valerius Maximus author, cap. de Maieſtate populi Rom. Introducebantur porro in hiſce ludis funambuli & elephantes, &c. Meminit Sueton. in Galba:* Honoribus, *ait*, ante legitimum tempus initis prætor commiſſione ludorum Floralium, nouum ſpectaculi genus, elephantes funambulos edidit. *Docet porro Plinius in 8. elephantes tantæ eſſe docilitatis, vt didicerint aduerſis funibus ſubire, ac funib. proni retrogredi; alludens nimirum ad hoſce ipſos ludos. Quos etiam Seneca intelligit lib. 11. Epiſtolarum:* Sic, *inquiens*, elephantem minimus Aethiops iubet ſubſiſtere in genua, & ambulare per funem. *Quo pertinet illud Lampridij in hiſtoria Heliogabali*: Herodem verò, *inquit*, ſic amauit, vt eidẽ inguina oſcularetur, quod dictu etiam verecundum eſt, Floralia ſacra ſe aſſerens celebrare. *Et de his ludis intelligendus eſt locus Flauij Vopiſci in vita Carini*: Memorabile maximè & Carini & Numeriani hoc habuit imperium, quòd ludos Romanos nouis ornatos ſpectaculis dederũt, quos in palatio circa porticũ ſtabuli pictos vidimus. Nam & ſchœnobaten dedit, in quo elephanti funambuli introducebantur: & neurobaten, qui velut ventis cothurnatus ferretur, exhibuit, &c.

## DE LVDIS QVINQVENNALIBVS, Decennalibus, Vicennalibus, &c. XXV.

*Qvinquennalia & luſtra & ſi multis eadẽ fuiſſe exiſtimentur, tamen differebant, nõ minus q̃ apud Græcos Panathenæa & Olympiades: cum in vtrisq; quinq; annorũ ſpacium intermedium eſſet. Quippe in luſtris ſola Taurilia celebrabantur: in Quinquennalib. muſicorum erat certamen, & plenè omnia fiebant q̃ apud Græcos in Olympiadibus. Cæterũ authore Cenſorino, Seruius Tullus horũ primus extitit author, in hoc videlicet, vt cenſu ciuiũ habito, quinto quoq; anno luſtrũ cõderetur, ita vt poſteri idẽ in condendo luſtro inſtitutum ſeruarẽt. Hos ludos Auguſtus ad ſimilitudinẽ Actiacorũ reformauit, ac pluribus ceremonijs locupletauit, queadmodũ Suetonius in Auguſto teſtatur, his verbis:* Quoq; Actiacæ victoriæ memoria celebratior in poſterum eſſet, vrbem Nicopolim apud Actium condidit: ludosq; illic Quinquennales conſtituit, & ampliato vetere Apollinis templo, locum caſtrorum, quibus fuerat vſus, exornatum naualibus ſpolijs, Neptuno ac Marti conſecrauit. *Et iterum capite de Honoribus*: Quædam Italiæ ciuitates diem, quo primùm ad ſe veniſſet, initium

anni fecerunt. Prouinciarum pleræque super templa & aras, ludos quoque quinquennales penè oppidatim ei constituerunt. *Idem in Tiberio, capite de Pueritia:* Præsedit & Actiacis ludis, & Troianis Circensibus, ductor turmæ puerorum maiorum. *Erat autē circa Neapolim locus cum gymnasio & stadio, ad quinquennale certamen, apparatus: cuius loci meminit Strabo libro septimo & decimo, & Ouidius in epistola Sapphus. eoq; alludit & Maro hoc carmine:*

Actiaque Iliacis celebramus littora ludis.

*Scribit Egesyppus, Herodem in Cæsarea ciuitate theatrum & amphitheatrum extruxisse; & quinquennale certamen præmijs propositis instituisse. Porro vt reuertar ad lustrum, quod cum quinquennalibus coincidere videtur: refert Liuius nominatim, Seruium Tulliū censu perfecto, in campo Martio exercitum omnem lustrasse. Ad quod alludens Tranquillus in historia Augusti, capite de Ostentis:* Cum lustrum *(inquit)* in campo Martio magna populi frequentia conderet aquila eum sæpius circumuolauit. *Confunduntur tamen passim, & lustrum pro quinquennalib. accipitur, & econtrà: adeo vt quinquennalia à temporis spacio dicantur ludi, cum suis ceremonijs: lustrum vero, à delectu & lustratione ciuium Romæ habita. Vnde est illud Statij in Syluis:*

Huc me post patrij lætum quinquennia lustri. *Et iterum:*
Cum stata laudato caneret quinquennia versu.

*Sic Lucanus primo Pharsal.*

Mox iubet & totam pauidis à ciuibus vrbem
Ambiri & festo purgantes mœnia lustro,
Longa per extremos pomœria cingere fines,
Pontifices sacri quibus est permissa potestas:
Turba minor ritu sequitur succincta Gabino, &c.

*Cæterum nec illud silentio transeundum, quod in quinquennalibus certamen edebatur musicorū, & censores creabantur. vnde alio nomine hoc genus ludi Agon Neapolitanus & Gymnicus nuncupabatur. Eoq; pertinet, quod refert Strabo libro 5. Geographiæ: quod apud Neapolim quinquennalis Agon per quàm plusculos dies celebrabatur. Huc alludit & Tranquillus in Augusto, cap. de causis infirmitatū:* Mox Neapolim traiecit, quanquam & tum infirmis intestinis, morbo variante: tamen & quinquennale certamē gymnicum honori suo institutum perspectauit, & cum Tiberio ad destinatum locum contendit. *Itaque qui Romanis quinquennales dicebantur, Græcis multo antea erant cogniti, & Olympici partim, partim vero Panathenæa, à Minerua quā ἀθηνᾶν dicunt, vocabtāur. Suidas refert duplicem festiuitatem fuisse Panathenæorum: alteram anniuersariam, alteram quinquennalem, quæ & ma-*

*& magna Panathenæa dicebantur, quæ primus videlicet Erichthonius in honorem Vulcani & Palladis instituerat. Hinc Isocratis, Platonis, & Ciceronis libri Panathenaici à quibusdam nominantur. Refert & Thucydides in sexto, Hipparchum fuisse occisum ab Harmodio & Aristogitone tyrannicidis, dum pompa minorum Panathenæorum ordinatur ab Hipparcho. De hac festiuitate extant & inclinato iam Imperio apud autores loca. Eusebius enim in Chronicis nominatim scribit: Agonem gymnicum, quem Panathenæon vocant, Athenis celebratum extitisse. hincq́ est illud in historijs celeberrimum, de sene quodam ingresso in hoc genus spectaculi, qui cùm à nullo reciperetur, postremo à Lacedæmonijs fuisse receptum, & dixisse cum lachrymis: Heu me miserum, vt Græci omnes nouerunt quæ honesta sunt, sed his soli vtuntur Lacedæmonij. Meminit quinquennalium & Ælius Spartianus in vita Hadriani:* Acta eius irrita fieri volebat Senatus: nec appellatus fuisset diuus, nisi Antoninus rogasset. Templum deniq; ei pro sepulchro apud Puteolos constituit, & quinquennale certamen, & flamines, & sodales, & multa alia quæ ad honorem quasi numinis pertinerent.

*Atque his ludis fortè comparare nos possemus ludos septennio quoq́ Louanii apud Belgas in festo adsumptionis diuæ Virginis celebratos, Christiano tamen, non ethnico ritu.*

*Atque hæc de quinquennalibus. Superest vt etiam Decennalia explicemus, qui ludi decimo quoque elapso anno dabantur, vt vel nomen ipsum indicat. Quos institutos inuenio ab Augusto primum prætextu quodam ad Imperatoris titulum, monarchiæq́ potestatem retinendam sine inuidia: solebat quippe decimo anno, constituto in hoc ingenti spectaculo, ludorumq́ apparatu, Imperium populo resignare, quod tamen illicò quasi rogaretur, recepit.* Secundum consulatum post IX. annos, tertium anno interiecto gessit, sequentes vsque ad XI. continuauit. Multisque *(ait Tranquillus)* mox cum deferrentur, recusatis, duodecimum magno, id est, septendecim annorum interuallo, & rursus tertium decimum biennio post vltrò petijt. *Hinc scribit Eusebius in historia Ecclesiastica, Constantinum Magnum decennalia celebrasse. quæ celebrauerat & Gallienus Imperator, vt Trebellius Pollio scribit: & de quibus nos alibi. Porro postremum fuisse qui hosce ludos dederit, autumo Theodosium iuniorē, vt ex illa epistola Symmachi vrbis præfecti ad eundem Cæsarem animaduertitur:* Nam diuis, *inquit,* parentibus tuis ob decennium minor summa decreta est. etiam diuus frater mansuetudinis vestrę, cum tertium lustrum æui imperialis exigeret, parciore munificentia honoratus asseritur: nunc in amorem tuum studia nostra creuerunt. Nam mille sexcentas auri libras

bras decennalibus Imperij tui factis deuotus ordo promisit, vrbanis ponderibus conferendas, id est, trutinæ largioris examine. *Atq; hæc de decennalibus. Cuius generis fuisse credendum est ludos votiuos, qui ab imperatoribus obseruabantur, & ex anno imperij computabantur: durabantq; tot dieb. ludi, quot annis imperio quis præfuisset. Celebratio erat 6. Id. Augusti. Ad quos alludens & elegãter vicennalia depingens Eusebius Pamphil. 3. lib. de vita Cõstantini Magni sic scriptũ reliquit:* Hoc tẽporis & populi frequentia & nundino celebre fuit. Tũ se regni vicesimus ille ann⁹ absoluto cursu retulerat ad idẽ caput &c.

## DE ROMANIS LVDIS, ET PLEBEIIS, QVI ET Curules & Compitales. XXVI.

*HOs simul semper ludos fuisse datos inuenio. Quales autem fuerint, nondum scio, hoc autem constat, eos qui tales ludos celebrabant, ludios fuisse vocatos. refertq; Liuius, ludiones ex Hetruria accitos: ad quam sæpe vocem poetæ alludunt. Ouidius:*

Ludius æquatam ter pede pulsat humum. *Iuuenalis*:
-Quæ ludia sumpserit vnquam
Hos habitus?

*Cæterum de his ludis scribit Cicero in secunda Verrina:* Secundũ ludos Plebeios aut nulli aut pauci dies ad agendũ futuri sunt, *&c. Meminit T. Liuius,* Plebei, *inquiens,* ludi à M. Aurelio Cotta & M. Claudio Marcello ter instaurati sunt. *Et iterum alibi:* Eo metu compressi Hetrusci quieuerunt, Tarentinorum legatis pacem petentibus, cũ libertate ac legibus suis, responsum ab senatu est, vt redirent, cum Fabius consul Romam venisset. Ludi & Romani & Plebei eo anno in singulos dies instaurati. AEdiles curules fuere L. Cornelius Caudinus, & Seruius Sulpitius Galba: Plebeij, C. Seruilius & Q. Cecilius Metellus. *Idem:* Ludi Romani ter toti instaurati ab ędilibus curulib. Cneo Seruilio Cæpione, Ser. Cornelio Lentulo. Idem ludi plebeij instaurati semel toti ab ædilibus plebis M. Pomponio Mathone & Q. Manlio Thurino. *Et iterum:* Ludi Romani ter, plebei septies instaurati. *Ad hos ludos alludit Suetonius in Augusto dicẽs:* Etiam triuiales in circo ludos interponebant. *Ex quib. patet, in ludis Romanis Iouis epulum fuisse, ac simulachra portata, ac passim in cõpitis posita fuisse. vnde et Cõpitales ludi, siue Cõpitalitij dicebãtur: curasseq; liquet plebeios ludos ædiles plebis, vnde et curules eos ludos inclinãtis imperij authorib. nominari inuenio. Præterea compitales ludi, à cõpitis regionum vrbis dicebantur: vbi signa & Lares in mensis posita ornabantur.*

*Refert enim Macrobius primo Saturnal. Cõpitalia à Tarquinio Superbo*

*perbo conſtituta fuiſſe Laribus ac Maniæ matri deûm, quibus papaueris capitibus pro hominum capitibus ſupplicabant. Porphyrius Horatianus interpres refert, Lares & deos domeſticos ab Auguſto in compitis poſitos fuiſſe, & ex libertinis ſacerdotes datos, qui Auguſtales ſunt appellati. Huc pertinet illud Varronis: Cõpitalia dies attributi laribus ſunt, vbi viæ competunt. tum in compitis ſacrificatur, quotannis is dies concipitur. Porro compita ſub Larium tutela fuiſſe, hic verſus Naſonis primo Faſtorum oſtendit:*

Fitq; grauis, geminosq; parit, qui compita ſeruant,
Et vigilant noſtra ſemper in vrbe Lares:

*Tradit Dionyſius in quarto antiquitatum, templa iuſſu Seruij Tullij regis extructa fuiſſe in compitis omnibus, vbi anniuerſaria ſacrificia peragerentur, à ſeruis, tanquam ſeruile miniſterium Deo gratum eſſet. et ſi ſint nonnulli, qui Compitales ludos à Popularibus ſeparent, & mox poſt Saturnales celebrari ſolitos ſeorſim aſſeuerent.*

## DE SACERDOTALIBVS ET PONTIFIcalibus ludis, &c.

## XXVII.

*INuento & ludos quoſdam fuiſſe proprios muneribus, quemadmodum erant pontificales, ſacerdotales, & quæſtorij, de quorum primis Suetonius in Auguſto ſic ſcribit, cap. de ſpectaculis:* Athletarum vero ſpectaculo muliebrem ſexum omnem adeo ſubmouit, vt pontificalibus ludis pugilum par poſtulatum, diſtulerit in ſequentis diei matutinum tempus. *An vero hi fuerint, quorum Plinius libro 7. Epiſt. ſic meminit, non ſatis affirmare audeo:* Miraberis & ego miratus ſum, *inquit,* proximis ſacerdotalibus ludis, productis in commiſſione pantomimis. *Ex quib. colligitur, tales omnes fuiſſe gladiatorios vel ſcenicos, veluti Natalicij, Circēſesq; fuerunt. Nam quòd non ſolum in deſignatione Pontificum ſacerdotumque munera gladiatoria dabantur, verum etiam in auſpicijs quæſturæ præturæque, ex his verbis Suetonij in Domitiano colligitur.* Præterea quæſtorijs muneribus quæ olim omiſſa reuocauerat, ita ſemper interfuit, vt populo poteſtatem faceret bina paria è ſuo ludo poſtulandi, quæ nouiſſima aulico apparatu induceret. *Ita nimirum intelligitur, Claudium Cæſarem inſtituiſſe, vt ſpectaculum gladiatorium per omnes annos celebraretur pecunia illorum, qui quæſturam adipiſcerentur. Quin legimus & Gothicos ludos Romæ pridie Non. Febr. datos fuiſſe, per ſex dies continuos: Perſicos,* III. *Idus Maias, vsq; ad* VI. *Cal. eiuſdem: Fran-*

...;, Idibus Iulij: Alemannicos, III. Non. Octob. per VI. dies continuos: Ita rursus ludi Sarmatici VII. Cal. Nouembris, per VII. dies edebantur, de quibus Flauius Vopiscus in Carino sic scribit: Exhibuit & ludum Sarmaticum, quo dulcius nihil est: exhibuit cyclopem adornatum Græcis artificibus, & gymnicis, & histrionibus, & musicis, aurum & argentum donata, & vestis serica.

## DE LVDIS SATVRNALIBVS, &c. XXVIII.

Cum omnes tum hi inprimis ludi insolitam quandam lætitiam Romana in republica, cum summa licentia coniunctam præferebant: ac partim tempore quo celebrabantur, partim reb. quibus alter alteri illam lætificantē licētiam ostendebat, discriminabantur. Itaq; Saturnales ludi solenniaq; mense Decēbri edebantur, Sigillares ac Oscillares Ianuario, Lupercalia et Bacchanalia Februario. Quos ludos vno ceu fasce comprehendens Prudētius, 2. in Symmachum sic canit.

Aut hos Thyrsigeri rapit ad Dionysia Bacchi,
Illicit aut alios ad Saturnalia festa,
Aut docet occultus quæ sacra Diespiter infans
Inter tinnitus solui sibi poscat ahenos.
Iamque Lupercales ferulæ, nudique petuntur
Discursus iuuenum:-

In Saturnalibus quidem cœnationes frequentes inter amicos fiebant, quæ Apophoreta dicuntur, & strenæ mißitabantur: quod hodie apud nos Christianos etiā dum manet, à festo Natalitio, quod Decembri est, vsq; ad festum Epiphaniæ, quod in Ianuario celebratur. Quo tempore & nos conuiuamur crebrò, & strenas, hoc est (vt nos vocamus) noui anni donaria mißitamus, quæ omnia non aliunde quam à Romana republica ad nos defluxerunt. In qua etiam mox in eodem Ianuario Sigillares & Oscillares, & occellati ludi paßim in domibus, priuatim intra familias, non publicè exercebantur: hoc est, ciues sigilla, quæ erant parua simulachra ærea, argenteaq;, mutuo donabant. Qui vero ruri erant in villis, oscilla, hoc est ossa, quibus oculi erant insculpti, veluti apud nos in tesserulis est receptum, mutuo donabant. Hæc vero omnia, etiam dum eodem in mense Ianuario, nostraq; Christiana in rep. manent: nimirum veteris illius reip. quædam quasi reliquiæ. Haud aliter mutationes vestimētorū eo tempore, quam apud Romanos quondam vsurpantur, vicinique ad vicinos inuitati hac ratione commeant, quod nos hodie nostra lingua nimirum, à Latina voce mutare, Mumerey/ appellamus: quibus etiam, qui

*qui ita laruati vicinos suos salutant, occilla & oscilla secum deferunt, & ita pecuniam extorquent: vernaculo sermone* Vmbschantz *dicimus. Eadem ratione manserunt & Lupercalia, & Bacchanalia, eodem Februario mense, quo passim insanitur, non minus atq; à Lupercis olim: atque id non quidem priuatim, vt in Saturnalib. sed publice quoq; per vicos & plateas, sub finem potissimum eius mensis exercetur: quam lasciuientem insaniam vulgo Fastnachtram, & Raschangum nuncupamus. Ita veterum consuetudinum solenniorumque reliquiæ, ac saltem imagines quædam illius magnificæ reipublicæ nobis manserunt: quæ nobis illam celebrem rempublicam Romanorum non ineptè repræsentant, & veterib. authoribus lucem rectè adijciunt. Atq; hæc de reliquijs Saturnalium, quantum nobis adhuc ex republica superest. Redeo ad ipsa Saturnalium veterum exordia; quæ nemo melius quàm Herodianus libro primo describit:* Cæterum ipsum quoq;, *inquit,* desinere aliquando ab sua vecordia, & ciuitatem tyrannide liberari oportebat, idq; anno ineunte, quem diem Romani festum agunt, ad Ianum vetustissimum Italiæ deum referentes: cuius etiam Saturnum ipsum ab Ioue filio pulsum fuisse hospitem prædicant, & quod ibi latuisset, nomen Latio inditum. Quocirca etiam Romani Saturnalia prius, deinde verò initium anni more suo concelebrant. Estque eius dei biceps imago, vt à quo incipit, & in quem desinit annus. Cum igitur hunc diem festum ciuitas agitaret, & in quo Romani inuicem se colunt, salutantq;, & numismata alter alteri, cæteraq; omnifariam munera missitant, summique magistratus conspicuam sibi & solennem purpuram induūt, vniuersis diem concelebrantibus: statuit Commodus, non quidem ex imperatorijs (vt mos erat) ædibus, sed ex ipso gladiatorio ludo prodire in publicum, ac pro eleganti vestitu purpuraque imperatoria procedere armatus, deducente gladiatorum agmine, in conspectum Romani populi. *hæc ille. vbi clam alludit ad Apophoreta & strenas, cum dicit, inuicem se colunt, consalutantq;, & numismata alter alteri cæteraq; omnifariam munera missitant. & Apophoreta quidem erant solennes in Saturnalibus cœnationes, quibus se mutuo excipiebant, & in quib. muneribus certabāt. Hinc est illud Suetonij in Caligula:* Prasinæ factioni ita addictus & deditus, vt cœnaret in stabulo assiduè; & maneret, agitatori Euticho cōmessatione quadā in apophoretis vicies sestertium cōtulit. *Et iterum in Vespasiano:* Sicut Saturnalibus, *inquit*, dabat viris apophoreta, ita & Cal. Martij fœminis. *De strenarum solennitate extat epistola apud Symmachum, vrbis præfectum libro primo ad Theodosium & Archadium Augustos:* Calendas anni auspices quibus mensium recursus

aperitur, impertiendis strenis dicauit antiquitas. DD. Imperatores Theodosi & Archadi, inclyti victores, semper Augusti, huius instituti vsum munificentiæ festinatione præuertitis, seram putantes liberalitatem, quæ statis temporibus admouetur. *Et iterum in alia epistola ad eosdem:* Ab exortu penè vrbis Martiæ strenarum vsus adoleuit autoritate Tatij regis, qui verbenas filicis arboris ex luco treniæ anni noui auspices primus accepit. DD. Imperatores. Nomen indicio est, viris strenuis hæc conuenire, ob virtutem: atq; ideo vobis huiusmodi insigne deberi, quorum diuinus animus magis testimonium vigilantiæ, quàm omen expectat. Sumite igitur defensores publicæ salutis solenniter auro ducta munuscula, nō quia diuitis metalli honore gaudetis, sed vt nostra deuotio felicis seculi testetur opulentiam. Bonis principibus bene parta libemus: suscipite à iudicibus aperta obsequia, qui precia occulta damnatis. Meritò vobis solennes pateras cum quinis solidis, vt numinibus integratis offerimus: quibus nec vester pudor, nec noster census oneratur. *Ex quibus liquet, & inclinante imperio sub Archadio & Honorio, Saturnales ludos fuisse Reipublicæ Romanæ: & moris præterea fuisse in strenis mißitandis, vt inferior ditiori mitteret. Porrò Martialis scripsit duo volumina, vnum Apophoretorum, alterum Xeniorū: qui poeta versus pro xenijs, patronis suis transmisit. Vnde est illud eiusdem epigramma, libro decimo tertio:*

Omnis in hoc gracili xeniorum turba libello,
Constabit nummis quatuor empta tibi.

*Præterea erat mos in Saturnalibus, vt serui sumerent vestitus dominorum, & econtrà domini seruorum: quæ adhuc hodie in anni auspicio consuetudo manet, vocabaturque talis mutata vestis illis Synthesis, quam hodie à mutādo* Mumerey *dicimus. Meminit Lucianus in Dialogo quem* χρονοσόλων *inscripsit, & Macrobius in Saturnalitijs. Et sic est intelligendum illud Suetonij, cum Neronem synthesiatum discalciatumq́ fuisse per lasciuiam prodit. Huc alludit & Epigrammatarius:*

Dum toga per quinas gaudet requiescere luces,
Hos poteris cultus sumere iure tuo.
Synthesibus dum gaudet eques, dominusq́; senatus
Atq; decent nostrum pilea sumpta Iouem.

*Atq; illam vestium mutationem ab Hercule defluxisse, ostendit Naso lib. 2. Fastorum, vbi Fauni sacra, q̄ sunt Lupercalia, describit, quo pacto cum Hercules cum Lyda puella in sacris Bacchi vestē mutasset, Faunus qui deperibat puellam, in antro obscuro, nocte comprimere cum puellam vellet, in Herculem vestitum, quē mentita scilicet mulier erat,*

*incide-*

*inciderat, & pudefactus aufugerat: ſed ipſum ingenioſiſsimum poetam audiamus:*

Sed cur præcipue fugiat velamina Faunus,
Traditur antiqui fabula plena ioci.
Fortè comes dominæ iuuenis Tirynthius ibat,
Vidit ab excelſo Faunus vtrunque loco.
Vidit, & incaluit: montanaque numina, dixit,
Nil mihi vobiſcum eſt, hic meus ardor erit.
Ibat odoratis humeros perfuſa capillis
Mæonis, aurato conſpicienda ſinu.
Aurea pellebant tepidos vmbracula ſoles,
Quæ tamen Herculeæ ſuſtinuere manus.
Iam Bacchi nemus & Tmoli vineta tenebat,
Heſperus & fuſco roſcidus ibat equo.
Antra ſubit tophis laqueata & pumice viuo,
Garrulus in primo limine riuus erat.
Dumq; parant epulas, potandaque vina miniſtri,
Cultibus Alciden inſtruit illa ſuis.
Dat tenues tunicas Getulo murice tinctas,
Dat teretem Zonam, qua modo cincta fuit:
Ventre minor Zona eſt, tunicarum vincla relaxat,
Vt poſſet magnas exeruiſſe manus.
Fregerat armillas non illa ad brachia factas,
Scindebant magni vincula parua pedes.
Ipſa capit clauamque grauem, ſpoliumque leonis,
Conditaque in pharetra tela minora ſua.
Sic epulis functi, ſic dant ſua corpora ſomno,
Et poſitis iuxta ſecubuere thoris.
Cauſa, repertori vitis quia ſacra parabant,
Quæ facerent purè, cum foret orta dies.
Noctis erat medium (quid non amor improbus audet?)
Roſcida per tenebras Faunus ad antra venit.
Vtque videt comites ſomno vinoque ſolutos,
Spem capit, in dominis eſſe ſoporis idem.
Intrat, & huc illuc temerarius errat adulter,
Et præfert cautas ſubſequiturque manus.
Venerat ad ſtrati captata cubilia lecti,
Et felix prima ſorte futurus erat.
Vt tetigit fului ſetis hirſuta leonis
Vellera, pertimuit, ſuſtinuitque manus.

Attonitusq; metu redijt: ceu sæpe viator
Turbatum viso rettulit angue pedem.
Inde thori, qui iunctus erat, velamina tangit
Mollia, mendaci, decipiturque nota.
Ascendit, spondaque sibi propiore recumbit,
Et tumidum cornu durius inguen erat.
Interea tunicas ora subducit ab ima,
Horrebant densis aspera crura pilis.
Cætera tentantem cubito Tirynthius Heros
Reppulit, & summo decidit ille thoro.
Fit sonus, & comites inclamat, lumina poscit
Mæonis, illatis ignibus acta patent.
Ille gemit, lecto grauiter deiectus ab alto,
Membraque de dura vix sua tollit humo.
Ridet & Alcides, & qui videre iacentem:
Ridet amatorem Lyda puella suum.
Veste deus lusus, fallentes lumina vestes
Non amat, & nudos ad sua sacra vocat.

*Cæterum Saturnalium solennia sub Decembris præcipuè finem celebrabantur, aliquando vno die, aliquando tribus, quinque, & pluribus diebus. Hinc est illud Suetonij in Caligula:* Nō edictis inhiberi luctus publicus potuit, durauitque etiam per festos Decembris mensis dies. *Sic & ille Epigrammatarij versus intelligitur:*

Septem Saturni venerat ante dies.

Vide hic cultissimū Lipsium libro primo Saturnaliorū suorū.

*Atqui nec illud silentio transeundum, hunc ludum vtriq; fuisse sexui communem, vt adhuc hodie manet. Verùm mulieres hac se ratione Calend. Martiis vestiebant, quod Calend. Ianuariis viris erat proprium. Sunt qui ab Hersilia, quæ seditionem in raptu Sabinarum cōpescuerat, hunc morem ad fœminas defluxisse arbitrentur. De quo Tranquillus in Vespasiano ita scribit:* Sicut Saturnalibus viris dabat apophoreta, ita & Calend. Martijs fœminis.

*Venio nunc ad sigillares ludos, qui & ipsi pars siue species erant Saturnaliorum, à genere muneris quod donabatur, sic appellati: videlicet sigillis, id est, paruis signis, siue simulachris, quæ ex ære partim, argentoq; & auro, item fictili materia in hūc vsum conflabantur, quæ solebant conferre in sacellum Ditis aræ, quæ Saturni aræ cohærebat. Meminit Tranquillus in Claudio:* Tiberius patruus, *inquit*, petenti honores, cōsularia ornamenta detulit Sed instantius legitimos flagitanti, id solū codicillis rescripsit, XL. aureos in Saturnalia & sigillaria misisse ei. *Spartianus in historia Adriani:* Saturnalitia & sigillaritia frequenter

amicis inopinantibus miſit, & ipſe ab his libenter accepit, & alia inuicem dedit. *Idem in vita Caracallæ*: Quæ à parentibus gratia ſigillariorum acceperat, ea vel clientibus vel magiſtris ſponte donauit. *Huc pertinet & illud Senecæ libro 1 Epiſtolarum*: Ego ſum Felicio cui ſolebas ſigillaria offerre. *Flauius Vopiſcus tradit Aurelianum inſtituiſſe vxori & filiæ annulum ſigillaritium. Cæterum originem ſigillariorum Macrobius libro primo Saturnalium in hac verba repetit*: Epicadus refert *(inquit)* Herculem occiſo Geryone, cum victor per Italiam armenta duxiſſet, ponte qui nunc Sublicius dicitur, ad tempus inſtructo, hominum ſimulachra pro numero ſociorum, quos caſu peregrinationis amiſerat, in flumen demiſiſſe, vt aqua ſecunda in mare deuecta, pro corporibus defunctorum veluti patrijs ſedibus redderentur: & inde vſum talia ſimulachra figendi inter ſacra manſiſſe. *Idem Macrobius decimo capite ſcribit: in his ſigilla, id eſt, parua ſigna miſsitabant amici, vt in Saturnalibus cereos. Et ſic intelliguntur verſus Martialis in Apophoretis:*

Gloria tam parui non eſt obſcura ſigilli,
Sum fragilis, ſed tu moneo ne ſperne ſigillum.

*Et quia cereorum facta eſt mentio à Macrobio, quod in Saturnalibus mutuo ab amicis & vicinis mitti ſint ſoliti: ſubit mentem ea conſuetudo, quam quidam etiamdum in feſto Purificationis diuæ Virginis obſeruant, quæ non multum vel tempore vel ritu diſtat à ſigillaribus: Erant igitur trium generum Romanis publice vſurpatæ faces, in parentationibus, in Saturnalibus, & in nuptijs. ad quod diſcrimen alludit Ouidius ſecundo Faſtorum*:

Dum tamen hæc fiunt, viduæ ceſſate puellæ:
Expectet puros pinea tæda dies.
Nec tibi, quæ cupidæ matura videbere matri,
Comat virgineas haſta recurua comas.
Conde tuas Hymenæe faces, & ab ignibus atris
Aufer: habent alias mœſta ſepulchra faces.

*Et hactenus de ſigillaritijs, qui celebrabantur decima ſexta Calend. Decembris. Supereſt, vt etiam de reliquis ritibus Saturnaliorum dicamus, hoc eſt, tibicinibus, oſcillorum, occellatorum, & caſtellatorum ludis, & baſilindis, qui pueriles erant, & huic præcipuè ætati in Saturnalibus proprij.*

TIBICINVM *feſtiuitas ac laſciuia Idibus Ianuarijs incipiebat, quando multa licētia atque laſciuia, muliebri habitu per vrbem curſitabant. cuius conſuetudinis vmbra quædam ad nos peruenit. Nam & hodie circa feſtum Epiphaniæ tibicines ac cantores diuitum ædes ingredi, ac*

pro

*pro strenis canere assolent, laruatis quibusdam ductoribus. Ad huiusmodi tibicinum festiuitatem, vt hodieq; esse solet in recordationibus noui anni, alludit Liuius libro nono Decadis primæ:* Equidem rem dictu paruam præterirem, nisi ad religionem visa esset pertinere. Tibicines quia prohibiti à proximis censoribus erant in æde Iouis vesci, quod traditum antiquitus erat, ægre passi, Tibur vno agmine abierunt, adeò vt nemo in vrbe esset qui sacris præcineret. cuius rei religio tenuit senatum, legatosq; Tibur miserunt, vt darent operam, vt hi homines Romanis restituerentur. Tiburtini benignè polliciti, primum accitos eos in curiam, adhortati sunt vt reuerterentur Romam. Postquam perpelli nequibant, consilio haud abhorrente ab ingenijs hominum, eos adgrediũtur. die festo alij alios, per speciẽ celebrandarũ cantu epularũ causa inuitant, & vino (cuius auidum id fermè genus est.) oneratos sopiunt, atque ita in plaustra somno victos conijciunt, ac Romam deportant. Nec prius sensere, quam plaustris in foro relictis, plenos crapulis eos lux oppressit. Tunc concursus populi factus, impetratoque vt manerent, datum vt triduum quotannis ornati cum cantu, atque hac quæ nunc solennis est licentia per vrbem vagarentur, restitutumque in æde vescendi ius ijs qui sacris præcinerent.

CHARISTIA *sexto Calend. Februarii inter cognatos celebrabantur, symposium erat, & fere Bacchanaliorum instar cum largo vino, vt hodie adhuc is apud nos in solennitate ante stultorum solennia mos durat. quem his verbis describit secundo Fastorum Naso:*

Proxima cognati dixere charistia chari,
    Et venit ad socios turba propinqua deos.
Scilicet à tumulis, & qui periere propinquis
    Protinus ad viuos ora referre iuuat.
Postq; tot amissos, quidquid de sanguin[e] [r]estat
    Aspicere & generis dinumerare gradus.
Innocui veniant, procul hinc procul impius esto
    Frater, & in partus mater acerba suos.
Cui pater est viuax, qui matris digerit annos,
    Quæ premit inuisam socrus iniqua nurum.
Tantalidæ fratres absint, & Iasonis vxor,
    Et quæ ruricolas semina tosta dedit.
Et soror, & Progne, Tereusque duabus iniquus,
    Et quicunque suas per scelus auget opes:
Dijs generis date thura boni, concordia fertur
    Illo præcipuè mitis adesse die.

Et liba-

Et libate dapes, vt grati pignus amoris
Nutriat intinctos miſſa patella cibos.
Iam tibi ſuadebit placidos nox humida ſomnos,
Larga precaturi ſumite vina manu.
Et bene nos, bene tu patriæ pater optime Cæſar,
Dicite, ſuffuſo per ſacra verba mero.

OSCILLARES *ludi erant, cum oſsiculis oſſeisque vel fictilibus paruis imagunculis pueri ludebant, qui adhuc apud nos mos tenet. Ad quas alludit Maro hoc verſu:*

Oſcilla ex alta ſuſpendunt mollia quercu.

*Sunt vero & teſſerulæ oſcilla, quibus licebat impune in hac ſolennitate omnibus ludere.* OCCELLATI *autem ludi, hoc eſt, cum nucibus vel alia materia oculis pictis luderetur, meminit Suetonius in Auguſto:* Animi laxãdi cauſa modo piſcabatur hamo, modo talis, aut occellatis nucibus ludebat, cum pueris minutis, quos facie & garrulitate amabiles vndique conquirebat, præcipuè Mauros & Syros. *Deniq; Caſtellati ludi erãt, cum caſtella pueri chartis efficerent, qui adhuc mos in ea ætate manet,* **Wann die Knäble von Karten/ Heuſer/ Thürn/ oder Schlöſſer machen.** *Meminit Julius Capitolinus in Galieno, hunc referens de pomis caſtella compoſuiſſe. His addenda ſunt ſimilia ludicra in Saturnalibus fieri ſolita, & inclinante primum Imperio, ſub Iuſtiniano præcipuè in Græcia vſurpata.*

BASILINDA, *quorum Iulius Pollux meminit, lib. nono Onomaſticon. Sed lib. 3. Cod. Juſtiniani Imp. legitur falſo Regindatia. Erat autem hic luſus, cum aliquis ſorte factus rex, aliquid laborioſum miniſtro imperat, qui ſorte pariter obtigerat, quod nobis Germanis adhuc extat, vulgo,* **Herr ich dienet euch gern.** *Sic Repyſtria ludus latrunculorum erat, pro quo perperam legitur eodem lib. 3. Cod. Reypuſara. Atque hactenus de puerilibus ludicris, in Saturnalitio ſolenni adhibitis. Supereſt vt reliquos ritus qui proprie Saturnalia ſub finem Februarij excipiebant, expediam. Erant autem Lupercalia & Bacchanalia. Quorum in alteris, puta* LVPERCALIBVS *homines nudi diſcurrebant, tamquam inſanirent. Vnde Cicero M. Antonium inſectatur, quod in lupercalibus, quibus ſedebat Cæſar amictus toga purpurea, in ſella aurea coronatus, ſe lupercum exhibuerit: & nudus, vnctus, ebrius, inſectante populo Romano, concionatus ſit, capitiq; Cæſaris diadema imponere cum omnium luctu tentauerit. Ad huiuſmodi Lupercalia alludit Maro octauo Æneidos:*

Vix ea dicta, dehinc progreſſus, monſtrat & aram,
Et Carmentalem Romano nomine portam:
Qua memorant nymphæ priſcum Carmentis honorem

Vatis fatidicæ, cecinit quæ prima futuros
Aeneadas magnos, & nobile Pallantæum.
Hinc lucum ingentem, quem Romulus acer Asylum
Rettulit, & gelida monstrat sub rupe Lupercal,
Parrhasio dictum Panos de more Lycæi.

*Quo in loco Landinus, Lupercalium originem repetens, ita scribit ex Dionysio in Antiquitatibus Rom.* Euandrũ ex Pallantio vrbe, *inquit,* Arcadię in Italiam venisse, sexaginta annis ante res Troianas: creditumq; esse Mercurij filium, & Nymphæ cuiusdam Arcadiæ incolę, quam Græci quidem Themin esse dicunt, deiq; patientem siue fatidicam demonstrant. Qui verò Romanas scripserunt origines, lingua eam patria Carmentam dixere, quia ventura carmine prędiceret. Quò autem duxit, venerunt: quoniam dissidente populo, pars inferior viribus vltro excessit: receptusq; est liberaliter à Fauno rege Aboriginum, pronepote, vt aiunt, Martis: atq; ab eo data est portio agri, quantã voluerunt Arcades, qui pauci erant: hiq; elegerunt, præmonstrante Carmenta, collem Tyberi vicinum, paruumq; in eo oppidum condiderunt, appellantes Palantium, à metropoli eorũ in Arcadia: construxerunt quoq; isthic, admonẽte eos Carmenta, templum Pani Lycæo Arcadi, deo vetustissimo, in loco quẽ Romani Lupercal, nos Lycæum dicimus. Erat aũt antiquitus (vt dicitur) antrum magnum sub colle, arbusto denso contectũ, & fontes sub petris profundi, adhærensq; rupibus saltus crebris arboribus, & quidem magnis opacus: vbi ara deo cõstructa, sacrificia patria perficiebant: quæ etiam nunc Romani sacra perficiunt mense Februario, cum zona pellis caprinæ discurrentes, prægnantium fœminarũ dexteras ad facilem partum verberant. *Alludit ad huiusmodi Lupercalium ludos, eorumq; originem Naso 2. Fast. hoc eleganti carmine:*

Tertia post Idus nudos Aurora Lupercos
  Aspicit, & Fauni sacra bicornis erunt.
Dicite Pierides, sacrorum quæ sit origo,
  Attigerint Latias vnde petita domos.
Pana deum pecoris veteres coluisse feruntur
  Arcades, Arcadijs plurimus ille iugis.
Testis erit Pholoe, testes Stymphalides vndæ,
  Quiq; citis Ladon in mare currit aquis.
Cinctaque pinetis nemoris iuga Nonacrini,
  Altaque Træzene, Parrhasiæque niues
Pan erat armenti, Pan illic numen aquarum,
  Munus ob incolumes ille ferebat oues.

Transtu-

Tranſtulit Euander ſylueſtria numina ſecum.
Hic vbi nunc vrbs eſt, tunc locus vrbis erat.
Inde Deum colimus, deuectaque ſacra Pelaſgis,
Flamen ad hæc priſco more dialis erat.
Cur igitur currant, & cur ſic currere mos eſt,
Nuda ferant poſita corpora veſte, rogas?
Ipſe Deus velox diſcurrere gaudet in altis
Montibus, & ſubitas concitat ipſe feras.
Ipſe Deus nudus, nudos iubet eſſe miniſtros,
Nec ſatis ad curſus commoda veſtis erat.
Ante Iouem genitum terras habuiſſe feruntur
Arcades, & luna gens prior illa fuit.
Vita feris ſimilis, nullos agitata per vſus,
Artis adhuc expers, & rude vulgus erat.
Pro domibus frondes norant, pro frugibus herbas,
Nectar erat palmis hauſta duabus aqua.
Nullus anhelabat ſub adunco vomere taurus,
Nulla ſub imperio terra colentis erat.
Nullus adhuc erat vſus equi, ſe quiſq; ferebat,
Ibat ouis lana corpus amicta ſua.
Sub Ioue durabant, & corpora nuda gerebant,
Docta graues imbres, & tolerare notos.
Nunc quoque detecti referunt monimenta vetuſti
Moris, & antiquas teſtificantur opes.

*Repetit & tertiam originem à Romulo, à cuius matre Lupa etiam Lupercalia nomen habent:*

Adde peregrinis cauſas mea Muſa Latinas,
Inque ſuo noſter puluere currat equus.
Cornipedi Fauno cæſa de more capella,
Venit ad exiguas turba vocata dapes.
Dumque ſacerdotes verubus transfixa ſalignis
Exta parant, medias ſole tenente vias:
Romulus & Frater, paſtoraliſque iuuentus,
Solibus & campo corpora nuda dabant.
Cæſtibus & iaculis, & miſſo pondere ſaxi
Brachia per luſus experienda dabant.
Paſtor ab excelſo, per deuia rura iuuencos,
Romule prædones, & Reme, dixit, agunt.
Longum erat armari: diuerſis exit vterque
Partibus, occurſu præda recepta Remi eſt.

Vt rediit, verubusque stridentia detrahit exta,
Atque ait, Hæc certè non nisi victor edet.
Dicta facit, Fabiiique simul. venit irritus illuc
Romulus, & mensas, ossaque nuda videt.
Risit, & indoluit, Fabios potuisse Remumque
Vincere, Quintilios non potuisse suos.
Fama manet facti, positoque velamine currunt,
Et memorem famam, qui bene gessit, habet.
Forsitan & quæras, cur sit locus ille Lupercal,
Quæve locum tali nomine causa notet.
Syluia Vestalis cœlestia semina partu
Ediderat, patruo regna tenente suo.
Is iubet auferri paruos, & in amne necari,
Quid facis? ex illis Romulus alter erat.

*Et quæ sequuntur de Lupa nutriente Romulum & Remum. Causam quoque stultitiæ in Lupercalibus reddit idem Ouidius 2. Fastorum:*

Lux quoq; cur eadem stultorum festa vocetur,
Accipe: parua quidem causa, sed apta subest.
Non habuit doctos tellus antiqua colonos,
Lassabant agiles aspera bella viros.
Plus erat in gladio, quàm curuo laudis aratro,
Neglectus domino pauca ferebat ager.
Farra tamen veteres iaciebant, farra metebant,
Primitias Cereri farra resecta dabant.
Vsibus admoniti flammis torrenda dederunt,
Multaque peccato damna tulere suo.
Nam modo verrebant nigras pro farre fauillas,
Nunc ipsas ignes corripuere casas.
Facta dea est fornax: læti fornace coloni
Orant, vt fruges temperet illa suas.
Curio legitimis tunc Fornacalia verbis
Maximus indicit, nec stata sacra facit.
Inque foro multa circumpendente tabella,
Signatur certa curia quæque nota.
Stultaque pars populi, quæ sit sua curia nescit,
Sed facit extrema sacra relicta die.

*Huiusmodi stultitiæ reliquiæ ad nos Christianos venere: & sic patet, quamobrem sub finem Februarii insaniamus adhuc Christiani, quæ solennia Vasthangum appellant: quod tamen à nostro instituto alienissimum esse debet.*

BACCHANALIA *alia Martio, alia in vindemia celebrabantur, inter initia Septembris: & aliquando alio anni tempore, & quidem priuatim ceu sacrum quoddam. quæ quidem* XVII. *&* XVI. *Calen. Mart. celebrabantur, potu vini vberiori solennitas complebatur. Vnde scribit Tacitus libro 11. cum Messalinam Claudio Cæsare marito absente introducit ludicrum tale, vt tegeret adulterium, celebrasse:* At Messalina, *inquit,* non aliàs solutior luxu, adulto autumno simulachrum vindemiæ per domum celebrabat, vrgeri præla, fluere lacus, & feminæ pellibus accinctæ assultabant, vt sacrificantes vel insanientes Bacchæ. Ipsa crine fluxo thyrsum quatiens, iuxtaque Silius hædera vinctus, gerere cothurnos, iacere caput, strepente circum procaci choro. *Describuntur tales etiam ludi cum sacris Bacchi à Tito Liuio libro nono Decadis quartæ:* Via vna corruptelæ, *inquit,* Bacchanalium erant; mater adolescentem appellat, se pro ægroto vouisse: vbi primùm conualuisset, Bacchis eum se initiaturam. damnatam voti, deûm benignitate exoluere id velle; decem dierum castimonia opus esse: decimo die cœnatum, deinde purè lautum in sacrarium deducturam. *Et subdit:* Eo magis mirabundo, quærentique quid rei esset, pacem veniamque precata, deorum dearumque, si coacta charitate eius silenda enunciasset: ancillam se ait dominæ comitem, id tum sacrarium intrasse: liberam nunquam eò accessisse: scire corruptelarum omnis generis eam officinam esse: & iam biennio constare neminem ibi initiatum, maiorem annis viginti. Vt quisque introductus sit, veluti victimam tradi sacerdotibus, eos deducere in locum, qui circumsonet vlulatibus, cantúque symphoniæ, & cymbalorum, tympanorumque pulsu: ne vox quiritantis, cum per vim stuprum infertur, exaudiri possit. Orare deinde, atque obsecrare, vt eam rem quocunque discuteret modo: nec se eò præcipitaret, vbi omnia infanda patienda primùm, deinde facienda essent, neq; ante dimisit eum, quàm fidem dedit adolescens, ab his sacris se temperaturum. *hæc ille. Porrò liberalia, à Libero puto esse dicta, in quibus etiam Annæ Perennæ sacra fiebant, cum largioribus poculis, quorum originem Naso describit tertio Fastorum:*

Hæc quoque quam referam, nostras peruenit ad aures
　Fama, nec à veri diffidet illa fide.
Plebs vetus, & nullis etiam tunc tuta tribunis,
　Fugit, & in sacri vertice montis erat.
Iam quoque quem secum tulerant, defecerat illos
　Victus, & humanis vsibus apta Ceres.

Orta suburbanis quædam fuit Anna bouillis
    Pauper, sed multæ sedulitatis anus.
Illa leui mitra canos incincta capillos,
    Fingebat tremula rustica liba manu.
Atque ita per populum fumantia mane solebat
    Diuidere, hæc populo copia grata fuit.
Pace domi facta, signum posuere Perennæ,
    Quod sibi defectis illa ferebat opem.

*Et morem describens, ceremoniasq; in his vsurpatas, ita canit:*

Idibus est Annæ festum geniale Perennæ,
    Non procul à ripis aduena Tybri tuis.
Plebs venit, ac virides passim disiecta per herbas,
    Potat, & accumbit cum pare quisque sua.
Sub Ioue pars durat, pauci tentoria ponunt:
    Sunt quibus è ramis frondea facta casa est.
Pars ibi pro rigidis calamos statuere columnis,
    Desuper extentas imposuere togas.
Sole tamen, vinoq; calent, annosq; precantur,
    Quot sumunt cyathos, ad numerumq; bibunt.
Inuenies illic, qui Nestoris ebibat annos,
    Quæ sit per calices facta Sibylla suos.
Illic & cantant quicquid didicere theatris,
    Et iactant faciles ad sua verba manus:
Et ducunt posito duras cratere choreas,
    Cultaq; diffusis saltat amica comis.
Cum redeunt, titubant, & sunt spectacula vulgi,
    Et fortunatos obuia turba vocat.
Occurrit, nuper visa est mihi digna relatu
    Pompa, senem potum pota trahebat anus.

## DE LVDIS SCENICIS. XXIX.



*Onstat vel ex nomine, hos doctorum certamina ludos fuisse, cũ vel tragœdias, vel comœdias, vel poemata poetæ in spectaculum vulgi doctorumque iudicium vocabant, loco opaco atque vmbroso, qui Græcis σκηνὴ, ἀπὸ τῆς σκιᾶς dicebatur. Primis namque temporibus scena parietem non habebat, sed è frondibus, qui tales ludos, comœdias aut tragœdias dabant, vmbracula quærebant. Postea vero & numero & diuitijs aucta Romana Republica, tabulata componi cœpta sunt, parietibus clausa, hoc est, theatra & amphitheatra, in quibus pegmata*

*mata erant, & tabernacula ſcenopegia dicta, vnde perſonæ prodibant. Frons quoque theatri, vbi ſcena erat, pluribus contignationibus erat conſtructa: in quibus hiſtriones recitabant, mimi, mirmillones, & cæteri ludij varios ludos ac geſticulationes edebant. Quare ſcenam definiens Placidus Grammaticus ſcribit, eſſe cameram hinc inde compoſitam, quæ in vmbræ locum in theatro erat, in quo ludi actitabantur. Porro methaphoricè ſcena etiam actio ipſa vel carminis compoſitio dicebatur, quæ digna eſſet agi in theatro. Hinc tria diſtinguuntur ſcriptoribus rerum, ſcenarum genera, tragicum, comicum, & ſatyricum. Tragica quidem ſcena, ſignis & regalibus rebus ornabatur: comica ædificiorum priuatorum habebat ſpeciem: ſatyrica arboribus, ſpeluncis & rebus agreſtibus erat referta. Porro ad ſcenicas operas olim nemo niſi ignominioſi adhibebantur: quique operas ſcenis locabant, à cenſoribus notabantur. Hinc Scipio in ſomnio apud Ciceronem, quum artem ludicram ſcenamque totam in probro Romani ducerent, genus id hominum tribu amoueri notatione cenſoria voluerunt. quemadmodum & a Iureconſultis libro ſecundo ff. titulo ſecundo, hoc genus hominum infamia etiam notatur: præcipue vero in l. quod ait prætor. eodem titulo, ex autoritate Labeonis. Cæterum quod in ludis ſcenicis non ſolum Comœdiæ, Tragœdiæ, Satyræque edebantur, verum etiam inter ſe poetæ carmine ſcripto, & coram recitato, ſub Iudicibus certabant, oſtendit Plinius libro 7. Epiſtolarum.* Miraberis, *inquit,* & ego miratus ſum, proximis Sacerdotalibus ludis productis in commiſſione pantomimorum. *Alludit ad hoc & Suetonius in Caligula*: Edidit & peregrè ſpectacula: in Sicilia Syracuſis Atricos ludos, & in Gallia Lugduni miſcellos. Sed & certamen quoq; Græcæ Latinæq; facundiæ, quo certamine ferunt victoribus præmia victos contuliſſe, eorundem & laudes componere coactos. Eos autem qui maximè diſplicuiſſent, ſcripta ſua ſpongia linguáue delere iuſſos, niſi ferulis obiurgari, aut flumine proximo mergi maluiſſent. *Idem in Auguſto:* Componi tamen aliquid de ſe, niſi & ſerio & à pręſtantiſſimis, offendebatur: admonebatq; pretores, ne paterentur nomen ſuum commiſſionibus obſoleſieri. *Huc pertinet illud Macrobij lib. 2. Saturnal.* Sed & Laberius ſequenti ſtatim commiſſione, mimo nouo interiecit hos verſus, &c. *Porro cõmiſſiones, ipſa certamina poetarum in ſcenicis dicebantur. Quare legimus, Papinium Statium in poetica cõmiſſione fuiſſe coronatum. Quanquam vero ſcenici in theatris propriè edebantur, quemadmodum & Pompeius legitur, theatrum gradibus in hoc alijsq; rebus exornaſſe, ad ſimilitudinem theatri Mitylenæi: tamen conſtat hos interdum & per regiones vrbis atque vicatim celebratos.*

*quod*

*quod ex locis Suetonij confirmari potest, qui in Iulio Dictatore nominatim scribit:* Edidit spectacula varij generis, munus gladiatorium, ludos etiam regionatim vrbe tota & quidem per omnium linguarum histriones, nõ in foro modò, nec amphitheatro, sed in circo & in septis. *hæc ille. Iam superesset, vt scenicorum ludorum discrimina recenseremus: sed placet & authorum prius de his in genere suffragia audire. Quorum primus Titus Liuius libro 1. Decadis 4. huius ludicri his verbis meminit:* Creati coss. Publius Sulpitius Galba, Caius Aurelius Cotta: prætores exinde facti Quintus Minutius Rufus, Lucius Furius Purpureo, Quintus Fuluius Gillo, Cn. Sergius Plancus. Ludi Romani scenici eo anno magnificè apparateq; facti ab ædilib. curulibus L. Valerio Flacco, & T. Quintio Flaminio, biduum instaurati sunt. *Et iterum lib. 2. Decad. 5.* Fuluius ædem Fortunæ equestris, quam proconsul in Hispania, dimicans cum Celtiberorum legionibus, vouerat, annos sex postquam vouerat, dedicauit. Et scenicos ludos per quatriduum in circo fecit. *Ad hos alludit & Herodianus lib. 5. historiæ Augustæ, loquens de Antonino Heliogabalo:* Fecit & in suburbano templum maximum ac magnificentissimum, in quod anno vertente deum suum adulta iam æstate deducebat: ludisq; curulibus & scenicis, epulisque & peruigilijs populum à se oblectari arbitrabatur. *Originem autem horum scenicorum ludorum describit Liuius lib. 7. Dec. 1. cum de graui pestilentia loquens, ait:* Et cũ vis morbi nec humanis consilijs, nec ope diuina leuaretur, victis superstitione animis, ludi quoq; scenici, noua res bellicoso populo (nã circi modò spectaculum fuerat) inter alia cœlestis irę placamina instituti dicuntur. Cæterum parua quoque (vt fermè principia omnia) & ea ipsa peregrina res fuit: sine carmine vllo, sine imitandorum carminũ actu, ludiones ex Hetruria acciti, ad tibicinis modos saltantes, haud indecoros motus more Thusco dabant. imitari deinde eos iuuentus simul inconditis inter se iocularia fundentes versib. cœpere: nec absoni à voce motus erant. Accepta itaq; res, sæpiusq; vsurpando excitata: vernaculis artificibus, quia hister Thusco verbo ludio vocabatur, nomen histrionibus inditum: qui non sicut Fescennino versu, similem incompositum temerè, ac rudem alternis iaciebant: sed impletas modis satyras, descripto iã ad tibicinem cantu, motuque congruenti peragebant. Liuius post aliquot annos, qui ab satyris ausus est primus argumẽto fabulam serere; idem (scilicet id quod omnes tum erant) suorum carminum actor dicitur, cum sæpius reuocatus vocem obtudisset: venia petita, puerum ad canendum ante tibicinem cum statuisset, canticum egisse ali-

quanto

quanto magis ingente motu, quia nihil vocis vſus impediebat: inde ad manum cantari hiſtrionibus cœptum, diuerbiaque tantum ipſorum voci relicta. *Cæterum hoc genus ludorum inclinante Imperio aliquo adhuc loco fuiſſe, colligitur ex his verbis Marcellini libro vigeſimotertio hiſtoriæ Auguſtæ*: Namque cum Antiochiæ in alto ſilentio ſcenicis ludis mimus cum vxore immiſſus, è medio ſumpta quædam imitaretur, populo venuſtate attonito, coniũx, Niſi ſomnus eſt, en Perſæ, inquit. *Loquitur autem de rebus Iuliani Imperatoris in Perſia geſtis. Atque hæc de ſcenicis autores claſſici hiſtoriarum obſeruarunt.*

*Venio ad genera illorum, quorum in vrbe extabant Iuuenales, Dionyſiaci, & Technitæ: reliqui Græcis magis celebrati, Agon ſacer, Heracleoticum, & Attellanæ in Olympicis. Ad cuiuſmodi* ATTELLANAS *alludit ſubinde Tranquillus in Nerone:* Quam autem, *inquit,* trepide anxieque certauerit, quanta aduerſariorum æmulatione, quo metu iudicum, vix credi poteſt. Aduerſarios quaſi plane cõditionis eiuſdem, obſeruare, captare, infamare ſecreto, nonnunquam maledictis inceſſere: ac ſi qui arte præcellerent, corrumpere etiam ſolebat. Iudices autem, priuſquam inciperet, reuerendiſſimè alloquebatur: omnia ſe facienda feciſſe, ſed euẽtum in manu fortunæ eſſe. IVVENALES *pro ſalute iuuenum inſtituti fuerunt, vt olim plebeij pro libertate plebis. His primum ſenes & vetulas Nero immiſcuit, teſtante Suetonio in eius hiſtoria:* Spectaculorum plurima, *inquit,* & varia genera edidit: Iuuenales, circenſes, ſcenicos ludos, gladiatorum munus. Iuuenalibus ſenes quoq; conſulares, anuſq; matronas recepit ad luſum.

*Technitæ Dionyſiaci tam Romanis quam Græcis vſurpabantur, vnde & mimi hoc nomine infames dicebantur. Quorum meminit Ariſtoteles in Problematibus circularibus. Qui enim ſeruiebant in ſcena & perſonas repræſentabant, mimi & pantomimi nominabantur, à Græco verbo* μιμέομαι, *id eſt imitando. Hincq; etiam poemata riſum mouentia, Mimi dicebantur, quæ à tragœdijs fabulisque diuerſa erant. Cicero* XI. *Philippica:* Quorum alter commentus eſt mimos, alter egit tragœdiam. *& in alia oratione pro Cælio:* Mimi ergo eſt iam exitus, non fabulæ. *quo pertinet illud Ouidij ſecundo de triſtibus:*

Scribere ſi fas eſt imitantes turpia mimos.

*Et ſic intelligitur illud Suetonij in Cæſare:* Decius Laberius Eques Romanus mimum ſuum egit.

ATTELLANÆ, *ludi ſcenici erant, à loco Campaniæ, vbi celebrabantur, ita appellati, vbi Latinæ fabulæ iocularibus ac ſatyricis quibuſdam*

*mixtis celebrabantur: aliàs Exodia, quod extra cantum fierent, nuncupata. Repetit originem horum Liuius libro septimo Decadis primæ, his verbis:* Postquam lege hac fabularum ab risu ac soluto ioco res auocabatur, & ludus in artem paulatim verterat: iuuentus histrionibus fabularum actu relicto ipsa inter se more antiquo ridicula intexta versibus iactare cœpit, quæ inde Exodia postea appellata, consertaque fabellis potissimum Attelanis sunt: quod genus ludorum ab Oscis acceptum tenuit iuuentus, nec ab histrionibus pollui passa est. *Huc pertinent quæ Valerius Maximus scribit libro secundo*: Attelanæ ab Oscis ascitæ, *inquit*, sunt, quod genus delectationis Italica seueritate temperatum, ideoque nota vacuum.

*Sequuntur* Olympici *ludi, quod in Olympia celebrabantur, sic dicti. Erat autem Olympia lucus oleastro vestitus, in agro Pisano, iuxta fluuium Alphæum, vbi fuit templum Ioui Olympio dicatum, inclytum monumentis poetarum & historicorum. Hi ab Herculis primum omnium certamine instituti fuere, quo ipse primum certasse, & palmam meruisse dicitur. Porro in templo ipso simulachrum fuerat Jouis Olympij, à Phidia celeberrimo orbis statuario fabrefactum, vt adiectum aliquid religioni videretur, & maiestas operis quam plurimos, vt eo irent, accenderet. Hanc statuam Caligula cogitauit Romam transferre, vt Tranquillus in eius vita testatur:* Futuræ cædis, *inquit*, multa prodigia fuerunt: Olympiæ simulachrum Iouis, quod dissolui transferrique Romam placuerat, tantum cachinnum repente edidit, vt machinis labefactis, opifices diffugerent. *Cuius historiæ meminisse videtur & Iosephus his verbis*: Nam etiam Iouem Olympium, qui maximè apud gentiles venerabilis habetur, quem Phidias Athenæus fecerat, ausus est Romam transferre: nec tamen ad effectum res perducta est, architectis dicentibus, Quod si illud moueretur simulachrum, aliquid posset mali accidere. *Atq; hactenus tàm de templo, quàm de simulachro, nemoreq; vicino, & monte, vbi ludi singulis quinquennijs solennes toto mundo erant, in quib. varia ludicra in honorem Iouis, & præcipuè poetarum cursorumque certamina proponebantur. Vnde apud Philostratum Apollonius: Neronem, ait, in Olympijs prohibuisse certamina tragœdorum et cytharœdorum, apud viros quib. nec theatra erãt, nec scenæ ad huiusmodi ludos pagẽdos satis idoneæ.*

*Sequitur* Agon, *qui proprie Sacer cognominabatur, ijs dijs qui aliquid miraculi ostendissent, à Græcis dicatus. vnde nimirum metaphorice certamina martyrum suorum primi Christiani Agonas appellarũt, non solum ob sanctitatem & miraculorum claritatem, verum etiam magis ob præmiorum & certitudinem & magnitudinem. Celebrabatur*

*autem*

*autem hæc ſolennitas in honorem Herculis, vnde Agon Heracleos, & vna dictione Heracleoticum nuncupabatur. In quo cantilenis certamina inibantur. Atque ad hos ludos alludit Spartianus in Hadriano.* Multa in Athenienſes contulit, & pro Agonotheta reſedit. *Nec diſsimile omnino ludicrum Germanis vſurpatur,* Wann man offentlich/mit geordnetem ortheil/Meyſtergeſäng ſinget. *Cæterum A. Gellius in decimo Noct. Atticarum, capite 18. initia ſacri Agonis, ad Artemiſiam Mauſoli regis Cariæ viduam referre videtur. Scribit enim, cum incredibili deſiderio mariti defuncti teneretur, molitam fuiſſe ingenti impetu operis mariti memoriæ cauſa, ſepulchrum dignatum numerari inter ſeptem orbis terrarum ſpectacula. quod monumentum cum dijs Manibus dicaret, agona, hoc eſt, certamen laudibus eius dicundis feciſſe, præmiaque & pecuniæ, & aliarum rerum bonarum ampliſsima propoſuiſſe: atque ad eas laudes decantandas, veniſſe primum omnium Theopompum, Theodecten Naucr item, & Iſocratem. ſed viciſſe Theopompum, Iſocratis diſcipulum: extareque & vidiſſe ſe Gellius teſtatur Theodecti tragœdiam, quæ inſcribitur Mauſolus, in qua eum magis quam in proſa placuiſſe, Higynius in exemplis refert. Meminit porro eius ludicri Pindarus hymno quinto:*

Τέσσαρές εἰσιν ἀγῶνες ἀν' ἑλλάδα, τέσσαρες ἱεροί.
 Οἱ δύο μὲν θνητῶν οἱ δύο δ' ἀθανάτων.
Ζηνὸς, λητοΐδαο, παλαίμονος, ἀρχεμόροιο.
 ἆθλα δὲ τῶν, κότινος, μῆλα, σέλινα, πίτυς.

*Quos verſus Andreas Alciatus, doctiſsimus iureconſultus & hiſtoricus, ſic latinè reddidit:*

Sacra per argiuas certamina quattuor vrbeis,
 Sunt: duo facta viris, & duo cœlitibus.
Vt Iouis & Phœbi, Melicertæque Archemorique:
 Præmia ſunt, pinus, poma, apium atque oleæ.

*Videtur autem adludere Pindarus ad coronas de pino, atque oleaſtro, & apiaſtro, quibus cantus victores coronabantur. Alluditque ad agona Heracleum & Julius Pollux:* τὸς, *inquit,* γυμνικὸς ἀγῶνας σεμνότερον ἡρακλείους ἀγῶνας ἐκάλεσαν. *Eſt autem verbum id ludicro inditum, à ſtudio contentionis, quod Græci* ἀγῶνα *dicunt. Vnde etiam Agones dicti ſunt Romana in Republica, qui percutiebāt victimam ante immolationem. Et Agonales dies eidem nominati fuere, per quos Rex ſacrorum arietem in Regia immolabat. Deſcribit autem huius ſolennitatis ritum Ouidius in Faſtis, vbi & diem, videlicet quintum Id. Ianuar. & quibus hoſtijs peragatur, ita commemorat:*

Inſtiterint imbres miſſi tibi nubibus atris,
 Nonæ ſigna dabunt ex oriente lyra.

Quatuor adde dies, ductis ex ordine Nonis,
Ianus Agonali luce piandus erit.
Nominis esse potest succinctus causa minister,
Hostia cœlitibus quo feriente cadit.
Qui calido strictos tincturus sanguine cultros,
Semper agat ne rogat, nec nisi iussus agit.
Pars, quia non veniant pecudes, sed agantur, ab actu
Nomen Agonalem credit habere diem.
Vtque ea nunc certa est, ita rex placare sacrorum
Numina lanigeræ coniuge debet ouis.

## DE LVDIS SECVLARIBVS. XXX.

*LVdos seculares, qui et Herculei, ab Hercule, cui erãt dicati, et Tarentini à loco vocabãtur, nomẽ sortitos esse à seculo, hoc est centũ annorũ tempore, quo elapso magno ambitu in vrbe celebrabãtur, manifesta res est: quo euentu et quinquẽnalia atq; decẽnalia huic reip. appellati ludi fuere. Sunt aũt primum omnium à Valerio consule, mox post exactos reges instituti, vt Censorinus in libro de die Natali author est. Valerius quoq; Maximus, in capite de spectaculis originem secularium ludorum recenset his verbis:* Cum ingenti, *inquit,* pestilentia vrbs agriq; vastarentur, Valesius vir locuples, rusticæ vitæ, duob. filijs & filia ad desperationem vsq; medicorum laborantib. aquam calidam ijs à foco petens, genib. nixus, Lares familiares, vt puerorũ periculum in ipsius caput transferrent, orauit: orta deinde vox est, habiturum eos saluos, si continuo flumine Tyberis deuectos Tarentum deportasset, ibiq; ex Ditis patris & Proserpinæ ara petita calida, recreasset. Eo prædicto magnopere confusus, quod & longa & periculosa nauigatio imperabatur: spe tamen dubia p̃sentem metum vincente, pueros ad ripam Tyberis protinus detulit. habitabat enim in villa sua prope vicum Sabinæ regionis Heretum: & lintre Hostiam petens, nocte concubia ad Martium campum appulit: sitientibusq; ægris succurrere cupiens, igne in nauigio nõ suppetente, ex gubernatore cognoscit haud procul apparere fumum: & ab eo iussus egredi Tarentum (id nomen ei loco est) cupidè arrepto calice, aquam flumine haustam, eò vnde fumus erat obortus, iam lætior pertulit, diuinitus dati remedij, quasi vestigia quædam in propinquo se existimans nactum: inq; solo magis fumante, quam vllas ignis habente reliquias, dum tenacius omen apprehendit, contractis leuib. & quæ sors obtulerat nutrimentis, pertinaci spiritu flam-

mam

mam emouit, calefactamq; aquam pueris bibendā dedit: qua pota, ſalutari quietē ſopiti, diutina vi morbi repētè ſunt liberati: patriq; indicauerunt, vidiſſe ſe in ſomnis neſcio quos deorū ſpōgia corpora ſua ꝑtergere: & ꝑcipere vt ad Ditis Patris & Proſerpinę aram, à qua potio ipſis fuerat allata, furuæ hoſtiæ immolarentur, lectiſterniaq; & ludi nocturni fierent. Is qui eo loci nullam aram viderat, deſiderari credens, vt à ſe conſtrueretur, aram empturus in vrbem ꝑrexit, relictis q fundamentorum conſtituendorum gratia terram ad ſolidum foderent, ij domini imperium exequentes, cum ad viginti pedum altitudinem humo egeſta perueniſſent, animaduerterunt arā Diti patri Proſerpinæq; inſcriptam. Hoc poſtquam Valeſius nunciante ſeruo accepit, omiſſo emendi ꝓpoſito, hoſtias nigras, q̄ antiquitus furuæ dicebantur, Tarēti immolauit: ludoſq; & lectiſternia continuis trib. noctib. quia totidē filij periculo liberati erāt, fecit.

*His autem ludis vrbe tota atque per Italiam præcones ibant, conuocatum omnes ad ludos quos nec vidiſſent hactenus, nec viſuri poſtmodo forent. Ita ſcilicet interuallum præteritæ futuræq; celebritatis, ſupra omnem eſſe hominum ætatem ſignificantes.*

*Vt autem Valerius tradit, à Tarento loco prope Romam, vbi Valerius cum filijs ægris appulit ex Tyberi, et vbi aram Ditis defoſſam reperit, non à Tarento Calabriæ ſiue Magnæ Græciæ ciuitate, Tarentini hi ludi nominati ſunt. Porro celebrauit hos ludos inter Imperatores primus Auguſtus, operis ſocio Agrippa aſcito: qui vt modum adhiberet, pueros & puellas à nocturnis cœtibus edicto mouit. Canebatur autem in his Auguſti ſecularibus carmen Horatij, quod ſeculare appellabatur, quod incipit apud Horatium:*

Certus vndenos decies per annos,
Orbis & cantus referatque ludos,
Ter die claro, totieſque grata
Nocte frequenteis.

*Secundus ab Auguſto, nondum centum annorum ſpacio elapſo Claudius ludos ſeculares dedit, De quibus ita Tacitus ſcribit in vndecimo:* Iiſdem conſulibus ludi ſeculares octingenteſimo poſt Romam conditam, quarto & ſexageſimo quam Auguſtus ediderat, ſpectati ſunt. Vtriuſque Principis rationes prætermitto, ſatis narratas libris quibus res Domitiani Imperatoris compoſui. nam is quoque edidit ludos ſeculares: ijſque intentius affui ſacerdotio Quindecemuirali pręditus, ac tum prætor. *Ex quib. apparet, tertium in ordine tales ludos celebraſſe Domitianum Cæſarem, ſimiliter nondum elapſo ſeculo. Cuius etiam meminit Aurelius Victor in huius Cæſaris hiſtoria:*

Igitur metu crudelitatis & conſcientiæ ſuæ cõiurauere pleriq;, impulſoribus Parthemio, procurante cubiculum & Stephano, & tum ob fraudem interceptæ pecuniæ ſuppliciũ ſuſpectante Clodiano, aſcita etiam in conſilium tyranni vxore Domitia, ob amorem Paridis hiſtrionis, à principe cruciatus formidante, Domitianum multis vulneribus confodiunt, poſt annum quintum & quadrageſimum vitæ. At Senatus gladiatoris more funus efferri, radendumq nomen decreuit. Huius tempore ludi ſeculares celebrati ſunt. *Hæc ille. Quartum præterea ludos ſeculares edidiſſe Septimium Cæſarem, Herodianus lib. 3. ſcribit, cum Seueri Septimij hiſtoriam retexit:* Vidimus, *(inquit)* ſub illo quoſdam omnis generis ludos cunctis editos theatris, ſimulq; ſupplicationes, & peruigilia ad formã Cereris initiorũ (ſeculares hi tum appellabãtur) celebratos, vt aiunt, decurſo trium ſpacio ætatum. *Cæterum, tametſi & alios ſequentes imperatores tales edidiſſe ludos veriſimile ſit: tamen quia apud authores mẽtio nulla occurrit, conſultò omitto. Illud aũt conſtat, Honoriũ & fortaſſe poſtremũ, hos ludos dediſſe, vt de eo Claudianus refert in Panegyrico ſexti conſulatus.*

*Quæ quidem de his qui ludos ſeculares ordine Romana in republica dederunt ſufficiãt. Iam q̃ in his ludis eorumq; peruigilio fieri cõſueuerint, dicam. inuenio aũt duo potiſſimum vſurpata in his ludis; videlicet, certamen et congreſſum poetarũ, comœdiarumq; exhibitionẽ, et inſolitorũ animalium oſtenſionem. De quorum primo Tranquillus in Auguſto meminit his verbis:* Nam hiſtrionum licentiam adeò compeſcuit, vt Stephanionem togatarium, cui in puerilẽ habitum circumtonſam matronam miniſtraſſe compererat ꝑ trina theatra virgis cæſum relegauerit. *Meminit huius Stephanionis & Pli. inquiens:* Minus miror Stephanionem, q primus togatus ſaltare inſtituit, v triſq; ſecularib. ludis. *Quod vero etiam inſolita animalia et feræ in his ludis oſtendebantur, vt præcipuè in Circenſib. obſeruabatur, Solinus teſtatur: q Põpeium his ludis rhinocerota exhibuiſſe tradit. Id quod à Iulio Capitolino in Gordianis confirmatur, his verbis:* Fuerunt ſub Gordiano *(inquit)* Romę elephanti triginta & duo: quorum ipſe duodecim miſerat, Alexander decem. Alces decem. Tigres decem. Leones manſueti ſexaginta. Leopardi manſueti triginta. Belbi, id eſt, hyænæ decem. gladiatorum fiſcalium paria mille: Hippopotamus & rhinoceros vnus, Archoleontes decem. Camelopardali decem. Onagri viginti. Equi feri quadraginta, & cætera huiuſmodi animalia innumera & diuerſa, quæ omnia Philippus ludis ſecularib. vel dedit vel occidit. *Atq; hæc de ludis ſecularib. inuenire potuimus. loco quorũ apud nos Chriſtianos Iubileus Romanis Pontificib. excogitatus eſt, q quinquageſimo quoq; anno*

*anno Romæ magno ambitu celebratur, et ad cuius solēnia ex vniuerso orbe homines commigrant, quod olim in secularium apparatu fieri consueuerat: tametsi ludis explosis, illorum loco in vrbe iam sacra tractentur.*

## DE LVDIS TROIANIS XXXI.

TRoiani *ludi, siue Troiæ ludus, ludicrumque (omnibus enim his nominib. appellabatur) ab Ascanio Iulo Æneæ filio primum omniū in Italiam venerunt, celebrabanturq́; & ipsi in circo à pueris maiorib. et minorib. turmatim congredientibus; quib. qui præsidebat princeps iuuentutis vocabatur, atq; ex numero filiorum primi nominis, senatorum Augustorumue eligebatur: quemadmodum legitur apud Tacitum, Tiberium Cæsarem viuente Augusto patre principem iuuentutis extitisse. meminit Suetonius in Dictatore Iulio;* Troiā lusit turma duplex, maiorum minorumq; puerorū. Venationes edidit p dies quinq;, ac nouissime pugna diuisi in duas acies quingenis peditib. elephantis vicenis, tricenis equitib. hinc inde comissis. Nā quo laxius dimicaretur, sublatæ metæ inq; earū locū bina castra ex aduerso constituta erant. *Idem in Augusto:* Sed & Troiæ ludum edidit frequentissimè magnorū minorumq; puerorū delectu, prisci decoriq; moris existimans claræ stirpis indolē sic innotescere. In hoc ludicro C. Nouium Asprenatem lapsu debilitatum, aureo torque donauit, passusq; est ipsum posterosq; Torquati ferre cognomina. *Idē in Tiberio:* Præsedit & Actiacis ludis, & Troianis circensibus ductor turbę puerorū maiorū. *Idē in Claudio:* Ac supra quadrigarum certamina Troię lusum exhibuit, & Aphricanos. *De origine porro & ceremonijs horum ludorum extat elegans Maronis carmen lib. 5. Æneid.*

At pater Aeneas nondum certamine misso,
Custodem ad sese, comitemque impubis Iuli
Epitiden vocat, & fidam sic fatur ad aurem:
Vade age, & Ascanio, si iam puerile paratum
Agmen habet secum, cursusque instruxit equorum,
Ducat auo turmas, & sese ostendat in armis.
Sic ait: ipse omnem longo decedere circo
Infusum populum, & campos iubet esse patentes.
Incedunt pueri, pariterque ante ora parentum
Frenatis lucent in equis: quos omnis euntes
Trinacriæ mirata fremit, Troiæque iuuentus.
Omnibus in morem tonsa coma pressa corona:
Cornea bina ferunt præfixo hastilia ferro:
Pars leues humero pharetras, & pectore summo

Flexilis obtorti per collum circulus auri.
Tres equitum numero turmæ, ternique vagantur
Ductores: pueri bis ſeni quemque ſecuti,
Agmine partito fulgent, paribusq; magiſtris
Vna acies iuuenum, ducit, &c. *Inter quæ ſubdit:*
Poſtquam omnem læti conſeſſum, oculosque ſuorum
Luſtrauere in equis: ſignum clamore paratis
Epitides longè dedit, inſonuitque flagello.
Olli diſcurrere pares: atque agmina terni
Diductis ſoluere choris: rurſusque vocati,
Conuertere vias, infeſtaque tela tulere.
Inde alios ineunt curſus, aliosque recurſus
Aduerſis ſpacijs, alternosque orbibus orbes
Impediunt, pugnæque cient ſimulachra ſub armis:
Et nunc terga fugæ nudant, nunc ſpicula vertunt. *Item;*
Hunc morem, curſus, atque hæc certamina primus
Aſcanius, longam muris cum cingeret Albam,
Rettulit, & priſcos docuit celebrare Latinos,
Quo puer ipſe modò, ſecum quo Troia pubes,
Albani docuere ſuos. hinc maxima porrò
Accepit Roma, & patrium ſeruauit honorem,
Troiaque nunc pueri, Troianum dicitur agmen.

*Porrò, quemadmodum teſtatur Maro, ab Aſcanio & Albanis huc ad Romanos ludorum morem veniſſe. Sic & ad nos ab ijſdem peruenit, apud quos eundem in morem certatur in haſtiludijs, quos Torniamenta corrupta voce, hoc eſt, Troiamenta dicimus. Quippe & hodie ductores ſuos in his agmina habent, vſurpanturq; in communi lætitia, vt victoria, nuptijs, aduentuq; principum. In hoc tamen noſtra torniamenta à veteri Troiano ludicro differunt, quod non ſolum pueri, ſed viri, in ludo apud nos certãt: neq; aperto capite, coronatoq;, ſed caſside tecto pugna initur. Atq; hactenus de ludis Romanis olim vſitatis pauca hæc iuxta ſeriem literarũ retuliſſe ſufficiat; deinde pauca trademus de ludis Septentrionalib. populis familiaribus, atq; ita huic quoq; libro finẽ imponemus.*

## DE LVDIS EQVESTRIBVS SEPTENTRIOnalium. XXXII.

*VEtus apud Septentrionales Principes ritus ſemper obſeruatus fuit, qui hodieq; ardentiſsimis exercitijs, & continuis ſtudijs in vſu eſt, vt in publicis conuentibus Regum, & Principum, aut nobilium, nuptialibus feſtis, ſeu bellicis triumphis confectis vel conficiendis, aut*

*dis, aut natalibus principum diebus celebrandis, certáve alia ſuadente ratione, vel voluptate, fieri ſoleant diuerſi generis haſtiludia, ac torneamenta: quandoque integris armis bellicis & contis præpilatis: Quod etiam fit cauſa læſi honoris reintegrãdi, aut amplificandi: quandoque ſola galea in capite, & thorace in pectore, haſtis velitaribus, in gratiam clariſsimarum, & illuſtrium virginum, & matronarum. nonnunquam etiam nudo brachio dextro, vel ſiniſtro, ex ſerico fimbrijs circumquaque pendentibus, & expanſis: idque ob contentionem nobilium procorum dirimendã. Ob quas et ſimiles cauſas multipliciter digladiantur, prout voluptate trahuntur, lege militari ſeueriſsima ſtrenuè conſeruata, ne quis præter decorem & honeſtatem, alteri poſtea ſiue inermi, ſiue armato congrediatur, aut cadenti membris ruptis inſultet, aut fracta ceruice necis actionem transferat ad hæredes. Solentque etiam equos & arma, ſæpeq; auri & argenti non contemnendam ſummam mediocris nobilitatis aulici in præmium victoris conferre, præſertim quotiens ex prouocatione ſingulare certamen ſubeundum eſt.*

## DE HASTILVDIIS NAVTICIS APVD eoſdem Septentrionales.

### XXXIII

*Est & aliud nauticum genus torneamentorum, generali ſpectaculo ſæpiſsimè intuendum: in quo ſcilicet clypeis & haſtis muniti naucleri, in puppi nauicularum ſtantes, ſociorum remigantium impetuoſiſsimo tractu in ſe mutuo impingunt: ambo tamen ſub vmbilico laxato fune ligati, vt cadentes e gurgite, ne illico ſuffocentur, educi poſsint: & vbi pariter ceciderint ab vtraque puppi, denuoque reſumpſerint animos, pro inſtituta priori victoria pertinacius certent. Nec ceſſant, donec alteri eorum victoria cedat, vel pari caſu certamen (compoſita cauſa) diſſoluant. Cauſa vero huiuſmodi aquatici torneamenti hæc, aut ſimilis eſſe ſolet, vt vel exercitij gratia id faciant: vel pœnis naualibus adacti aquis puniantur, qui verbis, aut factis inſolentius, in aquis excedunt; vel etiam in portubus, ſub anchoris; vento nauigia retardante, vel etiam in gratiam Principis aſtantis, vt appareat quam fortes, periti, ac animoſi ſint nautæ; quamq; ſi opus fuerit, arte vrinatoria valeant. Quare etiam in eo congreſſu ſemper audaciores ſunt, quibus ars natandi quaſi à pueris agnata eſt, vt neceſſe non ſit vti præſidio funiculi alligati.*

## DE PYRRICHICA SEPTENTRIONALIVM.
## XXXIV.

*HAbent prætereà Septentrionales Gothi, & Sueci, in exercenda iuuentute alium ludum, quo inter nudos enses, & infestos gladios, seu frameas, sese exercent saltu: idque quodam gymnastico ritu, & disciplina, ætate successiua à peritis docti, & præsultore sub cantu, quo genere maxime vti solent sub quadragesimale tempus. Ante enim tempus eiusdem quadragesimæ, octo diebus continua saltatione sese adolescentes numerosè exercent, eleuatis, scilicet gladijs, sed vagina reclusis, ad triplicem gyrum. Deinde euaginatis, itidemq; eleuatis ensibus, postmodum manuatim extensis, modestius gyrando alterutrius cuspidem capulumque receptantes, sese mutato ordine in modum figuræ hexagoni subijciunt: quam rosam dicunt: & illico eam gladios retrahendo, eleuandoque resoluunt, vt super vniuscuiusque caput quadrata rosa resultet: & tandem vehementissima gladiorum laterali collisione, celerrimè retrograda saltatione determinant ludum: quem tibijs, vel cantilenis, aut vtrisque simul, primum per grauiorem, demum vehementiorem saltum, & vltimo impetuosissimum moderantur. Quæ ratio spectaculi sine oculari inspectione vix apprehenditur, quam pulchra, honestaq; sit, dum vnius parcissimo præcepto, etiam armata multitudo quadam alacritate dirigitur ad certamen: eoque ludo clericis sese exercere, & immiscere licet, quia totus deducitur honestissima ratione. Quod autem armati saltent, Strabo de Curetibus Ætoliam habitantibus libro x. affirmat, à quibus etiam armifera saltatio (licet Persis contemptui habita) sit primum introducta. Hique in ipsa pugna inuicti habiti sunt, & admirationi, dum fortiores cæteris viderentur, fuere, quasi transacta omni in armorum exercitatione vita.*

## DE CIRCVLARI EXERCITAtione eorundem.
## XXXV.

*ALia etiam Iuuenum exercitatio est, vt certa lege arcualem choream ducant, atq; reducant, alijs quidem instrumentis, sed disciplina ad gladiatorum saltantium disciplinã reducta. Arcubus enim, seu circulis inclusi, primum modesto cantu, heroum gesta referente, vel tibijs, aut tympanis excitati, gyrando incedunt, seq; dirigentis (qui rex dicitur) ad solam vocem reducunt. tandemq; solutis arcubus aliquantulum celerius properantes, mutua inclinatione conficiunt (veluti*

*lut aliàs per gladios) rosam vt formam sexangularem efficere videātur. Vt que id festiuius, sonorosius que fiat, tintinnabula, seu æreas campanulas genibus alligant.*

*Est & alia quædam choreæ, seu ludi species, qua machina quadam lignea homines per aera rotarum more, & impulsu iactantur: vel alio modo agilitate corporum insignes ludunt: vt hastis, circa quas se voluunt, funibus etiam, supra quos reciproci ambulant: item circulis, per quos se more piscium transmittunt: et tabulis, è quibus in aere pendent, vno brachio se sustinentes: hicq́ ludus Petauristicus appellatur, quod iuuenes leuioribus saltibus mouentur. Quo pacto fere tacitus memorat nudos iuuenes inter gladios se iactare solitos, minime quæstus, aut mercedis causa, sed solam gloriolam audacis lasciuiæ, pretium ponentes sui laboris. Pilarum etiam proiectilium, atq́ fustium impulsu, aliarumque infinitarum specierum ludi, secundum varietatem temporum ibidem currendo, luctando, saltando, pedibusq́ sursum erectis manibus ambulando, fiunt, Suntq́ etiam bellicrepæ armorum saltationes, quæ clypeis, ac ensibus, tibicinis moderatione tardius, vel celerius variantur ad saltum.*

## DE OPPVGNATIONVM SIMVLACRIS Septentrionalium. XXXVI.

*MOs est etiam alius Septentrionalium populorum, prouida quadam sagacitate adolescentes diuersis bellandi exercitijs, et artib. castella impugnandi exercere, et excitare, quib. præsertim tyrocinia sine cæde, & sanguine, ac quouis vitæ periculo hæc aggredi putant voluptuosum: & ob id quotannis hyeme durantibus niuibus, loco aliquo eminenti turmatim à maioribus excitati congrediuntur adolescentes, conformi labore immensas niuium moles comportantes: è quibus propugnacula ad formam castrensium propugnaculorum feriatis saltem diebus solicite fabricant, aqua structuram huiusmodi fenestris distinctam, continuo aspergentes, vt nix cum aqua taliter congesta, accedente frigore validius induretur. Qua diligentia adeò indurantur, vt non solum leues ictus, sed æreos globos atque impulsum testudinum (si opus esset) possent sustinere. Quibus paratis, adolescentes prædicti in diuersas turmas segregati, pars mœnia ingreditur tuenda & propugnanda; pars foris remanet eadem impugnatura. Nec desunt in candidis castris atra, seu fusca vexilla, aut virides iuniperorum rubi: sub quib. non pecuniæ, sed solius laudis appetitu, voluptuosum ingrediuntur certamen: quod alijs armis vtrobique non committitur, nisi niueis globis in alterutrum manibus proiectis. Statuta enim pœna est nudi corporis in*

*gelidam aquam immergendi, ne quis globis huiusmodi niualibus saxum, ferrum, lignum, aut glaciem proiecturus inuoluat. Sunt præterea inter oppugnantes, qui more cuniculorum inferiores niuium bases pforant, ac ingrediuntur, vt ppugnaculi defensores deijciãt à stationib. suis. Nec segnior intercedit mora, qua pugnis certatur cominus, donec vexillo rapto pars victa succumbat, alio tempore restaurato prœlio contra partem victricem in eisdem castellis (si poterit) triumphatura. Adeoq; magnis animis ludos huiusmodi cõmittunt, quasi pro patria, pro legib. pro focis (vt dicitur) et aris, publico spectaculo in agone certarent. Profugos vero & meticulosos pugnam excedentes, niuibus dorsotenus inter cutem, vestemq; immissis, vbi deprehẽsi fuerint, insolentib. verbis ac vocib. punitos absoluunt, vt alias fortius reuersuri persistant, et acrius defendant castra. Quosdam aquis congelatis in caput, & collum tempore intentissimi frigoris guttatim dimissis, castigant.*

## DE CERTAMINE EQVESTRI GLACIALI Septentrionalium.

### XXXVII.



*Ec hæc tantum apud veteres Gothos olim in vsu erant, sed etiã brumali tempore ad finem mensis Dec. (dum niuibus et frigore lacus, stagna, atq; terræ oẽs validissimaq; glacie constringerentur) optimos quosq; equos, formaq; elegantiores in singulis prouincijs ad edenda publica spectacula colligere: duab. potissimum de causis solent. Prima, vt quem, vel quos celeriore cursu reliquis omnibus præcellere discernerent, hunc sacrificio numinum, velut munus pretiosum, ad aram mactandum, comburendumque fideliter repræsentarent: opinantes eo dono cunctis hostib. sese fore superiores, quo sacrificandi integritatem exoluerent puriorem, prout Herod. lib. 1. tradit de Massagethis, et Strabo lib. 10. de Aboriginibus Massagethis, qui Solem Deum putant, et eidem equum mactant. Altera ratio erat, vt regi, ac principi, vel eius nuntijs velocissimos equos offerrent, quib. hostiles motus, vbicunq; in regno, vel limitib. imminerent, opera cursorum exploratos, auerterent armis. maior tamẽ respectus tunc habebatur, quam nunc habetur ad equos fortiores, quam celeriores: licet vtraq; virtus inesse debeat illis, propter graues lanceas, seu contos, ac armorum exuuias densiores quib. nunc vtuntur. Nec desunt hodieq; omni momento velocissimi equi, atq; equites, qui portub. regni, quotiescunq; opus fuerit obuersentur. Quantum vero ad voluptuosa spectacula attinet, die XXVI. Decembris super stagna, ac flumina congelata, instar speculi micantia, infiniti terrarum incolæ in qualibet prouincia (distinctis licet communitatibus) pro brauio, ac gloria in agilioribus*

*equis*

*equis certaturi congrediuntur. Terminus verò, ſeu meta curſus huiuſmodi, longitudinem quatuor aut ſex milliarium continet Italicorum. Brauium autem aliquot menſuræ, ſeu modij annonæ ſeminandæ, et noua veſtimenta opponuntur, & denique, vt equus metam non attingens victori cedat. Verum hæc ſpectacula nullibi frequentius in toto Septentrione ſuper glaciem, quam apud Oſtrogothos, ac Veſtrogothos committuntur. Abundat enim terra eorum vberrimis paſcuis, ad multa millia electiſsimis herbis naturaliter conuenientibus equis enutrienda, licet valde ſpatioſis & diſperſis campis, & non vno prato: quale Strabo lib. x. fol. penul. in Armenia allegat, atq; dicit, in eo paſci quinquaginta millia equorum, quæ armenta regia ſunt. Præterea lib. xvi. aſſerit Philippum Macedonem, atq; eius filium Alexandrum circa Laodiceam in paſcuis habuiſſe equas ſuprà triginta millia: quarum emiſſarij erant trecenti: in quo etiam loco erant equorum domitores, & bellici ludimagiſtri conducti, ac quicunq; rei militaris erant periti.*

## DE CERTAMINE PEDESTRI IN GLAcie & niuibus ſeptentrionalium. XXXVIII.

*EST & ſylueſtre ſeu Lapponicũ genus currendi, quod pandis trabibus, ſiue longis ſtipitibus plantis pedum affixis, ſupra niues in vallibus, ac montibus flexuoſo, ac arbitrario motu curſum præcipitem dirigendo ſe transfert: idq; perfectiſsima arte facit, ſiue aduerſis caſibus congrediendum ſit, ſiue venationibus voluptuoſis, quarum quæſtu viuunt, & fortunas aſſequuntur vberiores, ſiue brauij, aut gloriæ cauſa hoc ipſum ſit attentandum. Hocq; genus præcipuum inter Scricfinnos eſt; qui homines talem, tamque celerem in percurrendis cacuminibus niuoſorum montium, etiam pro brauio, habent agilitatem, ad qualem vix reliqui planiorib. aut breuioribus inſtrumentis innixi, in plana, & lubrica glacie peruenire valent. Quinimmo qui niues calcant, & conſtitutam metam attingunt, feram occurrentem ſagittis occidunt. Qui vero ſeruat glacialem curſum, vix ab hiatib. ſubtus latentibus eſt ſecurus, prout infra de glacialib. bellis dicetur. Eſt item alius modus, quo ferro plano, et polito, ſiue planis oſsib. ceruinis, vel bouinis, ſcilicet tibijs naturalem lubricitatem ob innatam pinguedinem habentib. pedali lõgitudine ſub plantis affixis, in ſola glacie lubrica curſum intedãt velociſsimũ, quemq; in glaciali æqualitate ſemp̱ currendo cõtinuant. In quo etiã genere vbiq; reperiũtur homines voluptuosè p̱ brauio curſitantes: quorũ meta ſup̱ cõgelatos lacus, ſpatio 8. vel 12. milliarium Italicorũ ab vtriſq; partib. eſt cõſtituta. brauia vero ſunt cochlearia argẽtea, amphoræ æreæ,*

*gladij, & nouæ vestes, ac equi: sed hi frequentius. Cæterosque fere brauio potituri currendo præueniunt, qui ceruinas tibias latè limatas plantis affigunt, porcina axungia perunctas, quia gelidis aquæ guttis velut per poros glaciei vehementi frigore insurgentibus, tibiæ sic vnctæ impediri, aut constringi nō possunt, sicuti ferrum quantumcunq; politum, aut vnctum. Nulla enim vnctio vtilior est, quam oßium tibiarum ceruinarum, aut taurinarum, connaturalem habentium lubricitatem. Eoque modo quotiescunque glacies clara fuerit, ac niuibus discooperta, duosq;, vel tres digitos spissa, huiusmodi spectacula facilius securiusq; exercentur. Sed aliàs nequaquam, quia nunquam periculosior, mortique vicinior casus est, quam cursum intendere, dum glacies tenuißima niue est cooperta. Amnes etenim, seu riuuli tacita celeritate è littoribus lacuum intrantes, corrosione, et motu continuo faciunt, ne glacies inspissari, solidarique poßit. Ergo sæpe contingit temerarios cursores, glacierum naturam ignorantes, vel contemnentes, audacius, quàm cautius accurrere, glacieque confracta corpore deorsum atq; capite sursum, acumine glaciei velut securi amputato, simul duabus mortibus perire. Quo tamen periculo, vel simili, raro pereunt indigenæ, sed peregrini terrarum exploratores: qui dum celerius proditionibus perficiendis compendioso itinere inseruiunt, subita glacierum dolositate, ac fragilitate absumuntur, documento cæteris relicto, quam iusto naturæ piaculo sæpißimè pereant, qui contra naturæ ordinem odijs, ac occisionibus procurandis insistunt.*



PANDE-

# PANDECTARVM TRIVMPHALIVM TOMI PRIMI LIBER QVARTVS, QVI EST DE IN-

*augurationibus Impp. Regum, Principum, &c.*

## DE CAROLI MAGNI IN REGNVM ITALIcum inauguratione Modoetiæ, anno fere IↃCC. LXXIII.

## I.

*Victo, captoq; rege Desiderio, & Longobardis omnibus in fidem ac deditionem acceptis, Carolus regnumt Ialicum sibi iure victoriæ vindicauit. Quod vt nouo præterea iure sanciret, vetus, vt putabatur, Pontificis Gregorij decretum adhibuit. Quippe Modoetiæ se per archiepiscopum Mediolanensem corona redimiri ferrea voluit, atque, vt ita apud posteros obseruaretur, instituit. Ea res maxima fieri ceremonia consueuit, quæ in Rituali antiquißimo continetur, qui Ordo Romanus vocatur. Perducto scilicet per episcopos ex cubiculo in templum, atque ante aram maximam constituto Rege, Archiepiscopus post solemnes aliquot precationes effusas populum alloquutus interrogabat, num se tali Regi subijcere, atq; illius mandatis, & iußionibus constanti fide vellet obtemperare? vbi vero populus se velle responderat, regis caput, pectus, scapulas, atq; ipsas brachiorum compages oleo sancto vngebat, Deum orans, vt & in bello gerendo, & in sobole propaganda votis eius annueret, ornato inde ense, armillis, pallio, annulo, & sceptro coronam imponebat, & per chorum ductum in solio collocabat, atq; osculo pacis oblato diuinam inde rem faciebat. Hæc tum Thomas Mediolanensis archiepiscopus egit.*

## DE EIVSDEM CAROLI MAGNI IN Imperium Romanum inauguratione Romæ, anno IↃCCC.

## II.

*Pipinus Grimoaldum Beneuentanum bello adortus, quia finitimis esset accolis infestus, multis cladibus alijs super alias affectum, Beneuentum compulit, cui bello ad exitum perducendo Vinigisium ducem Spoletanum præfecit, ipse Romam ad patrem venit, quem haud multo post Pipini accessum, Leo pontifex, inter sacrorum solennia, scito rogatuq; Romani populi, qui officij causa circumstabat, in Vaticano templo Barionæ Romanorum Imperatorem consecrauit, &*

*uit, & inunxit. Consecratio illa facta est ad altare basilicæ, vbi loci accepit Carolus imperij insignia, mox illis instructus ad aram maximam templi est inunctus anno quo in Gallijs regnare cœperat tertio & trigesimo, quum Italia iam annos tercentum & triginta sine imperij nomine fuisset. Mansit mos idem in cæteris, vt qui Augusti nomen legitime reciperent à Romano Pontifice inungerentur. Acclamatum ter est ab vniuersa multitudine: Carolo Augusto, Magno, & Pacifico vita & victoria. Est & Pipinus Caroli filius vna inunctus, quem Pontifex Italiæ Regem solenni decreto declarauit.*

## QVAE FVERIT STATIM POST TEMPORA Caroli Magni ratio designandi & inaugurandi Imperatorem, Regémve Romanum, & Germanicum.

### III.

*MOrtuo Rege, principes, episcopiq; Germaniæ Aquisgrani conuocati legitimis suffragijs regem aliquem ex suo corpore designabant. designatum vero in solio Caroli Magni locabant, quod erat in aula basilicæ D. Mariæ ab eo constructæ. atq; singuli apud eum sacramenta dicebant. Ex aula inde in basilicam descendentem archiepiscopus Moguntinus cum clero occurrens excipiebat, ac populo, qui frequẽs honesti spectaculi causa circunstabat, regem à Deo, & principib. lectum ostendebat. Populus porrectis manibus, ac clamore sublato nouo regi fausta, ac prospera omnia precabatur. Inde antistes cum rege progrediebatur ad aram, super quam regia posita insignia erant, atque ei primum gladium cum baltheo, deinde armillas cum chlamyde, tum sceptrũ cum baculo porrigebat. ac demum oleo sacro perfusum corona imposita consecrabat. inde excelso inter duas columnas in solio collocabat. vnde facile ab omnibus videri, atq; ipse videre omnes posset, ac diuina laude cantata in regiam adducebat. Ibi rex solenne cum episcopis ac principibus epulum celebrabat, atq; singulos pro cuiusq; dignitate donabat. Ceterum coronam Germanicam in omnibus commentariis argenteam fuisse inuenio. Luitprandus etiam auream fuisse negat. at auream prodit is, qui huius totius ceremoniæ est auctor, Vittichindus. Consecrationis autem ius ad Moguntinum antistitem, qui Germaniæ metropolitanus, & regni cancellarius erat, delatum est, quamuis Treuerensis id munus sibi vindicaret, quod ecclesia sua ceteris antiquitate præstaret, Coloniẽsis vero, quod ea cõsecratio in suis finibus fieret. Rebus inde Germaniæ per solemnes conuentus compositis, ad regnum Italiæ, quod post hæc tempora cum regno Germaniæ iunctum fuit, suscipiendum veniebat. Vbi vero venturus erat,*

*rus erat, nuncios præmittebat more iam tum à Francis instituto, qui ciuitatib. aduenturū regem nunciarent, ac sacramenta repeterent, & fœdera exigerent, aliaq; aduenienti regi debita officia indicerent. Italiā autem ingressus recta Mediolanū adibat. Ibi vero condicto die in Ambrosianam ædem procedens archiepiscopo rem diuinam facienti, regijs depositis vestibus, ac subdiaconi sumptis ministrabat. Qua re rite perfecta archiepiscopus sacro ipsum oleo inungebat, atq; ad reliqua insignia ferream ei coronam imponebat, ipsum solenni adigens sacramento, se Italiæ iura in perpetuum pro virib. tutaturum. Tum vero omnes magistratus, atque omnes dignitates vacabant in ciuitatibus. Rex autem adhibito Coloniēsi archiepiscopo, qui regni Italiæ cancellarius erat, ex legum scitis, & iurisconsultorum iudicio de rebus omnibus cognoscebat. Itaque ad Padum descendens in campo quodam, qui Roncaliæ dicebatur, fabrorum, opificum, ac mercatorum turba ad vsus necessarios sequente exercitum cum suis tentorijs, & tabernis, si quadrata erant castra, suburbiorum, si rotūda, muri exterioris speciem afferebat. Intra castra vicis apte distinctis viæ dirimebantur, plateæque & portæ effingebantur, vt quasi vrbs quædam repentina existeret. In medio Regis tabernaculum locabatur templo simillimum. circaq; principes, vt quisque dignitate præstabat, tentoria sua figebant. His castris locatis Rex ad stipitem præaltum scutum suspendebat, eoq; omnes feuda habentes ad excubias Regi ex instituto agendas per præconem publicum euocabat. eademque ratione qui in comitatu eius principes erant, singuli singulos sibi addictos valuasores citabant. postridie qui non affuisset, feudo mulctabatur. Inde conuentu instituto ciuitatum legatos vel gratulantes excipiebat, vel excusantes, aut expostulantes audiebat, atque eorum controuersias iurisconsultis adhibitis cognoscebat, ac leges, si erat opus, ferebat. Erat autem moris, vt primos dies in iure dicundo consumeret, alteros paci inter ciuitates constituendæ dicaret, extremis iura feudorum cognosceret, ac nouis legibus stabiliret. Conuentu peracto Romam ad tertiam imperij Romani coronam accipiendam ipso archiepiscopo deducente pergebat. singulæq; in itinere ciuitates cum faculis, & faustis clamoribus occurrentes debita obsequiorum officia enixe præstabant. sin minus, aut pecunia, aut priuilegiis mulctabantur, aut armis ad officium redigebantur. Vbi Romam accesserat, relicto in pratis Neronianis exercitu, ipse cum honesto procerum comitatu Leoninam vrbem ingrediebatur, atque ad pontificem, qui ipsum ex composito in gradibus basilicæ Vaticanæ opperiebatur, adorandum veniebat., atque ad confessionem S. Petri deductus supplicē ad Deum orationē habebat. pontifex sacris operatus ipsum ab episcopo Mediolanensi oblatum, ac diaconi vice functum sacro oleo*

*perungebat, digito annulum inserebat, ensem nudum tradebat, et capiti corona aurea imposita sceptrum imperatorium porrigebat. ille tactis sacris euangelijs ꝑpetuum, ac constantem se fore Romanæ ecclesiæ, ac totius reip. Christianæ defensorem nouo sacramento se obligabat. Deinde ab vtroq; basilica Lateranensis adibatur, atq; ibi reliquum cæremoniarum absoluebatur. Itaq; ab hoc tempore qui rex Germaniæ fuit, idem etiam regnum Italiæ, et occidentale imperium tenuit, ac propterea tres coronas accepit, vnam Germaniæ argenteã Aquisgrani ab archiepisc. Moguntino, alteram Italiæ ferream Mediolani à Mediolanensi, tertiam Imperij auream Romæ à pontifice, neq; ante pontificis consecrationem Augusti, aut Imperatoris nomen vsurpauit, sed rex Germaniæ atq; Italiæ, siue rex Romanorum, & Imperator designatus appellatus est. annos autem regnorum, atq; Imperij à diebus numerauit, quibus coronas Aquisgrani, Mediolani, & Romæ cepisset. quod ex diplomatis eorum apparet.*

## DE OTTONIS MAGNI IN IMPERIVM INauguratione Aquisgrani anno Iↄ.cccc.xxxvii.

## IV.

*DEfuncto patre patriæ, & Regum optimo, maximo, Henrico Primo, qui et Auceps dictus, multitudo consensu vnanimi iam olim designatum regem a patre, filium eius Ottonem elegit sibi in principem. Cum quo cum Aquisgranum ventum esset, Duces & præfectorum principes cum cætera procerum militumque manu congregati in Xisto basilicæ Caroli Magni cohærenti, collocarunt nouum Regem in solio, ibidem constructo, manus ei dantes ac fidem pollicentes, operamq; suam contra omnes hostes spondentes, atq; hoc more designarunt eum regem. Quæ dum geruntur à ducib. ac cæteris proceribus, Episcopus Moguntinus cum vniuerso sacerdotali ordine, et omni plebe, infra in basilica præstolabatur egressum noui regis. Quo procedente, Episcopus obuius læua sua dexteram tangit regis, suaq; dextera lituum gestans, linea indutus stola infulatusq; progreditur in medium vsq; fani, vbi subsistens, et reuersus ad populum, qui circumstabat (nam erant deambulatoria infra supraq; in illa basilica in orbem facta, quo ab omni populo cerni posset) En, inquit educo vobis à deo electũ, et à domino rerum Henrico olim designatum, nunc verò à cunctis principib. regem factum Ottonem: q̃ si vobis electio placet, dextris in cœlum leuatis significate. Ad hæc omnis multitudo dextras in cœlum leuans, cum clamore ingenti precabatur omnia fausta & prospera nouo regi suo. Quare ꝓcedit Episc. cum rege, tunica stricta more Françorũ induto, ad altare, sup quo insignia regalia*

*posita*

*posita erant, gladius cum baltheo, chlamys cum armillis, baculus cum sceptro ac diademate. Eo quippe tẽpore erat summus Pontifex Moguntinensis nomine Hildebertus, Franco genere, Monachus professione, nutritus & edoctus in VVldo monasterio, cuius cum prius Prælatus constitutus fuisset, deinde summi pontificatus Moguntinæ sedis fastigium promeruit. Erat hic vir miræ sanctitatis, & præter insitam animi sapientiam, literarum studijs satis clarus. Qui inter cætera diuina dona, spiritum Prophetiæ accepisse prædicatur, & cum quæstio esset inter Pontifices de consecrando Rege, Treuerensem videlicet & Coloniensem, illum, quia antiquior sedes esset, & tanquam à beato Apostolo Petro fundata, istum vero, quia eius ad diœcesin pertineret inaugurationis locus, ob quæ sibi conuenire arbitrabantur huius cõsecrationis honorem, cessit tamen vterq; Hildeberti cunctis notæ sanctitati. Ipse autem accedens ad altare, & sumpto inde gladio cum baltheo conuersus ad regem: Accipe, inquit, hunc gladium, quo eijcias omnes Christi aduersarios barbaros, & malos Christianos, auctoritate diuina tibi tradita omni potestate totius imperij Francorum ad firmissimam pacem omnium Christianorũ. Deinde sumptis armillis ac chlamyde, induit eum: His cornibus, inquit, humi tenus demissis admonearis, quo Zelo fidei ferueas & in pace tuenda perdurare vsque in finem debeas. Exinde sumpto sceptro baculoq;, His signis, inqt, monitus paterna castigatione subiectos corripias, primumq; Dei ministris, viduis ac pupillis manũ misericordiæ porrigas, nunquãq; de capite tuo oleum miserationis deficiat, vt in præsenti & in futura vita sempiterno præmio coroneris. Perfususq; ilico oleo sancto, & coronatus diademate aureo ab ipsis Pontificibus ducitur ad solium, ad quod per cochleas ascendebatur, & erat inter duas marmoreas miræ pulchritudinis columnas constructum, vnde ipse omnes videre, & ab omnibus ipse videri posset. Diuina deinde laude dicta, sacrificioq; solenniter celebrato, descendebat Rex ad Palatium, & accedens ad mensam marmoream, regio ornatam apparatu, resedit cum pontificibus & omni populo, duces vero ministrabant. Lothariorum dux Vilbertus, ad cuius ditionem locus ille pertinebat, omnia procurabat. Eberhardus mensæ præerat. Sifridus vero optimus & à rege secundus, gener quondam regis, eo tempore præerat Saxoniæ, ne qua hostium interim irruptio accideret, nutriensque iuniorem Henricum secum habebat. Rex autem posthæc vnumquemque principem iuxta munificentiam regalem, congruenti sibi munere honorans, cum omni hilaritate dimisit multitudinem.*

## DE DESIGNATIONE ET INAVGVRATIONE Gregorij X. P. M. deque legibus ab eo latis circa suffragiorum rationem in Romano Pontifice in posterum designando. V.

*ANno Dominicæ natiuitatis* MCCLXVIII. *Clemẽs papa* IIII. *Viterbij, vbi cũ curia sua toto penè sui pontificatus tempore permanserat, die sanctæ Ceciliæ ægrotare cœpit & octauo die post morbo, senioq; confectus,* III. *Kal. Decemb. obijt; cuius cadauer honorificè ad Ecclesiam Prædicatorum S. Mariæ ad gradus Viterbij sepultum est. Quo mortuo vacauit sedes ꝓpter cardinaliũ discordiã annos duos, menses* IX. *& diem. Eo enim vita functo, cardinales, qui tunc in curia Romana præsentes erant numero* XVII. *in creatione futuri Pontificis dissentire cœperunt, electionisq; ratio adeo discordijs agitata est, vt propè in triennium ꝓtraheretur. sæpius siquidem congregati, negocium conficere nulla ratione valuere, dum vnusquisq; ipsorum ad pontificatum aspirãs, nemini cedere vellet. Eo autem tempore nequaq̃, vt nunc cõsuetudo est, cardinales in conclaui recludebãtur, sed summo mane singulis dieb. si Romæ erant, in Laterano vel in basilica S. Petri, aut alibi ꝓut occasio sese offerebat: sin autẽ extra vrbem, in ecclesia cathedrali illius ciuitatis, in qua tunc commorabantur, vnà conueniebant, perinde ac nostro tempore faciunt cum congregationem sunt habituri, de Romani pontificis electione tractantes. Eo autem tempore ad curiam Romanam Viterbium venerunt Philippus Francorũ, & Carolus Siciliæ reges, collegiumq; de celeri & matura pontificis electione interpellantes parum ꝓfecerunt, & rebus infectis reuersi sunt. Vbi Iohannes episcopus cardinalis Portuensis vidẽs collegarũ ꝑtinaciã, ijs in comitio existentib. & spiritũ sanctũ inuocantib. publicè dixit: Domini, discooperiamus tectum cameræ huius, qa spiritus sanctus neqt ad nos ꝑ tecta ingredi. Idẽ etiã cum mox papam Gregorium renuntiatum animaduertisset, hos de eius electione versus edidisse fertur:*

Papatus munus tulit archidiaconus vnus,
Quem patrem patrum fecit discordia fratrum.

*Postremo post longissimum duorum annorum, mensiumq; nouem interregnum, quod maximo Reip. Christianæ malo & incommodo fuit: à Viterbiensib. ꝓpemodum coacti, cum discordantib. animis, vt vnum ex se eligerent fieri nõ posset, tandem per viam compromissi, in sex cardinales facti, suadente maximè S. Bonauentura ordinis Minorum Generali ministro, Kal. Septemb. anni* MCCLXXI. *in pontificem maximum renuntiarunt Theobaldum vicecomitem Placentinum, archidiaconum Leodiẽsem virum sanctum & religiosum, extra collegiũ cardinalium & absentẽ. Quippe religionis ergo tunc trans mare in Syria apud Ptolemaidẽ*

commo-

*commorabatur, cum Odoardo primogenito regis Anglorum, tempus opportunum expectans, vt Hierosolymam cum cæteris peregrinis proficisceretur. Qui decreto electionis à collegij legatis trans mare missis, accepto, atque confirmato, mense Dec. ex Syria nauigio rediit, Brundusiumque primum, demum Viterbiũ sequenti anno vbi cardinales erant,* III. *Id Febr. venit, Rom. pontificatus insignia suscepturus. Qua gratia Viterbio discedens, Romam profectus est, vbi* VI. *Kal. Apr. consecratus & coronatus, Gregorius* X. *est appellatus. Sedit aũt à die electionis annos* IV. *menses* IV. *dies* X. *Qui põtifex altero post cõsecrationẽ anno, Christi vero* MCCLXXIV. *maximo Christianorum concilio Lugduni in Gallijs congregato, multas sup ecclesiæ cathol. reformatione leges edidit, quas canones appellant. Inter quas has quoque de futura Rom. pontif. electione tulit, lõgissimis interregnis, q̃ in posterũ accidere possent, remedium aliquod allaturus. Quæ processu tẽporis paululũ variatæ in hanc propemodum formã ex vsu redactæ sunt.*

Præcipuæ leges, quæ in comitijs Rom. Pontif. seruari debent.

*Vt noui pontificis comitia habeantur loco idoneo, vbi pontifex præcedens cum sua curia residens, causarumque & literarum Apostolicarum audientiam habens, mortuus fuerit. Quod si in villa, pago, aut oppido obierit & propterea commodè ibidem comitia haberi nequierint, in vrbe, in cuius diœcesi villa, pagus, vel oppidũ fuerint, habeantur, nisi ei sacris interdictum sit. Quo casu in proximiore vrbe sacrorum cõpote electio fieri debet. Si vero ipsa audientia alio loco fuerit, tunc non vbi papa obierit, sed vbi eadem audientia fuerit, futuri pontificis creatio habeatur.* I.

*Vt mortuo pontifice, comitia non habeãtur, nisi ad minus decem dierum spacio interiecto, quo tẽpore, et cardinales absentes expectari, et nouẽdialia sacra demortui põtificis per cardinales præsentes celebrari debẽt.* II.

*Vt cardinales quauis ratione à conclaui absentes, nullum ferẽdorum suffragiorum ius habere possint.* III.

*Vt non solum cardinales absentes, sed omnes cuiusuis ordinis, & conditionis homines in Romanum pontificem creari possint.* IV.

*Vt finitis nouemdialib. sacrisque, die 10. rite sancto Spiritui factis, omnes cardinales, qui adsunt (siue absentes venerint, siue non) in palatio, in quo mortuus pont. habitat, loco tuto, vndique cluso, ac optime custodito, quod Conclaue vocant, recludantur, cum duob. tantum, vel vt nunc consuetudo est, trib. aut quatuor famulis, qui eis necessaria subministrent; quo in loco comitia habeantur. Nec alicui præterea fas sit, locum eum ingredi vel egredi, nisi infirmitatis causa, certisque quibusdam hominibus, quorum opera in conclaui existentibus maximè est necessaria, is porro locus conclauis nullum intermedium parietem habeat, sed omnes cardinales in cellulis suis laneis distinctis pannis ipsum inhabitent in communi.* V.

VI. *Vt locus & portæ cõclauis diligentißime custodiãtur, si Romæ electio habeatur, primũ à prætorianis, deinde à Regulis Romanis, et oratorib. principum sacramento prius astrictis, demum in loco ostio cõclauis proximiore ab episcopis, & conseruatoribus vrbis. Si autem extra vrbem comitia hæc habentur, à loci eiusdem dominis, eodem iuramento fidelitatis obligatis. Quorum munus est, conclaue custodire, et diligenter cauere, ne quid conclaui inferatur, seu exportetur, quo minus legitima suffragia ferri poßint, atq; singula scrutari, quæ vel cibi, vel alterius rei causa inferuntur ad eos, & prouidere, ne quid detrimenti patiantur cardinales, omnibusq; ipsorum nutibus præsto esse ac eligere pontificem differentes ad maturandum arctare. Milites vero prætoriani, ac Reguli Romani conclaue ab omni impreßione tutum reddere debent.*

VII. *Vt cardinales conclaui egredi nulla ratione poßint, nisi Romano pontifice creato, quod si re infecta egreßi fuerint, ab his qui conclauis custodiæ præsunt, iterum ingredi cogi debent.*

VIII. *Vt cardinalibus venientibus post ingressum conclauis, & ante papæ creationem, potestas sit conclaue ingredi, & cum cæteris suffragia ferre, nullusq; cardinalis quauis occasione, aut prætextu, etiam excommunicationis vinculo innodatus, ab electione ipsa arceri poßit.*

IX. *Vt post triduum ingressus conclauis, nisi pontifex renuntiatus fuerit, episcopi, Reguli Romani, et qui conclauis custodiæ præsunt, maximam in epulis, & cibis, quæ cardinalibus inferuntur, rationem habeant, & illis non nisi ferculum vnum inferri permittant.*

X. *Vt in comitijs habendis sub anathematis pœna, nulli fas sit aut largitione vti, aut quicq̃ polliceri, aut prensare, siue ambiendo, animos cardinalium sibi in noua creatione deuincire. Quo interim tempore cardinalibus nulli alij negocio vacandi ius, potestasq; sit, quo electio maturetur.*

XI. *Vt nemo Romanus pontifex renuntiari poßit, nisi duarum partium ex tribus cardinalium, in conclaui præsentib. integra suffragia tulerit.*

XII. *Vt mortuo Rom. pontifice, omnes ecclesiastici magistratus, & officia statim cessent, atq; à muneribus suis vacent, præter pœnitentiarum maiorem, minoresq;, & camerarium S. R. E. quorum munera etiam mortuo papa perdurant. Ex libro 6. decretalium, Bonifacij papæ* VIII. *libro 1. tit. 3. de electio. & electi potestate. Porro autem iuxta Gregorij* X. *constitutionem, Arretij, vbi Gregorius* X. *papa obierat, primum papa creatus est Innocentius* V. *ex ordine Fratrum Prædicatorum ad episcopatum Ostiensem assumptus an. salutis* MCCLXXVI. *deinde eo mortuo Hadrianus* V. *Romæ: nouißimè Viterbij Ioãnes papa* XXI. *vigesimus ritè dicẽdus.*

*Post Innocen.* V. *vero mortem, q̃ ei succeßit Hadrianus papa* V. *Gregorij* X. *de conclaui constitutionẽ statim reuocauit. Cuius reuocationẽ, siue sus-*

*sine suspensionem, quod ante eius coronationem facta, inualida erat, Ioannes* XXI. *confirmauit. Atq; sine cõclauis reclusione, qui deinceps ei successerunt Rom. ani pontifices Nicolaus* III. *Martinus* II. *dictus* IIII. *Honorius* IIII. *Nicolaus* IIII. *& Cælestinus* V. *creati sunt. A Cælestino vero eadẽ qua Gregorius* X. *causa, moto, ipsius Gregorij constitutionẽ de conclauis reclusione denuo renouatam, & approbatam, q ei suffectus est Bonifacius papa* VIII. *ratam habens, et confirmans libro decretal. 6. intulit. A quo deinceps tempore vsq; ad nostrã memoriã perpetuo obseruata est.*

*Cæterum Clemens papa* V. *comitiorum pontificalium legib. à Gregorio* X. *editis & confirmatis, nõnulla addidit, seu suppleuit, in generali concilio Viennensi, q̃ à Ioanne papa* XXII. *in libro Clementinarum 1. tit. 3. de electione, et electi potestate, cap. Ne Romani pontificis, &c. postea inserta sunt. Postremo Clemens* VI. *bullam de moderatione legis cibariæ cardinalium, in conclaui reclusorum fecit, quæ in libro ceremoniali extat. De quibus omnib. latissimè in libris, quos de varia creatione Romani pont. scriptis disseruit Onuphrius Panuinus, ex quo succinctam rationem eligendi pontificis hanc quoque mutuam sumere placuit, vt nihil hic desit, quod acuratus lector desiderare possit. Est ergo eiusmodi.*

*Patres conclaue ingressi diem integrum sequentem formandis legibus impendunt, ad sanam Romani pont. administrationem maximè necessarijs, quibus patrum quisque subscribens iureiurando votoq; promittit obtemperaturum se illis, si pontifex factus fuerit. His actis, stato quodã die prima comitia indicũtur. Mane autem eius diei patres omnes induti pallijs, à summo deorsum apertis, quas croccias vocant, in sacellum vbi corpus Christi asseruatur cõueniunt. Ibi diuina spiritus sancti ritè sacra celebrantur. Quib. absolutis, suo loco disponunt se p subsellia. Quisq; aũt quos eligere decreuit, in codicillis ante describit, hosque suo annulo obsignat. Inde tres ex patrib. ad altare accedentes, Decanus videlicet, presbyterorumq; & diaconorũ primi, calicem, in quo eo die sacra facta sunt, ad medium altaris constituunt, custodes ipsi omniũ, ac inspectores astantes. Post hac eodem ordine procedunt & reliqui patres, atq; ante altare in genua pcidentes, codicillos sigillatos in calicem dimittunt. Id autẽ postquam ab omnib. factum est, tres illi, quos dixi, calicem ipsum ad cæteros inferius considentes, sublatum altius ostẽdunt, consistẽtes in subselliorum medio, vnde spectari, & audiri à circumstantibus possunt: numerant mox codicillos, quorum, vt conuenisse numerus inuenitur, singuli à Decano aperiuntur, & leguntur, ac diacono proximo pnuntiandi traduntur. Patrum autem quisq; papirum tenens, ac pugillares, quos quisque elegit, annotat. Nullus autẽ Alexandri* III. *constitutione pro pontifice haberi potest, nisi duarum partium ex cardinalib. integra suffragia tulerit.*

Qui

*Qui numerus si ex codicillis adimpletur, tum pontifex creatus est: sin minus, liberum est cuique, quem voluerit patrum, non electum à se scripto, voce eligere, quæ electionis ratio accessus appellatur. Rarumque est quempiam ex solis codicillis eligi; vocum accessio conficere totum opus solet. Alius est quoque creandi pontificis mos qui per adorationem dicitur. Hæc autem est, cum duæ partes cardinalium non expectato, vt vocant, scrutinio, sed voce tenus omnium consensu, & voluntate quempiam ex cardinalibus in Romanum pontificem salutant atque venerantur: Qua ratione Iulius* III. *Marcellus* II. *& Paulus etiam* IIII. *renunciati fuerunt Pontifices.*

## DE INAVGVRATIONE VVENCESLAI BOEMIÆ REGIS PRAGÆ ANNO CIↃ.CC.XCII.

VI.

A*Nno à parta salute* CIↃ.CC.XCII. *vel vt alij volunt* CIↃ.CC.XCIX. *vt quidam etiam anno* CIↃ.CC.XCVI. *VVenceslaus E. N. II. cognomento Pius, vna cũ Cutha, quã alij Iuditham appellant, Coniuge sua, Rudolfi Rom. Imp. filia, in Basilica arcis Pragensis per Magdeburgensem archiepiscopum vice archiepiscopi Moguntini, qui tum excommunicatus erat, regno Boemiæ consecratur & inauguratur: vbi Chronicon Aulæ regiæ habet, tum solis hospitibus & aduenis de curia regis pabulum pro equis datum fuisse, qui numero fuerunt ad centum nonaginta millia.*

## DE INAVGVRATIONE IOANNIS I. BOEMIÆ REGIS PRAGÆ ANNO CIↃ.CCC.XI.

VII.

A*Nno* CIↃ.CCC.XI. *vel vt alij* CIↃ.CCC.X. *Joannes eius nominis I. X. R. Boem. cum vxore sua Elisabetha, insignitur diademate regni Boemiæ in arce Pragensi à Petro Aichspaldio Archiepiscopo Moguntinense in frequentiss. regni Boemiæ statuum conuentu. sacro coronationis ritu absoluto, Rex & Regina Pragam Veterem proficiscuntur, quorum capitibus erectum quatuor epistylys velum (vmbellam panni auro intertexti pensilem recentiores appellant) quasi cœlum rutilans, imminebat, à quatuor dextrarijs (equis gradarijs) electis gestatum. Eisdem vnà cum toto conuentu Procerum regni in D. Iacobi ad Franciscanos lautissimum epulum datum. cui coronationi plus, quàm trecenta hominum millia interfuisse feruntur.*

DE INAV-

## DE INAVGVRATIONE CAROLI V. GALliarum Regis Rhemis anno clↃ.ccc.lxiv.

### VIII.

*ANno* clↃ.ccc.lxiv. *Mense Maio in ferijs sacratißimæ Trinitatis Carolus Quinctus coronatur: peractæq; sunt cerimoniæ ab* xii. *regni patricijs, sua quoq; munia magna celebritate obeunte. Ioannes Archiepiscopus Rhemorum Regem sacrauit & inunxit. Episcopus Laudunensis portabat ampullam cum sacro oleo. Episcopus Lingonum geßit Regis sceptrum. Philippus Dux Burgundiæ tiaram Regis capiti imposuit. Ludouicus Dux Andegauensis vicarius ducis Aquitaniæ primum geßit Regis vexillum quadratum. Venceslaus Dux Brabantiæ auunculus Regis, vicarius Ducis Normanniæ secundum geßit Regis vexillum quadratum. Episcopus Bellouacensis geßit togam regiam. Episcopus Nouiomagensis regiam geßit zonam. Episcopus Cathalaunensis regium geßit annulum. Ludouicus Comes Flandriæ regio ense Regem accinxit. Robertus dux Ambarorum vicarius Comitis Tholosani regia portabat calcaria. Dux Lotharingiæ vicarius Comitis Campaniæ gestauit signum militare regium. Adfuere pariter in frequentia nobilitatis Petrus rex Cypri; & Margareta Ludouici mater Comes & Burgundiæ, & Atrebatesii.*

## DE CAROLI VI. GALLIARVM REGIS INauguratione Rhemis anno clↃ.ccc.xxc.

### IX.

*CArolus eius nominis sextus inauguratus est in Galliæ Regem anno ætatis suæ* xii. *salutis vero generis humani per Christum optimum maximum* clↃ.ccc.xxc. *præsentibus auunculis & patruis suis Ducibus Andegauensi, Auaricum, Burgundionum, & Borbonio: item magnis patruis & auunculis Vincelino Duce Brabantiæ, Duce Barrensi; Duce Lotharingiæ, Comite Pedemontano, Comite Marchiæ, Comite Euyo & Dynasta Guilelmo Namurcensi. Comes autem Flandriæ, & Ioannes Blosius Comes, per legatos absentiam suam excusarunt. Ingressus est autem Rex vrbem Rhemensem Saturni die hora tertia vespertina, stipatus ingenti procerum nobiliumque caterua, & triginta tubicinibus præcinentibus, & descendit ad ædem D. Virginis matris, vbi illi præsto fuere cognati ipsius, pueri etiam adhuc; Nauarreus, Albrethius, Barrensis, Harecortius, multique alij filij omnes principum & Dynastarum sanguinis Gallici: quos omnes postridie rex baltheo equestri donauit; ideoque bonam eius noctis partem cum Rege ipso*

*in æde sacra, precibus vacantes, peruigilarunt. Die dominico autem in quem tum incidit festum omnium Sanctorum templum exornatur quam exquisitissimis aulæis; ibiq; sacris operatur Rhemensis Archiepiscopus, regemq; inaugurat et inungit ex ampulla sancta, ex qua olim Diuus Remigius inunxit Clodouæum primum Regem Christianum Franciæ; quæ diuinitus fertur per angelum ad hoc missa; neq; cum omnes exinde Reges ex ea inuncti sint, oleum in ea decrescere comperitur. Ante consecrationem autem Rex ante aram maximam pueros omnes, quos diximus, equestri dignitate donauit; indeq; ornatu regio solio exstructo ibidem imponitur, quod auro textili instratum erat; ad pedes autem eius sedebant principes pueri noui equites in sedilibus auro textili stratis & ipsis. Functusq; ibidem est officio Conestabilis Regni, ad quam dignitatem non ita multo ante euectus fuerat, Oliuerius Clissonius: omnesq; proceres regni splendore & luxu inter se certantes & contendentes, cinxerant Regem diademate pretiosissimo coronatum. Atque eo die, vt verum & solidum omnes Galli gauderent gaudium, sublata sunt per vniuersum regnum omnia tributa, exactiones, subsidia, vectigalia, &, quocunque ea appellari nomine ius fas est, nouè inuenta, & proximis superioribus annis inducta. Post sacrum autem reditum est in palatium, quod quia angustum futurum erat tantis turbis, in area eius exædificatum erat editum tabulatum, vbi mensa regia instrata est, ad quam accubuerunt Rex primo, & inde quinque auunculi patruiq; eius, Duces Brabantiæ, Andegauensis, Auaricum, Burgundionum, & Borboniæ: ad dextram vero Regi sedit Archiepiscopus Rhemensis aliique ecclesiastici proceres. ad cyathos autem, & ad inferendos missus stabant regni dynastæ; Coucyius, Clissonius, Tremolius, Almirates, seu rei maritimæ præfectus; omnes in equis, auro textili stratis. Postridie autem Rex prandium sumpsit more maiorum (debet enim hoc nouè inaugurato Regi illa abatia perinde vt ipsi Rhemenses sumptum inaugurationis ferre coguntur) apud sodales S. Theodorici, secundo ab vrbe lapide; indeq; magna pompa Rex Parisios contendit, vbi honoribus exquisitissimis à lætis & ouantibus ciuibus affectus est.*

## DE INAVGVRATIONE HENRICI ANgliæ Regis Londini anno cIↃ. ccc. xcix.

## X.



*Nno* cIↃ. ccc. xcix. *prid. Kal. Octobres Comitia regni Anglicani habuit in Palatio Vuestmonasteriensi ad vrbem Londinensem Henricus Lancastriæ Dux; ad quæ conuenerant,*

*rant,*

*rant, præter Ecclesiasticum ordinem, & frequentes regni proceres, magnamque nobilitatem, & delegatos ciuitatum, ac communium, quibus more maiorum sententiæ dicendæ, & suffragij in ijs ferendi ius est. Ibique idem Lanclastrius Dux docuit ius regni ad se potissimum pertinere tribus ex causis, quarum prima esset; quod id acquisiuisset; secunda, quod nemo esset regij sanguinis princeps, cuius potius esse deberet; tertia, quod id Rex Richardus in manus ipsius resignasset. neque opus erat multis persuasionibus iam persuasis, & certis non alium quam eum regem pati. quare vna voce omnes regnare eum iusserunt: inq; solium regium è vestigio sustulerunt, quod iuxta erat, auro textili instratum: sublatisq; digitis sacramentum ei dixerunt, magna cum lætitia, dilata inauguratione in statum festum S. Eduardi, quod erat futurum* XIII. *Octobris. Saturni igitur die ante inaugurationem Rex relicto Palatio monasteriensi ascendit Londinensem arcem cum maximo comitatu; ibiq; peruigilium de more celebrarunt equestri dignitate postridie donandi, qui erant numero* XLVI. *habueruntque singuli singula peculiariter cubicula; & balnea, vbi se nocte abluerent. orto autem sole post sacrum Rex eos baltheo equestri cohonestauit; & donauit illis singulas vestes talares virides, manicis arctissimis duplicatis prælatorum in morem; cum duplici fune byssino candido in humero sinistro. Post prandium autem rex rediјt ad palatium VVestmonasteriense insigni pompa; ipse enim incedebat nudo capite, ex collo gestans conchyliatum torquem ordinis Gallicani, habebatq; Comitem Principem filium, & præter eum sex duces, sex Comites, & octodecim Barones, quorum omnium comitatus fuit equitum plus minus* ƆCCCC. *indutus autem erat tunica stricta, Germanorum in morem, ex textili auro: vehebaturq; equo candido, & cæruleam cruralem fasciam sinistro crure gestabat. hac pompa per mediam vrbem inuectus est, vbi se ei iunxerunt per collegia, eisdem vnumquodq; coloribus, oppidani, corporaque Londini negotiantium, ita vt simul essent equitum ad milia sex. plateæ autem omnes qua iter ei erat aulæis pretiosissimis prætexebantur vtrimque; & cum eo die tum postridie nouem in vrbe fontes iugiter vinum scaturiebant: hi album, illi rubellum. Nocte inaugurandus Rex corpus abluit; maneque orto sole peccata sua expiauit; indeque trinis ex ordine sacris operatus est. quo facto Ecclesiasticus ordo venit longo agmine in templum VVestmonasteriense, atque inde in Palatium, deducturus Regem in templum: quem comitati sunt Principes, Duces, Comites, Baronesque Regni omnes, purpureis clauis, & pallijs oblongis duplicatis, fultura byssina viridi; Duces autem & Comites gestabant humero sinistro tænias tres virides, Barones vero duas. omnes autem cucullos ferebant fultura similiter viridi. Reliqui*

*etiam omnes nobiles, & in primis equites, clauos purpureos pro ornamento habebant. supra verticem Regis vmbellam byßinam, cui adiuncta erant quatuor aurea tintinnabula, ferebant de more (hoc enim antiquitus ius habent) ciues quatuor Douurenses, à latere autem vtrimque duo gladij ferebantur, quorum Ecclesiasticam alter, alter designabat politicam iurisdictionem & potestatem. Gladium autem Ecclesiæ ferebat Princeps Galleus, filius ipsius natu maximus, gladium vero Iustitiæ seu politicum portabat Henricus Persyius, Comes Northombelandiæ, Regni Anglicani Conestabilis: moto ea dignitate paullo ante Comite Rostellantio. Sceptrum vero ferebat Comes VVestmaleus, Regni Marescallus. hoc ordine & apparatu ventum est in templum hora nona, vbi theatrum alte eductum erat in medio quasi; instratum vestibus viridibus, atque in eius quoque medio sedes Regia strata aurotextili. in hac sede Rex consedit; per omnia Regio more vestitus, nisi quod diadema vertice non gestabat. Archiepiscopus autem Cantorbiensis concionabundus circuibat theatrum, ostendens populo adesse, qui præesse & regnare inter ipsos deberet, diuinitus ad hoc allegatum; rogauitque an non eum vnanimiter in Regem inaugurari vellent? ad quod cum omnes velle respondissent, sublatisque digitis conceptis verbis parituros se ei in omnibus iurassent; Rex descendens ex theatro ad aram maximam procubuit; ibique ab Archiepiscopis duobus & Episcopis decem veste exuitur Regia, inspectantibusque omnibus sex locis inungitur; puta in vertice, in pectore, in humeris, in volis manuum, & imponitur illi pileus; dumque hæc fiunt ordo Ecclesiasticus alternat Litaniam, & Rex mox diaconi more induitur, cingiturque holoserico limbo cæruleo more Prælati Ecclesiastici; inde calcar vnum pedi illius inducitur, eductusque vagina Iustitiæ gladius initiatur, atque inde Regi traditur; qui eum in vaginam recondidit, reconditum autem Archiepiscopus Cantorbiensis Regis lateri accinxit. affertur mox corona Sancti Eduardi, arcuata in crucem, eique bene dicitur, & ab eodem Archiepiscopo regis vertici imponitur. Quo facto, & sacris finitis; Rex, qua pompa venerat, in Palatium reuertitur: cuius in medio fons diuisis scaturiginibus vinum candidum & rubellum fundebat. In prandio autem prima mensa Regi strata erat; secundam occupabant quinque Pares Regni Anglicani, tertiam Vilani Londinenses; quartam noue creati Equites; quintam Equites & Nobiles domestici Regis. Sedenti autem Regi adsistebant dextra Princeps Galleus tenens gladium Ecclesiæ, sinistra Conestabilis Regni vibrans Iustitiæ gladium; infra vero Marescallus, qui gestabat sceptrum. Regiæ autem mensæ accumbebant præter Regem, Archiepiscopi duo & Episcopi tres*

*deuiginti. Dum autem sic prandetur, ingressus est in equo cataphracto omnibus armis armatus eques quidam ( Diurethium vocabant ) ipse equusque toti cærulei; præcedebatque eum Eques alius qui ferebat hastam eius; accinctus autem erat ipse hinc gladio nudo, inde sica perinde nuda; atque hoc apparatu ingressus Regi libellum porrexit, quo continebatur, si quis ex equestri ordine & nobilitate existeret qui negaret regem Henricum præsentem, esse legitimum Angliæ Regem, cum eo se paratum armis congredi, vbi, & quando Regi collibuisset. quem libellum Rex per regem armorum clarigatione facta sex locis in vrbe & Palatio recitari iußit; neque quisquam inuentus est, qui redituras per iugulum voces ederet, sicq; finis solennis huius inaugurationis fuit.*

## DE DESIGNATIONE FELICIS IV. DICTI V.Pont.Max. Basileæ anno cIↄ.CCCC.XXXIX.

## X I.

*Hora iam post meridiem tertia, adhuc populo ieiunante cantatum est vndique: Te Deum laudamus, & organis respondentibus alternatim, vsque ad finem completus est hymnus. Quo facto egreßi sunt pueri in stolis albis admodum multi, longum pompæ ordinem facientes, quos secuta pars cleri vrbani est. Et post veneranda incorporatorum multitudo cum Doctoribus & vniuersitatum Oratoribus, qui in longis honestisque vestibus orantes incedebant. Exinde sacerdotes vrbani, excolendas sanctorum reliquias in vlnis gestantes ingrediebantur. Mox vero Ludouicus Lausanensis crucem argenteam ante se habens, sequentibus quatuor clericis incedebat. Post vero Cardinalis Arelatensis adhuc & mitra, & auratis refulgens vestibus deuoto & desideranti populo benedicens. Exinde infulati episcopi & abbates ad pompam ornati, innumerabili populo subsequente procedebant, sicque aliјs orantibus, aliјs suspirantibus vsque ad ostium conclauis est processum, armatis hinc atque inde propter custodiam conclauis adstantibus. vt vero ad conclaue ventum est receptis electoribus dimißi sunt cæteri. Intromißi sunt etiam dominorum famuli conceßi. Nec tum ostium conclauis statim est clausum, sed vsque ad nonam ante medium noctis horam familiaribus patuit res deferentibus opportunas; permißique vsque id temporis sunt amici ad amicos accedere. Cardinalis autem sic ingressus sequentibus electoribus, in sacello quod celebrandis sacris paratum erat, ante altare, & ante ipsum Christi vexillum genibus flexis, & nudo capite orationi-*

*orationibus Deo porrectis, & domui, & habitatoribus bene dixit: sicq; positis pluuialibus et mitris, illuc se quisq; recepit, vbi nomen suum recognouit. Cum vero iam noctis venissent tenebræ, ingressus est protector cum quibusdam ciuibus, vt quisq; locatus esset, visurus, q voluptatem magnam ex tam rato ordine cepit: post eum vero intrauit Lausanensis vicecamerarius, & ipsum secuti custodes conclauis, quorum aliqui ex ijs singulas cameras diligenter rimati, & personarum, & rerum examen habuerunt, excussuri extra conclaue, si quid contra leges reperissent, sed nihil præter pmissa inuenientes, abierunt. Et hora (vt dictum est) nona, tam intra, quàm extra obserata est ianua, et vndiq; admoti pessuli, cum catenis. Sed quoniam de conclaui sermo est, necessarium existimo ipsius formam conscribere. Domus erat in medio vrbis, apud plateam cathedralis ecclesiæ, loco edito & patenti, quam nobiles quondã in vsum struxerant chorearum, supra, infraq; capacissimas habens aulas: & superiorem sane, quoniam igne poterat calefieri, hyemi, inferiorem æstati deputauerant. Hic igitur conclaue haberi posse est visum, vt esset domus orationis, vbi fuerat lasciuiæ campus: & succederet virtutes, vbi vitia triumpharant. Constructæ ergo illic sunt, et supra, et infra mansiunculæ opportunæ, quarum numerus æquatus est cum electoribus, vna super adiuncta, quæ ceremoniarum clericis deseruiret. Fuit autem structura earum admodum facilis, nec enim aut saxo, aut robore ligneo parietes instruxerunt medios, sed positis in columnarum morem ex abiete sudibus vela simplicia, visuq; penetrabilia pro parietibus obtecerunt. Camerarum vero forma plerunque quadrata fuit, perbreuis tamen, & angusti vix lecti, vniusq; mensæ capax: luce autem omnes fere carebant, exceptis admodum paucis, quæ spiracula quædam in angulis cõclauis habuerunt. In medijs vero cellulis perpetua mansit obscuritas, nec sine candela aut legere, aut esse potuit quisquam. Noxq; vna ijs fuit dierum septem: ac cameræ inferiores plus etiam incommodi habuerunt, quia in solo positæ frigidissimo loca piscibus magis, quàm humanis apta corporib. præbuerunt. Quocirca omnes q eas inhabitauerunt, reumaticum morbum ex humore nimio contraxerunt, & tanquam alter alterum irrideret, tussientes inuicem respondebant, nec illi frigori vllum erat remedium. Vestes enim & villosæ pelles magis grauabant, q̃ calefacerent. Ignem vero habere nec loci angustia, nec periculum, aut fumus permittebat. Murus conclauis & crassus vndiq; & altus fuit. Omnesq; fenestræ clausæ fuerunt, paruis admodum foraminibus ad commune lumen relictis. Exterius vero etiam cancelli circa conclaue fuerunt: nec appropinquare muro aliquis poterat, nisi armati custodes, qui die, noctuq; intra ipsos cancellos excubabant. In media vero parte ipsius conclauis in modum fenestræ ostiolum fuit,*

*fuit, & hoc quidem duabus exterius clauibus, vna interius claudebatur. Quorum alteram vicecamerarius, alteram protector custodiuit. Interiorem verò Cardinalis Arelatensis habuit: nec vlli vnquam eam tradidit, nisi ceremoniarum clerico Æneæ cum aut admittendi cibaria, aut emittendi cœnarum reliquias esset tempus: bis namque ante prandium, & totiens post prandium reserebatur ostiolum. Et bis quidem recipiebantur fercula, bis autem remittebantur fragmenta. Quibus in rebus hic modus obseruabatur. Erant (vt antea diximus) in conclaui familiares, qui dominis suis electoribus seruiebant, doctoribus singuli, prælatis bini: extra vero vt quisque potuit, sic habuit ministros. Et illi quidem, qui foris remanserant, cibaria comparabant, quæ horis indictis in lignea capsa depicta (quam cornutam appellant) vsque ad conclauis ostium deferebantur: & ne suspitio veneni esset, degustare tam pocula, quàm cibaria cogebantur. Exinde per custodes conclauis examen fiebat, ne vel literæ, vel aliud quiduis præter eorum scitum intromitterentur. Quare omnia in manu vicecamerarij dabantur. Et ille extendens ad ostiolum manus reddebat Æneæ ceremoniarum clerico, cui soli cum socio licebat adhærere fenestræ. Itaque nec qui extra erant, mandare aliquid in conclaue poterant, nisi per vicecamerarium: nec qui intra dictare aliquid foris, nisi per clericum. Oportebatque omnia alta voce & Latina dicere, vt qui protectoris erat interpres, intelligeret quæ mandarentur. Cùm vero emittendi reliquias cœnarum hora aduenerat, vocabantur per clericum ceremoniarum familiares cum cornutis: qui venientes ad cancellos interiores, ipsi clerico omnia aßignabant, & ipse extra fenestram vicecamerario tradebat: mittebantur etiam foras paropsides, & alia mensarum ornamenta, quæ lauacro indigebant. Sed & ea etiam scrutabantur custodes, ne quid emitteretur literarum: fueruntque aliquæ deprehensæ, quæ stultitiam magis familiarium quàm rem proderent. Nonnulli etiam in ipsis vasorum fundis sculpentes literas commonere amicos tentauerunt: sed inuentis omnibus, nec graue aliquid, nec quod ab electoribus prouenire compertum est. Vt vero perquisita singula erant, quæ foras mittebantur, quicquid cœnarum supererat, pauperibus Christi dabatur. Qua ex re plus quàm ducenti vitam trahebant. Quocirca cum omnibus longißima videretur conclauis mora, solis huiusmodi pauperibus est visa breuißima. Illud etiam custodes conclauis libenter obseruabant, ne ad electorum alimenta diuersæ species cibariorum deferrentur. Et oportebat quidem, aut carnibus tantum, aut piscibus vesci: aut si neque hoc, neque illud placebat, ouis & caseo. Rursusque qui car-*

*qui carnibus vtebatur, vna specie contentus esse debebat: nec qui bouinam habuit, vti etiam ouina potuit. Quod idem quoq; in piscibus fuit: nec enim cui murena est intromissa, offerri quoque anguilla potuit. Si quis autem in legem commisit, partem alteram ad ostium perdidit: idq; cum prima die familiares incaute commisissent, & Dominis suis quasi nuptias celebrantibus dubiam afferrent cœnam, omnes in ostio spoliati sunt, nec plus vna specie intromissum est. Quos inter Cracouiensis etiam archidiaconus diminutionem tulit. Cui cum aues & arietinæ carnes afferrentur, subtractæ auiculæ sunt, orante in porta famulo, vt quod superesset, id domino concederetur: sperabat namque ex ariete partem ex auibus autem partem non sperabat: dominus vero auiculas præoptasset. Ideoque vt spolium sensit vbique conquestus, publicèque testatus est, nunquam se diem post quam sacerdos fuit, tulisse peiorem. Ac cum rogaretur, ne ægre id ferret, quoniam id idem contigisset Cardinali: Pròh (inquit) Cardinalem mihi comparas, hominem Gallum, parcum, euentrem, aut (vt verius loquar) non hominem? Ego apud eum meo malo & infortunio sum locatus, omnia quæ facit per lustris mihi cortina indicat, nec adhuc aut bibere eum, aut comedere vidi: & quod mihi molestius est, insomnes noctes, insomnesque dies ducit (quanquam nulla est apud nos dies) aut enim legit semp, aut negotiatur: nulla ei minor quam ventris est cura, mihi nihil cum eo commune est. Ego Polonus sum, ille Gallus: mihi ardet, illi friget stomachus, illi sanitas, mihi mors ieiunium est. Ego nisi multum comedam, & multum dormiam, cito deficiam. Illi è contrario omnia sunt. Ieiunent ergo Galli, Poloni comedant. Quo dicto cunctos in risum vertit. Et quoniam de hoc faceto, & hilari homine fecimus mentionem, id quoque non prætéribo. Ea nanque infelicitas eius fuit, vt famulus eius, qui foris mansit, semper ad ostium veniret vltimus cum cibarijs. Ex qua re ortum in ostio prouerbium fuerat, vltimum esse qui prior esuriret. Fuit autem hæc lex de cibarijs antiquitus aliter instituta. Primis enim tribus diebus nulla erat cibariorum apud veteres limitatio. Quarta die ad vnam speciem redigebantur. Nona vero sublatis alijs, solum panis & aqua electoribus tradebatur. Clemens autem vti clementia cupiens, rigorem legis in modum, qui nunc seruatur, moderatus est. Quin hoc quoque inter electores seruatum est. Patentibus nanque pransitatum & cœnitatum est cellis, vt sic oculis omnium testibus factis luxuriæ modus fieret. Et cibaria quidem inter se missitare non licebat, vinum licebat. Rigidusque huiusmodi legum non solum obseruator, sed custos etiam fuit Joannes Segouius, qui non aliter violare alienas leges exhorruit, quam suas proprias, apud Romanos Arrius Restio, de quo illud memorabile fertur, eum foris quoad vixit, postea non cœnasse,*

*cœnasse, ne testis fieret contemptæ legis, quam ipse bono publico pertulisset. Sed (vt eo redeam, vnde sum digressus) electores postquam obseratum ostium fuit, ac postquam aliquantisper in suis se continuerant mansiunculis, egreßi ad visitandum se inuicem sunt, atque vt quisque in sua camera accommodatus esset, inspiciebant, Quibus in locis non aliter se vicißim excipiebant, quam si ex longa peregrinatione rediissent: Eaque visitatione ad magnam noctis partem producta, tandem ad quietem est itum: horaque post medium noctis tertia ad matutinas singuli experrecti sunt: orantesq; vsque ad quintam, exinde sacrorum officio se tradiderunt, & alij quidem in suis cellulis, alij vero in communibus altaribus celebrabant. Episcopi nanque altaria plerunque portatilia apud se habebant. Clerici vero ceremoniarum diuersis in locis intra ipsum conclaue tria altaria erexerant, vt possent complurimi celebrare. vt vero dies illuxit, vniuersi ad commune sacrum venerunt: quo completo, & decantato hymno quo spiritus sanctus euocatur considentib. in concilio patribus, de modis in conclaui obseruandis consultatum in medio est. Isq; communi consilio receptus est ordo: statutum est singulis noctibus, quatuor supra & quatuor infra ex famulis assumi vigiles, qui noctes inter se partientes, curam haberent, ne vel ignis, vel alia quæuis res nocumento esse posset. Cui rei nemo vigilantius incubuit, quam Rubinus Antiquus Cardinalis de Cypro nobilißimi familiaris. Cuius excubatione nequaquam dubitauerim pleraque euitata fuisse discrimina. Exinde cautum erat, vt post mediam noctis horam inter quartam & quintam euigilatio per omnes fieret: tumque vsque ad septimam, vt cuique animo esset, aut oraret, aut celebraret, postea vero ad commune sacrum omnes accederent: quo peracto, & spiritus almi efflagitato patrocinio, concilium iniretur: vtque in eo scrutinium fieret: & eo finito prandium haberetur. Ac deinde, vt quemque voluptas traheret, sic vel legeret, vel quiesceret, vsq; ad horam post meridiem tertiam: quo tempore iterum intrantes Concilium, illorum mores in examen deducerent, qui præcedenti scrutinio nominati fuissent: matureque inter sese consulerent, quo nunc ecclesiæ modo ferri auxilium posset: Dimisso vero concilio, hora circiter post meridiem septima cœnaretur, ac post horas tres ad quietem se cuncti redigerent. Eoq; modo tam diem quam noctem partiti sunt. Atq; hoc modo custodiebatur inter dominos magna charitas, inter famulos bona dilectio, inter vtrosque optimum silentium. Et isti in dominos obedientes, illi in ministros benigni erant: nulla superbia, nullus liuor, nulla simultas vigebat, suus cuique status placebat: nihil secretum, nihil occultum fuit, omnia scire vicinum oportuit quæ fecit vicinus. Sed neq; mihi tacendi familiares videntur, quorum numerus fuit duo & quinquaginta. Itaq;*

*ta. Itaq; omnes animæ quæ ingressæ sunt conclaue, tres de nonaginta dinumeratæ sunt, fueruntque inter ministros complures & docti & ornati viri. Erant enim cum Cardinale Arelatensi Stephanus Plonerij, Petrus de Tridia, doctores, & archidiaconi: cum Archiepiscopo Tarantasiensi, Antonius Piceti iurisconsultus, qui auditor etiam Rotæ aliquando fuit. Cum Basiliensi Episcopo officialis eius, vir non minus doctus quam facetus. Fuerunt & alij complures, & docti, & egregij viri. Quapropter facile potest quis dominorum excellentiam recognoscere, qui virtutes familiarium non ignorat. Sed iam tempus admonet, vt scrutiniorum seriem referamus & modum: Ergo in loco vbi & Cardinalis & Vicensis episcopi cella fuit, atque aliæ nouem, hinc atque hinc sedilia posuerunt. In summo loco ara erat sacra, & ante ipsam puluinar Cardinali stratum. Ad cuius dextram sedebat Archiepiscopus Tarantasiensis, & ad sinistram Dertusensis antistes, & successiue hinc & inde gradatim reliqui electores assidebant. Ante ipsum vero Cardinalem scabellum, & supra scabellum ex argento peluis stabat. Huc audito sacro, & decantato Spiritus sancti hymno, singuli electores venerunt, & eorum quilibet schedulam suam iecit in peluim. Easque postmodum singillatim Cardinalis recepit & legit: atque vt ipse legerat, quatuor alij ex electoribus electionem ipsius scribebant. Scriptio autem schedularum huiusmodi erat: Ego Georgius Vicensis Episcopus, eligo in Romanum Pontificem illum, vel illum: poteratque vnum vel duos vno in scrutinio nominare. Et inscribebat se quilibet electorum nomine proprio, vt sic in electione schedularum se ipsum quisque recognosceret, possetque contradicere, si aliter quam ipse diceret scripsisset, quæ res excludebat omnem dolum. Vt autem omnes schedulæ lectæ erant, & nominationes eorum conscriptæ, fiebat per scrutationem numeri ad numerum collatio. Et nisi in vnum aliquem duas schedularum partes reperiebant concurrere, easdem igne cremabant. Igitur primo scrutinio confecto, compertum est, plurimos esse in Papam nominatos, nullum tamen habere voces sufficientes: septemque & decem eo ipso die ex diuersis nationibus ad Pontificatum fuisse vocatos constat: vnus tamen omnes superauit vir præstantissimus Amedeus, Dux Sabaudiæ, decanus militum sancti Mauricij de Riparia Gebennensis diœcesis, quem cælibem ac religiose viuentem, sedecim electores primo scrutinio dignum, qui gubernaret ecclesiam censuerunt. Exinde hora post meridiem tertia, habitus est in Concilio electorum de denominatis diligens inquisitio: atque vt quisque opinatus est, aut extulit nominatos, aut depressit. Ea tamen habita est Amedei relatio, vt in sequenti scrutinio, quod celebratum est quarto Nonas Nouembris, ipse Amedeus vnam de viginti, ac deinde in tertio*

*vnam*

*vnam & viginti, & rursus in quarto vnam & viginti voces habuerit: quia tamen nullus adhuc duas habere partes compertus erat in omni scrutinio, exustæ sunt schedulæ. Cumq; ad electionem summi pontificis vna duntaxat vox desideraretur, multiplicari orationes & augeri deuotiones placuit, vt dignaretur Deus in vnum concorditer vota dirigere, qui pastoralem curam super dominicum gregem susciperet dignè. Et quia proximior alijs Amedeus Romano pontificio videbatur, habiti sunt in communi sermones multi de vita & moribus eius. Et alij, Non esse homini laico cito imponendas manus dicebant, quod videretur omnibus monstri simile, principem seculi ad Romanum pontificium accersi: quæ res nimium ecclesiasticis derogatura sit viris, quasi nullum haberent tantæ dignitati idoneum: Alij hominem qui fuerit coniugatus, cuique liberi essent, ineptum sacerdotio existimabant. Alij Romanum episcopum legis doctorem esse oportere, asseuerabant, multisque literis præpollentem. Quæ verba vt audierunt, alij mox assurgentes, longe aliter dixerunt; Amedeũ, & si doctor non foret, peritum tamen & doctum esse: qui cum aliàs in iuuentute sua literarum studijs insudaret, non titulos sed scientiam quæsiuisset, eumque & diuinum officium optime nosse, horas canonicas obseruare, septiesq; dietim domino dicere laudes. Quod si de vita, inquit alius, huius principis edoceri vultis, me obsecro audite, qui eum & intus & in cute noui: nempe hic homo ab ineunte ætate ac lacteis (vt aiunt) annis magis religiosè vixit quam seculariter, parentib. quidem obediens: & pedagogis obsequium præstans: semper enim Dei timore imbutus, nec vanitati, nec lasciuiæ operam dedit. nec vnquam puer de domo Sabaudiæ natus, tantam præ se indolem, aut spem tulit. Quibus ex rebus qui eum intuebantur, magnum ipsi aliquid portendebant. Nec fefellit opinio, siquidem, vir postquam adoleuit, animum semper ad alta eleuans, apud inclytæ memoriæ Sigismundum Cæsarem forensi certamine Gebennensem euicit comitatum, moxq; deinde familiam suam honorib. cumulans, ducales suscepit infulas. Ac si scire cupitis eius regimen, & quale, & quantum fuerit, illud primum cognoscite, virum hunc post obitum patris iam annis circiter quadraginta regnasse. Cuius tempore regina virtutum semper iustitia floruit. Audiens enim per se ipsum subditos, nunquam vel inopes opprimi, vel circumueniri imbecilles permisit. Ipse pupillis tutor, ipse viduis aduocatus, ipse pauperibus protector fiebat: nusquam in territorio suo, aut rapinis locus, aut latrocinijs patuit: diuites ac pauperes æquali iure apud se habebat, nec suis onerosum, nec aduenis importunum se exhibens: nullaque in patria grauis exactio pecuniarum fuit, satis se diuitem existimans, si ciues suos reb. omnibus abundare cognosceret, sciens, quia boni pastoris*

*esset non deglubere oues suas, sed tondere. In eo tamen præcipue solers exhibuit studium, vt & pace subditi eius fruerentur, & nulli sibi finitimi caussam succensendi haberent. Quibus artib. non solum paternum dominium tranquille gubernauit: sed alia quoque sponte ad eum venientia super adiecit: Nulli vnquam intulit bellum, illato vero resistens, semper de pace magis quam de vindicta cogitauit, & hostes singulos beneficio potius vincere quam gladio studuit. vxorem vnicam duxit, eamque virginem nobilem, & formæ, & pudicitiæ admirabilis: familiam omnem suam non solum manus, sed oculos etiam abstinentes habere voluit: fuit in eius domo summa honestas, summa obseruantia morum, & in seculari palatio claustralis obseruabatur religio. Ac vbi thori consors è vita emigrauit, vbi ducatum suum firmatum, & ad posteros suos sine controuersia venturum perspexit, animum, qui semper religiosus & Deo dicatus fuerat, patefecit, et qualem in corde gestaret voluntatem demonstrauit. Contempto nanq; seculi fastu, omniq; pompa despecta, vocatis secum charissimis amicis, in hæremum concessit: vbi constructo miræ deuotionis & artis monasterio, in seruitium Dei se relegauit, & tollens crucem suam, sequutus est Christum. Quo loci per plures annos conuersatus, singularis sanctimoniæ dedit argumenta: vestes quidem non alias induens, nisi quæ possent frigus arcere, epulasq; non alias sumens, nisi quib. pelli fames valet: vigilansq; ad plurimam noctem, nullam vnquam diuini officij horam neglexit: Cumq; ibi pulcherrimum Deo & beato Mauritio sacellum construxisset, & honorificum sacerdotum collegium ordinasset, diebus illic singulis ter sacris operam dedit & interfuit: tantusque illo in monasterio seruatus est rigor disciplinæ, tanta honestas, tanta religio, vt nusquam sub cœlo putē, aut sanctiorem, aut deuotiorem inueniri locum. Quocirca non nouiter (vt quidam ante sentire sunt visi) hic princeps ad ecclesiam venit, qui natus Christianus ex progenitorib. iam mille annis & vltra Christianis, nunc Deo in monasterio seruit, nam quod de vxore dicitur nihili pendo, cum nō solum q vxorem habuit, sed etiam vxorem adhuc habens queat assumi. Cur.n. disputant doctores, an vxoratus electus in Papam vxori soluere debitum teneatur, nisi quia etiam coniugatus recipi potest: fueruntq; (vt scitis) etiam in matrimonio pontifices, nec Petrus apostolorum princeps vxore caruit. Quid ista igitur nunc obijcimus? vt & illud quod mihi risu magis, quam responso dignum videtur, quod de filijs est dictum? Etenim cur filij, præsertim natu grandes, pontifici patri sint impedimento? Nunquid ait scriptura: væ soli, quoniam si ceciderit, non habet subleuantem se? hoc imputari principi huic non poterit. Sunt .n. illi filij duo, & forma, & ingenio admodum p̄stantes. quorum alter princeps Pedemontensium, alter Comes est Gebennensium. Hi*

*patriam*

*patriam Sabaudiam, absente patre, gubernabunt, indigentiq́ ipsi auxilia subministrabunt. Iam. n. regere ac praeesse populis didicerunt. En quid mali hoc est, habere Rom. antistitem potentes filios; qui patrem contra tyrannos iuuare queant? proh reuerendissimi patres, sanè quò magis huius puersi temporis pcellas intueor, quò magis angustias animo euoluo, quib. ecclesia hac nostra tempestate coarctatur, eò magis non vtile tantum, sed necessarium esse arbitror, hunc ipsum eligi principem: & existimabo singulare Domini dei in nos beneficium, si eum videro huius cymbae suscepisse gubernaculum. Considerate (oro) paulisper: quibus in terminis simus, quibus angustiis premamur, quibus periculis agitemur; quis principum est huic sacro concilio obediens? alij nec Concilium hic esse fatentur, nec mandata nostra suscipiunt: alij verbo hic esse Concilium dicunt, facto Florentiae fore ostendunt. Quamuis enim verbis & literis ecclesiam hic esse non negent, promotiones tamen apud Gabrielem depositum procurant. Hic est status ecclesiae, his procellis nauis illiditur: surrexerunt filij impii aduersus matrem, qui nec suscepti lactis, nec materni laboris memores, eam spernunt, eam lacerant, eam differunt & distrahunt, Quid hic faciendum est, illum ne hominem eligemus, qui nostris principibus magis derisui quam venerationi habeatur? non sunt hodie secula quae virtutem respiciant. Probitas (vt est apud Satyricum) laudatur & alget: pauper loquutus est, & dicunt: quis est hic? Bona est equidem virtus, sed multum interest ad nostrum propositum, an in potente sit, an in paupere: vobis eligendus est gubernator, qui non solum cōsiliis, sed etiam viribus nauim regat: validus ventus est, nisi & consilium bonum sit, & brachia fortia, frangetur malus, & periclitabuntur omnes. deinde euidens ante oculos est, ꝙ virtutem impotentem nihili pendunt principes. Nunquid maxima virtus hic ostensa est, vbi nullo timoris signo dato tamdiu pugnastis? Debuerant principes terram deosculari, vbi gressus vestri impressi sunt, quia tamen potentes praelati, ac praecipui Cardinales a nobis defecerunt, videtis quid principes fecerint. Aspicit tamen ex alto Maximus atque Optimus Deus talia, hisque (vt puto) resistet insolentiis. Saepius ego illorum opinioni assensus fueram, qui expedire dicebant, temporale Dominium ab Ecclesia secerni. Opinabar nanque & sacerdotes Domini ad diuina mysteria reddi expeditiores, & Principes seculi erga Clerum fieri obedientiores. Nunc autem didici, quam inanis sit sine potentia virtus; nec aliud est Romanus pontifex sine patrimonio ecclesiae, quam Regum & Principum seruus. Quod praeuidens Diuina pietas Romanam Ecclesiam dotari per Constantinum, & locupletari voluit, vt qui spreto spirituali gladio, aduersus fidem & bonos mores tumultuarentur, potenti brachio possent*

 *compesci.*

*compesci. At cum hodie terræ ecclesiæ partim per Gabrielem, partim per alios occupentur tyrannos, prouidendum nobis est, vt virum talem eligamus, qui & recuperare patrimonium queat ecclesiæ: & in quo Christi vicariatus non contemnatur: cuiusque potentiæ clypeo eorum contumacia comminuatur, qui rationem contemnunt & veritatem. Ad quas res nemo (vt mihi videtur) aptior est Amedeo duce Sabaudiæ, qui alterum in Italia, alterum vero in Gallia pedem habet: cui omnes fere Christiani principes, aut sanguine iuncti sunt, aut amicitia: cuiusque quanta sit virtus, iam supra retulimus. Quid igitur hunc hæremus eligere? nemo est, quem magis dari sibi aduersum, Gabriel quam istum timeat. Pereat igitur eo gladio quo se periturum putauit. Nemo est qui magis pacare ecclesiam, quam iste possit. Quæritis enim in pontifice deuotionem? nemo est eo deuotior. Quæritis prudentiam? iam intelligitis ex anteacta vita quis sit. Quæritis iustitiã? populus eius est testimonio: siue potentiam, siue virtutem efflagitatis, hic omnia sunt: quid moramini? Agite (obsecro) bonis auibus hunc eligite: hic fidem augebit, hic mores reformabit, hic authoritatem ecclesiæ conseruabit, hic aduersarios reprimet, hic pacem Christiano populo reddet. Non audistis eos qui de futuris prædicant, has fluctuationes ecclesiæ prænuntiantes, annum qui iam instat quadragesimum, his terminum malorum assignare? nunquid iamdudum audistis Papam his temporibus eligi debere, qui consolaturus Sion, omnia ponat in pace? & quis erit (obsecro) ille, qui talia queat implere, nisi istum assumamus? Credite mihi, scripturas impleri oportet, & trahet (vt spero) animos vestros, etiam si nolimus, Deus: tamen vos quod rectum & sanctum est volentes potius agite.*

*Hæc cum quidam dixisset, maxima electorum pars ei fauendo arrisit, eamq; habuerunt verba eius efficaciam, vt sequenti scrutinio perfecta res sit. Nonis enim Nouembris dum clerus ciuitatis circa conclaue cum reliquijs sanctorum staret, & pompa supplex prælatorum Spiritus sancti gratiam inuocaret, horam circiter ante meridiem decimam, aperto scrutinio, & facta collatione (vt moris est) numeri ad numerum, compertum est, Amedeum ducem Sabaudiæ religiosissimum principem, iuxta decretũ Concilij, in Papam esse electum, sexq; & viginti voces in eum concurrere. Quapropter subito inter omnes coorta lætitia est, omnesque rem gestam amplissimis verbis collaudarunt. Quocirca vocatis notarijs, & intromissis testib. confectum est de ipsa electione chirographum. Qua re sic peracta, remissis testibus horam circiter post meridiem primam, ad eas fenestras, quæ in plateam versæ erant, factus est impetus, omnesq; valuæ securibus infractæ, atq; illinc miranti populo nouitatem, crux argentea est ostensa. Erat autem iam tota ciuitas in platea, omnisq;*

*multitudo*

*multitudo in fenestram tendebat oculos, electum sibi nominari desiderans. Cum Cardinalis Arelatensis facto signo crucis, in nomine patris, & filij, & spiritus sancti, electi pontificis nomen publicauit, & oratione præmissa, populo benedixit. Post quæ hora iam tertia, prælati cum pluuialib. & mitris, ac clerus vrbis cum reliquijs ad cancellos conclauis venientes, electores similiter exornatos ad maiorem ecclesiam reduxerunt: vbi gratiarum actionibus magnis Deo adhibitis, iterum populo, qui erat innumerabilis, publicata per Cardinalem electio est: ac deinde cum maxima omnium voluptate hymnus lætitiæ & organis, & humanis vocibus est decantatus, & congregatio dissoluta.*

## DE EIVSDEM FELICIS IV. DICTI V. INAVguratione Basileæ anno cIɔ.cccc.xl. XII.

*INauguratio Felicis nono Cal. Augusti celebrata est in ciuitate Basiliensi, quam idem dominus Felix triginta antè dieb. Octauo Calendas Iulij, ingressus erat, in hunc fere modum. Locus est antè cathedralem ecclesiam late patens, vbi spectacula populo fiunt: illic sublimis tumulus constructus est, & super illum altare, excelso in angulo: desuper expassis preciosis pannis, ne vel pluuia, vel sol noceret. hinc prospectus in omnem plateam fuit: huc clerus, & vniuersa nobilitas, ipseq́; coronandus pontifex conscendit. Existimata sunt hominum circiter duo milia tribunal conscendisse. Venerat autem præcedenti die Ludouicus Sabaudiæ dux, ipsius Romani pontificis filius: vir comis aspectu, & affatu placidus, cõsilio & animo iusto: statura erat illi mediocris, & oculi palbi. Cum ipso autem summo Pont. alter filius aduenerat Philippus comes Gebennensis, summa virtute, & honesto corpore, honestisq́; morib. adolescens: sociusq́; illi Ludouicus Marchio Salutiarum fuit, quo in homine nescias formã, an eloquentiam magis admirere. Magna præterea tam ducem ipsum, quàm etiam summum pontificem è tota Sabaudia sequuta nobilitas erat, sui principis visura inaugurationem: contenderantq́; ita (vt fit) singuli quam splendidißimè venire. Itaque fuit magnus virorum, magnusque equorum apparatus, quorum numerus ad quàtuor millia diiudicatus. Ex Germania Marchio de Rœtelen iuuenili ætate decorus, flauos vento crines fatigabat. præter quem aderant etiam Conradus de Vuinsperg, Romani imperij hæreditarius camerarius, annis & sensu senex: Comes de Thierstein, cui nemo forma comparandus iuueni viroque fuit, nec adhuc senem senex æqualem habet. Oratores Argentinẽses, Bernenses, Friburgenses, Solodorensesq́;, omnis ad hæc circumuicina nobilitas, tantaq́; externi populi multitudo concurrit, vt nulla*

*vt nulla capi platea posset: ac si iocari licet, quicquid vini erat, sit ebibitum. Capita hominum ad quinquaginta millia credita sunt. Ciuitas verò mille robustos iuuenes in armis habuit, ne quid tumulti, ne quid rixarum fieret prohibituros: aciem non minus timendam, quàm admirandam; horum autem alij tribunal, alij palatiū obseruabant. Tecta omnia domorum, fenestrasq́; & arbores viri fœminæq́; obsederant. Platea verò sic populo plena fuit, vt nec sinapis grano datura fuerit locum. Quib. omnibus expectantibus, aduenit in ipso diei ortu Felix electus veneranda canicie, decorus aspectu, & facie tota prudentiam præ se ferens singularem. Statura hominis (vt filiorum) erat cōmunis, forma egregia, quantum senio datur, pilus albus, cutisq́; sermo paucus & grauis. Ante ipsum prælati infulati, & clerus vrbanus cum reliquijs introierant. Locatus ille in præeminenti sede est: cæterisq́; considentibus, & facto vbiq́; silentio, ceremoniæ inchoatæ sunt, quarum sic peritum se Felix ostendit, vt nihil monitoris eguerit. Putasset que nemo virum illum politicis in negocijs quadraginta, aut eo amplius annis versatum, tantum vnquam ocij potuisse habere, vt ritum ecclesiæ sic imbiberet. Castigabat itaq́; ipse per se aliorum errata, nec aliquid vel minimum extra ordinē fieri patiebatur. Celebrauitq́; sacrum suum & cantando, & legendo, plus quam dici posset solenniter, nihil omittens, nihil peruertens. Mira res omnibus, & spectaculo digna videbatur, patrem illic grandæuum celebrare, illic prolem insignem celebranti seruire. Quasi enim nouelli oliuarum surculi circum altare duo filij officiosè, attenteq́; (quātum laicis permittitur) ministrabant, meritoq́; dici hunc Felicem omnes aiebant, qui post exactam laudabiliter in seculo vitam, post administratum feliciter ducatum, generosamq́; sobolem educatam, ad regimen vniuersalis ecclesiæ accersitus à Deo esset. Vidisses plurimos præ lætitia lachrymātes, benedicentesq́; Dominum, qui ad tantum spectaculum viuere eos permisisset, qui rem suis oculis intuerentur, antea nec visam, nec auditam vlli. Fuit tamen inter hæc (vt sæpe accidit) res vna, quæ risum mouit. Moris est, vt inter ipsa solennia precationes pontifici fiant: quas primus diaconorum Cardinalium inchoat, iudices subsequuntur: hic autem loco iudicum Aduocati respōderunt. Cantantiq́; Ludouico Cardinali sanctæ Susannæ, viro maximo, & ceremoniarum apprimè gnaro (qui presbyter pro diacono fuit) responsuri aduocati, cantum adeo dissonum emiserunt, vt non solum risum, sed & lachrymas oculis omnium excusserint: nec maior de vlla re octo post diebus, quàm de illorum cantu sermo sit habitus. Quod etsi aliqui sibi dedecori existimauerunt, ego qui etiā inter illos fui, ait Æneas Syluius, nihil mihi ignominiæ putaui, inscitiam cantus: quam rem nemo vnquā non leuis perfectæ aggressus est. Ideoq́; & sequenti die, cum apud*

*Pradica-*

*Prædicatores idem officium exigeretur, cantitare meum carmen non erubui. Vt igitur finitum sacrum est, summusq; ipse pontifex cõsecratus, sacra Tiara triplici corona insignis, compluribus gemmis prælucida allata est. Spectanteq; uniuersa multitudine, & animam cõprimente Ludouicus Cardinalis (cui id officij quod Hostiẽsi episcopo debetur, synodus commiserat) quasi fructum suorum laborũ iam colligẽs, coronam ipsam excellentis precij & operis, quam plurimi triginta millia aureorum facile æquare precio censuerunt, felici capiti Felicis imposuit: moxq; per vniuersos acclamatum est, vt vita Papæ diuturna esset: postmodumq; plenariæ indulgentiæ, quas nunquam antea populus ille habuerat, concessæ sunt. Completisq; coronationis solennibus, ex tribunali in pompam est itum: omnesq; in equis per ordinem pgressi sunt, ita ferè. Primi omnium erant laici, & vulgaris turba famulantium. Secũdo nobilium distinctæ familiæ. Tertio nobiles ipsi & milites. Quarto loco barones, comites, & marchiones. Quinto, dux ipse consilio suorum comitatus, in aureis vestibus ad terram demissis. Inter hos, vt potuit, exornare nixus est quilibet. Hic erant ostro & auro tecti, hic saga militum gemmis & argento onusta: hic tubæ, tibicinesq;, & mimorum cohors præludens: variæ vestes, varia ornamẽta, vt nulli sat vidisse sit visum. Post hos vrbanus clerus incedebat pedes, reliquias sanctorum gestitans, & puerorum cantantium candidus ordo. quibus succedebat vmbraculum rubei croceiq; coloris, ad quod scutiferi, quos honoris vocant, locati erant, rubeos gestantes pileos. Iuxta hos fuissent præfecti nauales, si qui adfuissent, sed loco illorum eremitæ Ripalliæ, quos milites S. Mauritij vocitant, suffecti sunt, viri graues, & æuo præmaturi, qui Felicis Papæ, & seculi & religionis fuerant comites, & qualis habitus illius antea fuisset, in suis vestibus præmonstrabant, plurimumq; reuerentiæ videbãtur mereri. Inde prioribus quibusdam pluuialia sine mitra gerentibus locus fuit. Mox successere scriniarij, & aduocati, pluuialia ex transuerso gestitantes, habitum cantui quẽ habuerant valde conformem. Idem gestamen debitũ erat his, qui sequebantur, iudicibus, quod minimè obseruatum est incuria promotorum: habuerunt autem cappas & pileos, tanquã prælati. Hos sequuti sunt abbates, & inde episcopi ornati pluuialibus, infulatiq; equis insidentes phaleratis. quo in ordine prætериuimus duodecim equos qui ante vmbraculum candore niuali, quales Rhœsus ad Troiam duxit, rubeo tamen tegmine vestiti collotenus, procedebant. Secundum episcopos, saluatoris nostri domini Iesu inter magna luminaria corpus deferebatur. Cuius conducendi cura Ioanni episcopo Argensi Theologo non minus vtilis, quàm laudatæ doctrinæ, tanquã sacristæ commissa erat. Sequenti in ordine duo Cardinales, duoq; episcopi, Dertusensis, Vicensisq;, q diaconorum Car-*

*dinalium tenebant locum. Vltimo in loco summ⁹ ipse pastor aureo tectus papilione triplicem gestans coronam, populoq́ benedicens, vnus omnium oculis desideratus, incessu maturo procedebat, Marchione de Rœtelen & Conrado de Vuinsperg equum eius ductantibus. Post eum thesaurarius, clericiq́ cameræ, et qui pecunias in populum iaciebat, ornatu decenti veniebant. Simul quoq; principum qui aderant Oratores, magnaq́ & confusa populi multitudo. Sicq́ per plurimos ciuitatis vicos est itum, donec Iudæi illum expectantes noua & fallaci spe ducti, legem Mosaicam obtulerunt, quam ipse laudans, ritum damnauit eorum. Exinde vero in cœnobium Prædicatorum ventum est, vbi fratres cum Priore obuiam procedentes, Papamq́ ante altare statuentes, claues cœnobij ipsi dederunt. Moxque finito lætitiæ cantico, hora iam post meridiem tertia magis ad quietem, quam ad prandium, quamuis adhuc ieiunus foret, dimissus est Felix. Altera die eodem ad sacrum omnes conuenere, quo finito, consummatisq́ nonnullis quæ restiterant ceremonijs, prælatis omnibus qui interfuere, duo argentei nummi, & vnus aureus traditus est: atq; exinde tota multitudo ad conuiuium conuocata, vbi nec lex Orchia, nec Fannia, nec Licinia locum habuit, nullaq́ alia sumptuaria, quibus vel pretium eduliorum vel obsoniorum copia præscribitur. Cœnitatum est, vt libuit, lautè, sumptuoseque: pransitatum quoq; (dubium est enim, prandium an cœna fuerit) horis circiter quatuor, homines plus mille cœnati feruntur. Pincernæ summo pontifici pulcherrima ꝓles, duo filij fuerunt, architriclinus Marchio Salutiarum. Ad horam tertiam post meridiem cessatum est. Hora vero quinta, eodem ordine quo itum erat, reditum est: ductusq́ Papa ad D. Virginis templum, quod est Basileæ præcipuum, in palatium per posticum ad quietem redijt.*

## DE VLADISLAI INAVGVRATIONE IN regnum Hungaricum.

## XIII.

*Albam ingressurus Vladislaus, ꝑ explicatis optimatum ordinib. tale ꝑfecto spectaculum exhibuit, quale vbiq; gentium dignißimum foret habitum. Vniuersam .n. Boemiæ, et potiorem Hungariæ nobilitatem ibi cernere erat. Præfecti ꝓuinciarũ, tribuni militum & legati legionum, centuriones et chiliarchæ, cum florentißima ꝓcerum iuuentute regẽ anteibant: antistites ex ordine subsequebãtur. Ibi varios & gẽmatos habit⁹ toto orbe spectabiles: ibi phaleratos, et supra hominũ opinionẽ excultos equos, nõ solũ auro et argẽto, sed lapillis onustos spectare licebat. Se quisq; certatim ꝑter oẽm luxuriã exornarat, vt maiestati re-*

*giæ congratulando se iactaret. Opeis hic Scytharum omnes effusas reputasses. Augebant admirationẽ & arma: quando aureas argenteasq́; galeas & thoraces gemmatos gestabãt. Variaq́; ex auro argentóue animalia & scintillantia præ lapillis ephippia ferebant. in extremo aũt agmine Budini ciues erant, modestius ornati, quib. mos inter coronandum templi postes, vnà cum Albĩnis, et instructa acie tueri. Ac primo cum pleriq́; optimates, & inprimis metropolita Colociensis & dux Laurentius, abessent, coronatio aliquantulum est prorogata, ne cui excusationis causa præpropera festinatione daretur: XI. vero Kal. Octob. rex ita ritè coronatus est. E proximis Dominici antistitis ædibus, vbi residebat, præcedente honestißimo comitatu, & vniuerso pontificũ ordine, pontificio cultu pgrediente, detecto capite, demißisq́; crinibus, paludatus rex in diuæ genitricis basilicam pdit: cui à dextra Vrbanus Agriensis episcop. à sinistra Sigismundus Quinqueecclesiensis erat. Ante hos Ioannes Coruinus, elatis manib. sacrum diadema pferebat. cuius latera hinc Stephanus Batho, sceptrum regale, & Ioannes sancti Georgij comes, pomum aureum ferens, claudebant. Mox istos Stephanus Syrmiensis episcop. aureã pacem, & Prior Lauranæ crucem gerens anteibat. Quin & Paulus Kimisius cum stricto gladio, & Mathias Gerebus cum ense vagina recondito aurea: item Ladislaus veteris Palatini filius, magister stabuli cum equo: et Ladislaus Losontius, cum regali vexillo, pcedebant. Ceremoniarum aũt & ordinis præfectura Ioanni episcopo Varadiensi tradita est; Osualdo Zagrabiensi veluti metropolitano, sacrorum operatione commendata: cum Hippolytus Strigoniensis metropolita, cuius hoc sacrũ munus erat, ob immaturã adhuc ætatem non adesset, quod haud ab re factum est, ne dignitati suæ derogare videretur. Sed quamuis ipse nõ venerit, validißimum tamen eqtatum (vt par erat) misit. At vbi in basilicã puentum est, parato suggestu, pcurante cuncta Ioanne Varadiensi omnes p dignitate, psidente in solio rege, in subselliis cõsedere. Instructi verò ad mysteria pontifices, in gradib. p ara magna cõstructis supra quam gladium strictum, sceptrum & coronam, cæteraq́; insignia regis imposuere: itẽ & arcanum exorcismorum oleum, sine quo regalia initia fieri ritè nequeunt. Vladislaus omnium religiosiß. ad stipendia hæc insignia se optimè ppararat. Eadẽ quippe hebdomade alternis dieb. ieiunia tria iam habuerat, quotidianaq́; in Deum resipiscentia tanti regni molẽ obiturus, diuinam opem implorarat: haud inscius, traditam à Deo potestatem sine diuino psidio geri non posse. Dieb. aliquot ad Deum ingemuerat, vt quem regẽ is elegerat, suis auspiciis cõprobaret, & vnà cum regno tueretur, in diuinoq́; semper obseqo retineret. Post consessum igitur omnium, cum Zarabriensis, q metropolitani loco in coronatione fungebatur, ante magnam aram psideret,*

 deret,

*deret, rex paludatus adhuc, cum pōtificib. q eius latera claudebant, reliquaq; manu principum, è solio descendit: & occurrentib. in pontificio habitu duob. episcopis, ad metropolitanū ducitur. Constitutus ante ipsum, ex more p̄ueneratur. Mox è ductorib. episcopis alter Sacrosancta, inqt, reuerende pater, ecclesia postulat, vt hunc delectum militem in regalem efferas dignitatē. Ac p̄conctanti illi, an eo munere dignus esset: cōtinuo est ab omnib. acclamatum, p̄ explorata viri sapientia, & virtute, iam esse dignißimū & Reip. salutarem. Quib. auditis metropolitanus sacrosancti patris officio fungitur, admonetq;, vt cum p̄clarum inter mortales locū inuenerit, sed periculis, laborib. solicitudineq; p̄petuò refertum: secum ipse reputet, cum omnis sit à Deo potestas, de grege sibi cōmisso Deo quoq; rationem reddere oportere: pietatem vsq; quaq; seruandā, Deum totamente cōplectendum, colendum puro corde: orthodoxam fidem, quam ab incunabulis hausit, ad mortem vsq; constantißimè retinendam, & p̄ virili parte defensandam. Christi vicarios et pontifices, omnes p̄ dignitate obseruandos: Ecclesiasticam authoritatem citra p̄sonarum discrimen vbiq; seruandam: exornandos esse bonos, & malos nulla impunitate donandos: miserabile quodlibet genus hominum, ab iniquißimo quoq; detrimento vindicandum: faciles adeuntibus aures adhibendas, & mansuetudinem cum affabilitate p̄standam: nihil deniq; patrandū, q̄ sit à regia dignitate alienum; & regnum suæ fidei cōmissum, ita esse gubernandum, vt non ad priuatam, sed publicam vtilitatem regnasse videatur: p̄mium deniq; reī benè gestæ non in terris, sed in cœlo postulandum. Contrà rex, harum rerum admonitus: cum diuinis inqt, auspicijs me ad regendam Vngariam euocatum esse sentiam, inprimis testor Deum Opt. Max. cæterosq; cœlestium numinum ordines, deinde vos omnes, q nunc adestis, me iusticiā, leges, & pietatem, pacemq; omnib. cum sacrosanctis, tum p̄phanis, cæterisq; hominib. qui qualiscunq; fortunæ p̄sonam gerunt, & sub mea ditione versantur, quantum in me situm est, et fidelißimi mei Senatus consilio fieri poterit, diligentißimè et integerrimè seruaturum: Pontificib. maximis legitimum semp̄ honorem exhibiturum, ac diuina ac humana iuxta curaturum: Ecclesiarum iura tutaturum: & antistitib. p̄ceribusq; nostris debitū semp̄ honorem impēsurum: illud postremo toto corde, ac summo studio enixurum, ne qd vnq̄ detrimenti resp. temere patiatur. Mox in admota p̄pius euangelia rite iurauit, vt dicta iureiurando & rata & firma ab omnib. haberentur. Genib. deinde flexis, implorādæ diuinæ benedictionis gratia, ante metropolitani pedes p̄cidit. Contrà ille assurgens, ingeniculatis omnib. elatis in cœlum manib. & deposita mitra alta voce precatus:* Omnipotens, *inquit*, sempiterne Deus, Creator omnium, Imperator angelorum, Rex regum, & Dominus dominātium: qui

fidelem

fidelem Abrahã de hostib. triumphare fecisti, tribuisti variã Mosi, Iosueq; populi tui ductorib.victoriam,humilemq; Dauid ad regni fastigia euexisti,quin etiã Salomonẽ ineffabilis sapiẽtiæ pacisq; munere ditasti:in preces nostras quęsumus respice,& sup hunc dilectũ tuum famulũ quẽ tuo nomine veneramur,optauimusq; regẽ,tuarum gratiarum dona diffunde,ac dextera potentiæ tuę domi militięq; tuere,serua in sanctissimo seruitio tuo ac pſta,vt vbiq; gẽtium iustitiã cum religione retineat inuiolatã:& tuo nomine fretus, exoptatã de orthodoxæ fidei hostib. victoriã & opima spolia referat. Quod vt à clemẽtia tuæ maiestatis imploremus,te p Christum dominum Deum nostrum,te p tuum filium vnigenitum, te p sempiterni regni collegã intimũ,& consubstantialẽ nuncupatissimis votis cõprecamur.*Post hæc inclinato ante magnam aram metropolitano, & pstrato ad læuã eius rege,recinente choro,sacræ preces effusæ,et nuncupata vota. Quod vbi factũ est,metropolitanus resumpta mitra,in pxima sede descẽdit. Rex à põtificum corona circũseptus,ante illum ingeniculatur:& exuto brachio,humeroq;,arcano catechumenorum oleo,priscorum regum more,veluti Dauid à Samuele ppheta delinitur. Inter deliniendum metropolitanus ista precãdo precatur:* Christus(*inquit*) Opt. Max.filius Dei viui,q à patre oleo exultationis delibutus est, p participib. suis: ipse per pſentem sanctæ vnctionis infusionẽ, paracleti spirit⁹ tibi benedictionẽ demittat, eandemq; ad cordis vsq; intima transfundat,vt exacta terrestris regni gubernatione pclara,in æternum cum regum rege,corregnare merearis in cœlis.*Intentis deinde in cœlum oculis,ita cõprecatur:*Omnipotẽs & sempiterne Deus,q reges populi tui vt sacro misericordię tuæ oleo inungerẽtur, edixisti: manib.nostris vim tuæ benedictionis cõcede q̃sumus, & Vladislao famulo tuo,quẽ sub tuo nomine regẽ inungimus,dignã vnctionis efficaciã & virtutẽ infunde,vt munita dextera, & corroborato humero,fortiter,iuste ac sapienter delegatum sibi regnum tuis auspicijs gubernet: tuamq; sacrosanctã fidẽ longè lateq; tueatur: quod vt à clementia tua impetremus,te p filium tuum vnigenitum exoramus.*Postq̃ rex sacris regalib.initiatus est,à pontificib. turbaq; procerum in solium reducitur. Metropolitanus subinde sacris occipit operari: & inita confeßione,sacer chorus concinere cœpit. Interea rex in sacrarium reductus, deposito paludamento, regali diui Stephani regis habitu, aureisq; cothurnis induitur:palliumq̃ è serico factum vranei coloris erat: cui Dei thronus,& Apostoli omnes,cum diuina maiestate,ex auro contexti,in palmatæ vestis speciem,quod non tam vetustate & censu,quàm religione picturæ spectabile videbatur. Regali ac sacro instructus habitu,*

*bitu, solium repetit: vbi postq̃ Alleluia concinuit chorus, ad magnam aram ex more reducitur, metropolitanumque praeueneratur. Tunc ille, sumpto ex ara stricto gladio, quem diximus:* Accipe, *inquit*, gladium diuorum apostolorum autoritate consecratum & diuino nomine tibi destinatum, super femur tuum accinge, ac regna: cuius vi aequitatem exerce, protere iniquitatem, sacrosanctam ecclesiam tuere, protege fideles populos, & haereticos ac hostes Christiani nominis iuxta persequere: defende viduas & pupillos, instaura collapsa, instaurata conserua: è facinorosis dignas poenas exige, & benemerentibus debitum honorem impende. Omnia consultis auspicijs & diuino numine dispone, vt egregius iustitiae cultor, cum Seruatore humani generis cuius vicem geris in populis, regnare perpetuo mereare. *Quae cum ita dixisset, ensem in vagina reconditum, illi statim accinxit:* Super femur, *addens*, tuum accingere gladio tuo potẽtissimè: illudq; menti altius inprime, sacrosanctos viros nõ gladio, sed fide regna vicisse. *Secũdum metropolitani orationem rex protinus ensem accinctus assurgit, educitq; ac fortiter vibrat: mox laeua manica tersum recõdit. Post haec, repetitum p̄ dignitate metropolitanum, genu flexo p̄ueneratur. Deinde sub adminiculantib. omnib. in pontificio habitu episcopis, acceptam ex ara coronam, regi metropolitanus imponens:* Coronam, *inquit*, sacram accipe ab indignorum manib. episcoporum tuo capiti diuinae Trinitatis nomine inditam: Hanc sanctitatis gloriam & honorem, ac opus fortitudinis esse crede, quin etiam initijs istis te ministerij nostri non expertem intellige: quippe qui, veluti nos spiritualium pasturam gerimus, ita & in externarum rerũ praefectura te aduersus omnes Christianae plebis hostes, tuę fidei commissae intrepidum fortissimumq; reddas, clarissimusq; propugnator adsistas, ne regno tibi delegato indignus esse videare. *Haec vbi dixit, regale sceptrum porrigens.* Virtutis, *inquit*, & veritatis virgã accipe, qua te facinorosos protere, fouere pios, & errantes dirigere, collabẽtes data dextera remorari, deprimere supbos, & humanos efferre, tueri probitatem, & iniquitatẽ insectari scias oportere, Diuinum illud dictum tecum quotidie reputa, virga aequitatis, virga regni tui. Et ideo dilige iusticiã, & iniquitatẽ odio habe: quin propterea quidem te vnxit Deus exultationis oleo, prę participib. tuis, vt suae vnctionis iura seruãdo, cum cohaerede suo filio, te perpetuò regnare posse sentiamus. *Surgenti deinde regi conditus à latere ensis amouetur, ensiferoq; Mathiae datur, qui continuè gestet cum ante regem: & rex in capite sacrum diadema, at dextra sceptrum gestans, à metropolitano in regale solium reducitur, et collocatur, quem regiam maiestatem*

*omni*

*omni ex parte referentem, his metropolitanus alloquitur*: Sta hic, Rex inclyte, ac regna, locumq; nunc tibi à Deo delegatum retine. Te ꝑ omnipotētis Dei auctoritatem, & ꝑ hanc sanctam coronationem, duodenorum apostolorū, cæterorumq; diuorū auspicijs, ministerio meo tibi traditam, vehementer oramus, vt quanto sacrum collegium magnæ aræ propinquius aspicis, tanto potiorē vbiq; gentium honorē tuis antistitib. impēdas: & veluti te Iesus, dei hominisque medius huc euexit, ita sicut fas & æquū est, cleri & plebis rationē habe, & vtriusq; ius pro dignitate tuere. *Vix ista dixerat cum sacer chorus ingentes deo laudes, gratiasq; concinere cœpit. Secūdum cuius hymni cōcentum metropolitanus exclamans, ait*: Firmetur manus tua, & exaltetur dextera tua, & iudicium ꝑparatio sedis tuæ. *Deinde per Christum Opt. Max. cæterosque diuos faustissima quæq; comprecatur: quod vbi factum est, ad aram reuertitur, prosequiturq; solennia: & cum ad communionem peruentum est, se regemq; sanctissima eucharistia reficit, munitq;. Et sacris rite peractis cum vniuersa rex multitudine ad diui Petri basilicam contendit, ibiq; in parato solio residet, dum aliquantisper ius dicit, hincque profectus extra vrbem, in suburbium magnum prodit, & in edito loco paratum podium cum instructo quorundam procerum ordine conscendit, interimq; omne genus numismatis missiliumq; in populum magna copia spargitur.*

## DE INAVGVRATIONE BORSI DVCIS FERRARIENSIS Ferrariæ anno cIↃ.CCCC.LII. XIV.

*CVm multis multorum litteris nuntijsque allatum esset Imperatorem Fridericum* III. *compositis controuersiis Hungaricis & Austriacis, itemq; schismate pessimi exempli inter pontifices, in Italiam aduentare cum Rege Ladislao, Romæ diademate ornandum, et imperio inaugurandum; indeq; matrimonio ac nuptijs legitimis iungēdum Leonoræ regis Lusitaniæ Edoardi filiæ: maximos cœpit apparatus omnium rerum facere ad tantum monarchā ex dignitate recipiendum vrbe et hospitio Borsius Marchio Ferrariensis: qui ei etiam occurrit cum magna nobilitate in finib. suarum ditionum, ingressus cum eo Ferrariam triumphali pōpa anni* cIↃ.CCCC.LII. *die* XVII. *vbi tum in tēplo metropolitano concionatus est in laudem & commendationem Augustæ familiæ Austriacæ Hieronymus Castellanus, Philosophus Ferrariensis. mansit autem tum Ferrariæ cum suis Cæsar perpetuis diebus octo, sumptu Marchionis, quem non exiguum fuisse ex eo licet conijcere, quod duo & amplius equitum milia secum haberet Imperator. Sed & ludi toto hoc tempore more Regio editi sunt; & spectacula omnis*

*generis*

*generis exhibita. donauitq; ad hoc Imperatorem Borsius quinquaginta Falconib. siue haliaetis generis peregrini, & quadraginta equis pernicib. admodum, quosq; inuenire potuit generosissimis. quorũ equorum strata auro argentoq; passim fulgentia splendentiaq;, altrinsecus intexta ostentabant hinc imperij aquilam nigrã, inde Estensis familiæ insignia, q̃ sunt alba eiusdem generis auis. Pridie quã Ferraria decederet Cæsar Fridericus, eodẽ venit Galeatius filius Ducis Mediolanensis, salutandi & venerandi Imperatoris causa à patre missus. Discedentem vero iam Imperatorem comitati sunt officij causa, cum Borsius ipse, tum Marchio Mantuanus, multiq; alij principes, & regum legati ad eum vsq; locum, qui indigenis Turris fossæ, siue fossati appellatur. vbi cum Cæsari valedixisset Ferrariensis Marchio; reputans Cæsar vitã Borsi regiæ magnificentiæ propius accedere, quam Principis nõ nimis latè imperantis; ipsiusq; in se merita expendens, decreuit secum tacitus ex itinere, quo redire in Germaniam inauguratione celebrata cogitabat, Ferrariensem principem reuisere, eiusq; ditioni Modonam & Regium adijcere, ducatuum iusto exhinc titulo ab eo administranda. Cõpos igitur mox voti vtrobiq;, hoc est, diademate iam auctus Romæ; & vxore Leonora in itinere per mare Hadriaticum, vxorem quidem Venetias misit, indeq; Neapolim, salutaturam ibi auunculum suum Alphonsum regem, ipse verò cũ Hungariæ rege ita vti facere constituerat* x. *Maij Ferrariam redijt.*

*Iam erat Ferrariæ in foro alte eductum tabulatum, siue theatrũ, aulæis peripetismatibus & tapetis regiè plane instratũ, instructumq;, quod cum ascendisset* XIIX. *Maij, quo die celebratur memoria ascensionis domini propitiatoris nostri in cœlum, Imperator habitu Augusto & imperatorio, capiteq; diadema illud gestans, quod illi Romæ* XIIX. *Martij paulo ante imposuerat pontifex maximus; ibidem sub dio præsentibus infinitis principib. legationibusq; & nobilitate magna Italiæ, Germaniæ, Hungariæ, Boemiæ, reliquarumq; nationum; nominatim vero adstantib. & præsentia sua hanc actionem cohonestantibus Rege Hungariæ Ladislao, Imperatoris cognato, & Alberto Duce Austriæ eiusdem Cæsaris fratre; ibi, inquam, tum circumsistẽte insigni hac corona procerum, Fridericus eius nominis tertius Romanorum Imperator, Borsium auxit solenniter ducatibus Modonæ, & Regij, cum comitatu Rouigensi; adiecto honore verborum, multisq; & magnis inmunitatibus, de quib. dicere huius non est instituti. nisi q̃ illud omittendum non videtur, eodẽ tempore mutata insignia Borsi, cui Imperator tum gestandas dedit Francicorum liliorum loco binas aquilas imperiales coronatas quam augustissimè; quæ tamen insignia non nisi hæredem eum sequuntur, qui administrationi rei Ferrariensis admouetur: reliquis ex familia Estensi vtentibus ijs, quib.*

*vsus*

*vsus olim Marchio bonæ memoriæ Nicolaus. addidit nouo Duci ius aliorum etiam insignium Cæsar nomine comitatus Rouigii, adiecta potestate ceræ albæ in sigillis adhibendæ. cerimoniæ autem præcipuæ tum obseruatæ in hunc fere modum se habuisse dicuntur:*

*Marchio indutus tunica ex auro textili, multis & magnis gemmis passim radiante, nisi quod cæteras premerent ostentatione sui tres cum primis, quarum vna humerum sinistrum, duæ pileum ornabant; Imperatorem adijt, pcedente & præferēte ei legato Christino Beuilaqua strictum ensem, præeuntibusque vexillis tribus, quorum primum gestabat Franciscus Forzatellus, eratq; illud ipsum, quod nouo comitatui Rouigensi debebatur; secundum ferebat Vinceslaus Rangonius, erantq; in eo picta insignia Modonæ & Regij; tertium, quod rubrum ex toto supremam Cæsaris & præsentem potestatem maiestatemq; designabat, ferebatur à Petro Marocello. cum hac pompa vbi ad Imperatorem ventum est ilico Borsus ante eum in genua pcubuit, quem humanissimè sublatum erectumq; iuxta considere iussit. indeq; mandauit vti tunica indueretur rubra segmentata, mustelis alpinis duplicata: cui accessit ducalis concolor pileus: ita vestito Imperator exertum gladium in manum dedit; eoq; symbolo ducem & comitem declarauit earum; quas ante iam sæpe memorauimus, vrbium ditionumq;. in quo finis huius solennitatis fuit.*

## DE EIVSDEM BORSI SECVNDA INauguratione Romæ anno cIɔ.cccc.LXXI.
## X V.

*CVm decreuisset Pont. Max. cùm de animi sui pcculiariter, tū de concilij quoq; Cardinalium sententia Borsum Marchionem Ferrariensem, fauentibus bonis omnib. honoris eius gratia, Ducali titulo pileoq; solenniter donare; ideoq; super ea re litteras ad Borsum dedisset, quibus petebat, vti festo die aliquo celebriori ad vrbem adesse ne grauaretur; Borsus oblatam hanc vltro occasionem è manib. non amittendam ratus, cum die* XIII. *Martij anno* cIɔ.cccc.LXXI. *sacro S. spiritus operatus esset, seu potius interfuisset, Romam versus initer se dedit p Flaminiam, comitatus proceribus multis, & in his Nicolao regulo Corregiæ, Marco Pico regulo Carpensi, Galeotto Pico Mirandulano, & Matthæo Maria Boiardo, regulo Scandiani; præterea quingentis alijs equestris ordinis, & ex primaria nobilitate; quorum plæriq; auro aut certe argento textili fulgebant. Aulica quoque & palatina ipsius officia ita distinguebantur, vt Cubicularij interioresq; ministri auro; à dapibus, à cyathis, alijq; id genus argento perinde textili induerentur. vestem quoq; & instrumentum cubilis viginti quinq; muli portabant, holoserico rubro seg-*

*bro segmentato contecti omnes; cui insignia Principis intexta essent, marginibus aureo limbo splendentib. Eadem prodigalitas erat in tubicinib. tibicinib. & famulis à pedib. qui numero multi, specieq; insignes & delecti omnes, auro etiam amicti incedebant textili. Præcedebant mulæ aliæ viginti quinque pannis tonsilibus coccineis instratæ; quæ strata à medio vtrimque pictura Phrygiana multipliciter variabat. Rursum centum quinquaginta eiusdē generis iumenta ibant tricolorib. stratis, cum Borsi symbolis, ex panno albo, rubro, et viridi. Eadē varietas erat in veste octuaginta admodum virorum, q pedites singuli quaternos canes molossicos ducebant, more eius temporis, veluti ex triumphali ducis Mediolanensis Florentiæ ingressu, q breui consecutus est, cognoscere etiam licet. Ceterum Borso occurrere iusserat Pont. Maximus in finib. ditionum Apostolicarum Archiepisc. Spalatrinum, Laurentium nomine, pfectum ærarij ecclesiastici, & principem Gubernatorem rei Rom. q cum illi obuius factus esset prope Anconam, Romam vsq; sumptib. pontificijs eum deduxit; quam Borsus cum statim ingredi nollet, ad vrbem diuersorium habuit, vbi eum egressi certatim Cardinales et legati regum gentiumq; consalutarunt, de aduentu gratulantes. Inde triumphali pompa vrbem inuectus est, ad q̃ spectandam et concelebrandam confluxisse dicuntur hominum ducenta quinquaginta et amplius milia; stupentib. Romanis tantam hanc opum ostentationem Borsi, & diserte pdicantib. nullum retro Imp. regemq; tam splendido, tamq; frequenti comitatu vrbem inuectum. Finitis salutationib. et gratulationib. vltro citroq;, ipso Paschatis, quod tum fuit* XIV. *April. in ducem Ferrariensem inauguratus est, cum prius obsequium Pontifici iurasset, et Ferrariam patrocinio ecclesiæ subiecisset; cuius ipse deinceps iure clientelari & fiduciario imperium titulo Ducis habiturus esset. Cerimoniæ autem ad hanc rem tales fere adhibitæ sunt, vt ex ipsis Borsi litteris ad fratrem Senatumq; Ferrariensem super ea datis cognoscere est:*

*Pontificis Pontificali ornatu amicti, atq; ita ad templum diui Petri incedentis rei diuinæ celebrandæ gratia, Borsus à tergo extremas lacinias, longas alioqui, & per solum raptandas, leuiter attollebat gestabatq;. Finitis autem tertijs, deducitur idem Borsus medius inter Archiepiscopos Mediolanensem & Cretensem, & sistitur ante pontificem, qui eum initiauit ordini equestri S. Petri, oblato ei nudo gladio, quo vteretur ad defensionem sui, sanctæq; matris ecclesiæ, & extirpationem omnium prophanorum & a religione nostra alienorum. atque hoc eum mox cinxit iam condito vagina Thomasus Princeps Peloponnesi, Moream vocant nunc, nuper ex regno profugus. Calcaria ei induit Neapolio ex Vrsinorum familia, Præfectus copiarum militarium pontificiarum; et Con-*

*stantinus*

*ſtantinus Sfortia, filius reguli Peſarenſis. Lecta epiſtola, ſecundo ab iiſdem Archiepiſcopis Pontifici ſiſtitur, cui ſacramentū dixit obſequij; quo facto Litaniæ cantantur, precesq; funduntur, vti bene vertat quod in præſenti re agitur. atque inde Borſus ad locum ſuum reducitur, ſediam Cardinalibus altrinſecus latera eius claudentibus; a quib. etiam tertio ad Pontificem deductus eſt, præcedentibus iiſdem duobus Archiepiſcopis, à quo oblatum Pacis ſymbolum cum oſculatus eſſet, ex ordine etiam oēs Cardinales oſculo ſalutauit, & veneratus eſt. hinc cum Pont. Max. ſacram ſynaxim ſumpſiſſet, Borſus affudit ei aquam, viciſſimque accepit ab eo habitum Ducalem; pallium cœruleum, Alpinarum muſtelarum exuuijs duplicatum, ab humerisq; replicatum; pileum à ſummo acuminatum, ab imo auritum. pterea inſertū eſt dextræ eius ab eodem ſceptrū, ſiue pedum auratum, colloq; aureus torques iniectus, atq; hoc ornatu à Cardinalib. ſuis ad locum priſtinum reductus eſt. Finito vero ſacro comitatum eſt eum ad diuerſorium vsq; vbi hoſpitio excipiebatur, atq; hoc quidem iuſſu Pontificis, vniuerſum collegium purpuratorum patrum. Poſtridie rediit Borſus habitu Ducali cum Pont. ad templum D. Petri, ibiq; collocatus eſt inter Cardinales S. Mariæ in Porticu, et S. Luciæ. finito ſacro concionem habuit Pont. in commendationem Borſi, gentisq; et familiæ Eſtenſis; enumeratis et pcurſis breuiter eius erga ſedem Apoſtolicam meritis. Hinc ductus à Cardinalib. Montis Ferrati, et S. Mariæ in Porticu accepit à Pont. roſam, quam vocant auream; quam cum p alterum Cardinalium ipſius Sanctitati reddidiſſet; tulit eam Pont. Max. ad limina vsq; templi, ibiq; inſpectante omni populo eandem roſam Borſo ſecundo obtulit; q cum ea ductus eſt à Cardinalium collegio in palatium S. Marci; vbi ei ſumptuoſiſſimum prādium inſtructum erat: vltimus aūt in hac pompa equitabat honoris cauſa Borſus, pcedentib more Romano reliquis Cardinalib. medius inter eum q erat Vicecancellarius, et Mantuanum: vt & Matthæus Palmerius hiſtoricus teſtatur. Quin etiam vt hæc omnia ſolenniore & frequentiore apparatu, atq; in ore & ſub oculis plurium fierent, retinuit peregrinos in vrbe Pontifex, dilata ſudarij oſtentatione, q̄ die Iouis ante ferias paſchales veteri conſuetudine fieri debebat, in hoc ipſum tempus, quo dum vult ſpecie humana auguſtiore videri, prodiit diademate tot maximis et exquiſitiſſimis gemmis, (vt ſunt adamātes, ſapphiri, ſmaragdi, chryſolithi, iaſpides, carbunculi, vniones) diſtincto, vt ipſi ſub earum onere fatiſcenti, hæc res initium pbuiſſe putetur apoplexiæ, qua poſtea periit. ſed vt ad Borſum reuertamur, ei Pont. Max. non tantum habitum, ornamenta, & inſignia ducalia donauit de ſuo; ſed ad hæc roſam, quam carbunculo nobili & multis alijs maximi pretij gemmis, quas olim à Borſo dono acceperat, diuq; apud ſe retinuerat,*

*& in vsu habuerat; distinguendam & interpolandam curarat, in argumentum praecipuae & eximiae cuiusdam beniuolentiae iterato, ita vti diximus, muneris loco obtulit.*

*Consequentibus quoq; diebus honoris Borsi gratia venationes ferarum variarum exhibitae sunt. Romanaq; nobilitas ludos militares edidit, quorum antesignani fuerũt hinc (nam in partes discessum erat) Hercules, inde Nicolaus Marchionis Leonelli filij. vicerunt autem ij, quib. dux erat Hercules, omine credo etiam nominis eius adiuti.*

## DE INAVGVRATIONE INVICTISS. IMP. Caroli V. Aquisgrani anno cIↃ. IↃ. XX.

## XVI.

*CÆsar constitutis in Belgio reb. necessarijs, Octobris diem sextum designat Electoribus, vt inaugurationis causa sibi praesto sint Aquisgrani: sed per id tempus admodum saeuiebat ibi pestis. Itaq; Principes, vbi Coloniam venissent, decem ab Aquisgrano milliarib. & grassantis morbi fama quotidie cresceret, missis litteris atq; legatis, Caesarem, q tum erat Louanij, rogant, vt ꝑpter eã causam alio se conferat. Oppidani verò, q maximos iã sumptus fecissent in adornandis domicilijs, et alimonia cõparanda, ꝑ idoneum interpretem, morbi vim extenuantes, animum eius confirmant, ne dubitet venire. Perstitit igitur in sententia Caesar, neq; Caroli IV. legem, qui sic statuisset, temere se posse mutare dicit. Octobris ergo die XXI. veniunt eo Moguntinus, Coloniensis, Treuericus, Saxoniae Ducis, & Brandeburgensis Marchionis legati. Nam Saxo per causam valetudinis Coloniae substitit. Postridie obuiam Caesari contendunt, & appropinquantem honorificè, cum ex equis descendissent, excipiunt, verba faciente Moguntino: ipse, per Salisburgensem Cardinalem beneuolè respondet. Coniunctis igitur agminib. vrbem petunt. Ante portam occurrit Palatinus. Equitatus erat omnis Electorum, circiter mille sexcenti, partim hastati, partim sagittarij: Caesaris autẽ ad duo millia, splendidissime omnes vestiti. Dux Cliuensis Ioannes, plane finitimus, equites adduxerat quadringentos, insigniter armatos. Iis contentio multa fuit cum Saxonicis, vtri praecederent: ita quidem, vt pompam istam, qua vix vllam Germania viderat illustriorem, nox interpellaret. Latus vtrumque Caesaris claudebant Coloniensis & Moguntinus: pone sequebatur Boemiae regis legatus, item Sedunensis & Salisburgensis & Croius, Cardinales: Regum atque Principum Oratores, Pontificius tantum aberat & Anglicus. Quod eo fecisse putantur, ne postpositi Principibus Germanis, eorum à quibus erant missi, viderentur in-*

tur in-

*tur inminuere dignitatẽ. Cæsar in ædem diuæ Virginis introductus, ibiq; precatus, ac deinde separatim cum Electorib. collocutus, in domicilium suum diuertit. Altera die rursus in templo conuenitur: tantus autem erat hominum cõcursus, vt à stipatoribus armatis ægre coerceri possent. In medio templi dependet corona quædam perampla; subtus erant stragulæ vestes multæ: hic aliquandiu Cæsar pronus decubuit, interea dũ Coloniensis quasdam precationes absoluit. Postea, sublatum Moguntinus atq; Treuericus ad aram diuæ Virginis adducunt. Hic iterum procumbit, & peractis precibus in solium auratum deducitur. Incipit sacrificare Coloniensis, & aliquousque progressus, Latinis verbis rogat, an fidem Catholicam seruare, defendere Ecclesiã, administrare iustitiam, restaurare imperium, tueri viduas, pupillos, & id genus calamitosos homines, an honorem debitum Romano pontifici velit exhibere. Vbi annuit, ductus ad aram, conceptis verbis iurat: post ad solium regreditur. Principes deinde Coloniensis interrogat, an fidem & obsequium ei præstare velint, eo promisso, & rursus aliquot dictis precibus, in pectus & caput, & brachiorum flexus & manuum palmas illum inungit: vnctum Moguntinus & Treuirensis in sacrarium abducunt, atque ibi Diaconi more vestitum, rursus in cathedra collocant: et post certas iterum preces, Archiepiscopis collegis adhibitis, ensem euaginatum ei Coloniensis tradit, ac rempub. commendat: & gladio in vaginam recondito, annulum inserit eius digito, postea pallium induit regale, sceptrum quoq; porrigit atq; pomum, quod orbis terrarum figuram repræsentat. diadema vero simul Archiepiscopi tres eius capiti superimponunt: inde ad aram adductus, iterum iurat facturum se boni principis officium: post, in sublimiorem locum, comitantib. Archiepiscopis, ascendit, & in saxea sede collocatur. Ibi Moguntinus lingua populari verba facit, & multam ei salutem precatus, se suosque collegas & ordines omnes imperij diligenter commendat. Idem deinde faciunt primarij templi sodales, quorum in collegium etiam allectus fuit, veteri consuetudine, posthæc, publicam lætitiam Symphoniaci & tubicines excitabant. Harum rerum omnium spectatrix erat Margarita Cæsaris amita, quæ Belgio toti præerat. Peracto sacro cum cœnam domini Cæsar percepisset, in equestrem ordinem recipit volentes. Hic honos communicari solebat antiquitus ijs tantum, qui strennue pugnassent in hostem, eratque præmium fortitudinis: nunc autem recepta consuetudine, reges gladio stricto leniter feriunt humeros eorum, qui hunc ordinem affectant. Et hac sola cerimonia promiscue hodie multi fiunt equites, non ex nobilitate tantum, sed mercatores etiam & quicunque præ cæteris in honore esse volunt. E templo ventum est in palatium magnificentissimè comparatum.*

*Ibi demum Cæsar prandium sumit, & Electores etiam singuli separatim, in eadem aula, dispositis mensis ad vtrumq; latus mensæ Cæsaris, Treuirensi locum obtinente contra Cæsarem, iuxta formulam legis Carolinæ. Veteri cõsuetudine bos eo die torretur, farctus alijs animalibus. Ex eo pars aliqua defertur ad Cæsarem, reliquum est multitudinis: vinum etiam duab. fistulis ad eam rem comparatis toto die publice profunditur. A prandio reuersus in diuersorium Cæsar, Imperii sigilla Moguntino tradit: postridie cœnã dat Electoribus. Eo q secutus est die, templum ingressus, finita Missa, Diuorum reliquias veneratur, & in his linteolum, quo Seruatorem nostrum in cunis vagientem, inuolutum fuisse confirmant. Ab eo Moguntinus ꝓfitetur, pontificem Romanum, approbata creatione, iubere, vt electi Cæsaris nomen in posterum Carolus vsurpet.*

## DE EIVSDEM INVICTISSIMI CAROLI V. inauguratione secunda & tertia. XVII.

*EVocatis omnib. regulis deligitur inaugurationi Caroli V. Iouis dies sexto Calend. Martias, Matthiæ Apostolo dicatus, qui erat natalis Cæsaris, semper ei faustus, & Ticinensi etiam victoria lætissimus. A mediis prætoriis fenestris patefacto aditu pons ligneus, pensilis, sublicis impositus incuruo tractu per forum & Petronianum templum ad aram vsq; maximam protrahitur, & festa fronde, pictisq; tapetibus exornatur, vt sine tumultu confundentis & prementis turbæ Pontifex & Cæsar in pompa præteruecti spectarentur. Erat de more veterum Cæsarum vt Modoetiæ prope Mediolanum coronam ferream susciperent, quæ indicaret Romano imperio firmitatem ferro & militaribus copijs comparari. Tres enim coronæ Cæsaribus debentur. Prima est argentea Germanici scilicet regni, quam suffragio procerum Aquisgrani decennio ante susceperat. Secunda ferrea Regni Longobardici. Tertia vero aurea Romani imperij. Præsto igitur affuere Modoetiensium legati, cuius erant Principes Polydorus Vectius, & Paulus Velanius, qui ad retinendam veteris prærogatiuæ dignitatem vetustissimi operis coronam, & annalium codices antiquitate pernobiles detulere. Ea erat sine florentibus pinnis, in simplicem & latum orbem circumducta, ferro introrsus tempora præcingente, sed exterius auro & gemmis exornata. Biduo itaque antequam tertiam coronam acciperet, in sacello domestico astante Pontifice sacris peractis Cæsar vngitur, ferreaque corona & cæteris regijs insignib. decoratur, ijsdem ferè ceremonijs quas paulo infra memorabimus. Prætulere ante Cæsarem summi honoris causa Aluarus Osorius Marchio Astoricensis aureũ sceptrum. Didacus*

*Pacecus dux Ascalonius ensem gemmata vagina conditum. Alexander Medices Cæsaris gener, orbem aureum cum præfixa cruce gemmis distinctum. Bonifacius autem Marchio Montisferrati, Modoetiensium coronam. His reb. rite confectis aduenit demum maioris aureæ coronæ pompæ destinatus: & is quidem, quum noctu pluuisset, superis mire fauentib. incredibili serenitate perspicuus. Ante alia Pontifex vniuerso Cardinalium, et episcoporum ordine in mitris, & pluuialib. sacris pallijs, cæteris vero sacerdotib. in coccinea veste per pontem solenni pompa traductis in præalta sede gestatur, et comitantibus prætorianis sub vmbella templum ingreditur. Iam in forum Antonius Leua pedestres copias adduxerat, & obuersis in omnes aditus maiorib. tormentis & signis in medio constitutis, cuncta loca perpetua militum statione firmauerat. Interim è lacubus qui in summo prætorianæ porticus fornice fuerant fabrefacti, per syphones rubra & alba vina fundebantur, panes ab alto in subiectos milites spargebantur, torrebaturque in machina versatili bos integer, ingẽs, hœdis, veruecibus, ac omni fere volucrum genere farctißimus, vt in tanta festa hilaritate milites sub armis in acie stantes, ad manum paratis obsonijs cum iocunditate vescerentur. Nunquam ab vlla memoria, vel ad celeberrimi triumphi, vel ad inauditi spectaculi famam, maior atque nobilior mortalium insignium numerus in vnam vrbem confluxit. Erant adeo plena loca omnia quæ foro imminebant, vt multi in alto suspensis & pendentibus speculis, alij in ædium proiecturis, & periculosißimis locis cum aliorum admiratione prospicerent. Ipsa porro domorum tecta pueris & fœminis in ea mira cupiditate scandentibus, tantæ multitudinis pondere fatiscebant. fuere etiam erecta inter Columnas templi ad theatrorum imaginem, podia gradibus excelsa superædificatis quoque suggestibus, vnde illustres matronæ suspicerentur, & cuncta ipsæ pariter iocundißimè despectarent. Iam Pontifex sacratas tunicas & chlamydes induerat, & sacra solennia excultis altaribus parabantur, quum Cæsar sub vmbella cum ornatißimo procerum comitatu ad templi vestibulum peruenit, ita vt vix eo paucis paßibus prætervecto, tabulata pontis, prægrauante prætorianorum turba frangerentur. Ibi plerique militibus immixti fœdo casu procidentes sese pilis atque securibus induerunt, inter quos fuit Albertus Pighius Belga theologus Lutheromastix, minima tamen pro tumultu clades incidit. Sed facile fuit æstimare ex atrocitate periculi quis in Germano milite supra ferociam militarem natura implacabili animorum habitus esset futurus, si ad certam omnium perniciem Cæsar ipse, se paululum vertente Fortuna cecidisset. Sed intrepide respectans Cæsar leuiter arrisit, ita vt fortunam suam certius agnoscere videretur, quæ*

*cœptis*

*cœptis & votis omnibus benignißimè semper adspirasset. Erant omnia ad imaginem Vaticani templi constituta, & nouæ sacellis appellationes impositæ, vt ea sigillatim ad veterem consuetudinem ex Pontificijs libris responderent. Affuere igitur Romani sacerdotes quibus sacra Vaticani templi sunt commendata. Ii ad aram Cæsarem susceperunt, Linteaq; sacerdotali tunica supiniecta in collegium eius sacerdotij cooptarunt. Eum Saluiatus Cardinalis in verba ex libris Pontificijs concepta, sacramento adegit, ita vt in summa libens iuraret, se Pontificiæ dignitatis perpetuo futurum esse defensorem. Ab hac ara duarum turrium nuncupata duo Diaconi Cardinales, Saluiatus scilicet ipse, & Ridulphus, ambo ex patruelibus Pontificis nepotes ad templi limen deducunt. Flexo genu supplicantem Picolomineus presbyter Cardinalis certis precationibus expiatum in sacellum S. Gregorii perducit. Ibi lintea tunica deponitur, sandalia margaritis & gemmis picta statim induuntur, & Dalmatica veste in morem Diaco prius assumpta, paludamento demum cõuestitur. In eo habitu procedenti Puccius Cardinalis ad Porphireticam rotam, quæ est ad Vaticani templi medium mitratus occurrit. Ingeniculatus Cæsar ad aram maximam obuertitur, solenniq; altera precatione, vt eius imperium stabile, ꝑpetuum, victoriarum, pietatis & laudis plenum faxit, Deo maximo, in cuius manu sunt regna, cõmendatur. Sunt enim multa antiquitus à piis præstantibusq; ingeniis cum summa verborum elegantia, & Christiana grauitate composita, quæ ex sacrato libro ad status rerum & locorum ceremonias, ab aliis atq; aliis sacerdotib. in frontem Cæsaris perleguntur. Quæ omnia in illis Pontificum iam editis libris, quisq; curiosius facile poterit inuenire. Ascenditur demum versus aram maximã, vbi Innocentio Cibo Cardinale Litanias ꝑeunte, alternis precibus pie pronunciatis, Diui diuæq; omnes propitiantur. In lectisternio supplicanti Cæsari Campegius Cardinalis astitit, & de scripto oratiunculam, vt auspicato coronaretur, religiosè recitauit. Inde mox Cæsar à Farnesio, quoniam is erat senatus princeps & Cardinalium vetustißimus, intra S. Mauritii sacellum est deductus, vbi diffibulata Dalmatica, humeros & brachium dextrum sacro oleo adiectis puris, & piis orationibus inungitur. His rebus ritè confectis solennia sacra erudito phonascorum concentu, alternantib. choris, operante Pontifice, ipso Cæsare in sacra veste ministrante protinus inchoãtur, quæ miro ordine cerimoniarum, summa grauitate sacerdotum, insigni omniũ religione adeo in serum diei sunt protracta, vt vel pie curiosos fatigare potuerint, si is longe omnium clarißimorum principum admirabilis consessus spectantium oculos vlla in parte satiare potuisset. Neque hic est necesse, vt cuncta sicuti sigillatim fuere celebrata, à nobis minutißime referantur,*

*quando*

*quando ea in libris Pontificum beneficio publicatis ad amußim descripta videamus. Legati interim Genuenses, & Senenses quum de loci dignitate inter se contumelijs pugnisq; contenderent, templo iussu Cæsaris exacti sunt. Cæterum summa sacrorum fuit, vt Cæsari de manu Pontificis Romani imperij insignia traderentur. Itaq; solẽni precatione semper adhibita, Pontifex ei supplici sceptrum aureum dedit, florenti cacumine conspicuum, quo pie gentib. imperaret: itemq; nudatum ensem, quo Christiani nominis hostes persequeretur, ac pomum aureum, quem vti terrarum orbem insigni pietate, constantia virtuteq; regeret, & postremo tiaram illam potius quàm coronã bicipiti fastigio, multisq; adamantib. insignẽ capiti imposuit. ille pie inflexo genu, pronus exosculato pede Pontificem adorauit. Tum demum Cæsar in illa tot gemmis ac vnionibus exornata triumphali trabea ad læuam non procul à pontifice in sede auro protecta, sed paulo humiliore, sessum est perductus, & Romanus Imperator appellatus. Quod vbi in foro militibus est renuntiatum, Antonius Leua ad declarandam lætitiam, maiora minoraq; tormenta displodi iußit, ita vt terribili sonitu cœlum crepitare, terra quati, & tecta nutare viderentur. Nec multo post pontifex sacratißimæ Eucharistiæ hostiam humillimo quodam oris gestu, purißimoque animi habitu desumpsit, atq; eam obiter Cæsari omni labe criminum expiato religiosè communicauit. Peractis sacris templo excessum, ad præparatos equos sacerdotes, legati, proceres discurrunt, omnis repentè multitudo in equis conspicitur, acclamationes, tubarum cantus, tympanorum strepitus audiuntur. Conscendenti equum pontifici Cæsar ad læuam pedes astitit, vti benignè auratam staffam sacrato pedi ꝑtinus inducturus. Sed pium Cæsaris obsequium pontificis humanitas, religiosaq; modestia superauit. Ergo iunctim equo vterq; albo, sed põtifex Thracio, Cæsar Hispanico considentes vmbellam subeunt, summæ dignitatis hominibus ad eam gestandam honori simul & labori succedentibus. Præcedebat miro pompæ ordine tum Cardinalium tum procerum vtriusq; aulæ familia, in tergo signa erant viatorum, qui cursores appellantur. Ad hæc subsecuti sunt septem viri insignes armis, trabeis, militaribus equis, & pedestri comitatu valde conspicui, qui totidem ingentia vexilla deferebant. Angelus Rauacius Bononiẽsium vexillifer, qui est summus apud eos magistratus, primum detulit cum titulo libertatis, secũdum erat senatus populiq; Romani Iuliano Cæsarino Romani sanguinis adolescenti ab ipsa familiæ prærogatiua demandatum. Ad hos secuti sunt Ioannes Manricus, & Hotrechius Belga, hic Cæsaris aquilam, ille candidũ vexillum cruce purpurea distinctum gestabant. Tum demum tria sunt prælata, Clementis scilicet põtificis cum Mediceis insignibus vnum, alterum sanctæ Romanæ ecclesiæ:*

*tertium vero illud Christianæ crucis aduersus Turcas aliquando deferendum. Signiferi fuere Leonettus Sidicinus, Ludouicus Rangonus, & Laurentius Cibo prætorii præfectus. Traducti præterea aliquot albi asturcones sine sessoribus auratis ephippiis instrati. Prætulere etiam adolescentes eximiæ nobilitatis in scipionibus præfixos galeros Pontificis purpureos quatuor. Nec multum inde succedebat Eucharistia sub aurea vmbella loculo cristallino inclusa, & sellæ generosi, & tamen pacati equi superimposita. Laternæ ingens ante & circum dena funalia ferebantur. Tum demum promiscuè gentium omnium honestißimi quique successere; vt decuit in tanta hilaritate regio sumptu supra quam credibile videatur exornati. Nemo enim ex tota Italia paulo vir illustrior non venerat, nisi vehementi valetudine præpeditus. Hispani, Itali, Belgæ, prout libido geniiq; tulerunt, auro textili & serico omnis coloris eleganter variegato, itemq; Phrygiis operib. et acu pictis sagulis spectantiũ oculos pstringebant. Germani in veste obscuriore, sumptuosa tamen torquib. aureis relucebant. Visebantur paßim equi ex omni regionum sobole maxime generosi, et insano sumptu toto terrarum orbe conquisiti. Notiores Hispaniæ reguli fuere Aluarus Osorius Astorgiæ Marchio, Didacus Pacecus Ascaloniæ dux, Indicus Mendocius Saldaniæ comes, Infantasiorum ducis filius, qui Franciscum Gallorum regem in Carpentanis regali hospitio susceptum, admirandis muneribus exornauit, & Petrus Toletanus Marchio Villafranchæ, Albano duce genitus, qui filiorum & nepotum sobole felix, & fide virtuteq; præditus ad regni tutelam in Hispania conquiescit. Præterea paulo minores comites Agillarius Fonteius, Cosantaneus Altamirus, & supra hos, quem ingenio fideq; spectatum fortuna extulit, Franciscus Couus, consiliorum omnium particeps, et in regno legis sacratorum equitum magister. Sed quis reliquos nobiles, opulentos, clarorum principum progenie editos suo ordine numerarit? neq; Italos alacritate et sumptib. inter se certantes sua serie arbitror recensendos, ne si in tanta vel fortuna vel claritate prope æqualium equitum turba aliquos nominemus, cæteri se indigne vel inique prætermissos conquerãtur. Fuere tamen inter tot regulos maxime conspicui Alexander Medices & Joannes Aloysius Caraffa Statilianus princeps. Belgarum autem longe dignißimi successere Henricus Nassouius comes cubiculo præpositus, cuius est summus dignitatis & gratiæ locus apud Cæsarem, Philippus inde Croius Marchio Arescotæ, Præfectusque equitum, & Cæsari sanguine coniunctus. Itemque Hadrianus Roseus Cæsarianæ familiæ magister. Venerat etiam ipse Andreas Auria, cui Cæsar maris Imperium detulerat, non à cultu corporis, amictusq; luxuria, verum ab aspectu graui & militari ipsaq; prolixæ barbæ spectanda*

canitie,

*canitie, & rerum gestarum fama conspicuus. Subtraxit pompæ Franciscum Sfortiam non importunus modo, sed grauis etiam morbus. Ferdinandus etiam Sanseuerinus Salernitanus Princeps, ne primum locum Ascalonio concedere videretur, intra limen domi se continuit. Federicus vero Gonzaga Mantuanus, ad exornandam vrbem, vt summo cum honore Cæsar exciperetur, domi remanserat, & ob id etiam ne cum Bonifacio Montisferrati regulo, de loco & dignitate disceptaret. Alfonsus Atestinus Ferrariæ dux ideo non venerat, quod Cæsar pacificator, vti postea fecit, nondum ei diem quo pro concordia ad pontificem veniret omnino statuisset. Nec Pyrrhus Antonius Sanseuerinus Beslennianus Princeps, quamuis properaret, in tempore superuenit. Erat cum ijs, quos diximus, minorum regulorum atque honestissimorum equitum numerus, vestibus & equorum ornamentis magnis regibus exæquandus. Sed vnus omnes omnium nationum Astorgius eruditis sumptibus superauit. Erat enim eius prætexta vere triumphalis margaritis & gemmis ad delphinorum imagines opulentissime depicta. Ad hos sequutæ sunt variæ legationes, et mox ipsi purpurati Cardinales. Inde nō procul successit vmbella, sub qua duo longe augustissimi terrarum domini in mitris illis stupenda et inæstimabili gemmarum et vnionum varietate pretiosis, ita tollutim & temperato passu incedentibus equis, vt ij certa ingenij grauitate, quales sessores veherent sentire viderentur. Antecedebant vmbellam ipse Montisferrati Marchio solenni in chlamyde, & corona gemmis ornata, qui Cæsaris sceptrum deferebat. Franciscus inde Maria Feltrius dux Vrbini, Venetorum imperator: & quoniam erat præfectus Vrbis, in veste purpurea Dalmatica cum inusitato in metæ formam capitis tegumento, aurea cruce distincto, & tænijs vtrinq; pendentib. nudatum ensem prætendebat. Philippus vero Palatinus, quem decora proceritas & obsidio Viennæ aduersus Turcas fortissime tolerata clarissimum reddebant, aureum orbem detulit in talari toga purpurea, astrictis manicis & plano pileo candidis pellibus redimito. Postremus erat Carolus Sabaudius Allobrogum dux, pileolum ferens vnionib. smaragdis & carbunculis collucentem, qui quum oporteret, nobilioris officij causa, ademptam capiti Cæsaris coronam prætentis manib. deferret. Inter hos summi ordinis principes, et vmbellam ipsam Cæsaris quæstor obequitabat, qui per singulas regiones certis passuum interuallis ad dimouendam turbam, excitandamq; lætitiam effusè in populum argenteam atq; auream stipem signatam imagine coronati Cæsaris dispergebat. Secundum vmbellam binis cubiculariis et medicis locus fuit. Tum vero antistites opib. & authoritate præstantes, qui vel legati regum erant, vt Gabriel Agramontius Tarbensis Gallus, & Bernardus Tridentinus*

 *Germanus,*

*Germanus, vel Cæſaris conſiliarij, in queis fuit Gabriel Barenſis pace & bello rerum maximarum adminiſtrator, vel ij quos ab inſigni gratia pontificis aſsiſtentes vocant, vt Hieronymus Vaſionenſis, qui Cæſarem in Italiam adduxerat, & cæteri demum epiſcopi in violaceis pallijs, & poſt hos minores ſacrati viri ſucceſſerunt. Nouiſsimum agmen clauſere cataphracti equites Belgæ per alas turmasq; diſtincti, eo ordine indutis galeis & prætentis haſtis ſubſequentes, vt non modo tantæ pompæ præſidio, ſed ornamento eſſe viderentur. A templo, vt diximus, profecti, modico ad læuam flexu ad vrbis vmbilicum vbi eſt turris Aſinellorum altitudine Italicarum nulli ſecunda: Inde per regionem albis & cyaneis pannis coopertam, quæ ad Flaminiæ viæ portam perducit, inter acclamationes longo tractu proceſſum: porticibus hinc & inde ſpectantium fœminarum multitudine refertis, ſic vt pompa omnis ſine tumultu omnium oculis ad incredibilem voluptatem oſtentata quietiſsime ſpectaretur. Tum demum ad regionis biuium, quod dicitur ad Clauaturas, Cæſar à Pontifice digreſſus ad Diui Dominici templum contendit. Ibi venientem Romani Lateranenſis templi ſacerdotes cum ſumma veneratione ſuſceperunt, & vti Vaticani dudum fecerant, in collegium cooptarunt. Inde Cæſar ad aram Diui Ioannis ſupplicauit, & multos omnis generis oblatos nobiles equeſtri dignitate, gladio leuiter percuſſis humeris ornauit. Nec multo poſt alio itinere quam iſſet pontifex, ad prætorium eſt reuerſus. Erat maximo triclinio ad epulum præbendum aulæis vndiq; ſtrato coniunctum cubiculum Hippolyti Medices cardinalis, in id familiariter Cæſar coronatus excluſo ferme omni famulatu ſe recepit, trabeam depoſuit, exuit ſandalia, et auream talarem togam ſumpſit, atq; hilaris aliquandiu ab illo tanto prætextæ chlamydis, et prægrauis tiaræ pondere conquieuit. Interea præcinentib. tibijs & tubis epulæ miro ordine miniſtrorumq; ſilentio introferri ſunt cœptæ. Itaq; affuere Cæſari præſto quatuor illi principes in ſua quisq; ſolenni chlamyde, vt inſignia præferrent, atq; item alij illuſtres reguli, vt eum ad menſam deducerent: Cæterum priuſquam exiret, ex eorum numero ſeptem equeſtri ordini adſcripſit, & ante alios ipſum Aſtorgium qui longe omnium in pompa cultiſsimus extitiſſet, & Philippum Palatinum, qui Viennam diuina virtute propugnando, non modo Germanos, ſed Chriſtianos omnes ſummo metu & incredibili periculo liberaſſet. Cœnauit ſolus Cæſar ſingulis imperij inſignibus in menſa collocatis, quæ erat aliquot gradibus excelſa, at in alia infra gradus in conſpectu tamen Cæſaris diſcubuere, Sabaudius, Palatinus, Vrbinas, & Montisferrati reguli. In exteriore vero triclinio epulum cæteris proceribus præbitum. Remotis menſis iterum Cæſar gladium cepit, & plerosq; nobiles equeſtri*

*dignitate*

*dignitate decorauit. Accidit vero dum nudatum ensem Vrbinas porrigere vellet, vt pomum manubrio insertum excuteretur, atq; eo cadente in pauimentum inclusæ gemmæ ad circumstantium pedes prosilirent. Fuere qui id prodigij loco accipere viderentur, quasi futurum esset, vt Cæsar absens aliquando exercitum bene regere nequiret, capite scilicet eximiæ grauitatis indigentem. Alij autem felicius interpretabantur, Cæsarem ad Orientis regna vnde gemmæ prouenirent gladium esse vibraturum, simulque futurum, vt duces & milites ab ipsa victoria quæ gladio pararetur, rigentibus illis Turcarum opibus potirentur.*

## DE INAVGVRATIONE IN REGNVM ROmanorum Ferdinandi Caroli V. fratris Aquisgrani anno cIↃ.IↃ.XXXI.

## XVIII.

*HIsdem quoq; diebus Ferdinandus Caroli Imperatoris germanus frater Cæsar est appellatus, suscepitq; eius nouæ dignitatis ornamenta apud Belgas, opulentiore atq; augustiore apparatu ad Aquisgranum vrbem, Caroli Magni olim sede, sepulchroq; clarissimam, quæ antiquis Nuagerra fuit, quum superiore biennio Boëmici regni diadema apud Pragam suscepisset. Nam sicuti Marcomannorum, qui hodie Morauí sunt, & Boëmorum, qui Ercynio saltu circundantur, & Slesitarum qui Sarmaticos attingunt fines, frequentiam & cultum Germani authoritate atq; opibus superiores facile superabant, ita vtriusq; pompæ spectacula cum ipsius Caroli imperatoris præsentia, tum opulentissimorum procerum & antistitum admirabilis comitatus incomparabilem illustrium hominum conuentum repræsentasse censebatur. Nihil enim vel pretiosius vel operosius excogitari potuit apparatu atq; instrumento vtriusq; aulæ, quum in eum totius Europæ ad exornãdum triumphum lectissimæ opes, insigni studio certantium inter se gentium collatas fuisse appareret: sacris nanq; cerimonijs & ludis equestribus, geminatoq; præsertim epulo totius eius pompæ apparatus constitit, in quo accumulati luxus exquisitissimæ & copiosissimæ dapes alendis etiam plebeis hominibus superfuerunt. Imperator ipse vsus eo prægrandi ense, quo Carolus ille Magnus omnibus sacri belli prœlijs vti consueuisse fama erat, quanquam esset a multo vetustatis situ eruginosus, clarissimum quemq; Germanorum & Belgarum leuiter contactis humeris equestri dignitate nobilitauit, dimissisque conuentibus vni ei curæ institit, vt consentientibus Christianarum gentium regibus pia arma in Solymanum, nimio plus immodicas vires extendentem verterentur.*

Vegerram antiquis fuisse ait Sabellicus Supplement. histor. lib. XIV.

## DE INAVGVRATIONE PAVLI IV. PONT. Max.Romæ anno cIↃ.IↃ.LV.

## XIX.

*Ex palatio electus Pontifex Maximus venit in basilicam diui Petri hac pompa: Primi ibant qui officijs Palatinis Apostolicis suæque Sanctitatis honorantur; Ministri puta & Cubicularij, togis rubris amicti; sequebantur Episcopi & Archiepiscopi quotquot tum Romæ erant; omnes pontificalibus induti, & mitras candidas ferentes. pone incedebat Cardinalium collegium suo ordine; in quo primi erant Cardinales Diaconi, medij Presbyteri, vltimi Episcopi. omnes pretiosissimo amictu & albo galeris ex serico capita velati. ferebatur inde in sella gestatoria exquisitissimi operis quæ fuerat Pauli* III. *Electus Pontifex pallio sumptuosissimo indutus, & mitra Episcopali, quam tamquam luminibus quibusdam & fulgoribus distinguebant irradiabantq́ue crebræ gemmæ vnionesq́ue: vmbellam autem sub qua gestabatur portabant legati regum principumq́ue reip. Christianæ: quot tum ad vrbem erant, hac pompa templum diui Petri ingressus, depositus fuit ante ædiculam corporis Christi Saluatoris Opt. Max. vbi cum diutiùs precibus vacasset, latus est in sacellum diui Andreæ Apostoli, quod caput seruat eiusdem cœlestis præconis, aulæis rarissimis ad hoc solenne adornatum; vbi peractis ritu recepto quæ ad inaugurationem pertinebant, portatus est electus Pontifex in sacellum diuorum Petri & Pauli, vbi ipse sacris operatus est, quibus post alteram horam finem demum imposuit: templo ita conferto Ducib. Principibus, Comitibus, Marchionibus, Baronibus alijsq́ue procerib. & magnatib. primarijs ad hoc etiam feminis, vt nemo quo se conuerteret haberet; statuæq́ue verius quam homines coaluisse inter se viderentur. Peracta re diuina Pontifex eadem pompa peruenit ad locum vbi benedicere populo ex more solet, acclamationib. lætissimis exceptus, felicitatem illi Augusti, bonitatem Gregorij, Iustitiam Traiani aliaq́ue similia vulgo optante & imprecante. Vbi iam locum solennem tetigisset, qui triumphalibus ornamentis instratus erat, imposuit ei tiaram siue pontificale diadema Ioannes Bellæus episcopus Hostiensis, cardinalis Parisiensis. quod diadema pretio sui omnem æstimationis rationem superare existimatur. post quæ cum bene precatus esset populo nouus pontifex; tormenta machinæq́ue bellicæ ex arce Sanct-Angelicana & palatio gratulationis & lætitiæ ergo detonare cœperunt, fragore plane horribili; subsecuta est lectio confirmationis, quæ sacrum Cardinalium collegium electioni noui pontificis & inaugurationi extremum robur addit, pronunciãte alta voce eius formulam Reuerendissimo*

*Francisco*

*Francisco Pisano, S. Marci principe Diacono cardinale. Hinc numisma aureũ argenteumq; magna copia in vulgus missum studia eius arrexit, & non iniucundũ spectaculum præbuit. Post meridiem Pontifex dedit epulum apparatu digno tanto fastigio, cui affuerunt triginta octo Cardinales, prӕterq; duos illustrißimos principes, Ducẽ Ferrariensem, & Ducem Vrbinatem, legatus regis Christianißimi, serenißimi Lusitaniӕ Regis legatus, quosq; miserant Respublicӕ Veneta, & Ragusina.*

## DE INAVGVRATIONE DVCISSAE VENEtæ, Liliæ Dandulæ anno cIↃ.IↃ.LVI. XX.

ANno cIↃ.IↃ.LVI. *Venetijs principis cõiunx ducalia insignia magnificẽtißimo apparatu publicè delata suscepit, renouataq; est indesuetӕ rei memoria, q̃ centũ ab inde annis inueterata pene exoleuerat: nam à Paschalis Maripetri principatu (vt traditur) vsq; ad ea tempora Ducissa Veneta in vrbe visa non fuerat. Ingens itaq; ad nouũ, festumq; spectaculum totius ciuitatis multitudo cõfluxit. è Dandula aũt nobiliß. familia ipsa orta erat, Liliaq; nomine appellabatur, patremq; habuerat Marcum Dandulum IC. & Equitem, virum insignem: quiq; in administratione reip. diu versatus, singularẽ sibi pepererat apud omnes tum ingenij, tum prudentiӕ laudem. Matthӕusq; tum Dandalus Equestris ordinis Ducissӕ frater magna apud omnes gratia & auctoritate valebat. apparatus aũt huiusc emodi fuit: Ad Barbadicas ӕdes, vbi Ducissa aderat, patres frequentes Bucentauro accessere: Ipsaq; pallio aureo amicta, ducaliq; infula caput ornatum habẽs, ingẽti matronarum comitatu in apertum ꝓceßit: exceptaq; est à Consiliarijs, excelsoq; throno media locatur. Bucentauroq; ad D. Marci ripam egressa, ꝑforum innumerabili populi multitudine stipatũ media inter duos Consiliarios seniores, Marcum Centanum, & Antonium Iustinianum, insigni põpa in Ducarium transijt: inde aulӕis, signis, ramentisq; auri opifices vrbis fere omnes, ad quos ea cura spectat, iudicum tribunalia, per q̃ Ducissa transitura erat, mirè exornarunt, multitudoq; ingens ministrorum aderat, baculos manib. gestãtium, ad submouendã turbã; & vias patentes aptasq; reddebãt. Paratӕ quoq; de more in ꝓpatulo mẽsӕ, ac lautißima cibaria, et exposita magni pretij eminenti pulpito supellex, vbi crateres, phialӕ, scyphi, aliaq; multa ex auro, argentoq; vasa, et pocula spectabãtur. Triduoq; publicè ciuitas lӕtitiӕ, & festiuitati indulsit. sed alienum ab instituto nostro fortasse non fuerit edocere, quid Bucentaurus sit, quando eius mentionem sӕpius alibi facimus. Est igitur apud Venetos Bucentaurus nauigium maximũ atq; ornatiß. cui⁹ structura sublimis, columnellis frequẽtiorib. culta,*

*culta, auro à prora ad puppim præfulget. In hac autem naui hospites insignes, eminentiorisq; fortunæ viros, qui ad vrbem veniunt, à principe & patribus excipiuntur. Ducaleq; solium in frontispicio superiori tabulato collocatum est, vbi princeps inter legatos consiliariosq; medius residet; & circum per subsellia summus ille patrum ordo maiestatis & silentij plenus. in inferiori autem tabulato remiges nauigium tonsis agunt; et remulco interdum dum aquæ in contrarium fluunt, tanta moles trahitur, publicumq; erigitur vexillum, & iuxta illud principis auratum scutum. Summitasq; Bucentauri holosericum, purpureúmve habet opertorium, funibus alligatum ne ventus rapiat. & ad puppim positum est Iustitiæ simulachrum auro fulgens; cuius dextera nudum ensem, sinistra æquilibrium tenet. Rostrum etiam insigniter prominet, vt nauigii forma conspectior sit. dictaq; Bucentaurus, à Bu, quod magnum aliquid significat, & à Centauro antiquo nauium insigni, licet alii Ducentaurũ appellatum velint, quasi ducentorum hominum nauigium capax: talisq; pelagi machina instituta sub Sebastiano Ziano principe traditur, in aduentu Friderici Imperatoris Barbarossæ, dum ille ad componendam pacem cum pontifice & Senatu Venetias accessisset. nonnulli recentiorem huius nauigii structuram esse affirmãt, variæq; sunt opiniones, quas nos aliis discutiendas relinquimus.*

## DE INAVGVRATIONE SERENISSIMI MAximiliani, Ferdinandi inuictissimi Imp. F. in Regem Boemiæ Pragæ anno cIↃ. IↃ. LXII.

## XXI.

*PRimo* XX. *mensis Septembris hora sexta manè, quo tẽpore sacris operam dari mos est, conuenerunt ad serenissimum Maximilianum in palatium, deducturi eum in templum, proceres, equestrisq; ordo, & primaria nobilitas regni Boëmici.*

*Interea Imperator Pontificalibus, vt dici solet, indutus, diademaq; Cæsareum vertice ferens, præeũtibus quatuor armorum regibus, & qui sceptrum, quiq; pomum mundi typum præferrent, item qui exertum gladiũ; quo munere ex officio functus est Sacri Romani imperij Marescallus Pappenhemius; comitatus ad hoc honoris causa imperij Principibus; in quibus fuere Albertus Dux Bauariæ, & Archiduces Austriæ Ferdinandus & Carolus; templum sub oculis vulgi subijt, solioq; vicino altari præparato sibi ad læuam, & Attalica veste strato consedit, vbi etiam ad finem inaugurationis regis perdurauit.*

*Iuxta Imperatorem loco paulo depressiore consederunt quoq; Albertus Bauarus, atq; Archiduces; & è regione Proceres Silesiaci, alijq; præcipui*

*cipui quiq; e regione dico Alberti & Archiducum, nam ex aduerso imperatori sedem suam habebat Archiepiscopus Pragensis, quem circumsistebant infulati Episcopi alijq; ecclesiastici ordinis primi, mensa etiam ante Archiepiscopum posita, in quo deponerentur oblationes, seu potius donaria sacra.*

*Regina, dux Bauarica, Archiduces Austriacæ, et gynæceum vniuersum suum quoq; locum editiorem altari aduersum occuparunt; erantq; extructa hinc inde in templo sex, septem alia quoque tabulata, crescentia subinde, vnde reliqui proceres, nobilitasq;, & nominatim pueri aulici cerimoniarum solennia spectarent. Vix Imperator consederat cum procedunt magna pompa ex sacrario funalibus, facibus, cereis crebris prælucentibus, & cruce præuia præpositi, abbates, & duo episcopi, Olmitziensis & Preslaensis, inter quos medius incedebat Archiepiscopus; euntq; recta ad sacellum S. Vinceslai, producturi inde reliquias in diuos relatorũ, & ipsum etiam serenissimum Maximilianum. qui comitante caterua Boëmicorum procerum ad idem sacellum iam peruenerat, indutusq; fuerat ibidem a cubiculario regni, Decurione cubiculariorum aliorum vestem priorem in palatium remittente, regalibus ornamentis. ordo autem inde exeundi hic fuit:*

*Ibant primi quatuor proceres, quorum duo ferebant singulos panes spitamæ magnitudine, de quib. alter auro, alter argento inductus erat; duo reliqui singula vascula sesquispitamæ longitudine, vino albo plena, & perinde aurata, aut certe argẽtata; quæ res ad oblationem pertinebãt. hinc ferebatur anulus regius, sceptrum, pomum, & diadema. quæ keimelia qui portabant, medij ibant inter alios duos viros principes, ipsi quoq; eiusdẽ dignitatis: nisi quod sceptri ferendi ius ad equestrẽ ordinem pertinet. Gladium qui fuit S. Vinceslai Cancellarius Boëmicus, sed solus, neq; vt reliqui comitatus altrinsecus, conditum vagina ex holoserico rubro regi praeferebat: quem medium ducebant episcopi, qui ante id officij genus archiepiscopo præstiterant; nudato capite, sed regali veste conspicuum. Ad sacelli autem egressum Archiepiscopus regem lustrauit precatione ita incipiente;* Omnipotẽs sempiterne deus, qui famulũ tuum Maximilianum regni fastigio dignatus es sublimare *&c. Hinc processum ad chorum (vti vocant) claudente cleri agmen Archiepiscopo, quo cum à primis ventum esset; cœperunt Cantores ex loco superiore modulari facto initio ab eo:* Ecce mitto angelum meum qui præcedat &c. *Cum vero iam qui ferebat diadema interiora templi subiret, tubæ subito ingenti clangore cecinerunt, æneatoresq; strennue officio suo incubuere.*

*Reliquijs in altari depositis, regia quoque insignia symbolaque a sacerdotibus accepta in eodem collocata sunt; exceptis panibus & vinarijs*

 *vasculis,*

*vasculis, quæ ad eam mensam delata sunt, quam iuxta Archiepiscopi sedem positam fuisse diximus.*

*Regi altari iam propinquanti Archiepiscopus se obuertit, lustricis iterum precib. eum purgans; cum episcopi petunt vti Sacrosanctæ matris ecclesiæ nomine ei diadema imponat; quærit archiepiscopus an idoneum et dignum eo honore deputent; quo ab illis confirmato; in genua oẽs pcumbunt, ad q̃rem scamellũ Attalicis stragulis et puluinis regi instratũ erat.*

*Inde Cantores Litanias decantarunt; in quib. cum eo peruenissent* Vt obsequium seruitutis nostræ tibi rationabile facias, Te rogamus Domine *&c. conticuerunt, & Archiepiscopus conceptis verbis precibusque regi ter benedixit; faustaq́ regni auspicia optauit; respondente ad singulas vices choro musico* Te rogamus Domine.

*Finitis Litanijs rex ab episcopis ad solium ductus est, quod erat ei positum in medio, vt aiunt, Choro, sub vmbella aurea transenna suspensa; erat autem oblongum et totum aureis pannis textilib. stratum. vbi cum consedisset, stabant altrinsecus episcopi infulati, cum suo quisq́ episcopali pedo. itemq́ à latere dextro proceres Boemici, Marescallus, Cubicularius, Iudex, gladij, pomi, diadematis, sceptri latores, &c.*

*Sacrum de sancta Trinitate hinc celebrari cœptum, in quo Cæsarei Symphonasci, & organorum pneumaticorum modulatores artis suæ specimen certatim dederunt. qui cum conticuissent, Episcopi Regem ante altare & Archiepiscopum destituerunt, qui ex libro rituali siue Pontificali cum duabus satis prolixis precationibus Regi benedixisset, tertiamq́ episcopi adiecissent: Archiepiscopus intincto pollice dextro in oleum consecratum vngit regi brachium dextrum ad cubitum vsque, in formam crucis ad eam autem rem manica thoracis indusiique ita aptata erat, vt leui & facili momento nudari posset, exigui fili beneficio; apparebantq́ hic regi, & sedulam operam dabant regni Cubicularius, & Cubicularius aulicus dynasta Harrochius.*

*Inunctus est etiam rex in pectore, & in humeris; singulas vnctiones prosequente Archiepiscopo singulari aliqua precatione ex libro rituali. Hinc vnusquisq́ procerum regia insignia q̃ attulerat a sacerdotib. recepta Archiepiscopo porrexit; qui eadem sed expiata prius ex eodem rituali libro regi subinde tradidit, hoc ordine: primo gladium eductum vagina regi in manum dedit, inde reconditum eiusdem lateri accinxit; hinc anulum digito anulari dextræ indidit; tum sceptrum ab equestris ordinis primario quodam oblatum in regis dextram transfert; postremo pomum typum regni regis sinistræ inserit, atq́ hæc qdem singula singularib. et peculiarib. cerimonijs. quib. ritè pactis, regẽ interrogat Arch.* Vis fidẽ sanctam à catholicis viris tibi traditã, tenere, & operib. iustis obseruare?

*Respondit*

*Respondit rex*; Volo. *Iterum interrogat Metropolitanus*: Vis sanctis ecclesijs ecclesiarumq; ministris tutor & defensor esse? *R.* Volo. *tertio quærit Archiepiscopus*; Vis regnũ tibi à deo cõcessum, secundum iustitiam patrum tuorum regere & defendere; *Respondit rex*; Volo, *subiunxitq; statim*: Et in quantum diuino fultus adiutorio ac solatio omnium suorum valuero, ita me per omnia fideliter acturum esse promitto. *Inde status, ordines, populusq; Boemiæ præsens interrogatur à Burggrauio, an huic se regi subijcere velit, regnum eius confirmare, fidem ei & obedientiam præstare; qui vt ter alta voce sua lingua ita velle respondit; idem Burggrauius regi præit formulam iurisiurandi Boemica lingua; in qua cum ventum ad clausulam* Sic me deus adiuuet, *rex manum sacrorum euangeliorum codici imposuit; & Archiepiscopus adiecit*; Deo gratias. *Tum demum Cubicularius regni primarius Rosenbergius dynasta diadema Archiepiscopo porrexit, quod ille similiter multis precibus expiatum vertici regio, hactenus nudo imposuit; nisi quod subiecit ei pileolum ex serico rubro perinde sacratum ex rituali libro. sic tamen, vt huic diadematis impositioni manus admouerent etiam episcopi duo, & Burggrauius. His ita gestis, rex cum proceribus regni secessit iuxta altare, ibique ei ab episcopis vnctio abstersa est, aquaque præbita. Inter quæ clangentib. tubis alijsque instrumentis musicis, rursum deducunt regem ad solium suum regijs omnibus insignibus ornamentisque decoratum episcopi: ibiq; eum sedi regiæ quoq; imponunt, & solenniter inaugurant. quo facto Archiepiscopus initium fecit hymni* Te Deũ laudamus, *qui modulatione dulcissima longe & minuritione suauissima decantatus fuit: Burggrauio nihilosecius dum ista fiunt ex officio cum debita reuerentia adeunte regem, et diadema tangente manu imposita, atq; alta voce ei se obstringente iureiurando, & statib. regni vt idem facerent denuntiante; quod illi sane ouantes fecerunt, tactaq; corona, regni totius nomine iurarunt in regis noui verba admodum octoginta.*

*Ab hoc facto sacrum intermissum repetitum est, & cum Euangelium decantaretur, vt Episcopis ademptæ infulæ ab administris erectæ tenentur, ita regni Cubicularius diadema regium sublatum ostentabat. Episcopo Olmitzensi codicem sacrorum Euangeliorum Cæsareæ maiestati, & regi osculandum præbente: Oblationis tempore Rex impresso patinæ osculo de more, accepta ab ijs qui eadem gestabant panes & vascula, alia post alia Archiepiscopo in manum dedit, qui eadem altari imponenda curauit.*

*Pacis inde symbolum episcopus Preslaensis, qui regi semper sinistrum latus claudebat, Cæsareæ maiestatis & regis osculis admouit.*

*Sub finem sacri nouemdecim aliquot viri primarij regi se obtulerunt,*

*& ab eo equestri dignitate donati sunt; ex quibus nonnulli fuere qui ante quoque huic ordini initiati fuerant.*

*Sacro absoluto tubæ rursum cecinere, tibiæq; omne genus, & præsertim stipendiariorum in turri arcis; tormenta quoq; per aggeres & propugnacula vrbis disposita vno & eodem tẽpore ac impetu explosa sunt. Cæsarem autem & regem præcedebãt æquatis vestigijs frontibusq; Marescalli, quiq; pomum typum regni ferunt; sed sceptrum & diadema suum rex ipse gestabat.*

*Vbi ventum in hypocaustum ordinum regni, hic Imperator & Rex deposito ornatu pontificali ac diademate, loco editiore simul cum regina, Ducibus Bauariæ, Archiducib. Austriæ cibum iucundissimè ceperunt.*

## DE INAVGVRATIONE MARIAE AVSTRIAcæ eiusdem Maximiliani coniugis in reginam Boemicam. XXII.

*INauguratio reginæ postridie celebrata est, quam regis solenniter facta esset; hoc est* XXI. *Septembris, festo S. Matthæi. in alijs omnibus cerimonijs regis inaugurationi similis, & in ijs solum discrepans quæ paucis iam commemorabimus.*

*Ex S. Vinceslai sacello eadem qua rex pompa producta est, tribus semper proceribus singula regni insignia præferentibus. nisi quod oblationes, siue donaria illa panis & vini, aberant, & gladius non gestabatur. Ipsa neq; corporis neq; capitis velamenta ornatusque solitos mutauerat; sed tum candida veste perinde vt alias sæpe amicta, in eo quo pridie maritus solio collocata est sub vmbella, circumsistentibus eam à tergo Oeconoma eius, abbatissa S. Georgij & toto ac vniuerso matronarum virginumq; aulicarum choro. exceptis Duce Bauariæ, Principib. Boemiæ, & Principe Isabella, quibus à lateribus fori siue sedilia ecclesiastica instrata adornataq; erant. Perinde ac Imperatori & regi quoq;, ac Duci Bauariæ, Archiducibusq;, qui modicis interuallis dirimebantur.*

*Reginam abbatissa & Oeconoma Vestalisq; alia comitabantur, & deducebant; reliquum Gynæceum præparata sibi tabulata occupabat.*

*Cum aliquamdiu regina consedisset inter æneatorum & cantorum modulamina; postquam hi conticuissent à rege ad altare deducta est, & Archiepiscopo oblata, cum his verbis*: Reuerende pater, postulamus vt hanc consortem nostram nobis à Deo coniunctam, benedicere, & corona regali decorare dignemini, ad laudem & gloriam Saluatoris nostri Iesu Christi.

*Hinc secuta sunt eadem quæ pridie, puta sacri celebratio, vnctio trib. locis, anuli, sceptri, pomi donatio, & diadematis impositio.*

*Diade-*

*Diademati autem cum imponeretur etiam abbatissa manum admouit, quæ ipsa quoque corolla decorata erat, cum episcopis & præfecto regni.*

*Omnia quoq; perinde vt pridie ex libro rituali expiata fuere; solitæque cerimoniæ omnes adhibitæ, excepta oblatione panis & vini; itemq; gladij traditione. præterea nullo iuramento se regina adstrinxit; vt nec vicißim Ordines statusque Boemici tacto eius diademate sacramentum dixerunt, qui tamen terna acclamatione Reginam eam suam celebrarunt, imperiali siue Cæsareo gladio euaginato interim dum id fieret. Regis autem gladium conditum vagina Marescallus regni a quo latere rex constiterat tenebat.*

*Post coronationem seu diadematis impositionem etiam solenniter in regio solio regina collocata est; atq; inde primum vnguentum illi detersum est; cui rei cum secederet comitata eam est præter Oeconomam, abbatissam, reliquasq;, etiam Bauariæ Dux.*

*Euangeliorum liber, & Agnus Dei post Cæsarem & Regem etiam Reginæ ad osculum oblata sunt; quæ sola etiam numisma aureum, eius generis quos coronatos vocant, donauit.*

*Coronata etiam ad oblationem inceßit, impatiens alioqui ponderis eius, quo vrgente & pede impedito tapetis quo solum sternebatur, in genua leuiter procubuit, sed à duce Bauarica cito subleuata est. Hinc plurimum ex regni insignib. solum sceptrum gestabat in templo & reditu ad palatium, reliquis ijs commißis ad quos is honos pertinebat.*

*In prandio regina Imperatori proxima sedit, quo loco pridie Rex: ceteris Principibus solitum locum occupantibus. atque vt pridie in eodem hypocausto decem mensæ positæ fuerant proceribus, ita tunc totidem primarijs feminis instratæ erant.*

## DE ELECTIONE SEV DESIGNATIONE eiusdem serenissimi Maximiliani in Regem Romanorum, Francofurti ad Mœnum, eodem adhuc anno cIↃ.IↃ.LXII.

## XXIII.

*Conuenerunt primo omnes septem Principes Electores mane hora sexta in Romanæo siue Curia, ibidemq; vna consultauere ad nonam vsq;. Posthac habitu septemuirali hoc est pileis rubris coccineisq; talarib. tunicis duplicatis mustelis Alpinis, Rex vero etiam coronatus Boemico diademate ad D. Bartholomæi hoc ordine in equis processerunt, vt primi essent Moguntinus & Treuirensis, medij Coloniensis et Boemiæ rex; vltimi Palatinus, Saxo, et Brãdeburgicus; ad tẽpli limina*

 *descen-*

*descendentes ex equis eadē serie in interiora (chorum vocant) penetrāt; ibiq; parata altrinsecus sedilia, & Attalica veste strata occupant. Saxo autem tam in introitu quam exitu gladium prætulit aurata vagina conditum; quē dum sacra peraguntur tenuit Petrus Rosenburgius, uti diadema, quoties illud deponebat rex, excipiebat Pincerna Lympurgicus.*

*Assederunt autem dextra Moguntinus; Rex Boemiæ & Palatinus; indeq; Coloniensis, Saxo, Brandeburgicus, Treuirensis inter duplicatos fororum ordines; Et statim Vuirzeburgensis Episcopus auspicatus est solenne illud:* Veni sancte spiritus, *quod totum Electorib. in genua pcumbentib. modulatione & minuritione suauissima peregerunt Symphoniaci Cæsarei. indeq; idem Vuirzeburgensis sacrum orditur, qđ de sancto spiritu dicitur, iuxta bullæ aureæ formulam; sed qa Palatinus, Saxo, et Brandeburgicus non solent huiusmodi sacris interesse, tum quoq; simul omnes tres invicinum ad dextram conclaue se receperunt, ibiq; sacrorum finem exspectarunt, vno cum Guilelmo Lantgrauio Hessiæ, Duce Georgio Comite Palatino, Duce Francisco Lauuenburgico, Principe Anhaltino, & alijs qui se ijs coniunxerunt, clientelisq; & consiliarijs suis; Peracto sacro redierunt ijdem VII viri Electores in locum suum Vuirzeburgense dante initium alteri solenni carmini,* Veni Creator. *quo similiter à Symphoniacis Cæsareis ad finem perducto, Electores solito ordine & pompa accedunt ad altare, ibiq; iurant in hanc formulam:*

Ego N.N. iuro ad hæc sacrosancta Euāgelia coram apposita, me pro fide quam debeo Deo & sacro Romano Imperio, ex animi mei sentētia Deo dante electurum principem reip. Christianæ, hoc est, Romanum regem & mox ad summum imperium prouehendum, ad hanc rem idoneum. in quantumq; iudicio & consilio valeo secundum eam quam dixi fidem, votum & suffragium me laturum liberum à pactis qualibuscunq;, mercede, præmio, aut spe horum in posterum; quoquo modo aut nomine illa appellari possint; Sic me Deus adiuuet & hæc sacrosancta Euangelia.

*Moguntinus autē primus ita iurauit; indeq; idem iuramentum exegit per ordinem à Treuirensi, Coloniensi, Boemico, Palatino, Saxone, et Brandeburgico. Ecclesiastici aūt iurantes manum pectori, reliqui eandem dextram manum libro Euangelico applicuerunt. Hinc ad locum quisq; suum redijt, genuq; posuit; dum iterato cantatur,* Veni sancte spiritus. *Quo absoluto in cōclaue se receperunt; primum Moguntinus, Treuirensis, & Coloniensis; inde Palatinus, Saxo, & postremo Brandeburgicus, obseratisq; forib. ad horæ quadrantem soli manserunt; inde vocarunt consiliarios suos, & nominatim singuli binos, quos huic rei ante delegerant. interfuerunt autem regis Boemiæ nomine Christophorus Eitzingius, pri-*

gius, primus eius Oeconomus, & Leonarthus Harrochius Decurio Cubiculariorum; cum quibus altero quadrante horæ consumpto, & abire iussis, Electores rursum horæ fere spatio soli consultarunt, moxq; Moguntinus Cancellarius cum Silentiario vnico admissus, & Electionem in litteras referre iussus est.

Inde Consiliarij de quibus paullo ante dictum est reuocati sunt, tamquam futuri testes electionis modo factæ; qui cum iterato secessissent, aduocantur exterius finem rei exspectantes; Gulielmus Lantgrauius Hassiæ, Georgius Comes Palatinus, filius Electoris, Dux Franciscus Lauuenburgicus, Dux Megaloburgensis, & Princeps Anhaltinus; hiq; simul legantur ad Cæsaream maiestatem significaturi de Electione transactum esse; rogaturiq; Electorum nomine Imperatorem, dignaretur in D. Bartholomæi adesse, & in re præsenti Electionem audire; interea Electores in conclaui foribus clausis perdurantes proclamationis & publicationis futuræ formulam concipi iubent.

Vbi autem Imperator aduenit; quod ipso meridie hora diei duodecima factum est; Electores omnes solito ordine obuiam ei procedunt ad templi vsque ingressum; quibus cum singulis ille dextram porrexisset; comitatus Duce Bauariæ, Duce Iuliacensi, Duce VVirtenbergensi, Duce Megaloburgensi, Principe Aurasino, multisque alijs Principibus, Comitibus, & dynastis; ad interiora templi reditum est, præcedente Treuirensi solo, inde Palatino et Brandeburgico æquatis passibus, mox pxime ante Imperatorem Saxone gladium gestante; sequebantur autem Cæsaream Maiestatem Moguntinus, rex Boemiæ & Coloniensis; inde ductus Imperator in sacrarium è regione Conclauis; ibiq; Pontificalibus cum indutus fuisset diademate imperiali coronatus in conclaue venit, præeũte iterum Treuirensi solo, atq; inde Palatino pomum typum mundi, Brandeburgico sceptrum, Saxone medio inter eos exertum gladium gestante; ac sequentibus inde eius Cæsaream Maiestatem Moguntino, Boemico & Coloniensi.

Ibi demum Electores per Moguntinum de electione sua certiorem fecerunt Imperatorem; significaruntq; sese regem Boëmiæ filium eius in Romanum regem elegisse, & futurum Augustum designasse; orantes, vti Cæsarea sua maiestas hanc electionem gratam ratamque habere velit. quod sane non tantum citra difficultatem obtinuerunt, sed gratiæ ijs insuper eo nomine ingentes à Cæsare actæ sunt.

Egressi hinc conclaue Imperator solium sibi ad dextram in choro positum occupat; Electores cum nouè electo Romanorum Rege ad aram procedunt, eumque eidem aræ ritu solito imponunt. Brandeburgicus autem Regi diadema iterum imposuit, circumsistentibus reliquis Electoribus,

*ctoribus, donec hymnus* Te Deum laudamus *alterna modulatione chori Symphoniaci & organi pneumatici decantatus est. cuius extrema exceperunt omnes tubicines, & Æneatores, qui tum cum imperatore, Rege, Electoribus, principibus, & proceribus reliquis infiniti conuenerant; tanto clangore, vt templum late resonaret: adiuuante hanc gratulationem pulsu campanarum, & tormentorum per propugnacula dispositorum tonitru.*

*Interea loci politici Electores keimelia imperialia puta Palatinus pomum filio, Saxo gladium Francisco Duci Lauuenburgico, Brandeburgicus sceptrum principi Anhaltino tradiderant; cum quib. illi insignibus ante imperatorem constiterunt donec ab altari reditum esset.*

*Gratulatione ea Musica & militari finita, Electores regem ab altari sublatum ducunt ad solium regale in medio templo exstructum, ibiq́; publico præconio nouè electus Romanorum rex proclamatus & celebratus est: recitante decretum septemuirale Decano Metropolitanæ Ecclesiæ Moguntinensis.*

*Quo facto Imperator, Romanorum rex, & electores domum properarunt hora iam tertia audita: Ante templum aliquot Francofurtenses Patricij ordinis Senatorii vmbellam pretiosissimam tenebant, sub qua Imp. & rex in palatium rediere. sic tamen, vt trium fere passuum interuallum sibi rex ad Imp. medium & vacuum honoris caussa relinqueret. Solum autem, quia cœnosum plerunque est, plateaque per quam iter erat tabulato eiusdem Senatus Francofurtensis cura & iussu strata erat. Ibant autem primi proceres, Comites, Barones, omnisque nobilitas, quæ tum Francofurti frequentissima erat. sequebantur tubicines & Æneatores, primo Saxonici, inde Brandeburgici, tum nouè electi Romanorum regis, postremo Imperiales, alternis clangoribus personantes. à tergo horum ibant Principes & Duces, ac rursum post hos quatuor reges armorum Imperiales solenni veste & apparatu. his proximus erat Treuirensis solus; inde Palatinus pomum, & Brandeburgicus sceptrum gestans, iunctis gressibus incedebant, prosequente statim ante imperatorem Saxone, et gladium ferente: qui Imp. ingrediebatur sub vmbella, Imperiali diademate coronatus: pone comitante rege noue Electo, coronato diademate Boemico, & Dalmatica induto, sicut in Romanorum regem adsumptus erat. claudebant agmen Moguntinus, et Coloniensis: ipsi quoq; suis pontificalib. induti: prosequentibus stipatoribus, aulico comitatu reliquo, & ingenti vulgi multitudine. Cum qua pompa cum ad palatium venisset Imperator, iterum singulis Electoribus dextram porrexit, atque ita abeundi venia data, ad sua quisque decessit cibi sumendi caussa.*

DE INAV-

# DE INAVGVRATIONE EIVSDEM ADHVC Maximiliani in Regem Romanorum.

## XXIV.

*IPso diui Andreæ, hoc est pridie Kalendas Decembris, Electores ecclesiastici Moguntinus, Treuirensis, & Coloniensis cum episcopis Vuirzeburgensi & Spirensi in diui Bartholomæi sub septimam mane; noue autem electus rex et politici Electores, Palatinus, Saxo, et Brandeburgicus non ita multo post Imperatorem cõuenerunt.*

*Rex induebatur oblonga rubra et stricta tunica ex serico, cui inducebatur altera, sed Attalica, Mustelis Alpinis duplicata, & manuleata. Pallium eius erat etiam ex textili auro, & galerus eiusdem generis ad formam eorum, quorum ferendorum ius solis septemuiris Electorib. permissum est. Electores solito habitu, et sibi proprio insignes erant. Atq; ita in templum itum est ab Imperatore quidem & rege sub vmbella quam gestabant ex primarijs & auctoritatis summæ patricijs primo Christophorus Kellnerus, & Carolus Kuvuhorn, vterq; decurio; indeq; Antonius Zum Iungen, Carolus Glauburgius, Iustinianus ab HoltZhausen, et Daniel Hinspergius: omnes quatuor etiam ex ordine Senatorio Francofurtẽsi, q ante quoq; electionis die eodem munere defuncti erant. Politici Electores insignia imperialia ferebant: nempe Palatinus dextra pomum, typum mundi; Saxo medius gladium, Brandeburgicus sinistra sceptrũ.*

*Dum templo hi propinquant, interim ecclesiastici in sacrario Pontificalibus induuntur: indeq; ad chori, vt vocant, aditum in occursum Imperatoris procedunt, eumq; & regem ita introducunt, vt Moguntinus primus iret cum suo clero, inter quos quidam oblongam argenteam crucem, alter baculum Episcopalem; tertius, sed ex ordine equestri, argenteũ pedum, cui sigillum impositum erat, præferebant, sequebatur rex medius inter duos Episcopos, qui duorum reliquorum Archiepiscoporum (quod initiati adhuc non essent) vicibus fungebantur. inde ibant ante Imperatorem Politici Electores, cum suis quisq; imperij insignib. proximus autem ab Imperatore ingrediebatur vnus ex Pincernis Lympurgicis, qui pallij imperialis extremas lacinias ferret, & à solo colligeret: prosequentibus inde duobus reliquis ecclesiasticis Electoribus.*

*Imperator statim solitum sibi solium occupauit ad dextram: Electoresq; politicos, cum aliquantisper fungi eos suo officio sustinuisset, cum insignibus ei apparendo, iussit loca ipsis præparata, translato munere in legatos, petere: Similiter alij quoque primæ notæ Principes, cum aliquamdiu in conspectu Imperatoris honoris ei habendi causa constitissent, ad suam quisque sedem deductus est, nominatim Magister*

*Ordinis Teutonici, Dux Bauariæ; Duces Georgius & Vuolfgangus, Comites Palatini; Dux Iuliacensis, Dux Megaloburgensis; VVirtenbergicus autem, duo Comites Palatini iuniores, item Lantgrauij, Lauuenburgicus, Anhaltinus, Aurasinus, Arscotanus, & Lotharingus pro arbitrio suo modo hic modo alibi constiterunt, oculis singula vsurpandi caussa.*

*Legatus Pontificius, qui ante Imperatorem & regem in templum venerat, sede peculiari honoratus fuit, intra septa, quibus Imperator, Rex, & Electores muniebantur. idq; loco editiore tabulati, & vnde planius vt quæq; fiebant inspicere posset.*

*Rex, dum Imperator consideret, ad chori aditum pro altari Crucis substitit, inde ingressus interiora, ante altare primarium precibus vacauit: sic tamen, vt transiens Imperatori exquisitißimum & deuotißimum honorem haberet. quem iterauit etiam quotiens postea in solio suo consedit, aut ab eo consurrexit. Finitis autem precibus ad sedem suam se recepit positam interuallo duarum orgyarum ab eodem altari sub vmbella elegantißima ex auro textili: comitantibus tamen duobus Episcopis, & Electoribus Ecclesiasticis.*

*Cum rex consedisset etiam Electores & Episcopi stratas sibi sedes occuparunt: Treuirensis quidem, & VuirZeburgensis dextro regis latere; Coloniensis vero & Spirensis sinistro; Moguntino, qui inauguraturus regem esset, sacris operante.*

*Quibus simul initium est factum; e vestigio Elector Palatinus in conclaue secessit; Reliqui duo Electores, aliique Principes tenuerunt locum suum vsq; donec* Alleluia *cantaretur; quo tempore Palatinus denuo ad eos prodijt. Regem autem tum Episcopi in tunica illa stricta ex serico rubro ad altare duxerunt; vbi cum se in genua submisisset, interrogatus est ab Archiepiscopo Moguntino,* An vellet fidem & religionem Christianam seruare, Ecclesiam tueri, Iustitiam administrare, imperium augere & defendere, viduas, pupillos, & pauperes protegere, Pontifici Romano honorem debitum habere? *ad quæ omnia & singula cum respondisset rex ita velle, idem Archiepiscopus lustricis aliquot precationibus eum expiauit, indeq; inunxit anterius a capite, ab humeris, pro pectore, ad brachium dextrum, in vola dextra; inde ad detergendam vnctionem abducunt regem in conclaue, ad quam rem solus Palatinus relicta sede sua operam nauauit.*

*In eo autem conclaui rex Diaconi more vestitur indumentis Caroli Magni Imperatoris, atq; ita ad altare reducitur; vbi ei Archiepiscopus Moguntinus tradidit strictum gladium, & remp. imperiumq; Romanum paucis commendauit. gladium rex in vaginam recondidit; indeque*

*eum*

*eum lateri eius accinxit Elector Saxonicus; qui cum Palatino ad hoc ſuperuenerat. Moguntinus autem inde regis digito annulum rari & maximi pretij indidit; pallioque eum circumdedit: ac mox reliqua inſignia, ſceptrum ac pomum tradidit. quæ ipſa quoque omnia Carolum Magnum olim geſtaſſe memorāt. Poſtremo diadema regi impoſuerunt eiuſdem Caroli Magni Imperatoris omnes tres Eccleſiaſtici Electores, coniunctis operis. Atque hic iterum rex quæ prius, exigente Moguntino, iurauit ad ſacroſancta Euangelia. nempe facturum ſe boni principis officium. Inde ductus eſt rex per tabulatum (quod ſenſim creſcebat ad dextram, tapetis a latere, a ſolo viridi panno ſtratum) ad ſolium magnifice & regie eductum, ſedis Caroli Magni formam exprimens, in eoq; eum collocant, & tamquam in poſſeſſionem Imperij hoc ipſo mittunt, Ibi Moguntinus nomine omnium verba facit; & de adepto eo regali faſtigio regi gratulatur: eiq; ſe ſuosq; collegas & ordines omnes imperij diligenter commendat; moxq; cantari incipit,* Te Deum laudamus, *tubæq; & litui clangore omnia implent.*

*Inter hæc Rex multos primarios viros, & in reliquis duos ſeptemuiri Electoris Palatini filios, duos Haſſiæ Lantgrauios, Eberhardum Ducem Vuirtembergenſem, Ioannem Albertum ducem Megaloburgenſem, Carolum ducem Munſterbergenſem, qui regi erat a cyathis, item D. Chriſtophorum Carlouitzium, Eraſmum Magerum, Ioannem Georgium Preyſingerum, Sacræ Cæſ. Maieſt. deſignatorem hoſpitiorum, equeſtri dignitate donauit; indeq; cum Euangelium cantatum eſſet; eiusq; librum ipſe poſt Cæſaream Maieſt. oſculatus eſſet; vterq; etiam ad aram accedens, oſculato Pacis ſymbolo complures aureos Archiepiſcopo Moguntinenſi, qui ſacris operabatur, obtulit. inde quiſq; ad ſolium ſuum regreſſus, in eodem ſacrorum finem exſpectauit; Quibus vix peractis accedunt regem duo ſodales ſiue canonici Aquiſgranenſes, eumq; admonent veteris iuriſiurandi, quo tenentur omnes Reges Romanorum aut Imperatores, magiſtratū eum ineuntes, etiam collegio eccleſiaſtico Aquiſgranenſi nomen dare, & in illud recipi, quod tunc quoq; ſic factū eſt: veteri autem conſuetudine ſolet ad hunc canonicatum, vt vocant, denominare & ſiſtere duos rex, ſiue Imperator, ſacris initiatos; cum reliqui ſodales eiuſdem collegij ea lege non teneantur.*

*Cæterum dum in his totus rex eſt; regina eius coniunx, quæ cum iunioribus Archiducibus & Principibus, Duce Lotharinga & filia, Duce Saxonica Electoris coniuge, & Duce Bauarica ex edito tabulato & magnifice inſtrato ritus omnes inaugurationis & cerimonias ſingulas cupide inſpexerat; ex templo faceſſit, & petit cum vniuerſo comitatu commemoratæ Ducis Saxonicæ hoſpitium; quod ex eo vicino Romanæo*

*siue Curiæ contemplatura etiam commodissime videretur pompam Imperatoris et Regis, cum Electorib. reuertentium; itemq́ turbas quas daturum erat vulgus in sparsione missilium, quæ ei de more debebantur.*

*Ita digressa regina Ecclesiastici Electores deponunt in sacrario Pontificalia sua, & resumunt habitum septemuiralem: atq; ita Imperatorem (qui omnia oculis suis vsurpauerat quæ acta erant, solusque Euangelij codicem præter regem deosculatus fuerat, & aqua lustrali sparsus) & regem è templo producunt, sensimq́ ad Curiam procedunt pedibus per stratum ad hoc pontem, isto fere ordine:*

*Lazarus à Schvuendi,*
*Joannes Schnabelius,*
*Georgius ab Holl,*
*Nicolaus dominus Polvuilius,*
*Nicolaus Hatstadius,*
*Vuolfgangus Diefſtetterus.*

*Magistri equitum:*

*Ernestus Dux Brunsuicensis,*
*Christoph. comes Oldenburgicus,*
*Gunther9 co. Schvuartzẽburgic9,*
*Iacobus Schulenburgicus,*
*Henricus Stauptitsius,*
*Hadrianus Steinbergius,*
*Albertus Rosenbergius,*
*Ioachimus Robelius,*
*Adamus Trot,*
*Ernestus à Manderscheid.*

*Palatina & Imperialia officia:*

*Pincerna Christophorus Baro Lympurgicus,*
*Henricus Pappenhemius S. R. J. Marescallus,*
*Vitus Curtius Pappenhemius S. R. I. Marescallus,*
*Conradus Pappenhemius S. R. I. Marescallus,*
*N. Pappenhemius S. R. I. Marescallus,*
*N. à Seideneck S. R. I. Archimagir.*
*Carolus Comes à Zolrn ab Hohenzollern S. R. I. Cubicularius hæreditarius,*
*Carolus Fraunbergius S. R. I. Eques hæreditarius,*
*Ioannes Christophorus Fraunbergius eius frater,*
*Ioannes Adamus Fraunbergius eius agnatus.*

*Docti ex libris editis clari qui tum Francofurti fuere:*

*Theologi:*

*Ioannes Agricola Eislebius in aula Brandeburgica,*
*Georgius Vuicelius incola alioqui Moguntinus,*
*Joannes Brentius in aula Vvirtenbergica,*
*Abdias Prætorius Gottschalckius,*
*D. N. Emmelius professor linguæ Sanctæ Heidelbergæ,*

*D. Hieronymus Zanchus professor theologiæ Argentinæ.*

*Iurisconsulti:*

*D. Apollinaris ordinis Ioannitarum Cancellarius,*
*Melchior Klingex Magdeburgensi ditione,*
*Sebastianus Meichsnerus I.V.D.*
*Franciscus Hottomannus I.C.*
*Nicolaus Cisnerus in aula Palatina septemuirali,*
*Simon Schardius,*
*D. Georgius Tradelius in Comitatu Augustanorum,*
*D. Ægidius Mommerius Limpurgensis.*

*Historici:*

*Michael Beutherus J.C.*
*Ioannes Voerthusius Præpositus Dauentriensis,*
*Samuel Quickelbergius in Aula Bauarica,*
*Laurent. Schradeus Antiquari⁹,*
*Ioannes Francolinus Rex armorum Cæsareus,*
*Henricus Mullerus in aula Guntheri comi. Schvvartzburgici.*

*Oratores & Poetæ:*

*Ioannes Sturmius Orator & Rector Argentinensis,*
*Cyprianus Vomelius Coloniensis Poeta,*
*Michael Toxites Medicinæ D. Poeta & orator,*
*Andreas Rapitius Poeta & I.C.*
*Ioannes Posthius Germershemius Medicus & Poeta,*
*Ioannes Lauterbachius Poeta,*
*Martinus Huberus Basiliensis.*

*Mathematici & Musici:*

*Ioannes Taisnerus I. V. D. Mathematicus,*
*Orlandus Lassus Musicus in aula Bauarica.*

*Initus numerus equorum tum Francofurti ita habet:*

*Cæsarea Mai. habuit cum vniuerso suo comitatu Equos mille quadringentos sexaginta tres, sunt 1463.*
*Rex cum regina 900.*
*Elector Moguntinus 360.*
*Elector Coloniensis subitaria vectura aduenerat 14. curribus, qui ei obuiam missi sunt,*
*Elector Treuirensis appulerat nauigio,*
*Elector Palat. cum filijs Ludouico et Casimiro habuit equos 364.*
*Elector Saxonicus cum vxore, Duce Ernesto Brunsuicensi, Landgrauio Hassiæ Guilelmo, Bernardo Principe Anhaltino, & Francisco Duce Lavuenburgico 802.*
*Elector Brandenburgicus 452.*
*Episcopus Vuirzeburgensis 77.*
*Episcopus Spirensis 66.*
*Magister Teutonici ordinis 79.*
*Dux Bauariæ cum coniuge 707.*
*Dux Vuolfgan. Co. Palatin⁹ 281.*
*Dux Iuliacensis Guilelmus 314.*
*Dux Lotharingiæ cum matre & sorore 400.*

*Dux*

*Dux Meckelburgensis seu Megaloburgicus 162.*

*Dux Vuirtēbergicus cum filio & Landgrauio Hassiæ Ludouico 316.*

*Princeps Aurasinus 174.*

*Scire item licet ante aduentum Ducis Arscotani, Magistri Teutonici ordinis, Ducis Lotharingiæ, pluriumq́; aliorum Comitum, procerumq́; Octobri mense initum numerum equorum omnium à Marescallo imperiali, quibus stabula designata essent, fuisse simul cum ijs qui curribus iunguntur, & impedimenta vehunt 9065.*

## DE INAVGVRATIONE MAXIMILIANI ROMANOrum & Boemiæ Regis, in Regem Hungariæ Presburgi anno CIↃ.IↃ.LXIII.

## XXV.

*Etsi Vigesimus Augusti dies dictus erat conuentui Presburgi celebrando, regisq́; magnifico ac triumphali in eam vrbem ingressui; tamen & alia quædam impedimenta, & quod tam paruo tempore ordines ex diuersis domicilijs coire nequirent, in caussa fuerunt, cur serenissimus Romanorum Rex trigesimo primum eiusdem mensis Vienna decesserit, & vltimo eius Presburgum insigni cum pompa ingressus sit.*

*In qua pompa affuerunt regi præter cæteros, Archiduces sereniss. Ferdinandus & Carolus Austriaci, Archiepiscopus Saltzburgensis, Episcopus Praslauiēsis duo principes Lignitzij, duces duo Munsterbergici, dux Theschensis, princeps Plauiensis; & primæ notæ proceres regni Boemici, prouinciarumq́; eidē regno vnitarum. Præterea potētissimum quemq́; ex vtraq́; Austria, Stiria, Carinthia, & Principali comitatu Geortzensi; quib. accesserant sex peditum cohortes ex Viennensibus ciuibus; ita vt in comitatu eius in vniuersum fuerint equites ad milia quatuor quingenti, præter duo & amplius milia Hungaricorum equitum.*

*Posthæc Kalendis ipsis Septembris Augustissimus Imperator mane hora sexta naui Viennæ conscensa perinde sexta fere vespertina, cum eum non nulla in itinere remorata essent, Presburgum quoque feliciter appulit; vbi eum excepere quibus decebat honoribus cum Rex ipse, Archiduces, Archiepiscopus Saltzburgensis, alijque principes; tum inprimis ordines Hungarici, quorum nomine Archiepiscopus Granēsis admodum apposita oratione Cæsareæ maiestati & aduentum gratulatus est, & officia omnia obsequiaque deuotissima obtulit. Cui orationi per D. Seldium ita respondit Imperator, vt ostenderet significationem hanc ordinum propensioris erga se studij sibi accidere longe gratissimam; seq́; etiam vicissim in votis diu habuisse, quod nūc faceret, Presburgū excurrere; & cum*

*eum ipsis de regni commodis deliberare; sed hactenus id facere infinitis occupationibus prohibitum fuisse; quo magis iam tandem instituisset totus in hoc incumbere, sperans sese cum Deo & ipsorum etiam accedente studio voti compotem euasurum: maxime, cum quod hactenus fecisset, regio planè animo inmunitates eorum illibatas & sartas tectasq; conseruare decreuisset.*

*Hæc similiaq; alia vbi dicta erant, equum Imperator sibi admoueri iussit; indeq; instructas turmas secundum ripam fluminis Hungarorum spectauit: resonanteq; & reboante ob crebra tonitrua bellicarum machinarum cœlo, terra, vndis, in arcem peruenit.*

*Ita tamen, vt ante Viennensem peditatum etiam lustrarit; qui in armis stabat cis pontem naualem, quo Danubius stratus erat. quem pontem quo minus tum transmitteret Imperator sola inminens nox fecit. habebant enim castra vltra eum Orientem contra Boemicæ & Silesiacæ copiæ; ac non procul inde in Hainburgensi agro ex Austria, Stiria, Carinthia, Carnia euocati; seq; ita vallo & fossa cinxerant, tamquam non temporaria ac paucorum dierum, sed multorum annorum ea ipsis mansio futura esset. Hungarici autem generis homines castra habuerunt ex altera vrbis parte; ac non procul ab ipsis Cæsariani tendebant in parua insula ciuitati admodum propinqua, magno & ipsi apparatu instrumenti cuiusq; generis certantes.*

*Pons ipse naualis quo stratus erat Danubius duplici tabulato erat, & cuiusuis etiam oneris patiens. ad hoc ea latitudine, vt octo equites frōte æquata commodè eum possent transmittere.*

*Postridie Imperator cum vna cum rege serenissimo, Archiducibus, Archiepiscopo Saltzburgensi, Episcopo Preslauiensi sacris operatus esset; conuenerunt in arcem Ordines regni; ad quos tandem procedentes Imperator & Rex Romanorum, inpositis sibi iuxta sedib. Imperiali & Regia consederunt; facienti ita verba iussu Imperatoris D. Seldio: Non dubitare se, quin omnes qui præsentes in cōsilio adessent scirent intelligerentq;, quam iustis & grauibus de causis Imperator hunc conuentum indixerit, ad quem cum citra moram magna frequentia adesse sategerint; eam re ipsos fecisse & quod officio eorum conuenientissimum, & quod Cæsareæ maiestati esset acceptissimum.*

*Ne autem diutius vtrarumq; partium tædio trahatur res; exhibere Cæsaream maiestatem scripto compræhensa ea capita, de quibus maturè deliberare eos velit; proq; paterna sua erga Remp. Hungaricam beniuolentia rogare, vti horum singulorum ratione curatiore habita, bene & in medium consulendo non præsentibus tantum necessitatibus, sed futuris etiam temporibus prospiciant.*

*Hæc à D. Seldio dicta interpres dominus Mereius Ordinibus regni Hungarica lingua iterauit; cũ subijciẽs Latinè Imperator,* Rogo vos *inquit,* vt omnes supfluas & inanes disputationes recidatis, ac missas faciatis; quo maturius vnicuique domum & ad sua remeare liceat, hisque tantis & tam enormibus sumptibus modus fiat. *quæ vbi elocutus est concilio cum suis egreditur.*

*Postulata autem Cæsaris fuisse dicuntur, vti ordines regni Hungarici ad Maximilianum diadema transferre, ipsiq; sacramẽtum dicere, ac vt legitimo regi deinceps parere velint, adductis rationibus cur ita fieri expediret eisdem fere, quas Boemis antea allegauerat.*

*Ordines igitur postquam Cæsari per Archiepiscopum suum gratias egissent de tam paterno ipsius erga remp. Hungaricam animo, deliberaturos se dicunt; sperareque ita acturos, vt Imperator caussam habiturus sit, quæ decreuissent suo etiam iudicio comprobandi.*

*Sic demissi ordines & eo ipso die & consequentibus sæpius conuenere, sed, variantibus studiis hominum ac suffragiis, nihil confici & concludi potuit vsq; ad quartam horam pomeridianam diei, qui fuit Septembris* VII. *quo tempore erupit tandem & in arce & in vrbe passim regem postridie inaugurandum magna cum omnium ordinum lætitia, quorum intererat & regni tranquillitati hoc pacto consuli, & subditorum necessitati ad sua redeundi.*

*Cum igitur exoptatus ille dies illuxisset, Imperator mane statim post sextam horam auditam ex arce in templum descendit cum vtroque Archiduce: nec ita multo post affuit regina quoque cum duobus regiis filiis Archiducibus, Rudolpho ac Ernesto, totidemque filiabus, quas vniuersum Gynæceum comitabatur. vbi cum in solio quisque suo & peculiariter sibi posito horæ fere vnius spatio consedisset; tandem aduenit serenissimus Rex Maximilianus cum comitatu suo aulico; ordinibus regni Hungarici, Archiepiscopo Saltzburgensi, & Episcopo Preslauiensi. erat autem vestitus interius tunica rubra segmentata, exterius Attalica siue ex textili auro, q̃ pallij sacri ad instar, euanescente paullatim fulgore ætatem fatebatur. sub regis autem ingressum, vti & ante Imperatore adueniente factum erat, tubarum lituorumque clangor variè resonabat, donec templi medium Rex teneret. Vbi loci eum exspectabat Episcopus Erlaensis, & Episcopus Septimontensis, Pontificali & solenni suo ornatu spectabiles. item ex proceribus septem, totidem vexilla, Episcopus Uuardinensis sigillum regni, Percneiius Gabriel gladium, Comes Serminius pomum, Dynasta Bathorius sceptrum, & Dynasta Buthianus diadema gestantes, præcedentibus quatuor Regibus armorum. Erlaensis autem & Septimontensis Episcopi acceptum me-*

*dium regem deduxerunt ad aram, vbi considebat in Pontificalibus Archiepiscopus* Granensis *cum octo Prouincialibus regni episcopis. atque hic Erlaensis, cum prius insignia regni quæ cleinodia vocamus in eadem ara deposita essent; ad Archiepiscopum;* Reuerendissime, *inquit,* pater, Postulat sancta mater Ecclesia, vt præsentem serenissimum Romanorum & Boemiæ regem ad dignitatem Hungariæ regni subleuetis. *Subycit interrogando Archiepiscopus;* Scitis illum dignum & vtilem esse ad hāc dignitatem? *respondet Erlaensis,* Et nouimus & credimus eum esse dignum ac vtilem ecclesiæ Dei ad regimen huius regni; *Iacit iterum Archiepiscopus;* Deo gratias. *Post hæc consedit Rex medius inter suos Auspices Episcopos, quatuor fere ab ara paßibus, è regione Archiepiscopi, qui graui eum & seuera oratione adhortari cœpit ad pietatem cultumque diuinum; Iustitiæ administrationem, viduarum, pupillorum, afflictorumque omnium patrocinium: admonens postremo etiam vt ecclesiasticos proceres indeque omnes Regni ordines debita æstimatione, & saluo Maiestatis respectu, honore censeret haberetque. quo dicto Rex cum in genua procubuisset Archiepiscopi manum osculo libauit; conceptisque verbis iurauit omnia ea sibi curæ fore, quæ ad boni Regis officium pertinerent. Consurrexit inde cum suis Archiepiscopus, Regemque ea precatione lustrare cœpit quæ incipit:* Oremus: Omnipotens Deus *&c. atque hac quoque dicta in genua simul omnes procumbunt, choro Symphoniacorum auspicante Litanias, quibus decantatis, Orationem Dominicam dicunt Episcopi; Archiepiscopus vero inungit Regi primum dextrum pollicem, inde volam manus, mox iuxta humerorum internodia; subyciens precationem, cuius initium;* Deus Dei filius Iesus, Christus Deus noster &c. *hac finita oratione Rex ad solium suum reuertitur chori medio positum, Attalicis stragulis ornatum sub vmbella non minus pretiosa: Archiepiscopus vero lotis manibus sacrum orditur; in quo vbi peruentum esset ad certas preces, & aliquotenus progressum; adducto rursum Regi quem vagina educi iusserat gladium in manum dat, cum exhortatione;* Accipe gladium Fortitudinis, *&c. quo carmine finito, receptum gladium & vagina conditum lateri Regio accingit, addens:* Accingere gladio super femur tuum potentissime; &c. *quo & ipso absoluto, Rex consurgens exertum iterum gladium leniter vibrat in omnem partem, indeque recondit, atque in genua, vt ante, se submittit: eique sumptum ex ara diadema Archiepiscopus iungentibus operam vniuersis Episcopis imponit, adnexa oratione, quæ ita incipit:* Accipe coronam, quam *&c. inter hæc autem procedens senior Buthianus ordines regni Hungarico idiomate ter interrogat an hunc regnare,*

huic

*huic regi dicto audientes esse velint; quibus totidem vicibus respondentibus & reddentib. suum* Akere Kiok, *quod perinde est ac si dicas,* ita volumus. *sceptrum quoq; Archiepiscopus regi in manum dat, cum precatione:* Accipe virgam virtutis, &c. *similiter pomum peculiari oratione sacratum Rex accipit; surgensq; discinctum à latere gladiũ tradit Perenëio, qui illum acceptum Regi ad solium suum redeunti prætulit. in quo solio Archiepiscopus episcopiq; Regem locantes in possessionem eum mittunt hoc ipso regni Hungarici, præfantes solenne carmen;* Sta & retine, &c. *quod deinde consecutum est alterum alacritatis & lætitiæ ac bene gestæ rei indicium, incipiens:* Te Deum laudamus, &c. *Eo vero etiam adiuuantibus tubis, lituis, organis pneumaticis, symphoniacorumq; modulatissimis vocibus, decantato; rursum orditur Archiepiscopus piaculares preces, quarum initium,* Firmetur manus tua, &c.

*Inde redit ad arã Archiepiscopus sacrumq; cœptum prosequitur vsq; ad oblationem, in quo rerum articulo & ipse iterũ consedit, & Rex cum regni insignib. ad eum accedens libato pacis symbolo aureos 24. ducatos vocant ipsi, donarij vice offert; atq; ita præeuntib. administris ad solium suum redit, ibique rei diuinæ finem expectat. Primus autem Imperator (cui præcipuos quotiens ante eum præterierat honores Rex toto eo actu habuerat) cum suo comitatu in aulam Præpositi se recepit, atq; ibi, quod serius esset quàm vt in arcem adscendere luberet, prandium sumpsit.*

*Exspectato interim dum Granensis Archiepiscopus episcopiq; sacrorũ administri pontificalia deponerent, mox sereniss. Archiduces, & Archiepisc. Saltzburgensis Regem reuerenter adeunt; eiq; de accessione noui regni congratulantur. sola Regina cum suis continuit se in strato sibi solio, dum frequentior vnda vulgi, procerumq; cateruæ templo se effudissent. Demum cum etiam Archiepiscopus Granensis cæteriq; Episcopi ad Regem redijssent; simul omnes Frãciscanorum monasterium pedib. petunt, per viam pannis tonsilib. rubris à solo stratam. sensim tamen, et vix tandem eluctantes populi turbam, concurrentis & pugnantis de missilium aureorum argenteorumq; numismatum, quæ à regijs recepto in inaugurationibus principum more magna copia spargebantur, occupatione.*

*In hoc monasterio non paucos dignitate equestri donauit; indeq; cum Archiducibus & Saltzburgensi vrbe egressus, erectum ante eam theatrum conscendit, & in regio inibi tribunali consedit, præbita specie quasi iniuriam passis contra potentiorum opes & factiones adesse vellet. mox etiam adsistentibus Archiepiscopo Granensi, Episcopis & reliquis ordinibus regni, alta voce & erectis primoribus digitis sacramentum dixit; sese Ordinibus conseruaturum vniuersa & singula ipsorum priuilegia, inmun ates, honores, dignitates, iura, et consuetudines, contraq; ea neq;*

*ipsum se vllo modo venturum facturumue, neque vllum omnino alium facere venireue passurum. quod iusiurandum subsecutus est plausus & clamor ingens omnium qui aderant, Regi nouum honorem gratulantium, & felix Regni auspicium precantium. Quæ inter Rex conscenso rursum cum Archiducibus & Saltzburgensi equo, insulam versus contendit vrbi vicinam, è regione Danubij, in eaq; excitatum è terra & cespite tribunal militare in tumuli modum sensim crescentis eques ascendit, gladioque euaginato versus quatuor cœli plagas Orientem puta, Occidentem, Meridiem, & Septentrionem eum vibrauit, percutienti similis: quib. gestibus significabatur paratum nouum Regnum non tantum contra quemlibet defendere & tueri, sed etiam extensis ab omni regione cæli eius limitibus propagare & augere. Cæterum volente iam recondere gladium rege, progressus quidam ad genua eius se abiecit cupiens equestri dignitate donari, quod & obtinuit.*

*His omnibus ritè ita peractis, Rex ad palatium suum (quod Archiepiscopi Granensis alioqui aulam fuisse diximus) redijt; atque ibi pransus est cum Archiducibus, Saltzburgensi, Granensi, et Hungaricorum procerum Principibus. in quo etiā prandio qui administrarunt Hungarici omnes generis fuerunt; ita in Regem suum nouum studio certantes, vt indubie magnam ex ea re Rex ceperit iam tum voluptatem.*

*Quod autem nos fugit ante dicere, quacunq; eo die Rex publice incessit, eàdem ei prælata fuere septem de quibus supra memorauimus vexilla; signantia Hungariam, Dalmatiam, Croatiam, Sclauoniam, Bosnam, Seruiam, & Bulgariam.*

*Toto etiam die magno & horrendo fragore tormenta machinæque bellicæ omnis generis ex arce iteratis crebro explosionibus detonuere; nihilque, vt in pauca rem conferam, alibi quoque omissum est, quod ad testandam animorum alacritatem & lætitiam quoquo modo pertinere posse videbatur.*

## DE INAVGVRATIONE MARIAE REGINAE Boëmiæ Maximiliani coniugis in Reginam Hungariæ XXVI.

*NOno Septembris die regina inaugurata est; cui actui etiam Imperator interfuit, vultu ipso satis testatus, quanta cum voluptate sua hæc omnia fierent. In qua reginæ inauguratione eadem pleraq; quæ pridie seruata sunt; nisi quod septem illa vexilla non præferebantur, quodq; diadema Hungaricum non vertici eius, quo hæreditarium gestabat, sed dextro humero impositum est; ac mox iuxta illam in sede ad hoc parata collocatum, indeq; in palatium redeunti prælatum.*

Euntem

*Euntē ad templum Rex ipse deduxit, & in solio ei posito collocauit: indeq; ad Imperatorem (qui veluti pridie primus venerat in ecclesiam) se recepit, iuxtaq; eum, sed sede paullo depreßiore, consedit.*

*Aderant etiam Archiduces, Archiepiscopus Saltzburgensis, Episcopus Preslauiensis, omnisq; principum & procerum longo ordine caterua.*

*Ingredienti per templum Reginæ cum alia insignia Regni, tum bina diademata prælata sunt; quorum alterum proprium Reginæ, & rarißimi pretij ferebat Andreas Bathorius; alterum quod erat vetus Hungaricum, Dynasta Buthianus: qui quod podagrici essent, quoties munere suo functi erant, à famulis & asseclis in sedibus suis collocabantur.*

*Diadematis autem impositio non vt pridie præcipue per Archiepiscopum Granensem, sed per Episcopum Vesperiensem facta est, ad eum quem diximus modum.*

*Administrarunt autem Reginæ cum ex Gynæceo ipsius complures principes feminæ, tum præcipuæ quæq; ex Hungaricis.*

*Finito sacro Imperator primus vt ante quoq; deceßit; indeque Rex cum regina, Archiducibus, Archiepiscopis, Episcopis, Principibus, toto deniq; comitatu; qui eos ad palatium vsque prosecuti sunt. Vbi adhibiti sunt a Rege mensæ, cui tum regina quoq; accubuit, qui ex proceribus vtriusq; status pridie quoque adfuerant.*

## DE INAVGVRATIONE COSMI MEDICEI in Magnum Ducem Ethruriæ, Romæ anno cIↃ.IↃ.LXX.

## XXVII.

*Dominica Lætare, quæ fuit* v. *Martij anno* cIↃ.IↃ.LXX. *Cosmus Mediceus Dux Florentinus inauguratus est Romæ in magnum Ethruriæ Ducem à Pontifice Pio V. in sacello S. Sixti, præsenti Cardinaliū consessu, & multis alioqui proceribus, his fere cum cerimonijs quæ sequuntur:*

*Pontifici ex palatio descendenti in eum locum vbi indui pontificalib. & ad solennem talem inaugurationem pertinentibus solet, Cosmus Dux veste Ducali ipse indutus hoc officium pstitit, vt togæ eius extremas lacinias à tergo per viam gestaret. Hic comparens in re præsenti orator Cæsareus coram Cardinalib. Morono, Alexandrino & Chiessensi, testatus est eam inaugurationem q pararetur, in domini sui præiudicium vergere; sine cuius expresso consensu nihil tale fieri deberet: quare etiam illegitimam futuram pronuntiare sustinuit; cuius sui officij & facti vt testes essent tres modo dicti Cardinales, orauit: addita persona publica etiam, quodam Cæsareo Notario.*

*Interpellans autem Oratorem Cæsareum Procurator Fisci, interro-*

*gauit, an mandatum nominatim ad huius suæ cautionis formulam à domino suo accepisset; ad quod ille respondit nõ vltra quàm per litteras interpretes de ea secum actum; quas litteras etiam suæ sanctitati ederet eo ipso momento. quibus vltro citroq; dictis, facessit Orator.*

*Pontifex nihilosecius instituit facere quod proposuisset, indutusque solenniter & pontificali diademate coronatus; ad S. Sixti sacellum perrexit, Cosmo semper lacinias extremas gestante, sed nunc archiducali habitu; hoc est, vestito tunica talari ex holoserico rubro segmentato, cuius subdititia fultura essent Alpinæ mustelæ candidæ, depẽdentibus codis nigris ad terram fere; manicæ eiusdẽ generis, tam interius quàm exterius erant latissimæ. ipsa autem tunica sub axillam alteram reducta ita erat, vt facile proderet gemmarum & vnionum vim, quibus intrinsecus ditaretur; huic tunicæ pallium iniecerat generis per omnia eiusdem; solo autem capite ducalem adhuc pileum retinebat.*

*Habuit autem in sacello consuetum locũ inter duos presbyteros Cardinales.*

*Cum sacrum siue Missa eo perducta esset, vt cantandæ Epistolæ finis fieret; allata sunt Pontifici diadema primum in pelui aurata ex auro puro ductili à D. Galitto Cubiculario Pontificio, atque inde sceptrum argenteum à summo lilio prægrandi decoratum, perinde in aurata pelui, à D. Iustiniano.*

*Hinc Cosinus mediis inter Duces Tagliacozam & Gratianum ad pontificem processit, ibique in genua procubuit: pontifex verò postquam ipsum Ducem precationibus aliquot lustrasset, diadematiq; & sceptro benedixisset; acceptum à Cardinale Vrbino diadema vertici Cosmi imposuit, qui ante pileo ex holoserico rubro segmentato tectus fuerat; similiterq; sceptrum ei in manum dedit.*

*Eo habitu Cosmus iam Archidux Pontificis pedi osculum impreßit, quem inde Cardinales duo iuniores Madrucius & Alciatus medium ad locum suum reduxerunt; vbi ante nominati Duces Archiduci nouo eam operam dederunt, vt Tagliacoza diadema, Gratianus sceptrũ ab eo acciperent; Pontifice quoq; eodem tempore suum diadema deponente.*

*Ad oblationis datum signũ Archidux Ducib. altrinsecus eum comitantibus muneri obtulit pontifici primo calicem auratum cum operculo suo, & patera altera aurata; qui calix dicitur habuisse pondus nouem librarum. erantq; incisæ in ambitu eius arte rarißima tres figuræ: Fidei puta, Spei, & Charitatis; quæ manib. calicem tenerent: ad pedes vero haberent Euangelicos quatuor scriptores, additis insignib. tam pontificijs q̃ Archiducis, qui secundum munus quatuor prælatis in pateris afferri mandauit, quod erat amiculũ aureũ, cuius generis ornatu pontifices nõ*

*nisi*

*nisi solennioribus festiuitatibus vti solent; & pallium item ex textili auro, quod à pectore ita coniungebatur, vt fibulæ gemmeæ & pretij incredibilis characteres eos exprimerent & conformarent, quæ nomen Iesu Mediatoris nostri conficerent.*

*Hæc dona Pontifici, quod ex vultu etiam ipsius colligi poterat, longe charissima, Cardinali Vrbino commissa sunt, qui ea exposuit in ara quæ iuxta erat; cuiq; idem Cardinalis Vrbinus, tamquam senior inter presbyteros Cardinales, adsidere solet.*

*Archiducem Duces ad locum reduxerunt, cui etiam eidem ad sacri finem vsq; operam dederunt.*

*Finito sacro Archidux ad officium suum redijt, vtq; erat diademate ornatus translato in sinistram sceptro, dextra posticam vestem pontificiam tulit vsq; eum locum, vbi exui de more is consueuit.*

*Qui depositis Pontificalibus Rosam sacratam Archiduci in donum dedit, quam ille lætus ad hospitium suum vsq; ipse ferre voluit; prosequẽtibus eum omnibus omnino Cardinalibus & nouum ei honorem gratulantibus. etsi prosequendi officium magis Rosæ sacræ, quam Archiduci imputasse atq; impendisse credantur.*

*Sacrum fecit eo die Cardinalis Donellus, tamquam Pontificis Vicarius. Cerimonijs tamen huius inaugurationis nemo legatus aut orator externorum Principum Gentiumq; interfuit, exceptis duobus Alexandrinis fratribus & filio legati Lusitanici.*

*Sub noctem ignes quidem priuatim a quibusdam lætitiæ indices excitati sunt, sed publice nulli.*

*Die Lunæ Archidux cœpit salutandis Cardinalibus operam dare, ex quibus eum humanissime excepere Pisanus, Farnesius, Ferrariensis, Vrbinas, & Corregius; qui etiam comitatui ipsius honoris caussa vinum tragemataq; largissime præbuerunt. Idem Archidux non paruam pecuniæ summam apud Presbyteros Hieronymianos deposuit, ipsorum arbitrio in pauperes & egenos erogandam.*

*Eo tempore Illustrissimus Paulus Iordanus Roma decessit, cupiens ea domi prouidere, quæ ad nouum Archiducem quam honorificentissime excipiendum pertinerent,*

*Missus est etiam Pontificis nomine ad ditiones sedi Romanæ subiectas D. Harnius, q; curaret Archiducem passim maximo apparatu tractari.*

*Iurisiurandi formula Archiducis:*

Ego Cosmus Mediceus Magnus Dux Ethruriæ promitto & iuro sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ; eiusq; sedi apostolicæ & tibi Pie dei prouidentia huius nominis quinte Pontifex solitam hactenus obedientiam, & venerationem, quemadmodum per legatos meos eam

eam ad hunc diem semper exhibui & ad officium Principis pertinet. Profiteor etiam hic me pro viribus paratum & studiosum sanctam Catholicam religionem promouere & propugnare in perpetuum, commodis eius & tuæ sanctitatis seruire, tanquam veri Christi Vicarij; cui vellem plenius posse demonstrare animi propensionem Principis verè Christiani, quam debeo innumerabilibus sanctitatis tuæ in me benificijs, & huic sanctæ sedi apostolicæ, quibus ea quæ supra meo posterorumq; meorum nomine caueo, & iureiurando confirmo Sic me deus adiuuet, & hæc sancta Euangelia.

*Formula Cautionis qua Orator Cæsareus rebus domini sui consultum voluit in inauguratione magni Ducis:*

Quādoquidem Florentia & Senæ Cameræ sunt Romani imperij, neq; potest, neq; debet circa titulum Ducis Florētini aliquid innouari citra voluntatē Cęsareę Maiestatis; alioqui enim pertinebit ea res ad manifestum eiusdem maiestatis præiudicium, atq; ita tanquam non facta habebitur, & viribus omnibus destituetur.

*Precatio Pontificis ante coronationem Magni Ducis:*

O domine deus, extende ad hunc famulum tuum magnum Ethruriæ Ducem dexteram tuam cum cœlesti auxilio; quo ita ex toto corde suo quærat quæ diuina sunt &c.

*Verba Pontificis sedentis ad Magnum Ducem:*

Accipe coronam testimonium gl[illegible]osarum tuarum virtutum, quam nos ex officio tibi imponimus i[illegible] nomine Patris, & filij, & Spiritus sancti.

Quando autem deinceps obligaris & teneris Protectorem agere fidei, huius sacrosanctæ ecclesiæ, viduarum, pupillorum, & omnium afflictorum, opeq; indigentium, vide in posterum gubernator & administrator sis iustus & clemens; vt coram deo gloriosus athleta omnium virtutum gemmis splendeas; quam gratiam tibi faciat dominus noster Iesus Christus qui cum patre & sancto spiritu imperat & regnat in omnia sæcula sæculorum. Amen.

Accipe virgam amoris atq; æquitatis, in nomine Patris &c. qua vnicuiq; retribuas pro meritis suis, mulceas bonos, terreas improbos; & vt deum semper ante oculos habens neq; in dextram neque in sinistram declines, sed æqualis sis omnibus, pauperes protegas, malos punias; vt omnes intelligant te cultorem iustitiæ, osorem iniquitatis; quod tibi concedat q est benedictus in sęcula sęculorū.

*Benedictio Pontificis:*

Deus pater sempiternæ gloriæ sit adiutor & protector tuus, benedicat tibi omnipotens; audiat in omnibus orationem tuam, &

impleat

impleat vitam tuam dierum plenitudine, confirmet dominationem tuam, populos tibi subiectos foueat, hostes tuos perdat; sanctus Christi vicarius in te inspiret vt quemadmodum hic tibi ditiones terrestres contulit, ita in cœlis pręmia tibi æterna largiatur, &c.

*In orbe coronæ Magni Ducis inscriptum erat:*

Pius V. Pont. Max. ob eximiam dilectionem ac Catholicæ religionis zelum, præcipuumque iustitiæ studium, donauit.

## CERIMONIAE IN CORONATIONE Regum Poloniæ obseruari solitæ, in Henrici Valesij inauguratione adhibitæ Cracouiæ anno CIↃ.IↃ.LXXIV.

### XXIIX.

*INprimis congregantur episcopi & consiliarij regni, alijq; officiales, item abbates infulati, minimum ex diœcesi Cracouiensi, qui omnes cōuenire tenentur ad diem statutū coronationis.*

*Rex autem electus parabit se vt dignè accedat mēsam diuinam, corpus Christi sumpturus coronationis die, vnde ieiunio, eleemosyna, et confeßione expiabit peccata sua. Sequenti vero die quæ erit Dominica, qua Rex est benedicendus, Archiepiscopus & suffraganei, abbates infulati, alijq; prælati omnes conueniunt mane in cathedralem ecclesiam, amicti stolis, piuialibus, mitris, infulis superpelliceis, & id genus ornamentis sacerdotalibus. Senatores quoq; omnes & equestris ordo cōgregatur, quib: sic peractis, supplicatione ordinata per magistrum cerimoniarum, cum turibulo & aqua lustrali alysq; episcopalib. palatium conscendunt; clero cum sacerdotibus & abbatib. ad gradus palatij remanentib. soli episcopi cum archiepiscopo adscendunt ad deducendum principem in ecclesiā cathedralem, qui ante induitur per supremum regni Marescallum, vel per magistrum cerimoniarum sandalijs, chirotecis, tunica, alba Dalmatica, & pallio siue toga picta; quem sic ornatum & inter Barones primoresq; regni stantem Archiepiscopus aqua lustrali circumducit, ac eo facto precatur in hæc verba;* Deus humilium institutor, qui nos sancti spiritus illustratione consolaris, prætende super hunc famulum tuum Henricum gratiam tuam, vt per eum tuum in nobis adesse sentiamus aduentum. *Hinc Rex in ecclesiam per Cracouiensem & Cuiauiensem episcopos deducitur dextra læuaque apprehensa; præferentibus Castellano Cracouiensi coronam, Palatino sceptrum, Vilnensi item Palatino pomum aureum, & Andrea à Zborouu gladium euaginatum; episcopi cum Archiepiscopo, abbates infulati & cæteri Principes suo ordine quilibet cruce præcedente succedebant. similiter Duces Franciæ &*

*externorum principum legati. Regalia supradicta a Senatoribus qui ea portabant accepta in ara deposita sunt; Rex in solio sistitur; ante quem Archiepiscopus certas precationes pronuntiat. Antequam autem Rex coronaretur, orta est magna controuersia, ratione confœderationis, inter quosdam Catholicorum & Euangelicos sub interregno factæ; episcopis eandem vti diuinis pariter ac ecclesiasticis contrariam legibus ipsisq; inuitis, & reclamantibus factam, improbantibus; Euangelicis contra propter rerum suarum securitatem, omnino firmam haberi contendentibus. sed postea omnis illa contentio sedata fuit, & pace facta vnus Episcoporum sic precatur:*

Omnipotens sempiterne deus, cœlestium ac terrestrium moderator, qui famulum tuum ad regni fastigium, dignitatemq; dignatus es prouehere, concede quæsumus, vt à cunctis aduersitatibus liberatus, ecclesiasticæ pacis dono muniatur, & ad æternæ pacis gaudium, te donante peruenire mereatur, per Christum Dominũ nostrum: Amen.

*Finita precatione admonet diligenter regem, de fide, de pietate in deum, & de alijs virtutibus regijs, dicens.* Cum hodie per manus nostras optime princeps, q Christi saluatoris nostri vices in hac re obimus, quãuis indigni, sacra vnctione, & regni insignia sis accepturus, non abs re est futurum, si te prius de onere, ad quod destinaris nonnulla moneamus. Regiam hodie suscipis dignitatem, & regendi fideles populos tibi commissos curam sumis: præclarum sane inter mortales locum, sed discriminis, laboris, atq; anxietatis plenum: verum si consideraueris, quod omnis potestas à domino deo est, ꝑ quem regnant reges & legum conditores iusta decernunt, quodq́; de grege tibi commisso, ipsi deo rationem redditurus es, primum pietatẽ seruabis, dominum deum tuum tota mente ac puro corde coles, Christianam religionem ac fidẽ Catholicam, q̃ ab incunabilis professus es, ad finem vsq; inuiolatam retinebis, eamq; contra oẽs aduersantes, pro virib. defendes. Ecclesiarũ prælatis, ac reliquis sacerdotib. condignam reuerentiam exhibebis; ecclesiasticã libertatem non conculcabis, iustitiã sine qua nulla societas diu consistere potest, erga oẽs inconcussè administrabis; bonis p̃mia, noxijs debitas pœnas imponendo, viduas, pupillos, pauperes, ac debiles ab omni oppressione defendens; omnib. te adeuntib. benignum, mansuetũ, atq; affabilem ꝓ regia tua dignitate prębebis; & ita te geres, vt non ad tuam, sed ad totius populi vtilitatem regnare, p̃miumq; benefactorũ tuorum nõ in terris, sed in cęlo exspectare videaris, quod ipse tibi præstare dignetur, q viuit & regnat deus, in sæcula sæculorum.

*Absoluta*

*Absoluta oratione interrogat illum episcopus, his verbis*: Vis fidem sanctam, à Catholicis viris traditam tenere, & operibus iustis seruire? ℞. Volo. Vis ecclesijs ecclesiarumq; ministris tutor & defensor esse? ℞. Volo. Vis regnum à Deo tibi commissum secundum iustitiam patrum tenere, regere, & defendere? ℞. Volo, & in quantū diuino fultus suffragio, ac solatio omnium fidelium valuero, ita me fideliter per omnia acturum esse promitto.

*Finita interrogatione Rex coram Archiepiscopo genu posito, capite adaperto dicit in hæc verba*: Ego Henricus Deo annuēte futurus Rex Polonorum, profiteor & promitto coram Deo, & angelis eius, deinceps legem & iustitiā, & pacem ecclesiæ Dei, populoq; mihi subiecto, pro posse & nosse, facere atq; seruare, saluo condigno misericordiæ Dei respectu, sicut in consilio fidelium meorum melius potero inuenire. Pontificibus quoq; ecclesiarum Dei, condignum & canonicum honorem exhibere, atque ea quæ ab Imperatoribus & regibus ecclesiæ collata & reddita sunt, inuiolabiliter obseruare, abbatibus, comitibus & vasallis meis congruum honorem, secundum consilium fidelium meorum præstare.

*Post hæc vtramq; manum Euangelijs imponit, dicens*: Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Euangelia.

*Postea dicit Archiepiscopus collectam hanc*: Omnipotēs sempiterne Deus, creator omnium, Imperator angelorū, Rex regum, & dominus dominantium, qui Abraham fidelem seruum tuum de hostibus triumphare fecisti, Mosi & Iosuæ populo tuo prælatis, victoriam multiplicem tribuisti, humilemq; Dauid seruum tuum regni fastigio sublimasti, & Salomonem sapientię pacisq; ineffabili munere ditasti, respice quæsumus Domine, ad preces humilitatis nostræ, & super hunc famulū tuum Henricum, quē supplici deuotione veneramur, & in Regem eligimus, benedictionum tuarū dona multiplica, eumq; dextera potentiæ tuæ, semper hic & vbique circumda: quatenus prædicti Abrahæ fidelitate, Mosis mansuetudine fretus, Iosuæ fortitudine fultus, Dauid humilitate exaltatus, Salomonis sapientia decoratus, tibi in omnibus complaceat, & per tramitem iustitiæ inoffenso gressu semper incedat. Tuæ quoq; protectionis galea munitus, & scuto insuperabili iugiter protectus, armisq; cælestibus circundatus, optabilem de hostibus crucis Christi victoriam fideliter obtineat, & triumphum feliciter capiat, terroremq; suæ potentiæ illis inferat, & pacem sibi militātibus lætanter reportet, per Christum Dominum nostrum, qui virtute crucis Tartara destruxit, regnoque Diaboli superato, ad cœlos victor ad-

 scendit:

scendit: in quo potestas omnis, regnique consistit victoria: qui est gloria humilium, & vita salusque populorum: qui tecum viuit & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

*Subijcit deinde aliam precationem in hanc sententiam:* Te inuocamus domine, sancte pater, omnipotens & sempiterne Deus, vt hūc famulum tuum Henricum, quem tuæ diuinæ dispēsationis prouidentia in primordio plasmatum, vsq; ad hunc præsentem diem iuuenili flore lætantem crescere cōcessisti, eum tuæ pietatis dono ditatum, plenumq; gratia & veritate de die in diē coram te & hominib. ad meliora semper proficere facias: vt summi regiminis solium gratia supernæ largitatis gaudens suscipiat, & misericordiæ tuæ muro, ab hostium aduersitate vndiq; munitus, plebem sibi cōmissam cum pace propiciationis, & virtute victoriæ feliciter regere mereatur, per Christum Dominum nostrum. Amen.

*Post hæc Archiepiscopus genua flectit, et Rex in faciem prouoluitur: Cantores canunt choro correspondente, & cum cantant hunc versum:* Et obsequium seruitutis nostræ tibi rationabile facias. ℟. Te rogamus audi nos.

*Archiepiscopus stans ad Regem prouolutum, cum cruce dicit:* Et hunc electum in Regem coronandum, benedicere digneris. ℟. Te rogamus audi nos.

*Iterum canit;* Et hunc electum in Regem coronandum benedicere digneris. ℟. Te rogamus audi nos.

*Post hoc episcopi omnes cum abbatib. genua flectentes, litaniam prosequuntur supra Regem prouolutum, quam cum finierint, Archiepiscopus orationē Dominicam exorditur;* Pater noster, &c. Et ne nos inducas in tentationem, ℟. Sed libera nos à malo. *Vers.* Saluum fac seruum tuum domine. ℟. Deus meus sperantem in te. *V.* Esto ei Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. *V.* Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. *V.* Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. *Oremus:* Deus qui populis tuis virtute consulis, & amore dominaris, da famulo tuo Henrico sapiētię spiritum, cum regimine disciplinę, vt tibi toto corde deuotus, in regni regimine maneat semper idoneus, tuoq; munere ipsius temporibus securitas ecclesiæ dirigatur, & in tranquillitate deuotio Christiana permaneat, vt in operibus suis bonis perseuerans, ad æternum regnum te duce peruenire valeat, per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

Benedic Domine hunc Regem Henricum, qui regna omnia moderaris à sæculo, & tali eum benedictione glorifica, vt Dauidicæ te-

cæ teneat benedictionis & sublimitatis sceptrum, & glorificatus in eius protinus rapiatur merita. da ei tuo spiramine cum mansuetudine, ita regere populum tuum, sicut fecisti Salomonem tuum continere regnum pacificum; sit tibi semper cum timore subditus, tibique militet cum quiete, sit tuo clypeo protectus, cum proceribus, & vbique tua gratia victor existat: honorifica eum præ cunctis regibus gentium, vt feliciter populis tuis dominetur, & feliciter eum nationes adorent; viuat inter gentium cateruas magnificus: sit in iudicijs æquitatis singularis, locupletet eum tua perdiues dextera; frugiferam obtineat patriam, & eius liberis tribuas profuturam. Protolle ei prolixitatem vitæ, & in diebus eius oriatur iustitia, à te robustum teneat regiminis solium, & cum iucunditate & iustitia, æterno glorietur in regno, per Christum Dominum nostrum, Amen.

*Postea Archiepiscopus sedet, Rex vero in genua ante eum prouolutus, Dalmatica & piuiali exuitur. Archiepiscopus autem intincto pollice dextro in oleo sacro vngit illi dextram à palma ad cubitum, & inter scapulas, & in brachio dextro, dicens:* Vngo te in Regem ex oleo sanctificato in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen.

*Vers.* Pax tecum. *R.* Et cum spiritu tuo.

Vngo te in Regem ex oleo sanctificato, Spiritus sancti gratia humilitatis nostræ officio in te copiosa descendat, vt sicut manibus nostris indignis, oleo materiali pinguescis exterius ablutus, ita eius inuisibili vnctione delibutus, impinguari merearis interius, eius quoque perfectissima spirituali vnctione semper imbutus, & illicita declinare tota mente discas seu valeas, & vtilia animæ tuæ, iugiter cogitare, optare, atque operari queas, auxiliante Domino Iesu Christo, qui tecum viuit & regnat, Deus Dei filius Iesus Christus Dominus noster, qui à Patre oleo exultationis vnctus est, præ participib. suis, ipse per præsentem sanctæ vnctionis infusionem Spiritus Paracleti super te benedictionem infundat, eũdemque vsque ad interiora cordis tui penetrare faciat. Quatenus hoc visibili & tractabili oleo dona inuisibilia percipere, & temporali regno, iustis moderationibus executo, æternaliter corregnare ei merearis, qui solus sine peccato Rex regum, viuit & gloriatur cum Deo patre in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

*Oremus*: Omnipotens sempiterne deus, qui Azachiel super Syriã, & Iehu super Israel per Heliam, Dauidem quoque & Saulem per

Samuelem prophetam in reges inũgi fecisti, tribue quæsumus manibus nostris opem tuæ benedictionis, & huic famulo tuo Henrico, quem hodie licet indigni in sacro vnguento delingimus, dignã delibutionis huius efficaciam, & virtutem cõcede. Constitue Domine, principatum super humerum eius, vt sit fortis, iustus, prouidus & indefessus regni huius, & populi tui gubernator, infidelium expugnator, iustitiæ cultor, meritorum remunerator, ecclesiæ tuæ sanctæ & fidei Christianæ defensor, ad decus & laudem tui nominis gloriosi, per dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti deus, per omnia sæcula sæculorum: Amen.

Christe perunge hunc Regem in regimen, qui vnxisti sacerdotes & prophetas, reges, & martyres, qui per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, atque adepti sunt repromissiones, tua sanctissima vnctio super caput eius defluat; atque ad interiora descendat, & cordis illius intima penetret: & promissionibus quas adepti sunt victoriosissimi reges, gratia tua dignus efficiatur, quatenus in præsenti sæculo feliciter regnet, & ad eorum consortium in cælesti regno perueniat, p dominum nostrũ Iesum Christum, q tecum viuit & regnat &c. Vnctus est oleo lætitiæ præ consortibus suis, & virtute sanctæ crucis potestates aereas debellauit, Tartara destruxit, Regnum diaboli superauit, & ad cœlos victor ascendit, in cuius manu victoria, virtus & potestas consistunt, & tecum viuit & regnat per omnia sæcula sæculorum: Amen.

Deus qui es iustorum gloria, & misericordia peccatorum, qui misisti filium tuum vt pretiosissimo sanguine suo genus humanum redimeret, qui conteris bella, & es propugnator in te sperantium, & sub cuius arbitrio omnium regnorum continetur potestas, te humiliter deprecamur, vt præsentem famulum tuum Henricum, in tua misericordia confidentem, in præsenti regali sede benedicas, eiq; protinus adesse digneris, & qui tua expetit protectione defendi, omnibus sit hostibus fortior. Fac eum domine beatum, & victorem de inimicis suis, corona eum corona iustitię & pietatis, vt ex toto corde, & tota mente in te credens, tibi deseruiat, sanctam tuam ecclesiam defendat, & sublimet, populumque à te commissum iuste regat, nullum ius insidiantibus malis in iniustitiam vertat. Accende domine cor eius, ad amorem gratiæ tuæ, per hoc vnctionis oleum, vnde vnxisti Reges & prophetas, quatenus iustitiam diligens, per tramitem eius familiariter populum ducens, post peracta & disposita in Regali excellentia annorum curricula, ad te

peruenire

peruenire mereatur,per Dominum nostrum Iesum Christum,&c.

Prospice omnipotens Deus serenis obtutibus hunc gloriosum regem Henricum ,&sicut benedixisti Abraham,Isaac,& Iacob, sic illum larga spiritualis benedictionis gratia,cum omni plenitudine potentiæ irrigare atque perfundere dignare, tribue ei de rore cœli, & de pinguedine terræ, abundantiam frumenti, vini, & olei,& omnium frugum opulentiam,ex largitate diuini muneris,longa per tempora,vt illo regnante,sit sanitas corporum in patria, & pax inuiolata in regno, &dignitas gloriosa regalis palatij,maximo splendore regiæ potestatis in omnium oculis fulgeat,luce clarissima clarescat,atq; splendore quasi splendidissimo,fulgore maximo perfusus lumine videatur. Tribue ei omnipotens deus,vt sit fortissimus, protector patriæ, & cōsolator ecclesiarum, atq; cœnobiorum sanctorum , maxima cum pietate munificentiæ,atque sit fortissimus regum,triumphator hostium,ad opprimēdos rebelles, & paganas nationes, sitque suis inimicis satis terribilis,præ maxima fortitudine regalis potentiæ. Optimatibus quoque & præcelsis proceribus, ac fidelibus sui regni sit magnificus,&amabilis ac pius,vt ab omnibus timeatur & diligatur.Reges quoque de lumbis eius per successiones temporum futurorum egrediantur, qui Regnum hoc valeant regere totum,& post gloriosa tempora, atque felicia præsentis vitæ gaudia, æterna in perpetua benedictione habere mereantur. Quod ipse præstare dignetur, qui viuit & regnat in sæcula sæculorum: Amen.

*Postea Episcopus aliquis,cotum manu gestans,inuncta loca detergit, dicens*:Deus Rex regum & dominus dominantium, per quem Reges regnant, & legum conditores iura decernunt, dignare propitius benedicere hoc regale ornamentum,& præsta vt famulus tuus Rex noster Henricus, qui illud portaturus est, ornamento bonorum morum,& sanctarum actionum,in conspectu tuo fulgeat, & post temporalem vitam,æternam gloriam,quæ temporis non habeat finē,sine fine possideat,per dominum &c. *Demum induit Regē piuiali & Dalmatica,dicens:* Accipe palliū quatuor initijs formatū, per quod intellegas, quatuor mundi partes, diuinæ potestati esse subiectas,nec quemquam posse feliciter regere in terris, nisi ei potestas fuerit collata de cœlis.

*His absolutis Archiepiscopus manus abluit, & deposita infula dicit confessionem.Rex vero deductus in solium orat,&post Alleluia in Missa,orationes pro rege aliquis Episcoporum dicit. Postea regi genu flexo Archiepiscopus gladium porrigit,dicens*: Accipe gladium desuper altari

tari ſumptum per noſtras manus licet indignas, vice tamen & au-ctoritate ſanctorum Apoſtolorum conſecratum, regaliter tibi con ceſſum, noſtroq; benedictionis officio, in defenſionem ſanctæ Dei eccleſiæ, diuinitus ordinatum, ad vindictã malefactorum, laudem verò bonorum, & memor eſto eius, de quo Pſalmiſta prophetauit, dicens: Accingere gladio tuo, ſuper femur tuum potẽtiſſime, vt in hoc per eundem vim æquitatis exerceas, molemq; iniquitatis potenter deſtruas. Et ſanctam Dei eccleſiam, eiusque fideles propugnes, atq; protegas, neque minus ſub fide falſos, quàm Chriſtiani nominis hoſtes execreris, ac diſperdas, viduas atq; pupillos clemen ter adiuues, & defendas, deſolata reſtaures, reſtaurata conſerues, vlciſcaris iniuſta, confirmes bene diſpoſita. Quatenus in hoc agendo virtutum triumpho, glorioſus iuſtitiæq; cultor egregius, cũ mundi ſaluatore, cuius typum geris in nomine eius, ſine fine regnare merearis qui cum Deo patre, & filio, & ſpiritu ſancto viuit & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum, Amen. *Ibidem vlterius in miſſa proceditur, & accingens illi gladium Archiepiſcopus dicit*: Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime, & attende quod ſancti non in gladio, ſed per fidem vicerunt regna.

*Poſtea ei diadema imponens, dicit*: Accipe coronam regni quæ licet ab indignis, epiſcoporũ tamen manibus capiti tuo imponitur, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, quam ſanctitatis gloriã & honorem, & opus fortitudinis intelligas ſignificare, & per hanc te participem miniſterij noſtri non ignores, ita vt ſicut nos in interioribus paſtores rectoresq; animarum intelligimur, ita & tu cõtra omnes aduerſitates eccleſiæ Chriſti defenſor adſiſtas, regniq; tibi à Deo dati, & per officium noſtræ benedictionis in vice Apoſtolorũ omniumq; ſanctorum, regimini tuo commiſſi, vtilis executor, perſpicuusq; regnator ſemper appareas, vt inter glorioſos athletas virtutum gemmis ornatus, & præmio ſempiternæ felicitatis coronatus, cum redemptore & ſaluatore noſtro Ieſu Chriſto, cuius nomẽ vicemq; geſtare crederis, ſine fine glorieris, q viuit & imperat Deus cum Patre & Spiritu ſancto in ſæcula ſæculorum. *Demum pomũ typum mundi referens in ſiniſtrã, & ſceptrum in dextram ei dedit, dicens:* Accipe virgam virtutis atque veritatis, qua intelligas te obnoxium mulcere pios, terrere reprobos, errantes viam docere, lapſis manũ porrigere, diſperdere ſuperbos, & releuare humiles, & aperiat tibi oſtium Ieſus Chriſtus Dominus noſter, qui de ſemetipſo ait Ego ſum hoſtium; per me ſi quis introierit, ſaluabitur, qui eſt clauis Dauid, & ſceptrum domus Iſrael, q aperit, & nemo claudit; claudit, &

nemo

nemo aperit,ſitq; tibi auctor qui eduxit vinctum de domo carceris ſedentem in tenebris & vmbra mortis, vt in omnibus ſequi eum merearis, de quo Dauid propheta cecinit: Sedes tua deus in ſæculum ſæculi, virga æquitatis, virga regni tui, & imitando ipſum diligas iuſtitiam, & odio habeas iniquitatem, quia propterea vnxit te Deus, Deus tuus ad exemplum illius, quem ante ſęcula vnxerat, oleo exultationis, præ participibus ſuis, Ieſum Chriſtum dominum noſtrum, qui cum eo viuit, & regnat Deus in ſæcula ſæculorum.

*Inter offertorium Rex panem & vinum in altare offert, pacemq́ (vt dicitur) exoſculatur, & ſacroſanctum corpus diuinum accipit. Poſt hoc gladius ei diſcingitur. Abſoluto ſacro in thronum medio templi ordinatum deducitur, vbi ab Archiepiſcopo in regni poſſeſſionem mittitur & gubernaculis eius præficitur, dicente:*

Sede & retine amodò locum tibi à Deo delegatum, per auctoritatem omnipotentis Dei, & per præſentē noſtrā omnium traditionem, ſcilicet Epiſcoporum, cęterorumq́; Dei ſeruorũ, & quāto clerum ſacris altarib. propinquiorē adſpicis, tāto ei potentiorē in locis cōgruis honorem impēdere memineris; quatenus Mediator Dei & hominum, te mediatorē cleri & plebis, in hoc regni ſolio cōfirmet, & in regno ęterno ſecũ regnare faciat Ieſus Chriſtus dominus noſter, rex regum & dominus dominantium, qui cum patre & Spiritu ſancto viuit & regnat deus per omnia ſæcula ſæculorum.

*Tandem Archiepiſcopus exorditur*, Te Deum laudamus, *quo abſoluto ſtans à dextris Regis dicit,* Firmetur manus tua, & exaltetur dextera tua. ℞. Iuſtitia & iudicium præparatio ſedis tuæ. *Verſ.* Domine exaudi orationem meam. ℞. Et clamor meus ad te veniat. *V.* Dominus vobiſcum. ℞. Et cum Spiritu tuo. *Oremus*: Deus qui victrices Moſis manus in oratione firmaſti, qui quamuis ætate langueſceret infatigabili, ſanctitate pugnabat, vt dũ Amalech iniquus vincitur, dum prophanus nationum populus ſubiugatur, exterminatis alienigenis, hęreditati tuę poſſeſſio copioſa ſeruiret, opus manuum tuarum à noſtræ orationis exauditione confirma: habemus & nos apud te ſancte pater Dominum Saluatorem qui pro nobis manus ſuas extendit in cruce, per quem etiam precamur altiſſime, vt tua potentia ſuffragante, vniuerſorum hoſtium frāgatur impietas, populusq́; tuus ceſſante formidine, te ſolum timere condiſcat, per eundem Chriſtum dominum noſtrum, ℞. Amen. *Oremus*:

Deus inenarrabilis auctor mundi, cōditor generis humani, cōfirmator regni, qui ex lumbis fidelis amici tui, patriarchæ noſtri, Abrahæ præelegiſti Regem ſæculis profuturum, tu præſentem inſi-

gnem Regem hũc, cum exercitu suo, per intercessionem omnium sanctorum vberi benedictione locupleta, & in solium regni firma stabilitate connecte; visita eum per interuentum omnium sanctorum, sicut visitasti Mosen in rubo, Iosue in castris, Gedeonem in agro, Samuelem crinitum in templo, & illa eum promissione, & siderea benedictione, ac sapientiæ tuæ rore perfundere digneris, quã Dauid in psalterio, Salomon filius eius te remunerante percepit de cœlo. Sis ei contra acies inimicorum lorica in aduersis, galea in prosperis, sapientia in protectione, clypeus sempiternus, & præsta vt gentes illi teneant fidem. Proceres atque optimates eius habeant pacem, diligant charitatem, abstineant à cupiditate, loquantur iustitiam, custodiant veritatem, & ita populus iste pullulet, coalitus benedictione Trinitatis, vt semper maneant tripudiãtes armis gaudentes & in pace victores, per Christum Dominum nostrum. Amen.

*Tunc Rex accepto in manus sacro gladio, aliquos tum nobiles, tum consiliarios viros solitis cerimonijs ad equestris ordinis dignitatem præcinctos prouexit. His peractis in palatium deducitur cibum sumpturus, vbi instructis mensis accumbebat summum thronum ipse, ac deinde per ordinem cæteri Principes suas mensas occupant, & primores Barones ac senatores loca etiam quique sua. Marescallis cæterisque officijs munia regalia obeuntibus, Dapiferis Architriclinisque præeuntibus cum suis scipionibus argenteis, canistris panẽ, & auratis patinis varia tuceta, leucophaga, frictellas, tortas, & quidquid præclarũ habet ars Apitij, hoc est exquisitißimas sumptuosißimasq; per ordinẽ epulas copiosè apponunt, assa, elixa, iusculenta, frixa, pastillata, promulsidaria, pultaria, crustulenta, aliaque lautißimorum eduliorum genera sapidißimis succorum multijugis condimentis suffusa, quæ L. Luculli mensas superabant. Tandem die Lunæ sequenti ijsdem quibus antea insignia præferentibus in forum summa cum celeritate deducta, à ciuibus in edito solio ad id pulcherrimè iuxta prætorium facto, iusiurandum, et argenti ingentia peramplaq; munera accipit. Ibi etiam adsumens in manus aureum pomum, tum euaginatum gladium aliquot strennuos & benemeritos viros equestri ordini adsciuit, ac aurata militia cõdonauit. Quo facto ad Andreæ Zborouij nuptias pedes, omnibus plateis & tectorum summitatib. multitudine oppletis, iuit. Peracto prandio hastiludia Rege inspiciente exercebantur extra muros, ibidem & postera die sacra regia maiestas liberalißime tractabatur. Samuel autem Zborouuski qui ad coronationem neglexerat venire, centũ viginti equites sumptuosißimo ornatu Hungarico ei ostenderat. Plurimi postea dies in audiendis gratulãtium*

*princi-*

*principum externorum legationibus, & in quibusdam caußis decidendis transacti sunt.*

## DE INAVGVRATIONE MAGNI DVCIS MOscouiæ, Theodori, Iohannis Basilidis filij anno cIↄ.Iↄ.LXXXIV. XXIX.

*THeodorus Joannis F. quietis atque otij amantißimus, & corpore ad equitandum, gestandaque arma peridoneo, atq; habili præditus, tanta humanitate atq; munificentia singulos omniū ordinum ciues est complexus, & ita moderatè Rempub. constituit, vt æquißimæ libertatis status, renouata felici illa veterum temporum conditione, reductus esse videatur. Js igitur incredibili omnium ordinum consensu in publicis Comitijs ab Exercitu acclamatus est Moschorum Imperator; frustra repugnantibus seditiosis quibusdam in Repub. viris, quorum consilijs vti nimis ambitiosè temereq; susceptis, ceteri moderando ac differendo constantißime obuiam semper iuerant.*

*Est hic annos viginti duos natus, in qua ætate ita moderate de se multa pollicetur, vt adpareat plura eum experimentis reseruare. Vxorem habet Arinam Vdudouiam, ex qua liberos iam vtriusq; sexus suscepit. Dicitur esse ingenio ciuili & temperato. Facies eius natiuo candore formaque pulcherrima est, veste thalaßina auro & gemmis pretiosißimis intertexto plerumq; induitur.*

*Regno primum inito ciuibus immunitatem multarum rerum præter militiæ vacationem dedit: Quo facto & metum timentibus ademit, & in spem sui omnes impulit. Peregrinis verò & carceris remißionem, & perbeatam illam rerum omnium securitatem largißimè pollicitus est, quam & præstitit. Ciuium inimicitias capitalis odij conciliatione edictoque sustulit. Militem prætorianum (Aprisnas illi vocant) qui viuo patre immanem in omnes homines superbiam & crudelitatem exercuerant, statim etiam exauthorauit, & magnum fortaßis in innocentia præsidium esse ratus, admodum paucos apud se corporis sui custodes remanere iußit. Inauguratus est apud S. Michaelem tertio mense post patris obitum, qui fuit Junij dies vigesimus octauus. Eodem momento tam sæua tempestas excitata fuit, quantam homines ætate valde prouecta nunquam meminerant.*

*Cœlum enim nubibus tenebrisque densißimis obductum horrendum in modum ita tonabat, vt eos etiam qui fortitudinis opinione celebres habebantur, magnopere perterreret. Plurima quinetiam loca & templa de cœlo tacta fuere: insperatiq; turbines arborum frondes decussere, &*

*grauißimi imbres non vias tantum, sed ipsas etiam ædes impleuere. Reddita tandē tranquillitate, cōuerso omine ex atro longe omniū candidißimus dies effectus est. Ridebant ianuæ ciuium festa fronde & floribus, oēs ad priuatam lætitiam, & publicam hilaritatem erant conuersi. Tanta porrò hominum multitudo in vrbem confluxerat, vt nisi Principis satellites, qui vrbem armati & instructi custodiebant, viam districtis gladijs aperuissent, ipse nouus Princeps ad templa minime proficisci potuisset. Interim omnia tibiarum sonitu, & tubarum clangore perstrepebant.*

*Postquam ad summi templi vestigium peruentum est, magnates vniuersi, quos illi* CNESOS *appellant, Theodoro obuiam prodiere. In ipso templo homo grandis natu, bombycina veste ab humeris ad talos vsque demissa cultus, eum complexus est. Is erat Metropolita & sacrorum Princeps, cuius permagna est in ea gente authoritas. Tabulationes in medio templo ita erant institutæ, vt aliæ super alias ad theatri similitudinem exstarent, & eminerent. Pauimentum erat pulcherrimis tapetis instratum; similiter & parietes aulæis sericis auro intertextis obducti: Magnus Dux in scamno magnifice ornato sedebat, & pileum purpureum auro atque gemmis distinctum capite gestabat: vesteque bombycina, multis aureis fibulis secundum pectus stricta, erat indutus. Ex annulis manuum eximius gemmarum fulgor emicabat. Omnibus intromißis & silentio dato, Sacrorum Princeps ad Theodorum conuersus,* Domine, *inquit*, & magne Dux, & fili mi amantissime, iam immortalium Deorum fata quæ omni humana ratione vehementius impellunt, te in altissimo dignitatis fastigio collocarunt; non vt premas tuos sed vt releues: non deuorator, sed patriæ defensor esse debes: æquabile ius omnibus dices, maximorumque & optimorum regum exēpla tibi sequenda propones. Pater tuus pericula in remp. ingentia inuexit; tu virtute & armis pericula à tuis propulsabis: tu bonis prę mia constitues, improbos pœnę acerbitate coercebis; patriam denique vniuersam & ab externis hostibus, & ab intestinis seditionibus tutam vigilantia tua præstabis. Id si alacriter feceris, nomen tuum, non in regione tantum nostra, inclusum scilicet angustis vnius terræ spacijs, verum etiam vbique terrarum ad perennem laudem tuam celebrabitur. Nos tui ciues superûm atque inferûm numina & regales Deos comprecamur, vt te multis felicitatibus circumfluentem tueantur, vtque in te tua summa virtute renascentis reipub. auspicia læti conspiciamus. *Hanc orationem summorum & infimorum hominum læti clamores subsecuti sunt, & statim sparsa est à quæstoribus in promiscuum vulgus larga manu argētea moneta. Neq; Theodorus mox homines fefellit. Nam et Bielsium fratris*

*tutorem*

*tutorem auari & peruicacis ingenij hominem, qui Principis iußis nequaquam parebat, in exsilio remanere iußit. Adiecit deinde curam omnem componendis magnatum controuersiis, & vno simul tempore nongentos & triginta captiuos vinculis soluit, quorum non pauci nobili etiã genere nati erant. Pepercit etiam multis morti damnatis, quos propere fœdißimo carcere eductos libertati patriæq; restituit, haud dubie alijs similiter veniam daturus, nisi paullo ante patris iudicio damnati perijssent. Eandem prorsus animi magnitudinem, & benignitatem erga discedentes captiuos protinus ostendit. Nam & viatico liberalißime eos per Andream Soleanum, Cancellarium suum prosecutus est, & singulos semper centenos, ne in tanta discedentium multitudine turbæ orirentur, incolumes vsq; ad regionis suæ fines curribus deduci iußit. His initis susceptisque rebus, quum nihil sibi vel tutius vel honestius esse iudicaret, ad renouandum cum Polonorum Rege fœdus animum conuertit, quod adhuc quidem ex Dei clementia incorruptum seruatur, vtq; diu seruetur id vero summus & cœlestis pater benigne velit. Jis enim qui barbaros tumultus, vim, cædem, famem & vastitatem iam satis diu aspexerunt, perenni & aurea pace nihil vtilius, nihil optatius, nihil iucundius esse potest.*

## CERIMONIAE OBSERVARI SOLITAE IN inauguratione noui cuiusque Regis Galliarum; hodièque etiam obseruandæ.

## XXX.

*PRimum præparator thronus editus & eminens suggesti instar, extrinsecus choro Ecclesiæ iunctus, in medio interuallo tẽpli, quo gradibus ascendatur; in quo cum Rege pares regni & alij (si opus fuerit) poßint consistere. Quo die Rex coronandus veniet, per supplicationes à canonicis & alijs Ecclesiasticis accipitor. Die sabathi qui Dominicum sacrando coronandoque Regi destinatum præcesserit, post Completas custodia Ecclesiæ custodibus Regis vnà cum edituis ordinarys committitor, in quam Rex silente nocte oraturus veniat, & pia mente precibus incumbens per tempus aliquot vigilet. Cum signum matutinarum dabitur, custodes Regis ad custodiam accessus templi, reliquis portis clausis & obseratis, honesto & diligente ordine parati adsunto, itemque Canonici & Clerici eiusdem templi, quoties opus videbitur. Matutinæ pro more canuntor: quibus absolutis, & cantatis Primis sub auroram Rex in Ecclesiam cum Archiepiscopis, Baronibus, & alijs quos voluerit intromittere, ingreditor, antequam conficiatur*

*aqua lustralis. sedes circum altare vtrimque statuuntor, vbi Archiepiscopi & Episcopi sedeant honorifice: Episcopi Pares, Laonensis primus, pòst Lingonensis, tum BelloVacus, deinde Catalaunicus, postremus Nouiodunensis, cum aliis Episcopis suffraganeis Remensis Archiepiscopi, qui seorsim sessurus est inter altare & Regem e regione altaris non procul à Rege, & paucis (ne quid indecorum fiat) inter venientibus. Tenendum est autem nobilißimos & potentißimos Barones aliquos à Rege electos sub auroram in ædem sancti Remigij adhabendam ampullam sanctam mittendos esse, qui Abbati & Ecclesiæ dent fidem se optima fide ampullam deducturos. Hoc facto inter primam & tertiam monachi Remigiani supplicationum ordine cum crucibus, cereis, ampullaque veniunto, quæ reuerenter sub tholo serico ab Abbate apportetur, quem tholum quatuor religiosi albis induti sustineant. sic cum ad sancti Dionysii ædem peruenerint, aut (si turba est impeditißima) ad portam maximam illius, Archiepiscopus cum aliorum Archiepiscoporum, Episcoporum, Baronum, Canonicorumque (si fieri poterit) comitatu obuiam ampullæ proceduntο, de manu Abbatis accipiunto, & se optima fide reddituros promittunto: ita Abbas cum aliquot monachis comitantibus cum reuerentia populi ad altare apportato: alij vero monachi in Ecclesia sancti Dionysii, aut in ædicula sancti Nicolai, donec omnibus absolutis reportetur ampulla, præstolantor. Tum se Archiepiscopus vestibus insignibus & paludamento indutus, cum diaconis & hypodiaconis ad missam componito: ita indutus ad altare & supplicationem ex more venito, & Rex assurgito. Deinde Archiepiscopus aßistens altari, pro omnibus Ecclesiis subiectis Regi ista à Rege petito:* Rogamus te petimusque concedi nobis, vt conserues nobis & Ecclesijs commissis curæ nostræ priuilegium canonicum, legem, & ius debitum: serua & defende nos, vt debet Rex in Regno suo vnicuique Episcopo & Ecclesiæ ipsi creditæ. *Cui respondeto Rex*, Promitto & spondeo vobis me vni cuique vestrum & Ecclesijs quæ vobis creditæ sunt, seruaturum priuilegium canonicum, legem, & ius debitum, & pro facultate mea Deo iuuante defensurum vos, vt ex iure debet Rex in regno suo vni cuique Episcopo & Ecclesiæ mandatæ ipsi. *Hæc quoq; Rex promittit, & iurat*: Promitto in nomine Iesu Christi hęc populo Christiano qui mihi subiectus est, primum me toti populo Christiano seruaturum esse & Ecclesię Dei veram pacem omni tempore: meque rapinas & iniquitates omnes omnium graduum sublaturum esse: item me in omni iudicio mandaturum æquitatem & misericordiam, vt clemens & misericors Deus mihi vobisque suam misericordiam largiatur: deniq; me bona fide pro virili

datùrum

daturum operam, vt ex agro & ditione mihi commiſſa eijciam turbas & hæreticos hoſtes Eccleſiæ. *Hæc omnia Rex manibus libro Euangeliorum impoſitis confirmat iuramento. Quibus promiſſionibus factis mox cantatur hymnus* Te Deum &c. *& duo Archiepiſcopi & Epiſcopi Regem manibus ad altare ducunt, coram quo ad finem vſq; procumbit hymni, deinde exſurgit. Antea autem impoſita fuiſſe altari oportuit coronas regias, gladium vagina cōditum, calcaria aurea, ſceptrum aureum, & virgam quaſi cubitalem, cuius ſummitati ineſt manus eburnea, itemq; caligas (quas ſandalia vocant) ſericas cœruleas, perſperſas floribus lirinis ex auro, & tunicam vel dalmaticam eiuſdem coloris & operis, factam ad formam illius veſtis quam in miſſa gerunt hypodiaconi, itemque epitogium ſiue pallium regale eodem plane colore atque opere, accedens ad figuram colobij ſine cucullo. Quæ omnia debet Abbas ſancti Dionyſii Remos afferre ex monaſterio ſuo, & ad cuſtodiam altari aſſiſtere. Tum Rex ſtans coram altari veſtimenta primum exuito præter ſubuculam ſericam & induſium ad pectus humeroſque apertum, cuius hiatus recluſi & reuincti ſunto fibulis argenteis: atque ita primum maximus Franciæ cubicularius ſandalia à Dionyſiano Abbate accepta Regi induito: poſtea dux Burgundiæ calcaria apponito, & illico eadem tollito: tum Archiepiſcopus gladio accingit eum, & ſtatim diſcingens gladium vagina extractum (quæ altari iacet impoſita) tradit Archiepiſcopus in manum Regis adhibita hac oratione:* Accipe gladium tibi datum benedictione Dei, quo in virtute ſancti Spiritus poſſis reſiſtere & repellere omnes inimicos & aduerſarios ſanctæ Eccleſiæ, regnum tibi commiſſum defendere, & ſeruare exercitum Dei, auxilio Domini noſtri Ieſu Chriſti Redemptoris noſtri, triumphatoris inuicti, qui regnat cum patre &c. *tum à choro cantator hæc antiphonia:* Confortare & virilis eſto, & obſerua legē domini Dei tui, vt ambules in vijs eius, & ſerues ceremonias, mandata, & teſtimonia eius, & confirmet te quocunque in loco fueris. *Poſtea Archiepiſcopus hanc orationem habet:* O Deus, qui prouidentia tua gubernas res cœleſtes & terrenas ſimul, eſto propitius Regi noſtro Chriſtianiſſimo, vt virtute gladij ſpiritualis omnes vires inimicorum eius frangantur, & te pugnāte pro eo omnino conterantur, per Ieſum Chriſtū Dominū noſtrum: *eoq; momento Rex humiliter gladium accipito de manu Archiepiſcopi, & ſine mora Conneſtabili Franciæ, ſi quem habet, tradito illum: ſin minus, vni ex Baronibus ſuis quem elegerit, vt gladium ante Regem tam in Eccleſia quam in itinere ad palatium ferat. Hoc facto in hanc formam vnctio præparator: chriſmate in altari patinæ ſacræ impoſito, Archiepiſcopus ſanctam ampullā à Remigiano Abbate allatam aperito,*

*& ex*

*& ex ea altari imposita educito virgula aurea paulum olei demissi cœlo, & diligenter digito inmisceto chrismati in patina præparato ad vngendum Regem; qui solus ex omnibus Regibus terræ splendescit glorioso hoc priuilegio, quod singulariter oleo cœlitus misso inunctus est. Vnctione comparata fibulæ vestimentorum à fronte & tergo in aperturis soluuntor, & Rege in genua demisso duo Archiepiscopi aut Episcopi incipiunto Litaniam: qua perfecta & sedente Archiepiscopo (vt inter consecrandum solet) Episcopi imprecantor Regi antequam vngatur tres orationes istas:* Oramus te, Domine sancte, Pater omnipotens, Deus ęterne, vt placeat tibi hunc tuum seruum N.N. cui prouidentia diuinę dispensationis creato, inde à principio te cognoscendum exhibueris in hunc vsque diem, lætifica florem iuuentutis eius, dita eum compassione tua, & imple gratia veritatis tuæ, fac vt indies magis ac magis proficiat coram te & hominibus, vt largitate gratiæ supremæ tuæ percipiat magna lætitia thronum summę gubernationis, & per misericordiam tuam tectus ab omni parte contra diuersitatem inimicorum suorum possit feliciter gubernare populum sibi commissum in pace & virtute victoriæ, per Iesum Christum Dominum nostrum.

O Deus, qui virtute conseruas populos & amore dominaris, da huic seruo tuo spiritum sapientiæ, cum regula disciplinæ, vt tibi deuotus ex toto corde suo sit semper idoneus gubernationi regni, & dono tuo in huius tempore securitas Ecclesiæ dirigatur, & deuotio Ecclesiastica permaneat in tranquillitate, ipse vero perseuerans in bono opere, possit tuo ductu peruenire ad regnum æternum, per Dominum nostrum Iesum Christum.

Fac vt diebus eius nascatur omnibus æquitas & iustitia, amicis auxilium, inimicis obstaculum, afflictis cõsolatio, elatis correctio, diuitibus documentum, pauperibus compassio, peregrinis pacificatio, pax subiectis miseris, & securitas patriæ: discat continue sibi ipsi imperare, & moderate gubernare quemque pro statu eius, vt irrigatus tua compunctione possit dare toti populo vitæ exẽplum tibi gratæ, & ambulans via veritatis cum grege sibi commisso acquirat abundanter regales diuitias, & simul accipiat quicquid à te concessum est ad animarum salutem & corporum: itaque statuens in te cogitationem mentis suæ & totum consilium suum, vt accuratè tueatur semper magna gubernacula populi per sapientiã collectam ope tua: habeat prolixitatem & prosperitatem præsentis vitæ, perueniat ad senectutem magnam, & solutus vinculis vitiorum omnium, largitate misericordiæ tuæ obtineat perfectum finẽ fra-

gilitatis istius, & perpetua præmia infinitæ felicitatis tuæ, æternaq; angelorum gaudia, per Iesum Christum Dominum nostrum. *His trib. orationibus absolutis, Archiepiscopus sic habeto orationem de consecratione Regis*: Deus æterne, omnipotens creator & gubernator cœli & terræ, angelorum & hominum, Rex Regum, & Domine Dominorum, qui fecisti triumphare Abrahamum fidelem seruum tuū de inimicis suis: præposuisti Mosen & Iosuam populo tuo, & dedisti eis multas victorias: extulisti in altitudinem Regem Dauidē humilem seruum tuum, eumque liberasti ab ore leonis, à pede bestię, à manu Goliathi, à maligno gladio Saulis, & ab omnibus inimicis eius: ditasti Salomonem dono inenarrabili sapientiæ & pacis: esto propitius & respice ad preces humilitatis nostræ, & multiplica dona benedictionum tuarum super hunc seruum tuum N. N. quem humili deuotione eligimus simul ad regnum: Velis eum munire semper & locis omnibus dextera tua & potentia tua, vt confirmatus fide Abrahami, fruens mansuetudine Mosis, instructusque fortitudine Iosuæ, exaltatus humilitate Dauidis, & sapientia Salomonis decoratus, tibi placeat in rebus omnibus; incedat semper sine offendiculo via Iustitiæ: & ita muniat, doceat, seruet & instruat deinceps Ecclesiam totius regni, & populos ad eam adductos administret potenter & regifice regimine virtutis tuæ contra omnes inimicos visibiles & inuisibiles: non deserat regalem thronum, nempe sceptrum Francorum, Burgundionum, & Aquitanorum; sed reformet ope tua voluntatem illorum in concordiam prioris fidei & pacis; vt ornatus debita subiectione, & glorificatus amore condigno suorum populorum omnium possit miseratione tua stabilire & gubernare in vnione culmen gloriæ paternæ longo vitæ spatio, protectionis tuæ semper tectus clypeo inuisibili, & circundatus copijs cœlestibus, percipiat feliciter triumphum victoriæ optatæ de inimicis suis, reddat formidabilem potentiam suam infidelibus, & reportet in gaudio pacem ijs qui se humiliant sub te: atque decoratū multiplicitate benedictionis, honoris, & virtutis altè eum colloca in gubernatione regni, & vnge oleo gratiæ sancti Spiritus.

*Finita oratione hac Archiepiscopus chrismate oleoque cœlitus demisso, prius in patina (vt ante dictum est) ab ipso permixtis, Regem quinque locis vngito: Primum super caput, secundo in pectore, tertio in interscapilio, quarto in duabus scapulis, quinto in commissuris duorum brachiorum, dicens ad vnumquemque locum,* Vngo te oleo sanctificato in nomine Patris, Filij & Spiritus sancti; *& omnes respondento,* Amen. *Si quis scapulas pro binis locis & brachia acceperit, inunctio septem locis fieri*

*cis fieri dicenda est. Quæ dum facit Archiepiscopus, canitor antiphonia;* Sacerdos Sadoc & Propheta Natham requisiuerunt Salomonem Regem de Ierusalem, & venientes læti dixerunt: Viuat Rex in æternum; *eaq; perfecta Archiepiscopus sequentes orationes habeto*:

Domine Deus, vnge hunc Regem ad gubernationem oleo quo vnxisti Sacerdotes, Prophetas & Martyres, qui fide vicerunt regna, operati sunt Iustitiam, & obtinuerunt promissiones: sacratissima vnctio tua defluat in caput eius, descendat intro, penetret profundum cordis eius, & gratia tua efficiatur dignus promissionib. quas obtinuerunt Reges inuictissimi, vt regnet feliciter in sæculo præsente, perueniatq; ad cętum illorum in cęleste regnum per Iesum Christum Dominum nostrum, qui vnctus est oleo lætitiæ supra omnes cōsortes suos, & virtute crucis debellauit potestates aëris, destruxit inferos, vicit Regnum diaboli, & victor ascendit in cœlos, in cuius manu consistit victoria, gloria & omnipotentia, qui viuit tecum & regnat Deus in vnitate Sancti Spiritus per omnia sæcula sæculorum.

O Deus fortitudo electorum & altitudo humilium, qui principio voluisti castigare peccata mundi effusione diluuij, & ostendisti per columbam ferentem ramum oliuæ pacem terris redditam esse, posteaque vnctione olei ordinasti Sacerdotem Aaronem seruum tuum, & deinde effusione vnguenti istius reddidisti perfectos Sacerdotes, Reges & Prophetas ad regendum populos Israelis, & voce prophetica Dauidis serui tui prædixisti faciem Ecclesiæ lætificatum iri oleo, supplices oramus te, Pater omnipotens, placeat tibi sanctificare tua benedictione hunc seruum tuum gratia huius creaturæ, vt afferat instar columbæ pacem simplicitatis populo sibi cōmisso, imitetur diligenter in cultu Dei exemplum Aaronis, & pertingat semper altitudines regni cōsilio scientiæ & æquitate iudicij, & tandem hac vnctione olei fruatur facie tua, quæ præparata est fruenda toti populo, per Iesum Christum Dominum nostrum.

Iesus Christus, Dominus noster, Deus, filius Dei, qui à Patre vnctus est oleo exultationis supra omnes suos participes, præsente infusione sacri vnguenti à sancto Spiritu infundat capiti tuo benedictionem suam, & faciat penetrare vsq; ad interiora animæ tuæ, vt potentia hui⁹ doni visibilis percipere possis res inuisibiles, & postquã iusta moderatione compleueris temporale regnum, regnare cum ipso in æternum per Iesum Christum Dominum nostrum.

*Absolutis his orationibus, fibulæ quæ sunt ad aperturas vestimentorum Regis, ab Archiepiscopo, Sacerdotibus, aut diaconis propter vnctionem*

*ctionem confibulantor: & tum maximus Cubicularius Franciæ Dalmaticas cœruleas Regi induito, & ſuperne regale pallium, ita vt manus libere procurrat verſus aperturã pallij, quod ad ſiniſtrã vt Sacerdotis ſolet extollatur. Deinde Archiepiſcop. annulũ medico digito dexteræ illius indito, dicens,* Accipe annulum, ſignaculum ſanctæ fidei, ſoliditatem regni, augmentum fruitionis, quibus rebus ſcias arcere inimicos poteſtate triumphali, exterminare hæreſes, ſubditos adunare, & adducere eos ad perſeuerantiam fidei catholicæ, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.

*Annulo tradito Archiepiſcopus habeto orationem hanc,* O Deus cuius eſt omnipotentia & dignitas, da ſeruo tuo felicem effectum dignitatis ſuæ, in qua permaneat, te metuat ſemper, & conetur tibi complacere, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Poſtea Archiepiſcopus ſceptrum ponit in dextera Regis, dicens,* Accipe ſceptrum in ſignum regalis potentiæ, id eſt, rectam virgam regni, virgam virtutis, qua guberna te ipſum bene, defende ab improbis potẽtia regali ſanctam Eccleſiam, id eſt, Populum Chriſtianum tibi commiſſum à Deo, corrige malos, pacifica rectos, dirige eos vt poſſint gratia tua tenere viam rectam, vt à Regno temporali peruenias ad ſpirituale Regnum cum illo cuius Regnum & Imperium ſine fine permanet in ſæcula ſæculorum. *Tum ſceptro dato orationem hanc pronuntiet,* Domine fons bonorum omnium, da (ſupplices oramus te) ſeruo tuo vt bene adminiſtret hanc dignitatem quam apprehendit, placeat tibi corroborare honorem vbi conſtituiſti eum, affice honore eum ſupra omnes Reges terræ, dita eum abundante benedictione, conſolida eum firma ſtabilitate in throno Regni, viſita eum in generatione, da ei prolixitatem vitæ, in diebus eius ſemper enaſcatur Iuſtitia, vt in gaudio lætitiaque obtineat gloriam in regno æterno per Ieſum Chriſtum.

*Poſtmodum vero Archiepiſcopus manum Iuſtitiæ ponito in ſiniſtra Regis, dicendo:* Accipe virgam virtutis & æquitatis, qua ſcias confirmare bonos, & timorem malis incutere, doce errantes viam, porrige manum lapſis, deprime ſuperbos, attolle humiles, vt Dominus noſter Ieſus Chriſtus tibi aperiat oſtium, qui pronuntiauit ipſe, Ego ſum hoſtium per quod qui intrabit ſaluus erit. Ipſe qui eſt clauis Dauidis & ſceptrum domus Iſraelis, qui aperit & nemo claudit, qui claudit & nemo aperit, qui educit è domo carceris vinctum, ſedentem in tenebris & vmbra mortis, tibi ſit adiumento, vt poſſis omnibus in rebus ſequi eum de quo Propheta Dauid cecinit, O Deus, thronus tuus eſt in ſecula, virga æquitatis & ſceptrum Regni

tui, & imitare eũ qui dicitur diligere Iustitiam, & odisse iniquitatẽ.

*Postquam manus Iustitiæ Regi tradita est, Cancellarius Galliæ si interfuerit, aut eo absente Archiepiscopus Pares Franciæ nominatim ex ordine, laicos primum, deinde Clericos appellato: quibus circumstantibus coronam Regiam ex altari sumptam Archiepiscopus capiti Regis imponito, omnesque Pares tam Laici quam Clerici manus ad eam adhibento, & soli eam vndique sustinento, dicente Archiepiscopo:* Deus coronet te corona gloriæ, honoris, iustitiæ, & operis constantiæ, vt officio benedictionis nostræ, recta fide, & cum fructu multiplicato boni operis peruenias ad regnum æternum largitate illius cuius Regnum Imperiumque permanet in sæcula sæculorum. *Corona capiti Regis imposita, Paribusque sustinentibus, has orationes & benedictiones Archiepiscopus pronuntiato,* O Deus æternitatis, Dux virtutum, Victor inimicorum omnium, benedic huic seruo tuo inclinanti ad te caput suum, conserua eum in bona valetudine, prosperitate, & felicitate, vbicunque inuocauerit auxilium tuum assiste ei illico, serua, defende eum, tribue ei (oramus te Domine) diuitias gratiæ tuæ, exple bonis desiderium eius, sit ei corona ad misericordiam, & tibi Domine seruiat continenter bona deuotione, per Iesum Christum Dominum nostrum.

Deus Omnipotens stans ad dexteram tuam benedicat tibi, effundat super te donum protectionis suæ, te circumdet felicitate, & seruet propitiatione sua, Amen.

Dominus cõdonet tibi omnia mala q̃ fecisti, & cõcedat tibi gratiã & misericordiã, vt petis ab eo humiliter; te liberet ab õni aduersitate, & ab omnib. insidijs visibiliũ & inuisibiliũ inimicorũ, Amen.

Præficiat custodiæ tuæ bonos angelos suos, qui semper & omnibus locis tibi præeant, comitentur & sequantur, potentia eius, te liberet à peccato, gladio, infortunio, & omni periculo, Amen.

Conuertat inimicos tuos ad benignitatem pacis & charitatis, te faciat gratiosum & amicum bonis omnibus, impleat confusione salutari tibi eos qui obstinatè oderint & persequentur te, & super te luceat sanctificatio æterna, Amen.

Te faciat semper victorem & triumphatorem de omnib. inimicis tuis visibilibus & inuisibilibus, te perseuerantem reddat in fide recta & bono opere, det tibi pacem in diebus tuis, deducat te cum palma victoriæ in regnum æternum, Amen.

Is qui voluit te populo suo Regem præficere, beet te in præsente seculo, tribuatq; participationem felicitatis æternæ, quam velit donare tibi is qui regnat in sæcula, & qui ab omni temporẽ gubernat

regna.

regna. Tu autem, Rex Regum, benedic huic præsenti principi, eaq; benedictione glorifica illum, vt teneat sceptrum salutis, & ditetur dono sanctitatis: tribue ipsi inspirationem tuam, vt gubernet populum quemadmodum dedisti Salomoni regnum pacificũ, Amẽ.

*Postea Archiepiscopus oratione ad Regem conuersa dicito,* Esto stabilis, & retine deinceps statum quem tenuisti hactenus per successionem patris iure hæreditario delegato ex autoritate Dei omnipotentis & præsente traditione nostra, nempe Episcoporũ omniũ & aliorum seruorum Dei: & incipe deferre conueniente loco clero honorem eo ampliorem, quo vides te electum altari sacro propinquiorem esse, vt mediator Dei & hominum te confirmet atque tueatur per clerum & populum in hoc throno regni, & Dominus noster Iesus Christus, Dominus dominorum, qui regnat cum Deo in æternum, te faciat regnare secum in regno æterno.

*Tum Archiepiscopus orationes istas & benedictiones adiũgito:* Deus omnipotens det tibi de rore cœli, & de pinguedine terræ abundãtiam frumenti, vini, & olei: populi seruiant tibi, & familiæ reuereantur te: esto Dominus fratrum tuorum, & filij matris tuæ procumbãt coram te: quicunq; benedixerit tibi, repleatur benedictione, & Deus adesto ad auxilium tuũ, p Iesum Christũ Dom. nostrum.

Dominus omnipotens benedicat tibi benedictionibus cœli supernè, in montibus & oleis, & benedictionibus vberum, &c. benedictiones priscorum patrum Abrahami, Isaaci, & Iacobi confortentur super te per Iesum Christum Dominum nostrum.

Domine benedic fortitudini Principis, recipe opera manuum eius, terra eius benedictione tua impleatur, fructu cœli, rore abyssi infernè, fructu solis & Lunæ, à vertice antiquorum montium, & per suauitatem montium æternorum, frumentis terræ: & plenitudo benedictionis illius qui apparuit in rubo, maneat super caput eius: plena benedictio Domini sit in filijs eius, pes eius sit tinctus oleo, cornua eius sint tanquam cornua limacis, per ea depellet gentes vsque ad limites terræ: nam qui ascendit in cœlum semper aderit ad auxilium eius.

*His orationibus aut benedictionibus absolutis, Archiepiscopus cum Parium coronam sustinentium comitatu Regem sic ornatum ad thronum ipsi præparatum ducito, & constituito in cathedra ipsius adeo eminente vt ab omnibus spectari posit. Hoc facto mitra posita, Regem sedentem osculator & dicito,* Viuat Rex in æternum. *Post eum Pares alij clerici & laici sustinentes coronam & ijsdem verbis vtentes idem faciunto: tum præcentor & cantor alter obseruantes chorum, missam*

 *incipi-*

*incipiunto: quæ ex ordine canitor, et ſpecialis oratio hæc p Rege adijcitor.* Oramus te, Deus omnipotens, vt Dominus noſter Rex N. N. ſeruus tuus, qui benignitate tua recepit gubernaculum Regni, percipiat quoq; incrementum virtutum omnium, quibus condigne ornatus poſſit euitare mõſtra vitiorum, vincere inimicos, & gratus peruenire ad te, qui es via, veritas & vita, per Ieſum Chriſtum Dominũ noſtrum. *Cum autem canitur Euangelium, Rex è cathedra aſſurgito, & corona adimitor à capite eius. Poſt Euangelium ſummi Archiepiſcoporum Epiſcoporumque librum Euangeliorum aſſumentes ferunto oſculandum Regi, deinde Archiepiſcopo celebranti miſſam. Ad oblationem lagena argentea plena vini, & tres nummi aurei afferuntor. Rex à Paribus coronam ſuſtinentibus deducitor atque reducitor, & gladius ſtrictus ante ipſum fertor cùm procedit ad oblationem: eo reuertente Archiepiſcopus iſta in ſecretis dicito:*

Supplices oramus te, Domine, placeat tibi ſanctificare has oblationes, vt largitate tua proficiant Regi N. N. noſtro ad obtinendum ſalutem animæ & corporis, ac perficiendum officium impoſitum, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.

Domine hæc oratio ſalutaris prçſeruet Regem N. N. noſtrum ſeruum tuum ab omnibus aduerſitatibus, vt obtineat trãquillitatem pacis Eccleſiaſticæ, & poſt decurſum temporis iſtius perueniat ad hæreditatem æternam, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.

*Antequã Archiepiſcopus canat* Pax Domini ſit ſemper vobiſcum, *Pronuntiet Regi & populo has benedictiones*; Dominus benedicat & ſeruet te; vt placuit ipſi Regem te conſtituere in populo ſuo, ita beatum efficiat te in hoc præſente ſeculo, & participem felicitatis æternæ, Amen.

Clerus & populus quem gratia ſua & mandato voluit congregari, feliciter gubernentur à te mediante diſpenſatione adminiſtrationis eius: vt obſequentes diuinis monitis, vacui omnibus aduerſitatibus, abundantes bonis omnib. ſeruiãt miniſtro tuo amore fideli, & fruantur in hoc præſente ſeculo tranquillitate pacis, poſteaque tecum ſocietate ciuium æternorum; quod donare velit ille qui regnat in ſempiternum, Amen. *Deinde pronuntiato illo,* Pax Domini, *is qui librum Euangeliorum tulerit, pacẽ ab Archiepiſcopo accipito, & oſculandam exhibeto Regi: deinde poſt eum Archiepiſcopi & Epiſcopi omnes alij ex ordine Regem inſidentem throno ſalutaturi proceduntо. Abſoluta miſſa, Pares iterum Regem ante ſummum altare adducunto, vbi accipiunto communionem corporis & ſanguinis Domini noſtri de manu Archiepiſcopi.*

*Hoc*

*Hoc facto Archiepiscopus maiorem coronam quam habebat Rex, de capite eius detrahito, et insigniores vestes exuito: cumq́ alijs indutus fuerit, coronam minorem alteram imponito capiti illius: Ita Rex in palatiũ discedito prælato ipsi gladio, & indusium eius propter vnctionem sanctã comburitor. Post sacra & missam Barones ampullam sanctam honorificè in ædem Remigianam deducunto, & feliciter in loco suo reponitor. Ioannes Francus Regis Ioannis filius Dux Biturigum, obses in Anglia, tempestiuè solutus vinculis primo Februarij, millesimi trecentesimi sexagesimi quinti, se reuersurum promisit fide veri filij Rege sacrato nati: ex quo apparet sacris Regis Christianissimi filios honorari, & fidem eorum maiorem testatam fieri quàm sit eorum quos Reges minimè sacrati genuerint. Rex profectus Remis solet ad sanctum Marcolphum nouemdiales ferias agere, nec ante curat eos tactu quibus strumæ infestæ sunt: quod peruetus institutum est. Rex Philippus Pulcher moribundus filium Maximum Ludouicum Hutinum Regem informauit, & rationem docuit tangendi eos qui ex strumis laborabant, exponens sancta & religiosa verba quibus inter tangendum vtebatur. Commendauit sanctitatem vitæ ad hanc curationem tactus, & ex scriptura demonstrauit non exaudiri à Deo vitiosos, neque ab illis edi miracula. Sed quando Regina cum Rege sacratur Remis atque coronatur, thronus aliquanto minor præparator ei quàm sit thronus Regis: quo sacrato coronatoq́ Regina in ædem introducitor, cumq́ illa ante altare orationem suam habuerit, ab Episcopis in genua erigitor, illaq́ caput inclinato dum Archiepiscopus orationem hanc pronuntiabit:*

Domine attende ad supplicationes nostras, & quod faciendum est ministerio humilitatis nostræ, impleatur effectu virtutis tuæ. *Tunica & indusium Reginæ ad Zonam vsq́ aperta sunto, eamq́ oleo sancto Archiepiscopus vngito in capite & pectore, dicens:* In nomine Patris, Filij, & Spiritus sancti hæc vnctio olei prosit tibi ad honorem & confirmationem æternam. *Post vnctionem habeto orationẽ hanc:*

Deus æterne omnipotens, pacatus precibus nostris infunde abundantem spiritum benedictionis tuæ in ancillam tuam, vt hodie instituta Regina impositione manus nostræ maneat sanctificatione tua digna atque eleuata, vt in posterum nunquam velut indigna separetur à gratia tua, per Iesum Christum Dominum nostrum. *Postea Archiepiscopus sine oratione indito manibus Reginæ sceptrum minus, & aliter fabrefactum quàm sceptrum Regis, itemque manum Iustitiæ alteri similem, induitoque annulo digito illius, dicens:*

Accipe annulum fidei, signaculum trinitatis sanctæ, quo vitare possis

possis omnem prauitatem hæreticam, & virtute quæ tibi est tradita, barbaros voca ad cognitionem veritatis. *Postea orationem hanc annuntiet,* ô Deus cuius est omnipotentia & dignitas, da ancillę tuę hoc signo fidei effectum prosperum dignitatis eius, qua in fide maneat semper firma, & continue conetur placere tibi per Iesum Christum Dominum nostrum. *Tum à solo Archiepiscopo corona capiti Reginæ imponitor, q̃ omni ex parte à Baronibus sustentetur & imponẽs dicito,* Accipe coronam gloriæ, honoris, & lętitię, vt reluceas & coroneris gaudio. *Corona imposita, hanc orationem subiungito Archiepiscopus,* Domine fons bonorum omnium & honor honorum, tribue ancillæ tuæ vt bene regat hanc dignitatem quam suscepit, & fortifica in ea bono opere gloriam quam dedisti ei, per Iesum Christum Dominum nostrum.

*Hoc facto Barones coronam illius sustinentes deducunt eam, & collocant in throno, atq; vna cum summis & nobilibus feminis adstant ei in oblatione missæ, pace, & communione. Ordo idem in Reginæ sacris atque in Regis cõsecratione obseruatur. Hic autem ordo tum demum obseruatur; quando alibi quàm Remis Regina coronatur. Ac sacra quidem Henrici secundi Regis & vxoris Catharinæ copiose scripta in lucem prodierunt: ex quibus quàm parum intersit facile cognoscetur.*

## DE RATIONE ELIGENDI DVCEM Venetum.

## XXXI.

*RAtio eligendi Ducis, qui priori vita functo successurus sit; primum quidem simplex fuit, nam cum prisci illi singulari quadam bonitate præditi fuerint, atque ab ambitione penitus alieni, vnusquisque pro se solicitudinem recusabat. quapropter acclamatione populi, is qui omnium optimus & prudentißimus haberetur, princeps renunciabatur. Post prima ea tempora aucta ciuitate & populo ampliore effecto, inutile fore reipublicæ visum est, si temeritati: atque auræ populari res tam magna cõmissa esset. Decretum itaq; est, vt eligerentur* XI. *viri omnium probatißimi, qui creandi ducis potestatẽ haberent. demũ quum aliquantum simul cum imperio etiam ambitio excreuisset, instituta sunt singularia quædam comitia, ac perplexa quædam Ducis eligendi ratio inuenta. hanc nos ne quid incœpto operi desit, paucis exponemus.*

*Defuncto Principe ac iustis actis pie honorificeque, Consiliarij qui interregni illius tempore se in sedes publicas habitationi principis destinatas*

*natas continuò post principis obitum receperunt, magnum consilium vocant. in eo primo post interitum ducis conuentu, quinque ciues creantur, qui defuncti Principis res gestas diligenter scrutari debeant, ac de consilij sententia, si quid ab eo contra leges ac decreta sit factum, rescindant. si à quopiam etiam munus acceperit, ac statutæ pepercerit impensæ, ea hisce referentibus irrogatur hæredibus à consilio mulcta quam leges iusserint. Pecuniaria ea est, eaq; summa æris de hæreditate principis publicatur, atque in ærarium refertur. Eisdem comitijs eliguntur quinque alij ciues, qui eodem momento quo renunciati sunt, recipiunt se in conclaue comitio adiunctum: neque inde discedunt antequam inter eos conuenerit quid ipsis in potestate principis immutandum, tollendum, aut addendum videatur. Re inter eos discussa iterum cogitur consilium, quo coacto egrediuntur illi è conclaui (nam prius non licet) ac suam quisque sententiam ad cōsilium refert de principis iure: ac vniuersis ciuibus disceptantibus suffragijs decernitur, id quod maxime reipublicæ vsui fore visum fuerit. Id decretum inter leges, quas principes seruare debeant, statim constituta principis potestate reponitur. Postridie initur perplexa illa comitiorum ratio, quibus princeps creari solet. conueniunt itaq; ciues omnes, qui XXX. annos excesserint. nam iuniores eaque ætate minores veteri reipublicæ instituto ad ea comitia non admittuntur. numerantur deinde vniuersi ciues, ac totidem globuli in vrnam conijciuntur, quot ciues fuerint, ex his triginta sunt aurei, cæteri omnes argentei. ea vrna statuitur ante suggestum comitij vbi consiliarij resident. astat vrnæ puerulus educendis sortibus: subsellia ciuium vocantur. ad eam vrnam accedunt omnes, eo quo sederunt ordine. nullus autem, quod tamen in alijs comitijs fieri consueuit, in vrnam manum imponit, sed puer qui astat pro singulo quoq; globulum vnum educit. Ii quibus argenteus obtigerit, statim egrediuntur comitium, at is cui sors fauerit, educto aureo globulo, à scriba alta voce pronuntiatur. Continuo ille in certum conclaue secedit: eius vero gentiles & consanguinei omnes arcta necessitudine coniuncti ex suo quisque loco assurgit: consident que in partem atrij vniuersi. numerantur ibidem, ac totidem globuli argentei ex vrna extrahuntur: excedunt que hi ex comitio. hoc pacto triginta, quibus sortis beneficio aureus globulus obtigerit, deliguntur ex vniuerso ciuium cœtu, quo peracto consilium dimittitur. Postquam omnes discessere, triginta illi è conclaui egrediuntur, ac coram consiliarijs denuo sortem subeunt, ac ex triginta ijsce nouem quibus sors fauerit Electores fiunt, cæterisque dimissis in conclaue secedunt, huic muneri destinatum: ibiq; soli concluduntur nullo prorsus, nec ministerio admisso: nulli copia fit eos alloquendi, neque inde discedere possunt, priusquam XXXX. viros elegerint: nul-*

*lusque referri potest ab eis electus, nisi sex suffragia tulerit. quo fit, ut quatuor refragantib. nullus electus pronunciari queat. quum primum quadraginta hosce viros elegerint, per internuncium custodem ac ianitorē publicum certiores consiliarios faciunt, se munus suum obiisse. è vestigio consiliarij nisi hora diei fuerit valde intempestiua, consilium magnū vocant. Postq̄ ciues omnes in curiam conuenere, pfertur syngrapha ex conclaui, in qua nomina descripta sunt ciuium electorum. Ac scriba primus ascenso suggestu magna voce pronuntiat* XXXX. *designatos ciues. horum quisq; si interfuerit, cū primū audierit se pnuntiari, à loco vbi cōsederat surgit et ad suggestum consiliariorum considit, indeq; in cōclaue destinatum sin aūt eorum quispiam absens fuerit, confestim à consiliario vno ac item ab vno* XXXX. *virum pfecto vel p totam vrbem conquiritur. Inuentus ab ijsdem magistratib. primum in comitium, ac deinde in cōclaue ad collegas deducitur, nulla interius pstita facultate aliquos conueniendi aut alloquendi, ne vlla ambitioni occasio, aut aditꝰ in his comitijs cōcedatur, q̄ sanctissima omnium prisci esse voluerunt. hac ratione* XXXX. *ciues designati improuisi conueniunt, cum primumq; id faciunt, è vestigio dimittitur consilium. tunc* XXXX. *hi egrediuntur conclaue, ac in atriū comitij amplissimum consiliarios adeunt: ibiq; eodem sortium modo quem supra retulimus,* XII. *ex ipsis decernuntur, viginti & octo q supersunt ex* XL. *viris repudiatis. hi* XII. *viginti quinq; viros eligunt, quorum quisq; necesse vt* VIII. *suffragia ferat, pauciorib. namq; nullꝰ eligi potest. re expedita consiliarios p internuncium admonent. hi si tempestiua hora fuerit, consiliū cogunt, modoq; in nullo à supiori dispari* XXV. *illi impuisi coguntur. ac dimisso consilio eodem genere sortis nouem eliguntur: sexdecim reliqui discedunt, nouem hi quadraginta quinq; creant sex itē suffragijs, q pari pacto coacto consilio à scriba pnunciantur, et in conclaue coguntur. ij sortis eiusdem beneficio rediguntur ad vndecim, q eligunt quadraginta vnum viros ex primarijs senatorib q continuo quum pnunciati fuerint, secedunt in atrium destinatum: hiq; ducis deligendi facultatem obtinent. non tamen duos eiusdē familiæ aut arcta necessitudine cōiunctos in hanc electorum classem admitti leges sinunt, q mos perpetuus est apud Venetos in omnib. magistratib. Tam pplexam et multiplicem eorum comitiorum rationē prisci sapientissimi atq; optimi homines esse voluerunt, ne ciuium multitudo omnino expers esset potestatis ducis creandi. Nam primi ordinis electores sorte fiunt, q̄ omnib. ciuib. par est: post eum ordinem miscuere sorti electionem, ita tamen vt electio sortem antecelleret. nulli namq; fauere sors potest, nisi iudicio prioris ordinis fuerit comprobatus. at in postremo ordine nihil sortis esse siuerunt: non enim putauere oēs qui principem electuri essent, sortium temeritati esse committendos.*

*ideoq;*

*ideoq; neq; multitudo omnino expers est huiusce autoritatis, neq; etiam omnino ius hoc tributum est multitudini imperitæ, apud q̃ plerunq; inanis q̃dam aura plus potest, q̃ optimorum ac sapientissimorum iudicium. Præterea cum nulli certi sunt principis electores, sed res omnis ex eorum sententia pendeat, qui sortis beneficio vsi sint, nullus ambitioni est locus. Nam fieri facile potest vt hi nullum ius sint habituri, quos tu egregie ambieris. nunc ad rem redeo. Peracta tandem ratione comitiorum, quum iam creati fuerint quadraginta vnus viri principis electores, statim omnes nullo interea ciuium salutato, nedum compellato, conueniunt in eã curiam, in qua cogi senatus solet. ibi primum omnium sancte ac pie diuina mysteria celebrantur, vniuersiq; tactis altaribus iureiurando Deo Opt. ac reipub. pollicentur, eum sese ducem electuros, quem sanctitate, in patriam charitate, solertia, ac prudentia alijs præstantiorem esse duxerint. amotis deinde sacerdotibus soli in curia concluduntur, neq; famulo, neq; quopiam alio ministro accito. tunc tres, qui cæteros ætate antecesserint, veluti præfecti resident ad paratam mensam quandam ad hoc munus: supra qua vrna quædam est constituta, ac vnusquisque elector notat in syngrapha nomen eius quem ducem pronunciat, ac notatam syngrapham in vrnam iacit. iniectis omnium syngraphis vna educitur, quæ sorte in manum venerat extrahentis. lecta à præfectis syngrapha, is cuius nomen exierit, si præsens fuerit, vt plerunq; contingit, continuo egreditur curiam. tunc si quis eorum existimauerit eum ciuem minus idoneũ, qui tam magnam dignitatem sustineat, aut ob quampiam aliam causam non fore è republica eum ducem esse, consurgit: ac primo modeste præfatus ingenue profert, quid de eo ciue sentiat, & quamobrem putet non esse in rem patriæ, eum ducem fieri. cum finem is fecerit, præfecti nuncupatum adhibent: ac statim à seniore ei omnia repetuntur, quæ ei obiecta fuerint, auctore tamen suppresso. nam sacramento antea omnes perpetuo se obstrinxere silentio. refellit ille obiecta vt libuerit. Deinde iterum recedit è curia. quod si prior aut alius quispiam nouis rationibus adhuc arguere & accusare hominem velit, potestatem habet. nouis criminationibus rursus accersitus ille respondet, sicque vicissim res tractatur, donec accusatoribus nihil amplius relictum sit. tum demum in suffragia itur. ante hæc tempora, si is vigintiquinque suffragia tulisset, nulla amplius aliorum ratio habebatur, sed statim ille dux renunciabatur. at ea tempestate, qua in comitijs Andreas Grittus Amplissimus Senator creatus est Dux, hæc ratio immutata est. nam licet nullus electus princeps habeatur, nisi suffragia viginti quinque tulerit, nihilominus non acquiescitur in eo qui primus eum numerum suffragiorum explicauerit, vt antea fieri solebat: sed progreditur ad alios, vt si quispiam*

*eum numerum suffragiorum excesserit, non prior, sed hic dux renuncietur. Postquam itum est in suffragia pro primo cuius nomen exierat, alia item syngrapha ex vrna educitur, ac omnia pari procedunt passu, quo in priori seruata sunt, sic in tertio, quarto, ac omnibus deinceps. quod si nullus ad eam summam suffragiorum peruenerit, nisi hora diei fuerit intempestiua, iterum eadem ratione comitia repetuntur. ac vt paucis res omnis expediatur, electorib. inde haudquaquam exire licet, neq; etiam vllam copiam habent conueniendi aut alloquendi extraneũ, donec* XXV. *eorum in principe eligendo conuenerint, quo renunciato confestim consiliarij in curiam vocantur: hi omnium primi nouum ducem salutant, ac venerantur. Post id fama per vrbem vagatur, vbiq; discurritur, ciues gaudentes conspicias: oẽs supplices à Deo opt. max. petunt, vt reip. felix faustumq; id sit. familiares ac consanguinei ducis in curiam properant, nouo duci gratulantur. eodem temporis vestigio nummi cuduntur, cum facie ac nomine principis: parantur omnia quib. ad põpam opus est. Interea dux electoresq; oẽs ibidẽ operiuntur, instructis omnib. descendunt è curia, ædemq; D. Marci ei loco ꝑpinquam adeunt, augustum templum, magnisq; opib. ornatum: Deum Optimum Max. primo venerantur, & suggestum ex porphyritide lapide confectum omnes ascendunt. Electorum senior verba ad populum facit, denunciat creationem noui ducis, eumq; modeste laudat. Post illum item dux orationẽ habet, ac pauca de se pudenter præfatus, seruaturum se pollicetur omnia q̃ bonum principem deceant, bonoque reipublicæ, nullius priuati commodi habita ratione consulturum: ac in primis Iustitiam curaturum, daturumque operam, vt æquum ius omnibus sit. non rei familiari, non labori vlli, non denique vitæ parciturum, si Reipublicæ vsui suis incommodis prospici poßit. demum Deum Optimum Maximum, diuum Marcum (sub cuius numine ciuitas Veneta est) atq; diuos omnes precatur, vt sibi faueãt aspirentq; læti, in tam magni muneris functione. Verba ducis vniuersus populus magno plausu excipit. Postquam dux perorauit, descendunt omnes ex eo suggestu, ducemq; ad aram maximam templi statuunt: ibiq; tactis euangelijs iureiurando dijs immortalibus ac reipublicæ fidem suã astringit, se nihil eorum omissurum, quæ legibus Dux Venetus præstare teneatur. His actis electores, q eatenus cum duce perstiterunt, discedunt omnes: at ipse ligneum pulpitum conscendit, adscito consanguineo quopiã in primis charo. Nautæ qui in precio habentur, pulpitum humeris attollunt, magnoq; plausu insidentem ducem per totum forum diui Marci deferunt. Dux vero ex pulpito pecuniam suo nomine excusam iacit: summa nulla statuta est, sed pensatur rei familiaris copia, angustiaue, ac noui Ducis liberalitate. iactam plebs studiosè colligit. tandem circum-*

*acto*

*acto foro cum ad scalas ædium publicarum principis ventum est, pulpitum sistunt, è quo descendit princeps. mos inualuit, vt vestes quibus dux est indutus, vasq; argenteum, in quo populo effundenda pecunia congesta fuerat, nautis qui pulpitum humeris sublatum gestauerunt, concedantur. Dux scalis ascensis excipitur à consiliarijs, qui ibidem operiebantur, & capitio, quod principis insigne supra esse diximus, coronatur. hæc series est totius pompæ. Postridie Senatum curiam coacto dux orationem habet, Deo ac patribus gratias agit, quod ad id munus euectus fuerit, simulque operam suam pollicetur nullo Reipublicæ commodo defuturam. Eiusmodi fere orationem habet coram vniuersis ciuibus, primis statim comitijs, quæ post se creatum ducem fiunt. Hactenus de principe seu duce reipublicæ amplissimæ Venetorum.*

## DE HABITV DVCIS VENETI. XXXII.

*PVrpura & holoserico omni tempore Dux vestitur, aureoque interdum pallio, ac stola candida vsus, in publicum prodit, caputque tenui vitta obtectum habet, & coccinea infula, quam limbus aureus præcingit, fronti decore aptatur, ac retro in teretis formã cornu attollitur, quod priscis tamen temporibus ad Phrygiæ mitræ speciem in conum ibat. Albæq; Armellinorum pelles circum scapulas, ad medium vsque demissæ, maiestatis plenum conspectum reddunt: gestat & picturata Dux sandalia, fibulasq; aureas, & baltheum gemmatum: Ducalibusq; ijs ornamentis nihil est augustius; adeo vt etiam regale supergrediatur tantus cultus fastigium. Frequens autem Ducem in apertum prodeuntem Senatorum, togatorumq; patrum summus ille ordo maiestatis & silentij plenus subsequitur. præceduntq; versicoloria altè gestata octo vexilla: sella curulis quoq; & vmbella aurea: circumsonantibusque tubis & lituis, sub ea medius inter regum oratores Princeps, Senatu, vt diximus, concomitante procedit: pompaq; admirabilis est Ducis seniorumque grauissimo conspectu.*

## DE RATIONE ELIGENDI DVCEM Genuensem. XXXIII.

*CAutum est primo quod ad Ducis personam attinet ne quis eligatur quinquagenario minor; ne quis non Genuensis, non popularis, non factionis Gibellinæ. Circa eligentes hæc fere spectantur & obseruari solent: vacante Ducatu duodecimviri Antiani, qui sunt alioqui à consilijs & adsessores Ducis, eligunt quadra-*

*ginta ciues populares, mercatores, & opificum principes; quaternos ex singulis tribubus, qui sic demum rite electi censentur, si maiori Antianorum parti fuerint probati. hi quadraginta vnum & viginti alios ciues deligunt conditionis quoque suæ; atque rursum hi* XXI. *in decem populares consentire debent; quorum demum arbitrio electio Ducis ita permittitur, vt quem illi siue de suo numero denario, siue de ciuibus alioqui suis regnare iubent, is, dummodo septenis suffragijs nitatur, rerum administrationi admoueatur, Ducisque deinceps titulo honoretur.*

## DE RATIONE ELIGENDI CARINTHIAE Principem.

## XXXIV.



*Arinthia mõtana regio Carnis applicatur ad ortum ac septentrionem, Stiriæ iuncta ad occasum ac meridiem, Alpes & forum Iulij contingit. Multæ in ea valles collesque feraces tritici, multi lacus, multi amnes, quorum præcipuus Drauus, qui per Stiriam ac Pannoniam in Danubium fertur, haud inferior Sauo. Imperium prouinciæ Austriaci obtinent, & Archiducem appellant, cui ea Regio paret. Quoties nouus Princeps Reipublicæ gubernationem init, solennitatem nusquam alibi auditam obseruant. Non longe ab oppido sancti Viti, in valle spaciosa, vetustæ ciuitatis reliquiæ visuntur, cuius nomen temporis aboleuit antiquitas. Iuxta in pratis latè patentibus, marmoreus lapis erectus est, hunc rusticus ascendit, cui per successionem stirpis id officium hæreditarium est: deformis equa, frequẽs circa eum populus & omnis rustica turba est. Tum princeps ex aduersa pratorum parte procedit, purpurati circum proceres ambiunt. Vexillũ ante ipsum, & insignia principatus. Comes Goritiæ, qui palatij curam gerit, inter duodecim minora vexilla præcurrit. Reliqui magistratus sequuntur. Nemo in eo comitatu non dignus honore videtur, nisi princeps ipse præ se rustici speciẽ ferens. Agrestis ei vestis, agrestis ei pileus, calceusque & baculus in manu gestantis pastorem ostendit: quem postquam rusticus ex lapide venientem conspicatus est, sermone Schlauonico (sunt enim & ipsi Carinthiani Schlauiæ) Quis hic est, inclamat, cuius tam superbum incessum video? Respondent circumstantes, Principem terræ aduentare. Tum ille: Iustus ne Iudex est, salutem Patriæ quærens? liberæ conditionis, dignus honore? est ne Christianæ cultor fidei & defensor ac propagator? Respondent omnes: Est, & erit. Rursus ille: Quæro igitur quo me iure ab hac sede dimoueat? Ait Goritiæ Comes* LX. *dena-*

*denarijs abs te hic locus emitur. Iumenta hæc tua erunt, bouemq; atq; equam ostendens. Vestimenta quoq; principis quæ paulo ante exuit accipies, erit domus tua libera & absque tributo. Quibus dictis rusticus leui alapa principi data, bonum iudicem esse iubet: & surgens, iumentaq; secum ducens, loco cedit. Princeps vero conscenso lapide nudum gladium manu vibrans, ad omnem se partem conuertit, æquum iudicium populo promittens, ferunt et aquam frigidam à rustico illatam pileo, bibere, tanquam vini vsum damnet: deinde ad tẽplum solenne pergit, quod in propinquo tumulo situm est, sanctæ Mariæ vocabulum habens, & olim pontificale fuisse traditur: vbi peractis sacrificijs, princeps rustica indumenta deponit, paludamentumq; induit, conuiuaturq; splendide cum proceribus, in prata reuertitur, ibique pro tribunali sedens, ius petentibus dicit, & fundos confert.*

# PANDECTARVM TRIVMPHALIVM TOMI PRIMI LIBER QVINCTVS, QVI EST DE *nuptijs Impp. Regum, Principum, &c.*

## DE NVPTIIS GALEATII VICECOMITIS MEDIOlanensis cum sorore Azonis Marchionis Ferrariensis.

I.

*ANno* CIↃ. CCC. *Galeatius, transactis iam omnibus quæ ad eam rem quoquo modo pertinere videbantur, cum comitatu satis splendido Modonam venit; vbi humanißime exceptus ab Azone Marchione Ferrariensi, cum multis alijs equestri baltheo donatus est; nuptiæ autem inter ipsum & Beatricem viduam Nini Gallurei, sororem Marchionis Azonis celebratæ sunt festo apparatu mense Junio ipso diui Ioannis Baptistæ. quibus rite & ex sententia confectis; domuitionem Galeatius parat, Mediolanumque versus cum vxore & priuigna sua nomine Joanna contendit, vbi accepta est pompa plane insigni; conuenerat enim non Insubriæ tantum vicinaque nobilitas, sed omnium prope Italicorum Principum legati, oratoresque. ad hoc Azo ipse Comes venerat sorori cum flore nobilitatis suæ, & equestris ordinis; noua nupta igitur & filia ipsius Joanna sub vna & eadem vmbella in vrbem inuectæ sunt, in qua ludi equestres pedestresque*

*editi*

*editi sunt, iustorumq́; prœliorum & vrbanarum obsidionum oppugnationumq́; simulachra varia; in quibus omnibus Azonis Marchionis nobilitas familiam duxit; rebus omnibus prima. In his nuptijs, quarum solennia in dies aliquammultos extracta sunt, Bura sponsæ affinis inter alia pertinentia ad opum diuitiarumq́; suarum ostentationem, quadam die post sumptum prãdium inter chorearum interualla, quibus choreis tum intererant mille primariæ feminæ, pleræq́; extraneæ (vnde cõiecturam facere licet etiam de reliqua multitudine, quæ has nuptias sua præsentia condecorauit) tres mensas poni iußit, in quibus mox mille tunicas muliebres explicauit exquisiti omnes operis, & rarißimi pretij; easq́; per capita ita diuisit vt singulæ feminæ singulis donatæ vestib. abierint. Idem Bura legatis quoq́; omnibus munera distribuit aurea argenteaq́; pocula; in quibus propter artem manipretium certaret materiæ. In summa, tantus fuit luxus in omni harum nuptiarum apparatu, vt merito Vicecomitum Mediolanensium tum opes regiæ cuiuis magnificentiæ pares videri possent.*

## DE NVPTIIS IMP. CAROLI IV. CVM ISAbella nepte Regis Poloniæ Casimiri.

## I I.

ANno cIↃ. CCC. LXIII. *mortua Anna regina ex Silesia coniuge Caroli Imperatoris; conciliatæ sunt nuptiæ à Legato Pontificio inter eundem Imperatorẽ & Isabellam Regis Poloniæ Casimiri sororis filiam. quod ideo ita factum voluit Pontifex, vt hoc pacto belli consilia omitteret Cæsar contra Ludouicum Regem Hungariæ, & hæredem Poloniæ, eiusdem Regis Casimiri sororis filium. celebrata sunt igitur nuptiarum solennia digno & ducente vxorem, & elocante cognatam apparatu Saturnalibus ipsis, Cracouiæ, vbi tum aderant præter alios infinitos Proceres, Præterq́; Imperatorem sponsum, & Regem Poloniæ Casimirum; Ludouicus Rex Hungariæ, Rex Daniæ, & Cypri. quibus insigniter ostentauit opes suas ciuis quidam & Burgimagister siue Consul Cracouiensis, Vernicus nomine; thesaurarius alioqui regius: qui inuitatos ad conuiuiũ quindecim Reges Principesq́; non solum domi suæ regiè tractauit, verum etiam muneribus incredibilibus affecit, cùm memoretur soli Regi suo Casimiro dono obtulisse centum millia florenorum: quod erat vniuersum illud, quod Imperatori ab eodem Rege dotis nomine debebatur.*

DE NV-

## DE NVPTIIS COMITIS NIVERSII CVM filia Hannonis, & filij Hannonis cum filia Burgundi.

III.

*Irca ferias Paschales anno* CIↃ.CCC.XXCV. *Cameracum venerunt Rex Franciæ, Dux Burgundiæ, Dux Borbonius, Dux Aubertus cum vxore quisque, itemque Dux Brabantiaca & Burgundiaca, & Guilelmus Ioannesque Dynastæ Namurcenses. exceptus est autem Rex in palatio, reliquique in designato & descripto sibi quisque diuersorio. Ingressus est verò vrbem Rex lunæ die circa meridiem cũ incredibili pompa & apparatu, cum Principes oẽs, qui iam antè ea causa Cameracum cõuenerant, ei honoris causa obuiam processissent extra vrbem: cum quibus eam Rex inuectus est magna caterua præcinentium tubicinum, cornicinum, & id genus Musicorum. Post aduentum autem Regis ipso præsente altero die Niuersio Comiti filio Ducis Burgundiæ, filia Ducis Auberti Comitis Hannoniæ; & filio eius Guilelmo Comiti Ostrenantio, coniuncta est legitimis nuptijs Margareta filia Ducis Burgundiæ cum dote Castellaniæ Aquensis in Brabantia, & centum vtrimque milibus Francicorum. sacris autem operatus est Cameracensis Episcopus, nomine Ioannes, patria Bruxellensis. Rex autem sponsos & sponsas mensæ suæ adhiberi voluit. alij autem proceres in equis sublimes inseruiebant mensæ; nisi quod accubitu dignati sunt Conestabilis & Almirates regni Francici. nam Trimolius, Namurcensis & alij seruiebant, vt diximus, Regi, vnaque cum Rege cibum sumentibus. Talis autem fuit apparatus qualem à quingentis annis non viderat Cameracum, statimque absoluto prandio equestres ludi initium habuerunt, qui in foro concelebrati sunt longè splendidißimi; quadraginta equitibus Prouocatoribus vnicuique qui vellet modò & auderet copiam pugnandi facientibus. Cucurritque Rex ipse contra Hannonium quendam Equitem Nicolaum Spinotium non sine admiratione & voluptate spectantium. donatus est autem virtutis causa, vt qui primas eo certamine meruisset, Ioannes Destrennius Eques Hanno: donumque quod ipsa Dux Burgundiaca sibi detraxit, erantque complures gemmæ auro inclusæ, perlatum fuit honoris causa ad victorem per Almiratem Franciæ, & Guidonem Tremolium. durauerunt autem festa conuiuia ad Veneris vsq; diem, quo tempore ad sua quisque redire maturauit.*

## DE NVPTIIS REGIS LVSITANIAE & filiæ Ducis Lanclastrij.

### I V.

*ANno* cIↃ.ccc.xxcvii. *Rex Lusitanus misit legationem ad Ducem Lanclastriæ petens filiam eius natu maximam sibi vxorem dari: erantque legationis eius Principes, Archiepiscopus Braghensis, & Joannes Radighius Sarensis; qui cum comitati admodum ducentis equis in vrbe Sancti Jacobi, vbi tum Dux erat, descendissent; & legationis suæ summam exposuissent; postridie magna cum voluptate omnium Philippa Lanclastria solenniter desponsa est Regi Lusitaniæ, pronubo Radighio, moxq; valedicto ad virum contendit comitata frequenti cœtu matronarum & virginum nobilium; & Proceribus, Joanne Hollando, Thoma Persyio, & Ioanne Auberthicurtio, cum centum hastatis, & ducentis sagittarys generis Anglicani, Propinquanti autem nouæ Reginæ Portensi vrbi, vbi tum Rex Lusitanus agebat, obuiam honoris causa processerunt Episcopus Vlyssiponensis, Episcopus Eurensis, Episcopus Conimbrisensis, & Episcopus Portensis. Item de proceribus regni, Comes Angousius, Comes Nouariensis, Comes Scalensis, Galopius Ferrandus Porteccius, Pumassius, Martinus Merlous, quadragintaq; & amplius alÿ equestris ordinis viri, magnaque nobilium feminarum multitudo. Aderant etiam pontificaliter induti ecclesiastici ordinis omnes, pompaque plane insigni Reginam Regi in palatio sistere. quam ille osculo exceptam spectante omni populo in Cathedrali Diuæ matris Virginis ecclesia legitimè sibi coniungi curauit. editique sunt & eo die & postridie magnifico apparatu ludi equestres, quibus victores fuere & virtutis causa donati sunt muneribus, priore quidem certamine, de externis Ioannes Hollandus; de domesticis Regis Eques quidam nomine Ioannes Caputaureus: posteriore vero, de externis Joannes Auberthicurtius, de domesticis Martinus Merlous.*

## DE NVPTIIS IN QVIBVS PERICLItatus est Carolus Gallię Rex Parisijs.

### V.

*ANno* cIↃ.ccc.xcii. *Rex Carolus Parisiis celebrauit nuptias equitis cuiusdam Veromandui domestici sui, cum virgine ex Gynæceo Reginæ. deditque epulum regium in palatio Sancti Pauli Ducibus, auunculis, & cognatis Principibus primarÿsq; feminis.*

*feminis. in quibus tum erant primi Dux Aurelianensis, Dux Auaricũ, Dux Burgundiæ, alij, cum sua quisq; coniuge. effusis autem omnibus in lætitiam nobilis quidam Normannus nomine Hongrimenus Gensæus excogitauit rationem personatæ saltationis nouam, quæ erat huiusmodi; Tunicas sex lintei subtilis ita adornari curauerat, vt hirtæ in speciem & quasi phryxianæ mentirẽtur cutem hominis siluatici, siue Satyri, aut Fauni. his tunicis induerunt se ipse rex Carolus, Comes Iouius in primo adhuc ætatis flore eques; Carolus Pictauius filius Comitis Valentini; Iuænius Dynasta Foyxensis; filius Dynastæ Nanthoilleti & inuentor commenti Gensæus. Cum autem ita omnes insuti eis tegumentis essent, Foyxensis Dynasta præuidens periculum, Regem admonuit, edici curaret, ne cum facibus aut funalibus propius aliquis ad personatos accedere auderet; salubreque consilium secutus Rex, misit regem armorum qui denuntiaret vti funalia omnia, tædæque & faces certo loco seponerentur; neu quis propius accedere auderet ferens eas tædas ad sex personatos qui mox affuturi, & spectaculo sui festum nuptiale interpolaturi essent. Dictum, factum; procedunt personati reliqui quidem alligati alij alijs, Rex autem, quod saluti ei fuit, solutus præsiliebat. statimque contulit se ad reginam, & mox ad Ducem Auaricum materteram suam. quæ satagebat vti personatum Regem agnoscere posset: in quo dum est, Dux Aurelianensis (ignarus regii mandati de funalibus & facibus amouendis) ingreditur præcedentibus sex tædiferis; studioque cognoscendi saltantes quinque personatos reliquos, facem propius admouet, ita vt vestis lintea vnius ignem conciperet, vnde statim omnes viuis flammis ardere cœperunt: picatis vestibus incendium attrahentibus, ita vt miseri Herculis Oetæi instar magnos ederent statim eiulatus; vnus Nanthoilletus remedium quærens subito se coniecit in labrum aquæ plenum, quod abaco vicinum stabat eluendis cyathis, quo restincta est flamma. Regina autem audito eiulatu statim de Rege marito solicita esse cœpit; sciebat enim eum vnum esse ex personatis; atque adeo quidem commota est, vt animus eam subito liquerit. vnde aucta est trepidatio. sed Regem Dux Auaricum seruauit syrmate quod longum trahebat eum operiens; cum enim discedere ab ea vellet, quid agis, inquit, cur te is perditũ? non vides socios tuos ardere? quis autem es? qui cum dixisset se Regem esse, matura, inquit illa, & muta vestem, vt Reginam serues & soleris; quæ tua causa vitæ incerta iacet. paruit Rex, & statim alio habitu ad Reginam venit, quam interim Auaricum Dux nonnihil recreauerat, spe fore vt statim Regem saluum videret. quem vbi conspexit, gaudio rursum cœpit esse non mentis suæ; vnde subito manibus circumstantium in cubiculum suum delata est, Rege quoque in suũ digresso. nothus autem*

*Foyxensis ardens tum cum maxime, sui immemor clamabat aßidue, seruate Regem, seruate Regem. reliqui autem quatuor perierunt miserè; duo quidem statim, et in ipso palatio Sancti Pauli: duo alij intra biduum. atque ita funestum exitum habuit lætitia hæc nuptialis, Aurelianensi frustra sese excusante, & errorem atque ignorantiam excusante.*

## DE NVPTIIS RICHARDI ANGLIAE REGIS & Isabellæ filiæ Caroli Galliarum Regis.

### V I.

ANno cIↃ. CCC. XCVI. *magni vtrimq; apparatus fiebant ad celebrationē regiarū nuptiarum; ab Anglis quidem Caleti, quò ex omnib. Angliæ portubus necessaria subuehebantur: à Gallis autem in Fano Sancti Odomari, Ariæ, Theroanæ, alibi. Statim autem post Diui Michaelis Richardus Angliæ Rex cum patruis Ducibus Lanclastriæ, & Clocestriæ, omnique procerum vtriusque status & nobilitatis Anglicanæ multitudine Caletum, traiecto mari, appulit: manentibus qui Regno interim præessent Londini, Aymondo Duce Iorchensi, & Comite Erbyensi. non multo autem post ingressus est Fanum Sancti Odomari Dux Burgundiæ, quem cum vxore hospitio excepere ibi Bertinienses monachi. Rex etiam Galliæ audito aduentu Angli misit Caletum aduentum illi gratulaturum Comitem Sancti Pauli, qui mox comitatus Duce Lanclastrio, & filio ipsius Bellifortio Lanclastrio, Duce Clocestrio, & filio ipsius Offremio, Comite Rostellantio, Comite Marescallo, Comite Hostidonio, magno Cubiculario Regni; multisque alijs Anglis, ad Ducem Burgundiæ venit, à quo læto & alacri omnes vultu excepti sunt; vt & Britonum Dux, qui reliquerat Regem Galliæ & filiam ipsius futuram Angliæ Reginam Ariæ, dedit igitur triumphale prandium proceribus Anglicanis Dux Burgundiæ, cui etiam interfuit Dux Lanclastria cum duabus filiabus, & filijs: expletique sunt omnes honoribus & muneribus. atque in primis Dux Clocestrius, qui alieniore esse in Gallos animo putabatur: sed in quo tamen & oleum & opera quod dicitur perdebatur. nam præfractus ille infestus semper partibus Gallicis mansit, etiam post munera. Cum autem Dux Burgundus cum vxore, Comes Neuersia, & Comes Sancti Pauli ita magnificè Anglos excepissent; & conuenisset quo tempore & loco Reges conuenire, & Anglo vxor tradi deberet; Angli Proceres ad Regem suum Caletum reuersi sunt, Hinc Galliæ Rex Carolus Fanum Sancti Odomari intrauit; cui Burgundus hospitio Bertiniensi cessit: misitque ad Anglum Ducem Auaricum, Ducem*

*Burgun-*

*Burgundiæ, & Ducem Borbonium de certis rebus cum eo transacturos. Atque hi vt decebat excepti, quod voluerunt, fœdus inter Reges firmarunt; Clocestrio mitigato cum muneribus Gallorum, tum Regis sui beneficio, qui filio ipsius Offremio comitatum Rocestriæ donauit, cuius annui reditus ferebantur milia duo librarum Anglicanarum; & ipsi in manum dedit quinquaginta milia Nobilium aureorum. Confectis igitur rebus Duces ad Regem suum & fratrem ipsius Ducem Aurelianensem reuertuntur. Et Rex relicto Fano Sancti Odomari concesßit Ardream; diuersique abiere Dux Burgundiæ Montoiram, Dux Britonum Esquam, & Dux Auaricum Banelingam. paßimque sub diuo in campis tabernacula tendi cœperunt, Anglo quoque Rege Guineam digresso, & Ducibus Lanclastriæ & Clocestriæ Hameam. Pridie autem Sancti Simonis & Judæ, qui fuit Veneris Dies anno* CIↃ.CCC.XCVI. *hora fere decima Reges in mutuum conspectum cum suis quisque pedites venere, stantibus hinc inde quadringentis Gallis ordinis equestris armatis & gladios nudos vibrantibus, ac totidem è regione Anglis. quos inter medij Reges processere, Lanclastrio & Clocestrio Ducibus cingentibus altrinsecus Gallum, & Ducibus Auaricum ac Burgundiæ Anglum. Cum autem ita alter alteri propinquasset; octingenti quos diximus Equites honoris causa in genua se submiserunt, lachrymantes gaudio. ipsi vero reges nudis & apertis capitibus alter alterum consalutarunt inclinati nonnihil; indeque Gallus Anglum manu apprehensum in tabernaculum suum abduxit, Regio apparatu instructum, consecutique Reges suos sunt quatuor Duces, manibus inuicem quoque tenentes. Equites autem Angli Gallique in statione alij alijs spectaculo & admirationi fuere. Decretum autem fuit vti eo loco exædificaretur Sacellum Diuæ Matri Virgini sacrum, cognomento Gratiosæ. Jngredientibus autem tabernaculum Regibus, Duces Aurelianensis & Borbonius obuiam progreßi debitum honorem habuerunt, genu posito. indeque surgere à Regibus iußi quatuor alijs Ducibus sese coniunxerunt. cum quibus varios sermones habuerunt, dum Reges quoque inter se amice confabulantur, inde tragemata & vinum more regio allata sunt, obtulitque illa Regi Gallo Dux Auaricum, hoc Dux Burgundiæ; Anglo vero Lanclastrius & Clocestrius Duces. mox ipsis Ducibus & Proceribus viri Ordinis Equestris Galli, Anglique idem officium præstiterunt. post quæ ad sua Reges Principesq; redierunt: postero vero die, hoc est ipsis ferijs S. Simonis et Iudæ vndecima hora Rex Anglus cum toto comitatu suo venit iterum ad tabernaculum Regis Gallicani, vbi ab omnibus hilari vultu excepti sunt Anglicani proceres, positisq; mẽsis accubitum est hoc ordine:*

*Regiæ mensæ (quæ erat oblonga & habebat iuxta positum abacum gradatim crescentem & aureis gemmatisque poculis ad stuporem vsque ornatum) soli Reges accubuerunt, supra Rex Galliæ, infra vero Anglus. seruiebant autem ijs Duces, Auaricum, Burgundionum, & Borboniæ. quorum hic facetus admodum Reges astantesque Proceres oblectabat dicacitate sua; admonens Anglum merito hilarem esse debere, vt cui sponsa iam iam tradenda esset; cui sermoni cum subiecisset Gallus Rex, optare se vti filia sua eam haberet ætatem quam habebat Comes Sancti Pauli; futurum enim sic, vti lubentius Regi Anglicano nuptijs iungeretur; excipiens Anglus respondit, ætatem sponsæ suæ sibi placere; maxime cum per hanc affinitatem futurum sit vt Regna Galliæ & Angliæ aduersus omnes in posterum Reges principesque vicinos tuta sint. Prandio finito, quod subitarium & prope statarium fuit, mensisque sublatis, noua Angliæ Regina stipata magna nobilium feminarum caterua in tabernaculum ingreditur. eamque Rex pater de manu in manum Anglo tradit. qui statim illam Regiæ lecticæ impositam abduxit, comitatam de nobilitate Gallica sola domina Coucyia; sed aderant Duces Lanclastriæ, Iorchensis, Clocestriæ, Hyberniæ, domina Namurcensis, domina Pommisiæ, quæ Reginam suam ouanter excepere, simulque Caletum peruenere; Gallo Rege cum suis reuertente ad Sancti Odomari Fanum, vbi erant Regina Galliæ & Dux Burgundicæ. Martis vero die sequente ferijs ipsis omnium Sanctorum Richardus Angliæ Rex Isabellam Francicam in templo Diui Nicolai Caleti solenniter vxorem duxit: præeunte formulam connubialem Archiepiscopo Cantorbiensi; celebratæque sunt nuptiæ magno & incredibili apparatu. Iouis vero die Duces Aurelianensis & Borbonius inuiserunt Regem, & nouam Reginam, indeque ad suos reuersi sunt. Anglus autem cum vxore & vniuersa nobilitate traiecto mari in regnum reuertitur; excipiturque Regina Londini triumphali pompa, magnisque à ciuibus muneribus excolitur. indicuntur etiam ludi equestres hastici, in quibus quadraginta equestris ordinis, & totidem eius candidati omnibus depugnare & concurrere hastis volentibus copiam sui facturi erant. in quibus solennitas nuptiarum mox finem habuit.*

## DE NVPTIIS PHILIPPI BVRGVNDIAE DVCIS CVM Elisabetha filia Ioannis Regis Lusitaniæ anno cIↄ.Iↄ.XXIX. VII.

*Nterea loci Philippus alijs intendit rebus, nouam nempe ducit vxorem Elisabetham Ioannis Regis Lusitaniæ filiam. Ea sub natalē dominic. Slusam applicuit, adducta ab vno fratrū suorum;*

*ſuorum; & per legatos miſſos ex Flandria, quorum erant principes Ioannes Robacenſis, & Ægidius Scornacenſis, idem præpoſitus Eccleſiæ Harlebecenſis. His celebrandis nuptijs nouas ædes Philippus Brugis in regia exædificat. Semel atque iterum antehac nuptias celebrarat, ſed nullo fere apparatu ſi cum hiſce conferas. Brugenſes ad portam vſq; obuiam ſponſæ ꝓcedunt. Sexaginta quatuor habebant tubas & lituos, quib. quanta melodia canebant haud facile poſſet enarrari. Quam viſendus ornatus ille omnium, quæ tranſiit ſponſa, viarum, q̃ vtrimq; veſtitæ erant tam varijs ac precioſis tapetib. pannisq; variorum colorum, quis valeat exprimere? Negotiabantur tum Brugis nationes mercatorum totius fere orbis terrarum, q̃ inter ſe oẽs certabant aduentum honorare tantæ ſponſæ.*

*Ante regiam factus leo lapideus, qui altero ſuo pede anteriore trib. ex meatib. optimum Rhenenſe fundebat vinum, bibentib. omnib. quantum volebant. Intra regiam iuxta ſacellum Ceruus lapideus poſteriore parte ſedens, anteriore ſuo dextro pede propinabat omnib. rubrũ vinũ optimũ Belnenſe. Monoceros in grandi aula, cuius ex pedib. roſacea abluendis manib. dulciſsime ſcaturijt, variaq; vina cõmutatis vicib. vt ſaccatum, ſiue Hypocraticum, Maluaticum, Romanum, Muſcadetum, aliaq; delicata & exquiſita ſuo ex cornu omnib. ſitientibus profudit. Ad menſam ſponſæ aulæa deaurata, aliasq; pretioſas veſtes quibus aula vndiq; erat exornata: Vexilla ſignaq; militaria cæteraq; omnia, plus quam regalem pompam alijs ſcribendam relinquimus. Erat is nuptialis ac triumphalis dies decimus Ianuarij. Habebat ſecum Dux ſorores ſuas Annam Bethfordij, & Mariam Cliuienſis, cum alia nobilitate permulta. Habebat* XXIV. *proceres ſuos eodem die à ſe in ordinem ampliſsimum Aurei Velleris allectos. Conuiuia per octiduum omnibus tam ciuib. & aduenis, quam nobilitati parata; ludos, ſimulachra certaminum Equeſtrium, ac cætera omnia breuitatis gratia præterimus. His Philippus Brugis peractis cum noua nupta ſua Gandauum aliaque ad oppida profectus, magna vbique gratulatione ac donis honoratur.*

## DE NVPTIIS CAROLI AVDACIS BVRGVNdiæ Ducis cum ſorore Regis Angliæ Eduardi. VIII.

*Defunctus bello Princeps, vxorem duxit Margaretam ſororem Eduardi IV. Anglorum Regis. Hæ nuptiæ Brugis, oppido Flandriæ celebratæ ſunt tanto apparatu, vt nihil a condito æuo Sol viderit ſplẽdidius. Primum omnium ad celebrandas nuptias domus à fundamẽtis exſtructa incredibili ſumptu ac celeritate, cui⁹ parietes, conclauia atq; cubicula omnia tapetib. pretioſiſsimis conſternuntur.*

*Tricli-*

*Triclinium in quo Princeps die nuptiarum conuiuio adhibiturus erat nobilissimos quosq;, ita magnifice ornatum est vt cætera omnia quãquam pretiosissima, nihil tamen fuerint, conferenda cum his, quæ ibi visebantur. Erectus eo loco fuit abacus, in quo pulcherrima vasa omnis generis exposita vidisses. Hic erant ex auro purissimo emunctoria, candelabra, maluuia, pelues, vascula potoria, disci, salina, œnophori, paropsides, gabatæ, vox me citius defecerit, quam nomina tantum dixerim eorum, quæ ad illius magnificentiam conuiuij absoluendam parata erant. Foris quoq; nihil cessatum est. Omnes vici, omnes domus qua erat ventura sponsa, pulcherrimis aulæis, plateæ floribus omnifariam, quos dabat anni tempus, vestiuntur. Sunt & nobilissimi artifices vndique accersiti, ad excogitanda ea, quæ ingredientium & prætereuntium oculos detinere possent. Iam parata & magno conquisita erant pleraque omnia quum dies appeteret nuptiarum. Brugas igiter cum trecentis plus minus Equitib. Princeps egressus, Damam venit. Huc enim nõ multo ante ex patrio solo appulerat spõsa, in hac vrbecula celebrato nuptiali fœdere, ilico Brugas reditum, Margareta lætis ciuium excepta vocibus, gratissima nimirum atque omnibus optatissima adueniebat. Nunc prætereo edita toto oppido spectacula omnis generis. Prætereo exhibitos ludos tota vrbe regionatim, & quidem per doctissimos Histriones. Taceo omnium pene Burgundicæ ditionis opidorum gratulationes, insignium ingressus Antistitum: Denique celeberrimam hominum frequentiam. Nuptiarum die in triclinio, vbi cum sponso & illustrioribus viris discumbebat Princeps, quatuordecim partim argenteis, partim aureis nauibus, quarum singulæ quatuor scapulas habebant, cibus in mensam illatus est. Quid missus dicam ferculorum? quos fuisse legimus numero circiter quadraginta. Quibus verbis efferam vinum odoratissimum? quod conuiuis appositum est. Secundæ mensæ tragemata, ex saccaro, poma, nuces, lautitias omne genus habuere. Quæ omnia dum fixi, suspensique præ stupore conuiuæ degustant, à pueris interea in Cupidinum speciem figuratis, longe suauissimi ad mensas adolentur odores. Nihil ad hãc magnificentiam egregius alioqui Antonij et Cleopatræ apparatus. Nihil Heliogabali sexcenta struthionum capita vna cœna apposita. Vt semel finiam, quidquid de dubijs ac pollucibilibus loquitur cœnis antiquitas hac Burgundica inferius est.* Postquam vero exempta fames epulis, mensæque remotæ, *oculorum varia sunt exhibita oblectamenta, ex quibus prope innumeris, pauca referam. Illati sunt in triclinium pauones flammiuomi, in quibus tantum artificij, tantum operæ insumptum est, vt à veris internosci vix potuerint. Introductus est leo, cui eximia pulchritudine virgo insidebat, gestans manu insignia Principis Caroli.*

*Ad ostentandam magnificentiam magis quam oblectandi gratia illatæ sunt argenteæ turres numero triginta: quibus arces totidem significabantur, quarum ea tempestate dominus ac possessor erat Carolus. Postremo introductum est animal (Dromedarium quidam putant fuisse) cuius dorso impositæ sportulæ, vnde omnis generis euolātes auiculæ, haud aliter cantu demulcebant omnium aures conuiuarum, quam Vere nouo ramis arborum instrepitantes vario concentu prætereuntem detinent viatorem. Secundum hæc funambuli, panthomimi, arethalogi, illustrium feminarum choreæ, & quidquid præterea animi gratia potuit excogitari, exhibebatur. Quod reliquum erat temporis ante cœnam, varijs est lusibus impensum. Carolus autem, quum hæ nuptiæ fierent, annum ætatis agebat trigesimum quintum: primo, secundo, ac item tertio dieb. proximè insequentib. ludi sunt exhibiti, & celebrati magnificentißimo apparatu in argumentū publicæ lætitiæ, quos Georgius Badenus, Episcopus Metensis; Joannes Burgundus Cameracensis antistes, Dauid Burgundus Traiectinorum in Hollandia præsul, Guido Tornacensis Ecclesiæ summus pastor, cum plerisque alijs multo nobilißimis viris, Carolo Principi & sponsæ in admirationem vsq; formosæ aßidentes spectarunt.*

## DE EISDEM NVPTIIS PAVLO PLENIVS IX.

*Septimo Calendas Iulias die Sabbathi appellit magno comitatu Slusam Margarita Eboracensis Caroli sponsa, filia Richardi Eboracensis, soror eadem Edouardi Eboracensis Regis Angliæ: quam primus omnium salutat & excipit Simon Lalanus præfectus Slusensis. hospitium habuit in ædibus Guidonis de Baenst filij Guidonis, per quam splendidis & exquisitis. Erat vestita aurato panno rubri coloris. Habebat naues* XVI. *ex quibus duæ mirum in modum pulchræ & pretiosæ: cum ea duo fratres Reginæ Angliæ, Antonius Riuerius Comes Scalensis, & Joannes Riuerius Odeuillæ Regulus, vxor Scalensis & vxor Ducis Nortfolci cum alijs multis. Die dominico concedunt ad eam Jsabella Caroli mater & Maria eius filia, redeuntque Brugas. Die Lunæ occurrit illi ipse Carolus & redit Brugas, Die Mercurij profecta sunt ad eam officij gratia quaterna membra Flandriæ, multo gratißimum testata eius aduentum, vbi & Episcopus Tornacensis de iucundo eius aduentu luculentam satis habuit orationem. Die Iouis profectus Carolus rursus Slusam sponsalia cum illa firmat reditque Brugas. Die Sabbathi sponsa venit Damnum. Die Dominico quinto Nonas Iulias mane hora septima Carolus accepit eam vxorem in ædibus Eustathij*

Prætoris Dammēsis, sacrū faciente Episcopo Saresberiensi, astan- ...gato Romano, & Guilielmo Episcopo Tornacensi. Ingens erat ha- ...rum apparatus nuptiarum. Tradita aurifabris duo millia marcharū argenti, tradita xx. millia pondo stanni discis parandis in nuptiale conuiuium. Nupsit autem simpliciter absq; magna pompa Dammi, vt diximus, suis ipsius capillis defluentib. non perplexis, vestem induta ex serico albo sparsam aureis flosculis, cū collyrio specioso quod Dux illi dederat. Virgo morib. bene compositis, indole læta, vultu placido, benigno, & sedato. Sedens in lectica panno aureo cōuestita Brugas deducitur per Dominum Scalensem, Saleberiensis, Mediomatricus, Traiectēsis, Tornacensis, Cameracensis, Sareptanus, Pronubi circum currum inauratum sex equites Angli vsq; ad portam S. crucis: hinc totidem paranymphi vsq; in regiam eam deducunt. Fuere aūt Adulphus Cliuiensis, Iacobus Luceburgensis, Antonius Burgundio, Philippus Pot, Philippus Crepecurius & Dominus Charniacus proceres summi ordinis. Valde gratanter accepit sertum rosaceum quod Vestales vineæ Brugēsis ad eam portam illi donauerunt. Erat nempe miro artificio contextum: illudq; mox suo imposuit capiti super sponsalem coronam. Mercatores officij gratia affuerunt præter alios Hanzæ Teutonicæ, Hispani, Veneti, Genuenses, Florentini, Cathaloni, Lucani, Portugalenses, Siculi, Aragonenses. Ad portam Cruciam Ioan. Hurnius scriba orationem habuit ad eam honorariam, non longam, sed elegantem. Donata illi à ciuitate effigies D. Margaritæ marcharum quadraginta argenti inaurati. Accepit aūt à Gandensib. scyphum aureum pulcherrimum, aureorum nummorū plenum. Arcus & portæ triumphales multæ constructæ. Vna autem erat ex qua transeunte sponsa euolauerunt multæ albæ columbæ aliæq; variæ minores volucres, omnes inuestitæ sponsi & sponsæ insignibus, quarum nonnullæ currui sponsæ insidebant: aliæ alio deuenerunt, quæ res magnæ voluptati erat spectatoribus. Cum autem discumberet sponsa, ad dexteram suam habuit Isabellā Caroli matrē, & filiā Mariā: in sinistra dominā ab Arque vxorem Principis Aurasiensis. Inexplicabiles exhibuit triumphos, incredibiles Carolus fecit sumptus, sed horum multos inutiles & vanos, quib. non modo æquauit, sed etiā nobilißimos quosq; et ditißimos supauit Reges. In ludis equestrib. Antonius Burgundio vir bellicis artib. clarus, florēte ætate, firmo robustoq; corpore, omniū quotquot venerāt certamina sustinuit, donec adeò erat pulsatus & lassus vt palestra excedere cogeretur. Tunc Carolus ipse in arenā descendit, ortaq; est dura & memorabilis dimicatio xxvi. equitū, quorū primus erat Carolus, contra totidē alios, primū hastis obtusis, deinde nudis ensib. donec buccina tandē caneret receptui. Rē imprimis nobiliter & fortiter gerebāt ipse Dux, & Adulphus

*phus Rauestanus frater Ioãnis ducis Cliuij, duo filij Principis Aurasiẽsis, dominus Fiennensis filius Theobaldi, Joannes & Iacobus Luceburgenses, Comites Odouillæ & Scallensis fratres ambo Reginæ Angliæ, Philippus Pictauus, Antonius & Judocus Lalani, Claudius Valdrius, Comes Roßiacus qui filius erat Comitis Sancti Pauli, Ioannes Rochefordius, Adrianus Borsalius, Oliuerius à Marchia, Philippus & Antonius à Cohem fratres, Guilelmus à Stauela Procomes Furnensis, cum multis alijs quos longum sit enarrare.*

## DE NVPTIIS FILII DVCIS VENETI IACObi Foscarij cum filia Leonis Contareni, & honore Principi Sfortiæ ibidem habito.

X.

*VIx vnquam alias Imperatorum aliquis maiore lætitia à Patribus & vniuersa ciuitate Veneta est acceptus victor Sfortia; quippe quem non solum probabant, sed admirabantur etiam: suspiciebantq; ob clara ipsius gesta, quasi augustum aliquid & supra humanum in eo intuerentur. Itum igitur est illi obuiam ab omnibus frequenter ordinib. ac demum in curiam adductus, magnificentißimisque verbis laudatus. Est non parum quoq; laudatus Franciscus Barbarus, qui voluntate patrum cum Petro Aduocaro & centum Brixiensib. nobilißimis viris Venetias non multo post Sfortiam venerat. Vertit is quoq; ob Brixiam seruatam, non minus quam ille oculos omnium in se, summaq; defixit admiratione, amplißimisq; ad hæc honoribus ornatus. Brixienses & ipsi cum multis lachrymis præ nimia lætitia ac charitate ad principis complexus, & oscula admißi: laudataque eorum fide, quam omnibus monumentis posteritati consecrandam cuncti aperta prædicatione censebant, perpetua donati sunt immunitate. Et vt plebs sua quoque sentiret præmia, molarum vectigal (quod viginti millibus locari consueuerat) in perpetuum est populo remißum. Petrus Ludronius Paridis filius, ob sua & Patris in Rempublicam merita, ampla & ipse munera accepit, ac cum his trinas ædes, Paduæ vnas, alteras Vincentinæ, Veronæ nouißimas. Exhibita ad id in vrbe spectacula pene insueta: atque illa ipsa omnia in Jacobi Foscarij Principis filij gratiam, qui vxorem per eos dies duxit splendidißimo nuptiarum apparatu. Sed spectaculorum omnium illud vt insuetum, ita maxime voluptuosum, & ob id fortaßis præ cunctis memorabile: quod à Samuelis æde ad Barnabæ ripam, aqua sponte ad tempus extructo iunxit, vt Equestri pompa in Leonis Contareni ædes transiret, qui illi filiam desponderat, eam*

*paternis ædibus eductam, Bucentauro nobilißima naui purpura instrato excipiendam curauit: in quo ex omni nobilitate matronæ cultu & fortuna præstantes affuisse dicuntur. Hastarum adhæc certamina, & aurigationes plures dies tenuere, & à pluribus in Principis gratiam instauratæ sunt.*

## DE NVPTIIS MARCHIONIS FERRARIENsis Leonelli & Alphonsi Regis Aragoniæ &c. filiæ. XI.

ANno CIↃ. CCCC. XLIV. *Marchio Leonellus cupiens pactas nuptias inter se & Mariam Alphonsi Regis Aragoniæ & Neapolis filiam ad effectum perduci, mittit* X. *Martij fratrem Borsum qui sponsam deduceret accerseretque; is igitur Venetias vbi appulisset, impetrat à Senatu amplißimo eius vrbis duas triremes sub Duce & nauarcho Victore Capello. quibus cum imposita sponsa Venetijs propinqua esset, obuiam illi processerunt honoris eius caussa cum magna pompa Dux Venetus eiusque vxor & amplißimus ordo frequensque nobilitas. Leonellus etiam speratæ suæ misit in occursum vigesima Aprilis, quà Padus in mare exit, alterum fratrem Meliadugium cum lectißimo cœtu feminarum virginumque nobilium. quæ formæ decus à natura datum nulla non arte nullo non ornatus & cultus genere ita adiuuabant, vt totidem Deæ de cœlo descendisse viderentur. adiunxerat his sponsi sedulitas Musicorum & Symphoniacorum choros multiplices, qui itineris tædium leuarent. sponsa autem vbi Ferrariam attigit continuo in nouam arcem deducta est, vbi ad* XX. *vsque Maij in omnibus delitijs, quæ excogitari potuerunt dumtaxat, vixit, indeque triumphali & regia pompa vrbem inuecta est. Nuptiæ per triduum celebratæ sunt luxu incredibili. primoq́ die exhibitæ venationes ferarum omnis generis, secundo & tertio ludi equestres militares.*

## DE NVPTIIS CATHARINAE EX SAXONVM Principum familia cum Ioanne Daniæ Rege. XII.

A*Lbertus dux superioris Saxoniæ, Marchio Misniæ, fratris filiam Catharinam Rostochium insigni agmine pduxit; ibi nauigium inscendens, in Daniam Ioanni Regis filio nupturam. Multi cum eo fuere Comites, aliquanti pontifices. Octingentis equis ingressus, auratis curribus, puellam Regiam regio more deduxit: in Coppenhauensi regia, regiæ nuptiæ sunt peractæ. Quib. principali ritu solenniter expletis, Lubecam redierunt, auidi videre Imperialem vrbem. Placuere cuncta Alberto principi: sed displicuit subterraneus ille discursus fe-*

*sus feminarum obuolutis vultib. magnum libertatis alimentum. Hortatur senatum & commonefacit, vt rem illam antiquent: quæ multis alioqui pudicis feminis præstaret audaciam, impudicis suæ stultitiæ præberet incrementum. Accepit eam commonitionem senatus perquam benigne, eiq; obtemperauit. Dux autem in superiori eius loci prætorio ad faces concurrit eques equiti, infesta sub tecto hasta. Tum choræis indulgetur: et vbi aliquamdiu feriatum est, in viam suam rediere alacres, hospitaliter vbiq; habiti.*

## DE NVPTIIS HERCVLIS DVCIS FERRARiensis cum Leonora Ferdinandi Regis Neapolitani filia. XIII.

*Hercules dux Ferrariensis misit* XXVI. *Aprilis anni* CIↃ.CCCC.LXXIII. *fratrem suum Sigismundum cum magno & splendido comitatu aulico Neapolim, quæ est vetus Parthenope; vti pactam & desponsam sibi Leonorā Ferdinandi regis filiam adduceret. Quæ* V. *Iunij inde pridie Pentecostes Romam magna pompa & quanta nulla vmquam princeps femina alias ingressa est cum Andrio duce, multisq; alijs procerib. cum obuiam ei progressi exissent ad tertium vsq; ab vrbe lapidem Cardinales, Neapolitanus, et Montis Regalis, cum ingēti episcop. præsulumq; caterua. hi sponsam duxerunt ad locum vicinum S. Ioanni Lateranensi, vbi aliquantisper conquieuit in veste itineraria sicut erat à via recens; tecta caput galero gemmato pretiosissimo: cum adueniens Cardinalis S. Xixti, Xixto Pont. Max. sanguine coniunctus, ærarijque pontificij præfectus, & Cardinalis Petri in vinculis, cum legatis Regum gentiumq; & magna Comitum procerumque Romanorum turba, præter equestris ordinis incredibilem multitudinem, quæ frequens vndique tum Romam confluxerat, quod Pontifex Max. clientibus & confœderatis amicisque omnibus conuentum indixerat, cùm inquam horum omnium qui simul octuaginta milia equitum explesse dicuntur ductu ꝑuenit ad templum Apostolorum, & palatium Cardinalis S. Xyxti, q ordinis minoritarum alioqui erat. Plateæ autem viciq; & viæ omnes qua transibat splendidissime simul & amœnissime stratæ adornatæque erant. Et Cardinalis Sancti Xyxti curarat in area patente ante Palatium suum ex tabulatis ædificium exstrui architectura Britannica siue Anglica, trium quasi membrorum. in quorum primo quinque, tertio vero quatuordecim essent triclinia cubiliaque. in quibus non lecti tantum veste stragula aurea cernebantur crebris gemmis margaritisq; distincta; sed parietes quoq;, mensæ, scamna, sellæ; in cubiculis quoque vestes nocturnæ dispositæ erant pellitæ exuuijs Lyncum, mustelarum*

*Alpinarum, eorumq; animalculorum quibus martes nomen est, duplicatæ, in vsum sponsæ feminarumq; & virginum sponsam comitantium: quamquam, vt erat anni tempus, ad ostentationem hæc atq; alia videri magis potuerint. Sella sponsæ parata erat ex ductili auro puro tota. Prima autem domus regio in qua erat cœnatio principalis tota auro etiam fulgebat; & præcipue ipsa cœnatio aulæis Attalicis ornabatur. quarum Phrygiana pictura ludos exhibendos repræsentabat. post aulæa autem folles tres iustis interuallis dispositi erant, qui continuo flatu ventulum facerent; puer adhoc in formam angeli effictus per meatus complures aquas eiaculabatur gelidissimas in omnem partem. In secunda aula abacus surgebat aræ ad instar poculis aureis, argenteis, quoque nihil supra potest gemmatis mire radians. cui abaco oppositus erat alter quoque duodecim graduum, tanta copia craterum, phialarum, paterarum, scyphorum, cyathorum, cantharorum, & id genus aliorum vasculorum, mensalisque instrumenti oneratus, vt miraculo omnibus & stupori tantæ diuitiæ fuerint. Tertia aula erat excipiendis primæ notæ proceribus & legatis Regum populorumque. omnes autem etiam à solo tapetis subtilissimis & maximi pretij sternebantur. Postridie, hoc est ipso Pentecostes, Leonora Princeps induta tunica interiore & pallio, quæ etsi erant ex textili auro, vilescebant tamen præ gemmis, lapidibusque, & vnionibus ac margaritis, quæ tam varios tamque crebros fulgores & radios iaciebant, vt aciem omnibus oculorum perstringerent; eques processit magna deducente eam Cardinalium, procerumque, & nobilitatis vtriusque sexus pompa ad Diui Petri basilicam, vbi sacro quod ipse Pont. Maximus celebrauit peracto; cum de more prouoluta pedes Pontificios osculari vellet, nequaquam id passus Pontifex dextram illi obtulit. Cum vero sumpto prandio in deuersorium suum reuersa esset; exhibuerunt illi Florentini ludos scenicos, quorum argumentum esset ex sacris voluminibus & Susannæ historiam oculis subijceret. Die Lunæ sequente Cardinalis S. Sixti solenne sponsæ conuiuium instruxit, in quo nullus omnino vsus fuit copiosi illius instrumenti mensalis, quod in duobus abacis expositum fuisse ante diximus; sed neque vllum aut poculum aut vas patinaue secundo illata sunt, & aulæ Præfectus ad singulos missus non tantum mutabat vestem luxu incredibili diffluentem, sed gemmatos torques quoque, cæteraque ornamenta, aut onera verius. Musicæ quoque ratio per singulorum ferculorum mutationem variabatur. Ministri etiam omnes qui à maximo ad minimum pretiosissimo habitu altrinsecus mensæ adsistebant, canistris argẽteis auratis singula apponebant. quæ quidem canistra respondebant coloribus & indutui dapiferorum. nullum ibi pocu-*

*poculum cuiquam appositum est nisi ex auro obryzo. singuli etiam missus & conuiuij interualla interpolabantur ludis & spectaculis scenicis, in quîs saltata Atalanta, Hippomenes, Perseus cum Andromedam liberaret, similesq; aliæ personæ; vt quæq; præsenti hilaritati conuenientißima & appositißima iudicata est. Sublatis mensis primis statuæ ingentes simulacraque illata sunt ex saccaro alijsque, viuis quam maxime potuit aßimilata. In quibus ordinem duxit Hercules vertice cœlum ferens, quem cætera nudum sequebantur argumenta ærumnarum quas exantlasset, Leo, Aper, taurus; quatuor editæ turres: quæ omnia collisa grandinis instar conciderunt. Sequebatur Draco immensæ magnitudinis in specu quodam montano, & decem naues plenis velis tamquam currentes oneratæ glandibus ex saccaro, domum Roueriam seu potius Roboream designantes. est enim Robur siue Robor quam Itali Rouere mutato leuiter nomine dicunt glandifera arbor. Hinc trahebatur à duobus oloribus currus triumphalis Veneris, sustinens inter alia vas ex cornu Monocerotis plenum scitamentis quibusdam ita compositis, vt ceræ instar quamuis formam & speciem recipientia, varias amatorias & lasciuiusculas historias redderent. Posthæc inferebatur fabula de Hercule & Hesperidũ hortis, earumq; arboribus, malis, & custode. Omnia tamen hæc superabat miraculum montis automatarij operis, qui ingressus cœnationem cum medius discessisset, effudit siluatici generis hominem, qui cum aliquot carmina pronuntiasset in cõmendationem domus Aragonicæ & Estensis, simul cum monte in quem se denuo receperat nescio quomodo subito disparuit, & se oculis stupentium subduxit. Secundis autem mensis etiam sublatis, Heroes octo cum totidem heroinis siue Nymphis hoc ordine ingreßi sunt; Primus ibat Hercules cum sua Deianira, quam, metuens sibi à Nesso fortaßè, manu ducebat: Secundus erat Iason cum Medea; Tertius cum Phedra Theseus: & deinceps vt quisque celeberrimi & Poëtarum carminibus decantatißimi nominis est, cum ea, quam in vita charißimam fertur habuisse. q cum ad musicorum instrumentorum modos saltassent; superuenerunt octo Centauri scutis leuioribus & clauis armati, qui cum semideis illis quos diximus amatas suas eripere vellent, insecuta est acris pugna, in qua ita victores fuere Heroës, vt appareret ad victoriã eam maximum momentum attulisse vnicum Herculem. quod ita tum simulatum est ad commendationem & gloriam Herculis Ferrariensis Ducis sponsi; ad cuius laudem & virtutem alludebant tendebantque etiã omnia præcedentia sequentiaq; spectacula à Cardinale exhibita; neq; paruam etiam significationem dabant intimæ cuiusdam confœderationis, affinitatis, & amicitiæ paßim fixa cõiunctim Pontificia, Re-*

*gia Neapolitana, & Ferrariensia insignia. Biduo sequenti etiam quo sponsa Romæ substitit varia spectacula ludiq; omne genus & simulachra bellica edita sunt. Dieq; tertio celeberrima pompa comitata decessit, perq; Ethruriam, in qua passim exquisitissimis honoribus & festis ac triumphalibus apparatibus excepta est, Ferrariam ad sponsum cõtendit, quo peruenit tertia Iulij: Nuptijs autem his interfuerunt omnium Italiæ Principum splendidissimæ legationes; præfatusq; est verba solennia Bartholomæus Rouerella Cardinalis Rauennæ, cui suffragabatur germanus frater Laurentius Episcopus Ferrariensis. Concionem autem nuptialem habuit longe elegantissimam & appositissimã Hieronymus Castellanus. Reliqua auocamenta animi & spectacula ludiq; fuerunt his edita equestria hastiludia, prœlijq; iusti pedestris simulachrum. quæ tanto auidius maioreque voluptate omnes omnium ordinum, sexus, ætatis homines spectarunt, quanto insolentiora & minus adhuc illis regionibus vsitata acciderunt.*

## DE NVPTIIS MATTHIAE REGIS HVNgariæ cum Beatrice regina Neapolitana. XIIII.

*NE belli quidem solicitudo nuptiarum curam intercepit. Dominicum enim, clarissimum basilicæ Albensis antistitem, virum ingenti probitate, & faustissimo aspectu, nec parua etiam eloquentia præditum, ad Cæsarem cæterosq; Germaniæ principes oratorem mittit, qui eos suo nomine ad nuptiarum celebrationẽ inuitet. Missi quoque aliorsum alij. Dum ingentem igitur molitur apparatum, à Joanne Varadiensi antistite, cæterisq; legatis, qui ducendæ Beatricis Reginæ gratia Neapolim in Italia concesserant, edocetur: ipsos cum faustissima sponsa, iam Neapoli mouisse, honestissimum Italorum procerum equitatum cum ea venire: illorum principem & parentis & moderatoris loco spõsæ datum, Adriæ Ducem: esse virum maxima grauitate, ac sanctitate præstantem, ad Sypontum tres longas naues conscendisse, Adriaticum se sinum lustraturos, inuisuros Ferrariam, Herculis illustriss. Ducis & Leonoræ sororis gratia: neq; Venetam vrbem opibus & ciuium grauitate citra inuidiam omnibus iure terrarum ciuitatibus anteferendam, tacitè prætérituros. Mox per Forum Iulium, Istriam & Carnos, in Pannonias descensuros. Hæc nuptiarum expectatio, non parum ab intento belli studio Regis animum remisisse fertur: deferbuere conatus, & affectatæ vxoris desiderio generosi impetus retepuere. incendebat viriles animos, atq; admodum molliebat, constantissima, frequensq; Beatricis fama, quam singulari forma, venustate faustissima, incomparabili pudicitia,*

*titia, nobilitate rara, item extemporalitate orationis, & expeditißima pronunciatione præstantem, ex omnium ore perceperat. Accedebat virtutum muliebrium copia, etiam suprà quam sexus ille pateretur: quibus accensis, in amorem se coniecerat. Ducendæ huius Beatricis gratia rex proceres decem miserat, qui singulari pompa & apparatu per Italiam iter facerent. Ex his nemo fuit, qui in vrbe quaque nobilißima multiplices abacorum gradus non explicuerit, gemmatis poculis, & aureis argenteisque vasis oneratos. Varadiensis antistes legationis Princeps, qui apud regem præ magnificentia, fide, eloquentia, consilio & ingenij dexteritate inter primos semper habitus: & ab Vrbinate Duce honorificentissimo exceptus hospitio, in mensa salinum exposuit, quod principem etiam ditißimum in admirationem adduxit. Id monti erat impositum, à latere arbor creuerat salino præeminens, quæ pomorum loco gemmis optimisque lapillis onusta, præ vmbra conspicuo nitore micabat. in montem latebræ affrabrè factæ, quæ gemmarias apothecas referebant. Item aureum prochyton, cui emissoriæ loco fistulæ draco præstabat anhelans: è conchilijs huic corpus erat, prominebatque arduo capite: ad pedes, in spiras aureas caudam reuocabat. gemmata insuper ansa, tegmentum oris in fastigiatæ testudinis morem sesquipedale consurgebat: cætera ex auro omnia, Supra editißimam basim tripedalis moles excreuerat. Alij quoque collegæ certatim suas opes ostentarunt. Omitto superbißimos habitus, excultam iuuentutem, & honestißimum equitatum: quæ omnia nostri temporis spectacula superarunt. Ii eundo redeundoque non modo Neapoli, vt par erat, honorificentißime excepti: sed Matthiæ gratia, Christianæ Reipublicæ Vindicis, vbique pro dignitate tractati sunt. verum in his Veneti, Ferrarienses que præstitere. quippe qui quanto plus opibus antecellunt, tanto magnificentius Vngariæ Reginam excepere. Cum huic in occursum Senatus Venetus cum vniuerso Patriciorum ordine obnauigasset, eam congratulantibus patribus, ingenuisque matronis vsque adeo cunctis appositè ac eleganter respondisse, & in Senatu tam grauiter & ornate orasse memorant, vt supra sexum sapere prædicarent. hæc ante eius aduentum, cum legati Matthiæ significassent, magis ac magis indies exoptatißimæ sponsæ ardore flagrabat, animumq́; non parum à bellorum curis abalienabat.*

*Iamque cum vniuersa Principum & nobilium multitudine ad Albam Regalem venerat, vt ibi primum Reginam exciperet, & (vt par erat) antequam coniugium patraretur, eam ritè coronaret: Budæ nuptiarum celebritas & consummatio fieret. Ex composito facta omnia. Cum ad octauum lapidem, vxorem appropinquasse nouit: cum singulari pompa & honorificentißimo procerum equitatu, confestim occurrit.*

*Excepit hilaris pro vtriusq; dignitate virginē. et ad primū vsq; lapidem strata rubro panno via, Beatricem in vrbem admisit. quod cum tanto populorum plausu, & tympanorum tubarumque sonitu factum est, vt aliquod supra humanas vires celebratissimæ festiuitatis spectaculum fuisse creditum sit. Addebat plurimum lætitiæ Pannonicæ, faustissimus & perquam hilaris Beatricis aspectus. cui speciosa frons, elata supercilia, saginata tempora, item erubescentes vtrinque malæ, cum oculorum hilaritate, nasi modestia, ac oris venustate, tantum raræ gratiæ comparabat, vt forma habituque Venerem, Dianam pudicitia, & sapientia eloquentiaque Palladem ex omni parte referret. Transacta coronatione, Budam Idib. Decemb. anno salutis septuagesimo sexto supra millesimum & quadringentesimum à rege ducitur: qui virginis pulchritudine, ac ingenij dexteritate vsque adeo cœpit æstuare, vt nihil anhelantius appetere videretur. Ibi nuptiæ dies aliquot celebratæ, datum sæpius epulum, editaque varia spectaculorum genera: assiduò tamen equestre certamen, & multa sparsa missilia: contra vero innumera à singulis oppidis & ciuitatibus, item optimatibus ac regulis, Matthiæ, Beatricique oblata munera. Quinetiam à cæteris Christianæ Reip. potentatib. preciosa sunt missa dona, quibus regale ærarium completum fuisse dicunt. Publicæ hilaritatis gratia, noxij omnes in carcere deprehensi, soluti sunt. crimina impunitate donata, vadimonia à prætore dilata, relaxata ad tempus debita: et ne creditores vllo modo sæuirent, menses aliquot leges promulgatæ.*

## DE NVPTIIS LVDOVICI FILII REGIS HVNGAriæ & Boëmiæ Vladislai, cum nepte Maximiliani Imp. X V.

*ANno Domini M.D.XV. Viennæ Austriæ trium regum Maximiliani videlicet Cæsaris, & Vladislai Boëmiæ & Vngariæ, ac Sigismundi Poloniæ, regum, multorumq; principum, comitum, baronum, diuersorumq; nobilium, ob prædictorum regum concordiam & Cæsareæ neptis desponsationem celebrandam, celeberrima & magnifica conuentio fuit. Venit autem Cæsar cum electissimo comitatu, cum multis equis cataphractis ac splnedidiss. militibus. Nec minore apparatu Vngariæ rex intrauit. Porro Sigismundus Poloniæ rex in comitatu suo habebat plus mille quingentos equites, q partim more Vngarorum quos Husserones appellant, partim habitu Germanico ornati erant. Sed erāt pter Polonos Ruteni, Pruteni, Moschi, Thurci captiui, et Tartari, in suo eqtatu cū multis tibicinib. Ex principib. aūt et comitib. inter alios venerūt, Guilhel-*

*Guilhelmus dux Bauariæ. Et hic quidem intrauit vrbem totus æreus cum equitibus suis, suo peculiari colore vestitus, qui canem in brachio pro insigni ferebant. Hunc sequebatur Casimirus Marchio Brandenburgensis, in equo cataphractato, veste aurea & rubea, cum electißima militia, quæ vestibus rubeis fulgebat. Penes eum erat & nobilitas Ostrofranciæ insignis. Subsequebantur deinde Comites, suo quisque colore vestitus, sed cataphractatis equis, Comites videlicet de Montfort, de Schaumberg, de Mansfelt, Comes de Vesterburg, Comes Ioannes de Hardeck, qui mirum in modum margaritis & gemmis resplendebat, cuius & equus gemmis & vnionibus coopertus erat, & superbißime incedebat; item Comes Zepusiensis Georgius dictus, cum multis alijs, quos cum nobilitatib. Austriæ & cæterarum prouinciarum breuitatis intuitu prætermitto. Interfuerunt nihilominus et huic glorioso conuentui prælati spirituales et quidem excellentißimi; Thomas videlicet Cardinalis et legatus à latere; N. cardinalis Strigoniensis; Matthæus Lang natione Augustensis, cardinalis autem Gurzensis, ac Saltzburgensis ecclesiæ administrator. Quib. omnib. sic conuenientib. et varia tractantib. tandem post aliquot dies Cæsar Maximilianus inter prædictos Reges pacem & concordiam redintegrauit, (ob certas enim causas antea mutuo discordauerant) cum ingenti omnium lætitia. & hoc factum est XIX. Iulij die. Deinde in festo Mariæ Magdalenæ, Cæsar neptem suam Mariam desponsauit deditque coniugem Ludouico, supra narrati Vladislai Vngariæ & Bohemiæ Regis filio. Hinc secuta sunt torneamenta & hastiludia mira, equorum velocium pro brauio cursus, choreæ quoque per aliquot dies venustißimæ, & aliæ iocunditates variæ & mirabiles. Et, vt Cuspinianus ad Iacobum Villingerum, Cæsareæ Maiestatis thesaurarium, scripsit; inter alios cantores & Citharœdos Thurcus quidam ibi erat cum tibia, qui inauditam harmoniam & cunctorum auribus inacceptam edebat, cum puero tympanum ambab. violenter percutiente manibus. Quibus omnibus sic magnificè & hilariter peractis, cum gaudio remearunt ad propria.*

## DE NVPTIIS IOANNIS FRIDERICI FILII DVCIS Saxoniæ Ioannis VII. viri Electoris, cum Sibylla filia ducis Iuliacensis &c. XVI.

A*nno* CIↃ. IↃ. XXVI. *Dux Saxoniæ Joannes Fridericus filius Ducis Ioannis septemuiri Electoris nuptias celebrauit cum Sibylla filia Ioannis Ducis Iuliacensis, Cliuensis, Geldrensis, & Montensis, Torgæ; quo cum ventura putaretur sponsa per Brunonis*

 *vicum*

*vicum & Magdeburgum, mutata itineris ratione die Lunæ post Dominicam Jubilate Creutzburgum ingressa est. Cumque postridie Gothæ pernoctasset, die Mercurij Erphordiam venit, vbi eam nomine Electoris honore summo exceperunt Comes Schvuartzburgicus Guntherus, & quatuor Comites à Gleichen. die Saturni VVinmariam petierunt, ibique die Dominico subsistentes, Lunæ Jenam, Martis opidum Zeitz, Mercurij Aldenburgum, Jouis Grimam, Veneris Eilenburgum diuerterunt. Porro inter Grimam & Eilenburgum solenniter excepta est sponsa per VVolfgangum Principem Anhaltinum, Albertum Comitem Mansoueldicum, & Vuolfgangum Comitem à Barbey. quos septemuir Elector ad hoc allegarat cum ducentis equitib. verba aũt fecit Comes Albertus. Pridie dominicæ Exaudi Torgã appulit nauigio Dux Saxoniæ Georgius cum filiis duob. Duce Ioanne & Duce Friderico. præterea Dux Saxoniæ Henricus, Philippus Lantgrauius Hassiæ, Vuolfgangus Comes Palatinus Rheni, dux Bauariæ; Vdalricus dux Vvirtenbergicus, dux Megaloburgensis; Henricus cum filijs duobus; Ernestus Dux Brunsuicensis & Luneburgensis, alijque.*

*Dominica Exaudi sponsa tertio honorifice accepta appellataq; est à Duce Georgio, quatuorq; auratis curribus Torgam deducta, vbi nuptiæ apparatu regio instructæ erant; & spectacula ludiq; equestres toto octiduo frequentissima splẽdidissimaq; edita sunt. nominatim Martis die exhibita sunt hastiludia more maiorum, in quibus decurrerunt Comites octo, quorum duo fuerunt Comes Gebhardus & Comes Albertus Mansfeldici. optime autem rem gerere visi sunt atq; hoc nomine non indonati abierunt, Henricus Dux Megaloburgensis, Vuolfgangus Vueisbachius, Aschius à Kramme, Guntherus Bunouius, Princeps Anhaltinus Vuolfgangus, & Dominus Laurentius Schlickius.*

*Singulari etiam concursione commissi sunt eo die ipse septemuir Elector cum Gunthero Comite Schvuartzburgico; Dux Vlricus VVirtenbergicus cum Philippo Comite Vualdeccio; & Ernestus Dux Luneburgensis cum Ludolpho Klenckio.*

*Mercurij die concurrerunt quarto inter se memorabili spectaculo Franciscus Dux Luneburgensis & Iustus Comes Mansfeldicus, primaq; coitione vterque ex equo deturbatus ad terram defluxit, secunda Comes Iustus solus, tertia Dux solus, quarta neuter.*

*Hinc quoque ludi equestres editi sunt, & mox sociales qui vocantur concursus, in quibus primas tulit Georgius Reckerodius.*

*Die Jouis venationes ceruorum exhibitæ sunt; indeque rursum commissa aliquot paria hastis concurrerunt.*

*Die veneris Gebhardus Comes Mansoueldicus concurrit cum Erasmo*

*rasmo Spiegelio pari fortuna; vterq; enim magna dexteritate rem gessit, hastamq; iactauit & fregit: nec se de sella equestri demoueri passus est.*

*Ipso Pentecostes Philippus Dux Brunsuicensis concurrit cum Vuolfgango Principe Anhaltino; discesseruntq; & hi pares non paruo virtutis suæ specimine præbito.*

*Sponsus Ioãnes Fridericus, Comes Berchtoldus Hennenbergicus & Aschius à Cramme terna decursione omnes terram corpore dimensi sunt.*

## DE TRAIECTV PHILIPPI PRINCIPIS TVM Hispaniarum &c. in Angliam ad celebrandas nuptias cum Maria Angliæ Regina.

## XVII.

*CVm non ignoraret Imperator quanti sua interesset ad quoduis rei magnæ momentum, habere amicam & confœderatam Angliam, vt eam insuper pignore aliquo obstrictam quoque teneret, affinitate sibi eam iungendam putauit, conciliatione nuptiarum inter Philippum Principem Hispaniarum filium suum, & Mariam Reginam hæredem eius insulæ, omnium quot sunt maximæ. atq; hac in re tam bonam & tam assiduam operam posuit Egmondanus regulus vt confecta iam re reliquum solum esset leges describere in quas pactas conuentasq; matrimonium tam celebre coiret: missa est igitur à Cæsare legatio altera etiam Londinum, cuius caput erat Magister supplicum libellorum Nigri, comitatus cõplurib. vtriusq; militiæ procerib. ad quam honorificè excipiendam occurrerunt Principes Anglici frequentes: ipsiq; inprimis quorum tũ consilijs res Anglica nitebatur. inter quos haud postremus fuit Cortenæus ab alba rosa, diuturno ante ergastulo maceratus. salute hinc inde data et accepta, post quietem aliquot dierum, Senatus legatis* III. *Ianuarii datus est, in quo præsidens Regina ornatu regali gemmisque & margaritis ita fulgens, vt pretium earum centum milia aureorum superare æstimaretur, aulicis quoque vtriusque sexus diuitiarum ostentatione varie luxuriantib. legatos benignissime excepit, dicentesque beneuolentia singulari audiuit. Fecit autem verba primo Egmondanus, Princeps legationis, qui etiam literas Imperiales Reginæ de manu in manum tradidit: mox magister libellorum Nigri, qui cætera mandata executus est. Respõdit vtriq; regina ea prudentia, vt in omniũ animis maximam sui admirationem excitarit. Legatis inde assidue adhæserunt honoris caussa iussi à latere ipsorum non decedere ex Ducibus & Marchionibus singuli, comitiuæ autem dignitate illustres tres. Ianuarii* V. *consilium regium & primi procerum Britannicorum conuenerunt in deuersoriũ Egmõdani, vbi alii quoq; legati aderant; ibiq; de cõdi-*

*tionibus vnanimiter transactum est, dotaliaque pacta inita sunt, quæ nos breuitatis studio hic non attingimus, contenti ea persequi breuiter, quæ sunt propriè huius loci. Rebus ita se habentibus, festo, quod Regalia dicimus, Regina processit ad templum quã maximè magnifico apparatu: ipsa induta erat tunica ex serico rubro segmentato, auro vndique picta; cyclas autem erat ex argento textili. capite gestabat calanthicam holosericam more gentili, crebris quidem gemmis, vnionibusq́, & margaritis insignem, sed inter cæteras vt tamen cõspiceretur & extaret adamas lapis acuminatus, qui solus æstimabatur septuaginta milliũ aureorum. collo fulgurabat monile ex baccis & vnionibus stupendæ magnitudinis. breuiter armillæ, cingula, anuli, cæteraq́ tantum splendoris iaciebant, vt radijs solaribus vestita ornataque videri posset. syrma autem à tergo Comes quædam Anglica colligebat, gestabatque, vestita tunica ex auro textili operis Phryxiani. Ita exculta exornataq́ Regina ad oblationem ibat comitata nouem sodalibus supremi ordinis Garterij, siue periscelidis, aut fasciæ crurulis; cui litteris aureis inscriptum* Honny soit qui mal y pense. *quorum verborum ea sententia est, vt illis auctor ordinis imprecetur omne genus opprobrii & dedecoris, qui malitiosas suspiciones apud se fouent. sequebatur etiam ingens turba procerum, comitum, baronum, nobilitatis denique vtriusque sexus, quæ omnis etiam auro & argento splendebat, Attalicis, Babylonicis, Phrygianis artibus variè excomta. Eo die Regina conuiuiũ instruxit legatis Cæsareis, suæque eos mensæ adhibuit multis cum cerimoniis, more Anglico. Ac primo quidem cum aqua manibus danda esset, progreßi sunt accensi quatuor ferentes singulos baculos argenteos auratosque & à summo coronatos cum symbolo reginæ, quod est,* VERITAS TEMPORIS FILIA. *quo alludit ad emblema in quo veritatem tempus ex specu subterraneo in lucem extrahit; accensos sequebantur duo sodales summi ordinis, atque hos rursum Comes quidam ferens guttum & peluim; hi tres ter honore exhibito, ita vt tertio simul omnes ingenua procubuerint, aquam præbuerunt, deinde cùm eadem pompa discesserunt. quæ etiam iterata est per singulos missus. nisi quod tum illorum summi ordinis equitum loco præcedebat Dapiferorum decurio, qui se ante mensam ingenua submittebat, donec dapiferi omnes exonerati essent, ipsis quoque iuxta illum genibus solum terentibus, vt onus cuique ademptum erat. Aulicus comitatus legatorum diuisus erat pro dignitate quisque inter proceres & nobilitatem Anglicam, sicque cibum capiebat. Ad medium regiæ mensæ regina accumbebat sub vmbella pretiosißima; habebatque dextra interuallo pedum duorum legatos imperiales numero quinque; sinistra ima mensæ parte sedebat comes, quæ extremam eius vestem à solo col-*

*lo collectam gestarat, & dux Suffortensis, formæ olim bonitate inter primas regni commendata. præter hanc mensam erant triginta aliæ positæ, quæ oẽs regifico luxu instructæ erant. Toto autem conuiuij tempore Musici & Symphoniaci omne genus aures oblectabant; rexq́ armorum vestitus solenni habitu p̃euntib. quatuor Fecialib. præfatus titulos reginæ, festum diẽ indixit &* Feliciter *acclamauit Latina, Gallica, & Anglica lingua. Mensis remotis dictisq́ gratijs regi regum Deo per Magistrũ libellorum regni siue Cancellarium, Episcopum Vincestriæ, choreæ institutæ sunt; indeq́ exhibita spectacula. commissiq́ sunt cum magnis canib. Anglicis generis Molossici vrsi inprimis, inde tauri, mox asini & equi, simias tergo vehentes, vbi non tam istorum feritas voluptati fuit, q̃ turpissimarum bestiarum ꝓpter metum ridiculi gestus. Martis die sequenti iterum legati regali epulo excipiuntur in secessu quodam regio duodecimo ab vrbe Londino, quæ caput regni est, lapide. cui secessui Amthoncourtij nomen est. vbi etiam venatione sese oblectarunt. in reliquis tamen legatis eminebat auctoritas & gratia Lamorallij Egmondani, quem tanti faciebant Angli, quanti non temere quemquam alium gentis dumtaxat non suæ. Interea, cum diu varijs de caussis facere hoc distulisset, exortis modo in Anglia seditionibus, modo mari nimis à piratis infesto, tandem traycere in Angliam Philippus Hispaniarum Princ. ad speratam, pactam, sponsamque suam decreuit; armatisq́ complurib. nauibus quib. præter alios imposuit decem & septem signa Hispanici generis militum, capita numero ad quatuor milia; vela ventis dedit, æstuq́ et flatu secundo vectus Amthonnæ portum versus cursum direxit, vbi regni Anglicani Admirallus, siue rei maritimæ præfectus, & Hispanicus quidam Princeps Marchio Naualis (qui ante mensem sollicitandi huius matrimonij gratia ex Hispanijs in eas oras aduenerat) eum exspectabant cum vniuersa classe Anglicana. Quæ cognito aduentu eius statim in occursum properauit iussu Præfecti sui; dataque salute crebris & horrendis tormentorum explosionibus ac gratulatione sæpe iterata, conuerso celeriter cursu in portum Amthonnensem propere rediit, nuntia aduentus principis. quo cognito Marchio Naualis conscendit nauem cum alijs aliquot proceribus Anglicanis, destinatis à Regina ministerio noui Regis, inter quos præcipui erant Princeps Horeus, Dynasta Maleander, filius natu maximus Comitis Arondelij, Dynasta Talebotius, filius Comitis Salesbrij; filius natu maximus Comitis Solambrensis, & alij eiusdem conditionis ac dignitatis, prætoriam petierunt, qua Philippus vehebatur. in eaque Marchio hos Anglicanos proceres Principi obtulit, vt ministerio ipsius admouẽdos, quos beneuole ille admodum accepit. Parte alia Principes concilij Anglicani & in ijs Comites Arondelius,*

*Herby-*

*Herbyius, Salesbrius, & Plambonensis, multiq; alij cum conscendissent nauem ad hoc ipsum præparatam, ipsi quoq;, qua Philippus ad terram appelleret potissimum, cui rei etiam regio apparatu instructa erat, ad principalē deueniunt, eaq; inscensa & Principe venerato, Comes Arondelius librum ei obtulit continentem leges, statuta, consuetudines, & constitutiones regni Anglicani, quæ omnia Philippus conceptis verbis iurauit per se sarta tectaq; fore. Accidit autem hoc die Veneris qui fuit vigesimus Iulij anno ab orbe redempto* CIↃ.IↃ.LIV. *Hinc idem Arondelius obtulit eidem Principi cæruleam crurulem fasciam, quæ statim per armorum regem suo loco ei adaptata, & cincta est, veluti symbolum supremi & regij ordinis Anglicani. His rite peractis Princeps nauem mutauit, egressus in eam qua Arondelius comitesq; eius aduenerant, prosequentibus eum iјsdem & præter eos Duce Albano, Duce Metymnæo cœli, præfecto maris regni Castellæ, & Dynasta Rigommeo, qui à teneris moderator Philippi & morum actionumq; censor, tunc quoq; auctoritate plurimum apud eum valebat. In exscensione magnus stabuli magister nomine Antonius Brunius equum paratum tenebat tolutim gradientem regie phaleratum, & stratum ita sumptuosè, & magnificè splendideq;, vt nihil supra posset. Hic, videns Principem terram Anglicanā tenere, genu posito & sermone ad eum conuerso, Latinam orationem exorsus est, qua succincte exponebat se ad hanc dignitatem beneficio ipsius peruenisse iam ante, vt vnus ex administris tanti Principis magnus eius stabuli magister vocaretur; cuius officij ratione etsi iam sacramentum dixisset in manibus ipsius legatorum, optare se tamen, & quam submississime rogare, vti coram dignetur principali voce & beniuolētia deuotissimum obsequium suum comprobare & confirmare: Quod Princeps facilitate magna confestim fecit, à solo eū erigens. Quare idem Brunius osculatis stapedib. in equum Principem imposuit; rectaq; is ad templum Amthonnense contendit salutaturus superos; præcedebant autem capite aperto tam Anglici quam Hispanici generis proceres pedites; Hispani quidem, Dux Albanus, Dux Metymnæ cœli, Marchio Piscariæ, Marchio Seuillæ, Marchio Velæ, Marchio Naualis, Præfectus Villesenonensis (qui duo mense ante ex Hispanijs in Angliam aduenerant) Com. Sererius, Com. Medinæ, Com. Eluiaræ, Com. Chaillionensis, magnus Cōmendator Iacobus Mēdocius, filius Marchionis Houetij, Cæsar Gonzagua, filius natu maximus Ferdinandi Gonzaguæ, Dynasta Rigōmeus moderator consiliorum Principis. Ex Belgica aūt aduenerant vna Marchio Montensis, Comes Egmondanus, qui matrimonij huius conciliator erat: Comes Hornensis, Dynasta Martignyus, pluresq; alij, cum infinita nobilitate. In via autem occurrit ei præfectus stipatorum Anglicano-*

*glicanorum corporis eius custodiam habiturorum, qui principi oblatus est cum centum stipatoribus à Regina ad viri præsidium delectis & symbolis coloribusque Regijs distinctis. Exhibiti etiam sunt reliqui in ministerio ipsius aulico & familiari futuri, quos omnes Philippus benigne admisit & appellauit. Ex templo ductus est in palatium ad hoc præparatum, vbi quo apparatu exceptus sit, coniecturam facere licet ex ijs quæ de legatis ipsius paullo ante retulimus. neq; enim non verisimile est exquisitißimo luxu tractatum dominum, cuius ministri ita habiti essent, vt ad regiam magnificentiam nihil accedere posse videretur. His ita gestis edictum est publico præconio proposito capitis periculo vti Hispani oẽs naues conscenderent, in eisq; pernoctarent. Congregatis tum in palatio Principis principib. Anglicanis longa oratione ostensum est Philippum non reliquisse paterna auitaq; regna & in Angliam traiecisse ditionum suarum augendarum studio, (cui quidem Dei beneficio & virtute maiorum tot talesq; essent principatus, quot qualesq; haud scio an essent vlli alij; sed quod appellatus & vocatus tantum non ab ipso Deo opt. max. ad coniugium reginæ ipsorum, voluntati cælestis numinis deesse noluisset. traiecisse igitur in insulam Britanniam, vt cum eadem regina ipsisq; vitam transigat, non vt Princeps Hispanus, et externus, sed perinde ac si in Anglia natus, in Anglia ad eum diem fuisset educatus: iubens ideo oẽs & singulos optimam de se spem concipere, ac nihil non exspectare humanitatis ac beniuolentiæ, quamdiu, vt facturos se recipiebant, bonorum subditorum fidem implerent. inter hæc cum tempus cœnæ aduenisset, cœnauit Philippus, vt vno verbo te absoluam, plane regiè & triumphali apparatu. Qua cœna absoluta in vicinam triclinio aulam secesßit, vbi frequens Anglica nobilitas conuenerat, cum qua sermones admodum familiariter miscens, valde popularẽ se præbuit; inprimisq; erga rei maritimæ præfectum, cui inter cætera tum dixit; venisse quidem se celebratum nuptias, sed non ita magnifice excultum, vt tanta regina dignum erat. nisi quod ipsa hunc errorem correxisset, offerendo ei dono equum, cuius stratum gemmis lapidibusq; rarißimis ita coruscaret, vt non difficulter hinc suppleri quod in vestitu deesset posset. Allata sunt tandem tragemata; quæque solent alia Principibus in somnos concessuris; adhibitis varijs & suauißimis potionum generibus, cum Philippus Princeps ad suos conuersus Hispanos, ex hoc, inquit, tempore obliuisci nos conuenit mores Hispanicos, & Anglicos discere, in quo ipso etiam vobis exemplo præire non recuso, quæ cum dixisset, cereuisiam poposcit, quodque visum est bibit.*

## DE NVPTIIS EIVSDEM PHILIPPI HISPANIARVM Regis cum Isabella filia Henrici Regis Galliarum.

## XIIX.

*PAce constituta Philippus Hispaniarum Rex Albanum Ducem stipatum pompa delectæ nobilitatis in Galliam amandauerat, tum vt fidem publicam pactis adderet, tum vt cum illa legitima procuratione, ac honorifica legatione, desponsam sibi non multo ante in matrimonium Isabellam haberet vxorem. Profectus eodem Allobrox, Philippi exnepos, Margaritam sororem regiam, ex conuentis eius coniugem pactam iure petebat. Hi omnes cum maximo honore, tum opum ostentatione, ac luxus Gallicani iactatione ad vrbem Parrhisiorũ ab rege, Curialib. & Galliæ Satrapis excipiebantur, Nec multo post cõparatis, instructisq; theatris, scenis, spectaculis, ludis, pegmatis, & alijs quæ ad imaginarium triumphum (ne dicam feralia) attinebant, Isabella, latus vtrumq; claudentibus patre rege & Allobroge, ad D. Mariæ, quod Parrhisiorum templorum est summarium, deducitur. Præibat in pompa inter faces, tibiasq; nuptiales (vti mos est) paranymphus Albanus, comitatus matre sponsæ, Regina nimirum Franciæ, ac Margarita Allobrogi nuptura. Præcedentem sponsam proxime sequebatur Scotiæ Regina, Delphinati exacto semestri nupta, cum duab. puellis, ac sororculis sponsæ, loco ministeriorum, subducentes nimirum è solo, quamlibet strato pannis laneis tonsilib. diffluentis patagij extremas lacinias, ne humi delapsæ, tamquam in humum demersæ, virginis tenellæ gressus impedirent, quæ stolarum laciniæ fusissime prominent, in similitudinem caudæ ac pinnarum quas natura pauoni ad ornatum dedit. Has Gallicæ pleræque omnes feminæ maxime vero Palatinæ nescio qua profusione, prodigalitate, aut luxu, per lutum ac cœnum raptant. matronæ aũt, et moderatiores mulieres replicatas vnco, cingulo, cestuue comprimunt ac subleuant, aut subter axillas conuolutas, lacertis constringunt, ne turpiter fluant. Sed ad rem. Aliquo deinceps interuallo, Delphinas, rex item Scotiæ, cum trib. fratrib. succedebant. quorum omnium vestigijs nobilitas vniuersa, curia, Senatores, eqtes, et pœne infinita hominum cuiusuis ordinis multitudo, q̃ spectatum venerat, instabat. Subinde vero Pont. Vrbanus, sacro instituto (qđ vulgo est missa) ad spõsam Isabellã cõuersus, sacra prius verba p̃fatus, indissolubili vinculo eã vxorẽ (vti cũ à natura, tũ à Deo ipso hominib. id est tributũ) Philippo marito mane cõiunxit. quo ex coniugio precabatur, sicuti gestuum verborumq; erant ante cõtractæ, sic deinceps orirentur amicitiæ rerum atq; cognationum. cætera regius procurator, ac paranymphus nuptiali in cõuiuio, vesperi, recepto more, officiose perficiebat,*

*ficiebat, ac sponsum nomine facieq́; tenus p̃stabat. Postridie vero, ac statim à nuptijs imaginarijs, opipare tamen, lautè, splendideq́; factis, ad singularia certamina, & decursiones equestreis multo ante institutas, Rex Gallorum se vertit. à serijs ad ludicra, in familiæ luctum atq; in Franciæ funus adornata. Hastiludia erant illa in primis solennia (vti panathenæa altera) fatalia profecto, quibus erecto animo Rex vna cum Guisano, Ferrario affine, atq; Nemurte (quos ab vniuerso equestris ordinis sodalitio, & spectata virtute, & bellica gloria honoratos delegerat) manifesta horum ludorum promulgatione, confidenter omneis hastas Europæ (tanquam alter Achilles) prouocauerat. Contenderat vero primo atq; item secundo decursionum illarum die, Martis iste pullus cum athletis cataphractis, strenuè, acriter ac fortiter. Cum autem hastas gloriosa lacertorum iactatione & brachio connitente iactasset, vi torsisset, vibrassetq́;, itaq; in concursu illo vno atq; item altero, dum labori non parceret, sibi ipsi molestus atq; iniurius, ex laßitudine, violento motu, atque agitatione corporis (vti accidere necesse fuit) artus quodãmodo dormire tertia hastiludiorũ die, sensit. quod vbi coniunx regia præ cæteris animaduertit, precibus instabat, atq; blandißime obsecrabat, vt eo die maritus decursione desisteret. inquiebat enimuero, honori suo cum nudiuster tius tum pridie eum, laudatißimis duab. decursionibus, quibus tot & tales viros, equitesq́; defatigasset Rex, ac vicisset, fecisse satis. id quod eius vxor tunc quidem enixius orabat, quod non ferunt, sed asseuerant multi, in somnis eadem nocte visam fuisse sibi eum vulnere confossum & exanimum (ceu quandam subsequentis cædis imaginem) vidisse. Præterea cum Gallicus vates antea occultè pronuntiasset, ad vitæ eius periculum pertinere ista ludicra hastarum (id quod in popularib. rumusculis ac sermunculis non obscurè circumferebatur) regi etiam eius diei mane, familiarißimi quiq́; & admißionales, cum exantlato labore defatigatum reperissent (vti remores aues) amicißimis verbis dissuaserãt, vt ne tertium se ludis cõmitteret. satis enim superq́; prioribus duab. eius contentionib. vniuerso equestri ordini palmam laudis & gloriæ præreptam dixerant. Porro bonorum consiliorum tunc quidem (vt si quando aliàs) rex negligens, somnium vxorium, & oracula contempsit. quæ tamen omnia luctuoso exitu probauit: vltro in occursum fatorum irruens. Armatus enimuero (vt antea) & equo generoso vectus in palestram cum splendore summo descendit: in eaque duabus amplius horis, summa contentione atq; ardore egregiè est prœliatus. His rebus triduo fere, & præclare semper gestis, Pyrustæ gaudium Henricus in concione circumstantium equitum, est gauisus. nam cum eo die finis hastiludijs fuerit futurus, paucique in equis hastas vibrarent, Mongomerium Gallum, Hordei Scoti*

*Prætorianæ cohortis præfecti filium nominatim euocatum, prouocauit. Hic Mongomerius (in quem oculi omnium conijciebantur) dum imperata facit, ad classici signum, & tubarum clangorem equo admisso occurrentem regem magna vi excepit. Verum (uti fortuna postulauit) cum hastæ in pectus regium duro brachio impactæ, cuspis partim disiecta, partim in multas minutissimas particulas, ramentaque dissipata, in aërem sublime ferretur, ecce simul cum ictu impressionis violentiæ, trunci (quē adhuc pressa manu tenebat Mongomerius) acies, galeæ regalis ocellū (ita angustam illam foraminum διαφάσιν, necessitati seruientes appellamus, quibus radium visus certius dirigunt, ac iaciunt à lumine vndique circumcluso armati equites) offendit nescio qua incuria apertum. itaque subleuato eo ocello (quem rex quod ab illa concursatione, finem facere suarum decursionum deliberatum habebat, noluerat obditis clauiculis præcludi) per aduersum galeæ hiatum, labrumue, dextrum oculum Regis confodit Mongomerius, sic vt contus cerebro hæserit. quo letali accepto vulnere, priusquam semiuiuum animus deficeret, sanguinolentumq; regem delinqueret spiritus, occurrentes certatim admissis equis cuncti equites (vt ne sanguine atque tabo deformatus ex equo laberetur) sustinuerunt, coniunctisq; dextris, ex ephippio atq; stapedib. sustulerunt. qui euentus præter exspectationem, dici nequeat, quanto cum dolore, tum animorum consternatione non modo vniuersum theatrum affecerit, ac perturbarit, sed ipsum etiam victorem, Cœlum pro re nata ruere videbatur, aut terra igni commisceri. At Rex confestim detractis armis, in sedecula primum, deinde in triclinio est sepositus. Quo statim vndique accersita exquisitorum medicorum iudicia, letum, mortemq; denuntiarunt. qui medici etsi omnem operam perinde atq; Vnctores ei nauabant, alexipharmaca & cataplasmata adhibuissent, tamen remedijs neutiquā cederet plaga, letale malum succlamabat. idem vt perspexit Andreas Vesalius, in Anatomice omnium, qui ad hanc ætatem vixerint, medicorum facile Princeps, quem Philippus gener, è Belgio citatis equis, & magnis itineribus eò ad opem socero ferendam, allato nuntio miserat, conspecta plaga, ob perdolatas, concussasque testulas, ac cuticulam cranei, Chironium, inquit, vulnus. Interea vero dum doloribus distraheretur Rex, nullius æquè eum pœnituit atque suæ temeritatis ac opinationis. et si quando paululum se remittebat dolor (id quod raro fiebat, pelliculis intestinis effluētis cerebri læsis ac collisis) grauissime suspirabat, dolebatq; se fortunæ summa iniuria, in lecto, desidiosa ista morte occumbere. semper enim aut in acie, aut in memorabili quopiam conflictu potius mori constituisse. Porro, sub posteaquam nullis humanis adminiculis, nullis officijs Æsculapiorum, nullis contentionibus archiatrorum impendentis fati*

*tis fati*

*tis fati vis reprimi aut repelli potuit, nudius vndecimo (vt insanabile vulnus ei inflixit fortuna, aut voluntaria leuitas potius)* VI. *Id. Jul. vitam hanc cum morte commutauit, natus annos quadraginta, cum regnasset duodecim. Cuius mors humanis iudicijs variè exaggerabatur. alijs inmaturam illam, alijs horribilē, acerbam, miserabilem, multis nominibus funestam, denique indignam tanto rege exclamantibus. Quamobrem non omnino à scopo aberrare nobis videtur Petrarcha, vir celebri eruditione, qui in Epistola quadam dissuasoria ad Hugonem Marchionem Ferrarium data, qua eum propter instantia pericula deterret ab huiuscemodi hastiludijs ac decursionibus hoc inter alia scriptum reliquit; Ludicra ea certamina esse exercitationes quidem militares, verum duntaxat eorum equitum, quibus nulla alia via ac ratio est, aut corporis firmitatem aut brachiorum robur, aut virium præstantiam ostentandi, qui si casu in palestra occubuerint, viderit hoc fortuna: susque deq; fuerit. sciant talia bellum gignere. Priuatim enim ac leue est ex eorum morte dispendium. Non committendi porro sunt equestribus illis prœlijs (quantumuis licet simulatis) Principes, quibus innumeræ suppetunt causæ aliæ, quibus virtutem suam cunctis testatam reddant: vt quorum incolumitate, aut ciuitatum, aut prouinciarum, aut reip. salus constat, atque nititur.*

## DE NVPTIIS DVCIS MANTVANI cum filia Imperiali, &c. XIX.

*ANno* cIↃ. IↃ. LXI. *mense Aprili decessit ex Oeniponte filia Imperatoris, futura Mantuæ Dux, cum aulico suo comitatu: cui præerat Comes Carolus ab Hohenzollern. quæ cum sensim Tridentum paruisq; itineribus peruenisset, omni ibidem honoris genere accepta est à nouo eius vrbis Cardinale, et collega ipsius Cardinale Mantuano. neq; tamen vltra vnum diem hic substitit; sed continuato itinere cum Tyrolensem ditionē limitaneam iam prætergressa esset, & fines Venetos attingere cœpisset, occurrentes illi hic Veneti legati hospitio regio Principē exceperunt; donaruntq; illi plaustra triginta onusta vino apiano, vulgo Maluaticum vocant, pane, carne, sale, auena, & quibuscunq; vsus indiget. Postridie quoq; cū ventū esset ad pagū ditionis eiusdem magnificæ reip. cui Vrselingam nomen incolæ faciunt, reperit cura legatorū stratum hic naualē pontem æquè equiti atq; pediti peruium, nō minorib. tunc quoq; q̄ pridie muneribus honorata. sed neq; in pago Villa-Franca minor fuit Venetorum sedulitas aut liberalitas erga puellam Cæsaream,*

*vbi etiam illa diem reliquum à meridie conquieuit. Demum* XXIV. *Aprilis Mantuæ cum iam appropinquaret, obuium habuit prope arcem & secessum admodum amœnum ditionis Mantuanæ spõsum suum cum nobilitate splendidissime & sumptuosissime longe instructa; à quo cum summa beneuolẽtia excepta esset, triumphali pompa vrbem ingressa est, quæ decem inde perpetuis diebus quibus Comites proceresq; & legati regum, principum, populorumque ibidem morati sunt personauit lætitia, festisq; plausibus. editis crebris ludis equestribus militaribus, crebris belli simulachris & omne genus spectaculis; quibus oculi animique hominum auocari solent, tanta quidem magnificentia, vt non temere Mantuanus Princeps potentissimis quibusq; connumeretur.*

# PANDECTARVM TRIVMPHALIVM TOMI PRIMI LIBER SEXTVS ET VLTIMVS,

*qui est de funeribus triumphalibus.*

## DE FVNERE IVLII CAESARIS. I.



*Vnere Iulij Romæ indicto rogus extructus est in Martio campo iuxta Iuliæ tumulum: & pro rostris aurata ædes ad simulacrum templi Veneris genetricis collocata: intraq; lectus eburneus auro ac purpura stratus; & ad caput trophæum cũ veste, in qua fuerat occisus. Præferentibus munera (quia suffecturus dies non videbatur) præceptum est vt omisso ordine, quibus quisq; vellet itineribus vrbis, portaret in campum. Inter ludos cantata sunt quædam ad miserationem & inuidiam cædis eius accommodata ex Pacuuij armorum iudicio;*

Men' me seruasse vt essent qui me perderent?

*Et ex Electra Attilij ad similem sententiam. Laudationis loco consul Antonius per præconem pronuntiauit Senatusconsultum, quo omnia ei diuina simul atque humana decreuerat. Item iusiurandum, quo se cuncti pro salute vnius adstrinxerant, quibus perpauca à se verba addidit. Lectum pro rostris in forum magistratus, & honoribus functi detulerunt. Quem cum pars in Capitolini Iouis cella cremare, pars in curia Pompeij destinaret, repente duo quidam gladijs succincti, ac bina iacula gestantes, ardentibus cereis succenderunt: confestimq; circumstantium turba virgulta arida, & cum subsellijs tribunalia, quidquid præterea ad*

*manum*

*manum aderat, congeßit: deinde tibicines & scenici artifices vestē quam ex instrumento triumphorum ad præsentem vsum induerant, detractam sibi atq; desciſſam iniecere flammæ: & veteranorum militum legionarij arma sua quibus exculti funus celebrabant: matronæ etiam pleræq; ornamenta sua quæ gerebant, & liberorum bullas atque prætextas. In summo publico luctu exterarum gētium multitudo circulatim suo quæque more lamentata est: præcipueque Iudæi, qui etiam noctibus continuis bustum frequentarunt. Plebs statim à funere ad domum Bruti & Caßij cum facibus tetendit; atque ægre repulsa, obuium sibi Helium Cinnam per errorem nominis, quasi Cornelius esset is quem grauiter pridie concionatum de Cæsare, requirebat; occidit, caputque eius præfixum hastæ circumtulit. Postea solidam columnam prope* XX. *pedum lapidis Numidici in foro statuit: scripsitq;* PARENTI PATRIÆ. *Apud eam longo tempore sacrificare, vota suscipere, controuersias quasdam interposito per Cæsarem iureiurando distrahere perseuerauit.*

## DE FVNERE AVGVSTI CAESARIS.

## II.

*AVgusti corpus cum Nolæ mortuus esset* XIV. *Kalen. Sep. anno imperij sui quinquagesimo sexto ætatis vero septuagesimo quinto, primarij singularum ciuitatum Nola vicißim exportauerunt, quumq; Roma non longe abesset, ipsum equites Romani de nocte in vrbem intulerunt. Fuit postridie eius diei senatus in quem cæteri venerunt equestri vestitu, magistratus senatorio: nisi quod purpureas vestes non habebant. Tiberio Drusoque filio eius toga pulla erat, qualis solet in concione gestari: ab vtroq; thus est adhibitum in sacrificio. Tibicinem interesse noluerunt. Sedebat quisq; fere in quib. locis antea consueuerat. Consules sedebant in subsellijs inferioribus, vnus in ijs quæ prætorum, alter in ijs quæ tribunorum plebis. Post hæc quidam Polybius Cæsareanus tabulas testamenti eius recitauit, quod eas non deceret senatorem legere; in eoque testamento Tiberius ex besse, Liuia ex triente (vt nōnulli putant) hæredes scripti erant. Nam Augustus, vt eam augeret suis facultatibus, petiuerat a Senatu vt liceret sibi tantundem ei etiā contra leges relinquere. Ab his hæredib. scriptis multa prædia magnamq; pecuniam plerisq; hominibus propinquis suis & extraneis legauit, nec Senatorib. solum, sed etiam equitib. regibusq;: ad hæc reliquit populo Rom. aureorum milia quadringenta. Sed & militibus legata reliquit: stipatorib. quidem suis viritim ad* X. *aureos: ijs autem qui erant in præsidiis vrbis collocati, singulis eius summæ dimidiū: cæteræ multitudini vrbanæ* III. *aureos viritim*

*ritim dari iussit. Præterea mandauit, vt quę sibi hæreditas testamento obuenisset à parentib. filiorum impuberum, ea cum fructibus perceptis restitueretur ijs cũ in adolescentiã peruenissent: quod ipse viuus faciebat. Nam quoties succederet ei cui essent liberi superstites, si quidem tum erant adulti, statim eis omnem hæreditatẽ restituebat: sin minus, vbi adoleuissent. Cumq; talem se præstaret erga liberos alienos, tamen filiam suã non reduxit ab exilio, licet eam donatione quarundam rerum honestauerit, sed vetuit ne in suo monumento sepeliretur. Hæc cũ essent ex testamento cognita, allati sunt libelli quatuor, quos Drusus legit. in quorum primo scripta erant ea quæ ad funus pertinebãt: secundus continebat res omnes ab eo gestas, quas in columnis æneis ad sepulchrum suum collocatis insculpi iussit. in tertio erant ea quæ ad milites, quæq; ad reditus sumptusq; publicos & ad eam pecuniam ac thesauros, cæteraq; eiusdem generis spectabant, quibus principatum quem habebat tueretur. in extremo, præcepta mandataq; dabat Tiberio atq; reip. præsertim ne multis libertatem darent, quo minus vrbem multitudine cuiusuis generis implerẽt, vtq; paucos donarent ciuitate, quod plurimum differrent ab ijs quos haberent in potestate. Præterea monebat vt remp. committerent ijs qui vsu & experientia rerum plurimum possent, nec eam sinerent vllo tempore pendere ex vnius cuiusdam voluntate, ne forte is in regni cupiditatem veniret, aut ne mortuo eo respublica periclitaretur. Consulebat vt contenti rebus præsentibus, augere & dilatare imperium nollent, quod futurum esset vt id tuerentur difficilius; immineretq; periculum ne quæ iam parta erant amitterent: quod ab eo non verbis modo, sed re etiam fuerat obseruatum: nam cum posset ex barbaris nationibus multo plura acquirere, facere id noluit. Postquam huiusmodi præcepta recitata sunt, funus ducitur. Erat lectus ex ebore & auro factus, stratus atq; ornatus peripetasmatis purpureis atq; auro intextis, subter quæ tanquam in feretro corpus eius iacebat occultum. Ante omnia statua cerea vestitu triumphali visebatur, eaq; ferebatur ex palatio ab ijs qui erant in sequenti anno magistratus futuri: deinde ex curia, altera aurea: tertia curru triumphali vehebatur, subsequebanturq; statuæ maiorum ipsius atq; propinquorum, qui è vita discesserant, vno tantũ Cæsare excepto, propterea quod esset in numerum heroum relatus. Ferebantur deinde statuæ ciuium Romanorum, quicunq; principatum tenuerant, capto ab ipso Romulo exordio: sed & quædam Pompeij Magni statua ferri visa est. Aderant etiam omnes prouinciæ pictæ atq; nationes, quæ partæ ab eo fuerãt & deuictæ. Post hæc lectus sistitur in rostris, vbi solebat haberi concio: de quo loco vbi Drusus legisset nonnulla, Tiberius Augustũ pro rostris quæ Iulia nominantur, apud populum decreto senatus laudauit. Tum qui*

*lectum*

*lectum antea ferebant, eundem ferre perseuerarunt porta triumphali, vt senatus decreuerat. Aderat autem senatus præsens, mortuumq́ pariter efferebat: aderant omnes equestris ordinis, eorumq́ vxores. Intererãt prætoriani milites, cæteriq́ omnes fere qui tum in vrbe erant. Quum esset impositus in rogum exstructum in campo Martio, eum primo cuncti sacerdotes circumeunt: deinde equites: post ij qui magistratu fungebantur: postremo cæteri milites qui erant in præsidijs vrbis, concurrunt, præmiaq́ victoriæ quæ acceperant ob præclara facinora, dum in eius exercitu militarent, in eum conijciunt. Rogum centuriones postea admotis facibus incendunt. is comburitur: mox aquila ex rogo dimissa, quasi animam Augusti in cœlum ferret, euolauit. Peractis is rebus omnibus, cæteri abeunt: Liuia in eodem loco cum primariis equitibus mansit dies quinque, ossaque eius collegit & sepeliuit. Viri in luctu fuerunt perpaucos dies, vt erat consuetudo: matronæ eum decreto senatus annum luxerunt. quumque Augusto populus Romanus æternitatem immortalitatemque donauisset, ei Liuiam quæ tum Augusta nominabatur, sacerdotem creauit. Deditque Liuia decem aureorum milia cuidam Numerio senatori Atheniensi & prætorio viro, quod is iurasset, quemadmodum de Proculo Romuloque traditum est, se Augustum, cum in cœlum ascenderet, vidisse. Eidem Augusto sepulchrum in vrbe decretum est, idque Liuia postea & Tiberius ædificauerunt. Fuerunt quoque alia ædificata in plerisque locis, partim assentientibus populis & approbantibus, partim etiam contra eorum voluntatem. Ædes quoque, in qua Nolæ mortuus est, ei fuit consecrata, decretumque fuit ne statua ipsius in funere cuiusquam deferretur, atque vt tribuni plebis, quod essent sacrosancti, ludos Augustales facerent.*

## DE IVSTIS PERTINACI IMP. CELEBRATIS. III.

*SEuerus adepto Imperio monumentum Pertinaci fecit; eiusq́ nomen in votis & sacramentis omnibus iußit vsurpari, præcepitq́ vt statua eius aurea curru ab elephantis veheretur in circum: vtq́ ei tres sellæ aureæ in reliqua theatra perferrentur, quin & funus etsi dudum obierat ita ei duxit: Exstructum erat in foro Romano tribunal ligneum coloris lapidei; supra fuit ædificium, quod columnæ vndique sustinebant; eratq́ ebore varie ornatum & auro. Eo allatus erat lectus consimilis, cui stragulis purpureis atque auro intextis ornato, erant circum capita beluarum terræ marisq́. In eoque posita erat statua Pertinacis cerea ornatu triumphali, à qua puer egregia forma, ita vt si dormiret Pertinax, pennis pauonis muscas abigebat. Eo ita iacente, Se-*

*uerius, Senatoresque cum vxoribus accesserunt funebri vestitu: mulieresque sub porticibus Senatores sub dio sedebant. Quibus ita dispositis, primo transierunt statuæ omnium veterum Romanorum illustrium: deinde nationes omnes subiectæ Imperio Romano in statuis æneis ornatis, vt est cuiusq; gentis patria consuetudo. Sequebantur post varia genera ciuium, lictorum, scribarum, præconum, & qui sunt eiusdem generis. Veniebant deinceps statuæ multorum virorum quos præclare fecisse aliquid, aut excogitasse, aut in aliquo studio floruisse constaret. Subsequebantur Equites ac pedites armati, certatores equi, atque ea quæ ad parentandum pertinebant; quæ ab ipso Principe, & Senatoribus vxoribus eorum, & a clarißimis equitibus ac populis, & à congregationib. ciuium missa fuerant. Postremo ferebatur altare inauratum, ornatumq; ebore & lapillis Indicis. Quæ postquam transierunt, Seuerus ascendit in rostra, & laudationem Pertinacis recitauit. Quumque oraret, crebro exclamatum est à Senatoribus, partim laudantibus Pertinacem, partim lugentibus, sed oratione habita multo magis. Ac tandem cum lectum de loco, in quo erat, moueri oporteret, omnes simul lamentati sunt, fleueruntque, lectum tulere à tribunali pontifices, & magistratus, non modo qui tum erant, sed etiam ij qui fuerant in sequentem annum designati, eundemq; postea tradidere nonnullis equitibus vt ferrent. Pars autem Senatorum lectum anteibat, ex quibus multi differebantur dolore, multi canebant flebile carmen ad tibias, Imperator postremus sequebatur. ita in campum Martium ventum est. Hic extructus erat rogus instar turris, forma trianguli, ebore & auro, ac nonnullis statuis ornatus. In summo eius currus inauratus, quo Pertinax olim vehebatur, collocatus erat. In hunc rogum coniectis primo ijs quæ allata fuerant parentandi causa lectus impositus est. Post Seuerus propinquiq; Pertinacis statuã eius osculãtur. Quo facto, Imperator tribunal cõscendit, Senatores, exceptis magistratibus in tabulata, vt tuto simul & commode spectarẽt quæ gererentur. Magistratus & equestris ordo collocati sunt recta serie, vt cuiusque dignitas postulabat. Hic confecere milites, equites, atq; pedites circum rogum cursus vrbanos & confictos: ijsq; peractis cursibus, consules rogum incenderunt. Quod cum esset factum, aquila ex rogo euolauit; itaque Pertinax immortalitate donatus est.*

## DE FVNERE TRIVMPHALI LVDOVICI COmitis Flandriæ. IV.



*Nno* CIↃ.CCC.XXCIV. XXIII. *Ianuarij obijt diẽ suũ in Fano S. Odomari Ludouicus Comes Flandriæ, qui inde sepultus fuit in æde sacra D. Petri Insulis, oppido Flandriæ, vna cũ coniuge, quæ quin-*

*quinquennio ante decesserat è vita, depositaq; interim fuerat in comitatu Rethelensi, hac fere pōpa. Allata sunt primum corpora et deportata in abbatiam Losensem, q̄ est ad vrbem; pridieq; q̄ sepulchro cōdenda essent affuit frequens multitudo pcerum & nobilium Franciæ, Flandriæ, Hanoniæ, et Brabantiæ. qua comitata delata illa sunt ad ædem D. Petri.*

*Antecedebant autem armati omnib. armis Ioannes Heluynus quem altrinsecus stipabant Anguerrandus Volemius, & Rogerius Lespireus; dynasta Marqueus comitat⁹ Ioāne Lespireo et dynasta Sauseo Fritinio; et dynasta Mauuezius comitat⁹ Godofredo Noiellio et Hērico Vacquerieo.*

*Ad comitandum vero funus designati sunt Petrus Bailleulius cinctus altrinsecus Guioto Lomprio & Ioanne Ludouico dynasta Lambertiocortio; Soherius Gandensis cinctus Huiardo Quinghenio, & Michaele Quarreo, & Joannes Molinius comitatus Ioanne Quinghenio & Haubequino Marescallo.*

*Ad ferendum magnum vexillum nominati sunt Franciscus Harsurquerquius, Goussenus Siluius, & Lancelotus Personeus.*

*Ad portandum vexillum minus, quod vocatur comitatus, Matthias Hunerius, Ioannes Hellius, Dynasta Aueausius, Cierchelardus Barreus & Joannes Parisiensis.*

*Subierunt autem feretrum principis Ludouici & tulerunt corpus eius à porta ea quæ à leprosis nomen habet per mediam vrbem insulensem ad templum vsq; D. Petri, Primo dextra Ioannes Viennius Almirates Franciæ, sinistra dynasta Guistellanus; secundo dextra Valeranus Rauenalius; præfectus Disqueniuiæ, sinistra; tertio dynasta Estonnæus dextra, & Anselius Salinius sinistra.*

*Cadauer autem vxoris eiusdem Ludouici baiulabant ordine primo dextra Dynasta Sullyius, sinistra Dynasta Castellonius; secūdo dextra Guius Pontælleus, Marescallus Burgundiæ, sinistra Guius Guistellanus; tertio, latere dextro Henricus Coingeus & sinistro Præfectus Furnensis.*

*Sequebatur autem in veste lugubri primo Dux Burgundiæ solus, ante quem primum & maximum scutum ferebant Dynasta Rauenelius eques, Dynasta Goneusius, Labequinus, Coustrius & Joannes Pontalerius frater Marescalli Burgundiæ.*

*Secundum scutum ferebant ante Ioannē Artesianum comitē Euensem, & Philippum Barreum, Valeranus Salius, et Lesclausius Anequinus.*

*Tertio loco ante Comitem Marchiæ & Philippum Artesianum ferebant tertium scutum Gillonius Labertius, & Robinus Florignius.*

*Quartum scutum ferebant ante Robertum & Guilelmum Namurcios, Chauxius Bernardus, & Girardus Sternællius.*

*Scuta vero comitatus tulerunt, primum quidem ante Dynastam Anghianum & Ioannem Namurcium, Aillardus Pontheus, & Henricus Moucyius secundum ante Esneum Castellonium & Dynastam Feræ Ioannes Heluinus, & Eduardus Castronius; tertium ante Dynastam Ancoingium & Dynastam Guistellanum Tristanus Landrius & Joannes Beartus; quartum ante Dynastam Morienneum & Dynastam Sullyium; Fresinguius & Damas Bucyius.*

*Equos autem bellicos duxerunt primum quidē dynasta Castellonius, & Simon Lalanus Hannoniæ prætor (Baillium ipsi vocant) incedebant aūt hi pedib. equusq; erat cataphractus, & intectus. secundum ducebant Valeranus Rauenalius, præfectus Dixmudensis; Tertium Hugo Melunius & Dynasta Aucyius; Quartum Dynasta Burnelius, & Dynasta Brumeus.*

*Equos autem comitatus deduxerunt; Primum Henricus Ancoingius & Gerardus Guistellanus; Secundum Dynasta Montignyius & Dynasta Rassenghemius; Tertium Dynasta Hauradius & præfectus Furnensis; Quartum Dynasta Sagumellius, & Rolandus Clicquius.*

*Gladios autem bellicos tulerunt primum Almirates Galliæ, secundum Dynasta Raryius, tertium Marescallus Burgundiæ, quartum Dynasta Sanct Pyius.*

*Gladios vero comitatus obtulere primum Guilelmus Ponthieus, secundum Guilelmus Tremolius, Tertium præfectus Yprensis; Quartum Guius Hancortius.*

*Galeas bellicas obtulere primā Dynasta Maillyius solus, secundam Guilelmus Hornanus & Anselius Salinius; Tertiam Ioannes Doppemius & præfectus Fani Sancti Odomari, Quartam Guido Guistellanus & Galosius Aunoeus.*

*Galeas comitatus offerebant, primam Iodocus Hallanius & Oliuerius Guffyius, secundam Dynasta Ysebobecquius, & Dynasta Lalanius: tertiam Tristranus Siluius & Ioannes Iumontius.*

*Vexilla bellica obtulere primum Dynasta Listrenellius, Secundum Leoncellius Airennius, Tertium Ægidius Goneusius, Quartum Ioannes Luisolomius.*

*Vexilla comitatus offerebant, primum Orengeus Relyius, secundum N.N. tertium Ioannes Disqueniuius, quartum Vilanus Clicquius.*

*Celebratis autem exsequys condiderunt ipsi suis manibus Ludouicum quidem Comitem Ioannes Viennensis, Almirates Galliæ, Dynasta Guistellanus, Valeranus Rauenalius, præfectus Dixmudanus, Dynasta Rayius & Anselius Salinius.*

*Vxori vero eius idem officium præstitere Guido Trimolius, Dynasta*

*sta*

*sta Castellonius, Senescallus Burgundiæ, Gerardus Guistellanus, Henricus Anroingius, & præfectus Furnensis. quadringenti autem viri pullo amictu singuli singulas faces prælucebant, erantq́; hi omnes prope magistratus vrbium quæ Ludouici Comitis ditioni subditi fuerant, aut ex ipsis domesticis eius. Sacra autem peregit Archiepiscopus Remensis adiuuantibus eum Episcopis Parisiensi, Tornacensi, Cameracensi, Atrebatensi, & quinq; abbatibus. In templo autem præter quadringentas quas diximus faces ardebant durante sacro septingenti cerei libras singulas singulæ æquantes pondere.*

*Castrum autem doloris quinque vexillis ptexebatur; quorum illud quod Flandriæ erat, medium erat, habebatq́; supra dextrà Artesiæ comitatus insignia, sinistra comitatus Bononiensis; infra dextrà insignia comitatus Neuersii, sinistra comitatus Rhetelij. in ipso aut castro sparsa erant passim ex vno latere scuta Flandrica, ex altero mixtim tam Flandrica q̃ Brabantiaca; atq; hic rursum mille ducenti cerei scintillabant. datum est autem omnib. qui aderant epulum funebre regio luxu, lugubriaq́; omnia donata: & sic ad sua quisque reuersus est.*

## DE FVNERE CAROLI REGIS HVNGARIAE. V.

*Carolus, quum annos duos & quadraginta regnasset, ingrauescente febris æstu, in Vissegrado non sine nominis sui perpetua gloria, decimoseptimo Calendas Augustas diem obijt. Quem ita longe lateque dominatum esse ferunt, vt Dalmatiam, Croaciam, Ramam, Seruiam, Galatiam, Lodomeriam, Cumaniam, Bulgariam, Vngariam, & adiecto Gargano monte, Salernum ei paruisse, ac vectigalia quotannis stata ppendisse prædicent. Promulgata regis morte, tantus oẽs mœror incessit, vt publico planctu quateretur Vngaria. Antistites, pceres, populos ac nobiles iuxta, hic dolor omnes afflixit: nemo fuit ex Vngaris, finitimisq́; ad cuius animum mœror iste nõ penetrarit. Præsertim Elisabetha, Lodouicus, ac Stephanus, ad quos propius dolor attinebat, eius obitum afflictum deplorarunt, coactis vndiq; põtificib. regulis, optimatib. & collegijs sacerdotum: corpus editiore thalamo resupinatum, cui trabea coccina, gemmatum diadema, item ensis, aureaq; calcaria, ac cætera regis insignia aderant. ad præstitutum exequiarum diem, ex vrbib. & pagis innumera multitudo conuenit. profuso tot gentium vlulatu omnia resonabant, funus ad diuæ Virginis ædem elatum: omnes ordines, pulla veste funus honestarunt. Peractis rite sacris, postridie bucentauro imposuere, ac sequundo amne Budam cum maxima comitum classe delabitur: instauratæ tibi exequiæ. postero die Albam effertur. quoscunque*

*vicos & oppida tangebat, viri cum mulieribus, fusis crinibus occurrere, redintegrare funus, & ad continuandum luctum fessam multitudinem irritare. In itinere Laurentius, vnus è proceribus, Sclauonica gente natus, vir spectatæ virtutis ac roboris, eius quondam Vexillarius, signa ante funus regia passim prætulit: præcessere tres Equites cataphracti, purpura, gemmis, auroque conspicui, qui eius arma præferebant. Struthione pro aquila Carolus vsus est. Hi dominum extinctum passim ingeminare, pia cæteros nænia ad luctum prouocare. Demum in Diui Stephani basilica corpus palam reconditum: vbi satis superq́ conclamatum est, gemmata arma, vestes, vasa aurea, ac ingens donatiuum templo affixum. Insequenti mense, Casimirus è Polonia, ac Joannes Morauiæ regulus, & Caroli Jmperatoris frater, Vissegradum cum honestissima nobilium pontificumque turba conuenere, funus pientissime instaurarunt: & Albam deinde profecti, Carolo rite parentarunt. Ac se regi iusta persoluisse rati, reginam, item Ludouicum ac Stephanum diligentissime consolati sunt. In Caroli funere Chanadinum Strigoniensem metropolitam, ornatissimam de laudibus eius orationem habuisse ferunt, qua maximum lachrymarum profluuium auditoribus exhausisse dicitur.*

## DE FVNERE MATTHIAE REGIS HVNGARIAE. VI.

*PLacuit senatui, vt duplex diuo regi funus duceretur: alterum Viennæ, Albæ vero alterum: vt hic cœnothaphium, sarcophagum illic pro dignitate principis facerent. Quare singulari pōpa succollantib. cēturionib. & lecti auro strati fimbrias circumtenentib. ritè procerib. ac regulis, præfectisq́ legionum, ad diui Stephani Basilicam funus elatum, subsequentibus in pulla veste pontificibus, & cunctis vrbis ordinibus: vbi nemo fuit, qui pias regis exequias non veris lachrymis honestarit: quin & populus, quem sæua fame adactum in ditionem suam redegerat, lachrymas continere nequiuit: qui feretrum circumstabant, ij regem optimum, inuictiss. illi Imperatorem, pars Principem clementissimum, & Christianæ Reipublicæ assertorem: alij Regum Principem, & terrorem orbis exclamare, ingeminare pleriq́, hunc vnum duorum Cæsarum debellatorem, & præcellentissimæ virtutis cuiusq́ exemplar. Nonnulli hunc vnum magnanimitatis & gloriæ specimen appellare. Miles ducem luget liberalissimum, indulgentissimum: ciuis gubernatorem requirit: & plebs clementem & popularem Dominum cum rustica turba, deplorat. Hunc externi propugnaculum Turcorum, domitatorem Scyticæ feritatis, Boëmorum refrenatorem & Alemannici*

*fastus*

*fastus ac superbiæ domitorem, omniumque bonarum artium parentem pientißimum, profuso luctu vociferari. Hunc optimis quoque eundem Ungariam disciplinis excoluisse, bellicam auxisse disciplinam: & varia machinarum & armorum genera inuenisse, & regioni dedisse precium dicere. Quare illud in publico luctu admirabile fuit, quod nemo inter tot gemitus & vociferationes mentiri visus est. Publicũ dolorem & imminens ex obitu illius exitiũ, Viennense incendium, sexto post die, dũ Paschales feriæ celebrantur, satis testari potuit. Oborto namque incendio è plebeia casula fere vrbs conflagrauit: & ni proceres ac præfecti equitum cum militari præsidio accurrissent, & in primis Stephanus Comes, prouinciæ præfectus (qui annos triginta ductarat exercitum) iam de vniuersa vrbe eo die procul dubio fuisset actum. Insequenti regina cum Coruino duce cæterisq; pontificibus ac regulis, ad celebrandas regis exequias, & habenda comitia regalia Budam secundo amne descendit. Præfecturam prouinciæ Stephano comiti è senatusconsulto commendauit: multum quoq; argenti, pro tuenda vrbe & prouincia retinenda, è Regali fisco dimissum. vniuersa multitudo cum pullis quinquaginta nauibus, & lugubri veste, Beatricem sequuta. Cum Pisonium foret appulsum, oẽs matronæ vrbis pullatæ obuiam reginæ occurrere, publicoq; planctu principem inuictiß. et regem optimũ luxere. Iusticium trib. Vngaris mensib. indictum. Nullas in itinere p̃ dolore regina regales arces subire voluit. Ast vbi Budam deuentum est, in arcem admissa, cui Blascius Rasiai p̃erat, arcis p̃curator, Mathiæ quondam regi vnicè dilectus: hic post Coruini ducis appulsum, mox eum cum thesauro & regali gaza recepit: & quando in eius manus viuente adhuc patre iurauerat, nemini se arces omnes, p̃terquam Coruino resignaturum, p̃petuumq; obsequium p̃stiturũ: iusiurandum rite persoluit, & cuncta q̃ in manu sua fuerant, in Coruini potestatem ex promisso redegit. At ille fideliter agenti, mun⁹ confirmauit, resignatumq; restituit. Mox de regali funere agi cœptum. nihil. n. de futuro rege ac rep. decerni poterat, ni prius Mathiæ manib. funebria iusta soluissent. Quare nihil hac re Pannonico senatui fuit antiquius. Paucis igitur post dieb., dimissa Budæ regina, ne planctu nimio sese conficeret, ad Albam regalem omnes pontifices, p̃ceres, reguli, nobilesq; Coruinum ducem in lugubri veste, pullatisq; currib. et equis ritè sequuti sunt. Quin & legatus Apostolicus, ac omnes qui aderant oratores, eodem concessere: in primisq; Ferdinandi regis orator Petrus, eloquentia, doctrinaq; non mediocri. Alter vero, cui Francisco Montano cognomen erat, p̃terea magna grauitas, exacta facundia, & experientia rerum cum summa ingenij acrimonia coniuncta. E proximis etiam ciuitatib. et pagis ad regales exequias, quæ diui Marci feriarum die factæ sunt, multi properarunt.*

*In fune-*

*In funerali festo multitudo vniuersa processit. Corpus regis purpureo strato compositum: & paludamēto, ense, sceptro, corona, pomoq́; redimitum non sine calcarib. aureis detecto ore in basilica subdiualibus prominebat. Circumstabat ingēs turba nobilium, & hinc pontifices, hinc proceres adstitere. Mox instructa regali pompa, funus efferri cœpit, & templum antequam inferretur, circumduci diuinæ oblationis tēpore, dum solennia celebrantur, inde duodeni præcedebāt equites cataphracti, purpuratiq́;: qui regalia signa tot clara triumphis præferebāt: item & vnus qui regium prætulerat ensem. Mox filius ponè subsequi, lugubri veste, cui legatus pontificius à dextra, à læua Hipolytus Strigoniensis metropolita, latus vtrunq; claudebant. Succedere post sacri & prophani ordines primatum: inprimis è pontificibus Vrbanus pontifex Agrien. Stephanus Bathor, Ioānes Varadiensis episcopus, item Vsualdus Zagrabiensis, Nicolaus Vaciensis, Thomas Iauciensis, & Georgius Zanadiensis reliquiq́; procerum nobiliúmve ordines. Cum in basilicam diuæ virginis peruentum esset, corpusq́; in medio constituissent, equites gemebundi, qui vniuersa cum ense signa prætulerant, insignia cuncta pro ara magna humi deiectarunt, veluti regis casu omnia sua trophea signa partaq́; regna vnà corruerent. Ad quod spectaculum omnes collachrymarunt. Dominico deinde basilicæ huius antistiti ritè sacrificanti, à Coruino duce oblata preciosa munera, inprimis crux solida, gemmataq;, ex obriso affabre facta, quam quinq; & quadraginta aureorum milibus venisse prædicabant: item gemmatæ phialæ & peluis aurea, candelabra, calices, Eucharistiæ tabernaculum, omnia è puro solidoq́; auro confecta, lapillorumq́; multorum varietate discintillantia. Nonnullæ quoq; statuæ argenteæ et duodecim sacrarum vestium apparatus, vnionibus admodum onerati: quæ quidem omnia quinq; & septuaginta milibus aureûm venisse referebant. Item inter operandum sacris aræ septingentos optimates aureos imposuere, cum inchoatum multo ante Mausolæum sub prima testudine, propter intempestiuam mortem nondum foret absolutum, corpus in temporario sepulchro, in media basilica reconditum: vbi è filij instituto, quot horis sacri hymni decantarentur, inter sacrificandum Petro episcopo Lucerino, viro doctiss. & oratori Neapolitano datum laudandi regis est negotium. Is de laudibus & gestis eius sat ornatam & copiosam habuit orationem, & multis (annuente senatu, cunctisq́; pontificibus) iam rationibus ostendit, Mathiam regem Christianæ Reipub. assertorem, principem inuictiss. & de Romana semper ecclesia optime meritum iure inter diuos esse referendum: quod ab vniuersa concione acclamatum est, & grauiss. super ea re Senatusconsultum factum.*

## DE FVNERE CAROLI VIII.GALLORVM REGIS. VII.

*PRimam adolescentiam Carolus cum parum caste egisset, vires illi intabuerant, ita, vt ante paucos menses, quam moreretur, macilentia extenuatus atque effœtus effectus, præteritas interim detestari voluptates, seque ad castimoniam colligere videbatur. Ea propter indolebat illi maxime, quod sine liberis esset, cum ex Anna vxore, quos genitos tres habuerat, mors abstulisset. Decessit Ambasiæ septimum & vigesimum vix agens annum, dum laxandi animi gratia ex deambulatorio cum vxore pila ludentes despectat, 7. Idus Aprilis anno salutis 1497. Pridie vero Calend. Maij funus ad sanctum Dionysium per Parisios accuratissima pompa efferri sequenti ordine conspectum est. Apud Basiam, in diui Florentini templo, per Joannem Peraudi cardinalem expletis exequijs, comitantibus inde suo ordine veste lugubri principibus atque primoribus aulicis, ministrisque supra milia septem, & prælucentibus continenter quadringentis facibus, quas totidem pauperes pullis tunicis & caputio induti præferebant, postquam ad beatæ Mariæ templum (quod de campis in Parisino suburbio nuncupatur) primo & vigesimo die ab Ambasiæ exitu peruentum est, defuncti feretrum in eodem templo, ea quæ secuta est, nocte reponitur: pernoctantibus ibi permultis suo ad hoc nomine designatis curialibus. Ad eam tam numerosam pompam, toto itinere, nonaginta millibus passuum deducendam, ex instituto Petri de Ruse aurati equitis primi (secundum vulgi appellationem) regis scutiferi præfecti erant honorati ductores, qui multitudinem semota famulantium & seruorum colluuione, moderarentur. Et ad quemq; locum, vbi diuersandum esset, præcedebat cum domesticis regiæ aulæ ministris Castellaudius, eius temporis magister domus, qui alimenta non secus ac viuenti adhuc Carolo & multitudini pararet. Anteibant præterea omnem pompam longo interuallo cantores & ministri regalis capellæ, vt per ecclesias, vbi statio futura esset, aras ornarent & lichnos. Et, ne præter prædestinatum ordinem à quoquam erraretur, Guiotus Mazacus, Petrus Loisius, & Rigaudus seruandis ordinibus erant præpositi. Erant item qui commeatum & diuersoria curarent. Igitur Parisii accepto nuncio de funeris aduentu, altera die, secundum cuiusque ordinis conditionem, ad eum, vbi cadauer repositum erat, locum procedentes, sequenti modo funus sunt comitati. Ibat ante omnes commissarius vnus Castelleti, cui aßignati aßistebant bono numero seruientes (quos clientes vocant) cum singulis tunicis nigris: baculos eius coloris manibus ferentes, ad dimouendam plebem, ne progredieti*

pompæ foret molesta. Hos sequebantur dextrorsum sinistrorsumq; pauperes, portandis facibus (vt supra exposui) deputati. A singulis tædis pendebant scuta duo insignibus lilijs picta. Veniebant inde quatuor & viginti cum singulis campanulis polinctores (quos clamatores Parisii dicunt) à pectore & scapulis regis insignia gestantes, qui nec punctum quidem temporis a pulsandis tintinnabulis cessabant. Dextro latere viri religiosi cum sua quique cruce, primum mendicantes, post cæteri diuersorum ordinum (sicuti antiquitas ferebat) incedebant. his subibat præfectus vigilum cum suis seruientib. Inde quatuor & viginti salis baiuli, q Hannonij vocitantur. hi nempe venerant, quod priuilegij iure funeris feretrum ferre contendebant. Sed priuilegio derogatum est. Retro hos tabellarij equites, q ferendis regijs literis designantur. Mox regij corporis custodes. Inde Suitenses cum singulis gesis (quas hallebardas appellant) ingrediebantur: quib. ꝑerat Claudius, ꝑfecti custodum vicarius. Post ibant ij qui illustri genere orti, honoris vocantur infantes. Inde regiæ domus magistri, quibus pro more singuli baculi in manu erant. Talis erat dextri lateris institutio. Sinistrum tenebat magno numero studij Parisiensis vniuersitas, incipiens ab extremis clamatoribus, & inde secundum singularum facultatum collegia sursum ad rectorē vsq; versus episcopos. Rectori præibāt bedelli cum suis baculis & maßis argenteis. Nec aderant scholastici omnes, ne per illorum multitudinem via arctaretur. Inter hos, hincinde procedentis pompæ ordines, post faciferos ibat Castellaudius mula insidens, sequentibus comministris peditibus, vt à me dictum est. His suberant tubicines inuersis tubis, & caduceatores. Jnde Claudius signum militare Regi peculiare gerebat, equo vectus non ignobili. Ducebatur hinc sex equis carpentum, in quo regis corpus ad diuam vsq; Mariam de campis fuerat aduectum, holoserico tectum nigro & aureo desuper pallio instratum. cuius limbi per quadrum ex holoserico colore cœlesti pendebant aureis lilijs, arminisque (quales pro insignibus Anna, vxor defuncti, gerebat) intexti. Super hæc distensa erat lata crux candida. Equi cum suis iugis & loris pari veluto, superaddita cruce tegebantur. adequitabant hinc atque hinc equis vecti Emarus Ronus, & Canuquonus illustres scutiferi. Carpento post ibat Blandinus quotidianæ Regis impensæ scutifer. Atque inde sex generosi adolescentes (Pagios vocant) totidem insignibus equis vehebantur, simili apparatu, quem de Carpento diximus. Ducebatur post hos non inferiori ornamento equus cæteris dexterior. Hunc gladij latorem aulici vocant. Quem sequebantur in equis insidentes splendido sanguine nati Suffacus & Sanctammemus. Post huiusmodi medium ordinem dextrorsum procedebant Sacerdotes & Clerus Parochialium Ecclesiarum. Jnde ij, qui

*qui sacello palatino, & qui maiori ecclesiæ inseruiunt. Succedebant monasteriorum abbates, sancti Victoris Maglorij, diuæ Genouefæ & de Fecano. Accedebant subinde pontifices Sarlatensis, Valentinus, Andegauus, Altißiodorensis, Parisiensis: Cardinales duo, Gurcius & Luxemburgus: ille natione Pictauus in Germania præsulatũ obtinebat: hic ex Picardia nobili stirpe genitus, Cœnomanis pe̅rat antistes. Sinistrorsum præter scholasticos nemo incedebat. Eratq́; rector è regione prælatorum suo ordine postremus. Inter hos & pontifices, medij ibant viatores regij, virgas suas (quæ massæ nominantur) inuersis capitellis gestantes. Inde caduceatores duo, qui reges armorum nuncupantur: Monoius dico & Clareuoius. Post quos alter equus (Cursorium vocant) toto præter oculos, corpore veluto amictus, sine assessore ducebatur. Cui Petrus de Rufe primarius (vt antea dixi) scutifer paruula mula vect⁹ accedebat, regio ense accinctus. Pone hunc trium passuum interuallo ibat pedes Iacobus de Stoteuilla Parisinus prætor, virgam manu præferens. Inde ex regis maxime domesticis clarißimi homines, qui lecticam, vbi Caroli funus conditum erat, comportabant. Cui superextabat, tanquam in lecto, iacens Caroli simulachrum, simillimum (quoad fieri potuit) viuo. Erat lectus linteo ex subtili tela Holandina in terram profluente instratus, cui superpositum erat grande veluteum pallium, vlnis quinquaginta constans. Desuper intextum ex auro pallium quinque & viginti vlnis extendebatur, similibus limbis, quos in Carpento supra descripsi, præter arminas. Addita erant puluinaria aurea duo, altero simulachri caput, altero pedes nitebantur, aurea corona caput decorabat. Tibias induebant sericei cothurni blauio (vt ita dicam) colore: supassutis aureis lilijs. Vestis prima ex purpureo tafeto, id est, tenui serico: et fimbriæ eius aureæ erant. Erat & altera tunica supior ex serico cœlestis coloris aureis lilijs intexta, quib supextabat chlamys arminis duplicata, dextrorsum apta ex veluto pari colore: lilijs superinductis. Ad chlamydis extremam fissuram, armum versus, fibula erat multis gemmis & auro Florentino preciosa. Chirothecatis aũt manib. cum statua esset, dextera sceptrum, sinistra gerebat manũ q̃ iusticiæ Franci vocant. Ea est huiusmodi, Indicem digitum & medium erectos habet, reliquos cũ pollice ad volam implicitos deflectit. Dextera manus paulo altius, q̃ sinistra pectori eminebat: vt, q in digito aureus anulus erat, videri posset. Aurei pallij angulos quatuor parlamentei senatus præsides singuli singulos tenebant: vestib. ornati quibus in curia solennia iudicia exercent. Ad lecticæ latera incedebant cæteri senatores, rubris tunicis vestiti. Quos hostiarij lugubri toga p̃cedebant, supra lecticam aureum velum quadratum, decem baculis sustinebatur: quos mercatorum p̃positus, & Scabini vectitabant. Eius veli singula la-*

*tera velutea erant, ad eundem modum, quo carpentum ornatum fuisse scripsimus. Quo etiam tegumento baculi tegebantur. ad lecticæ sinistrum latus militare signum (quod Panonem appellant) Ludouicus Daucus gestabat. Dextrorsum peculiare regis signum ferebat Iuo d'A'legre. Retro ibat cum integro vexillo Carolus Tremolus. Quem comitabatur Chaumontus, regiæ domus primarius magister. Veniebant inde principes, Mompenserius, de Guisa: de Dunois, & dux Albaniæ, talarib. chlamydibus pullis caputiisque amicti. Inde cubicularij, & ij quos regij ordinis torquibus Carolus donauerat. Quatuor inde, & x x. arcitenentes, quib. viuentis Caroli præcipua custodia fuerat. Mox sequebantur selecti nobiles ducenti, tersas & splendidas hastas manu gestantes. Sinistrum latus suo ordine decorabant regiarum rationum computores: vectigalium quoque, id est (vt aiunt) iustitiæ generales, regij item thesaurarij, & ex Castelleto frequentes iudices, atque ministri: honoratorum quoque ciuiũ ingens multitudo. Postremi omnium ibãt vrbis Parisiorum sagittarij: bini procedentes. Hoc apparatu & luctuosa pompa funus ad Diuæ Mariæ pontificale templum deductum est: spectante ex fenestris tectisque vicatim innumera plebe ciuitatis. Maioris templi singula ornamenta subselliorum ordines, vela, tapetes, qui parietes vestiebant, scribere operosum & longum esset. Lichnorum autem per templi muros sursum deorsumque tanto fulgore ecclesia & micabat & calebat, vt illo venientes pauloque morati æstuarent. Postridie solennibus exequijs facta re diuina, pari (quo supra dictum est) incessu, cum ad Dionysianam portam ventum est, ordo deducentium funus, transito suburbio, & rectore cum suis scholasticis domum repetente, talis fuit qualem ab Ambasia ad Beatam vsque Mariam de Campis seruatum fuisse diximus. Inde ad crucem (quæ in via militari ad Sanctum Dionysium est, & pendens nuncupatur) pompa processit. Quo religiosi cœnobitæ Ecclesiastico ornamento conuenere: funeri per sacras cerimonias obuiantes. Præerat illi abbas de Fecano. Nam loci abbas, supra aliquot annos Cardinalis factus, Romæ agebat. Vbi ad oppidi portam pompa successit, quatuor perlamenti Præsides & cæteri Senatores suum iterum ordinem receperunt, obambulantes funus. Cui tam diu astiterunt, donec funebribus officiis absolutis ad sepulchri locum deduxissent. Fecit rem diuinam Cardinalis Luxemburgus: Funebrem orationem Ioannes Andegauus Præsul, qui Regius confessor fuerat, habuit lamentationis plenam. Dum in fossam cadauer deponi cœptum est, adscitis per caduceatores regiæ domus magistris, singuli singulos baculos, quibus ministrando Regi vsi erant, in fossam demiserunt. Inde caduceatores ipsi, & armorum seruientes, sericas vestes regiis insignibus*

*pictas*

*pictas exuentes, eas cum suis maßis deponunt. Qui vexillũ (cui Guidon nomen est) gestabat, demissam magna religione lanceã ad tumulum prostrauit. Eadem obseruatione fecit, qui regium signum ferebat, cum pars adhuc feretri extra fossam extaret. Eo in fossa instrato, accedens qui Panonem gerebat, humi signum deposuit. Simile fecit signifer maioris vexilli. Magnus inde scutifer Petrus de Ruse regium gladium (quem terræ commiserat) in altum exerens, postquam exaltata voce* VIVAT REX, *pronunciauit, caduceatores suas tunicas receperunt. Mox cubicularius primus vexillum maius erexit, quod postea eminenti loco positum est. His ad præmissum modum religioso ritu cõsummatis, epulatum est, in regia domo, non secus ac regibus mos est.*

## DE FVNERE SIGISMVNDI AVGVsti Poloniæ Regis.

## VIII.

*CVm Sigismundus Augustus sereniβimus Poloniæ Rex quinquaginta iam annos exegisset, & arduis curis ijsq; frequentibus regni debilitatus, ac lenta morbi diuturni tabe confectus esset, integris plane vniuersis & inmotis animi sensibus, de ærumnosa hac vita obitu sane perquam tranquillo & pio discesßit* XIIX. *Iulij anno* CIↃ.IↃ.LXXII. *Knysiniæ quo se Varsouia Lituaniam inuisurus contulerat. de Knysinia postea Tikocinam arcem quam ipse ædificauerat munitißimam, duobus miliaribus distantem, funus deductum, tandem Varsouiam vno quasi anno exacto, Varsouia Cracouiã cum magna Senatorum pompa, regina sorore sequente deducitur ad sepulturã, cum iam felix aduẽtus regis electi MiedZirZeciam nunciaretur, ante Cracouiã aduectũ, & in Pradnik curia depositum, triduoq; exacto, omnib. pro iustis persoluendis tanto principe dignis præparatis* XV. *Febr. die omnes Senatores, & episcopi ac equites, q ad id funus cohonestandum, & exspectatiõnẽ futuri regis vndiquaq; confluxerant, lugubri vestiti habitu, ad serenisß. reginulam Annam infantem, prudentißimam pijßimamq; & honoratiß. virginem, in arcem oẽs sese conferuut. Similiter matronæ illustres tetris velamentis capita obuolutæ conueniunt, q̃ principem mœstam atq; adeo exanimatam fere, largifluisq; confectam lacrimis amanter & diligenter consolabantur. Hæc dum fierent, interim æreæ campanæ in omnib. sacris ædib. ciuitatis, & circumquaq; in pagis vicinis paræcialib. pulsabantur, ita vt et vrbs ipsa & vicinia latè omnis personaret; senatorib. reginulam Pradnik vsq; prosequentibus. Vnde mox funus plumbeo loculo depositum serico villoso nigro obductũ, stemmatib. & insignib. regni ornatum,*

*octo equis absolutæ nigredinis deducitur, aulicis circumquaque serici villosi tegumenta longe per terram errantia tenentibus. Sequebatur vero longe honestißimus illustrium & ornatißimorum virorum comitatus, quibus omnibus vnus habitus atratus & lugubris erat. In his nobilißimi grauißimiq; viri legati externorum principum, archiepiscopusq; & episcopi cum abbatibus conspiciebantur. Infans mœstißima a legato summi Pontificis & Venetorum oratore pedetentim deducebatur.*

*Hinc* XXXII. *pheretra serico villoso & pannis aureis holosericoque pretiose tecta præferuntur cum insignibus regijs. Equi* XXXII. *similiter omnis generis & coloris holoserico sericoq; tecti, & vtroq; latere armis regni ornati ducuntur. Demum singularum prouinciarum vexilliferi, vexilla terrestria, armati & equis insidentes generosis præferunt.*

*Primo vexillum nigrum aulæ regiæ, aquila alba coronata cum expansis ad volandum alis in campo rubro præferebatur: aquilam vero omnia insignia prouinciarum regni cingebant.*

*Postea magni ducatus Lituaniæ vexillum rubrum, equo currente cum equite armato gladium supra caput tenente exertum, ex alia parte quatuor columnis insigniebatur in campo rubro.*

*Hinc vexillum Góczka dictū cruce duplici in cāpo cœruleo insignitum.*

*Cracouiēsis terræ vexillum rubrum aquila alba similiter insignitum.*

*Sendomiriensis terræ vexillum rubrum insignitur clypeo siue scuto diuiso ex parte dimidia lineis trib. rubris & trib. albis, ex altera dimidia campo cœruleo sparso triplici stellarum serie notato.*

*Kalißiensis terræ vexillum capite bisontis inter cornua coronam auream gestante, per naresque circulum aureum habente, in campo more schachorum distincto albo & rubro insignitur.*

*Posnaniensis terra aquilam albam simplicem in campo rubro gestat.*

*Siradiens. terra leonis rubri & aqlæ nigræ medietate, corona insigniti.*

*Cuiauiensis leonis nigri & aquilæ rubræ coronatorum medietate.*

*Lancicicensis aquilæ albæ & leonis nigri coronatorum medietate.*

*Rauensis terræ vexillum aquila nigra R. in pectore aureum gestante insignitur. Similiter Plocensis litera P. in pectore ornata ad differentiā.*

*Belzensis Gryphe albo in campo rubro insignitur.*

*Lublinensis terra ceruum in collo coronatum gestat in campo rubro.*

*Podoliensis terræ vexillum Sole radiante in campo albo.*

*Leopoliensis leone petram ascendente in campo cœruleo.*

*Premisliensis aquila aurea bicipiti coronata in campo cœruleo.*

*Chelmensis vrso inter tres arbores gradienti in campo glauco.*

*Dobrinensis capite humano coronato ex corona eminentibus cornib.*

*Vielunensis Agno Dei cum vexillo cruce insignito, & calice in campo rubro.*

*Sade-*

*Sadecensis scuto diuiso, in cuius media parte tres lineas rubras & totidem glaucas gestat, altero medio rubro nouem stellis signato.*

*Liuensis aquilæ rubræ & vrsi albi medietate coronati.*

*Drohicinensis stemmate magni ducatus Lituaniæ ex alia parte aquila alba insignitur in campo rubro.*

*Kiouiensis S. Georgio draconem lancea feriente in campo cœruleo; ex alia parte vrso albo in campo viridi ornatur.*

*Ducatus Prußiæ aquila nigra, ex alis manu armata cum gladio prominente; ipsum vexillum rubrum est.*

*Ducatus Silesiæ Gryphe albo in campo rubro.*

*Palatinatus Valachiæ vexillum capite bisontis inter cornua stella & latere dextro luna deficiente ornatur, cum circulo per nares traducto in campo cœlesti.*

*Zatoriensis ducatus vexillum cœrulei coloris aquila alba litera Z. in pectore ornata insignitur.*

*Osvuiecimensis aquila nigra O. litera in pectore ornata in campo cœruleo.*


*Massouiæ ducatus aquila alba cum ducali pileo in campo rubro.*

*Slupcensis ducatus Gryphe rubro in campo albo vexillum insignitur. Similiter Pomeraniæ ducatus iisdem armis vtitur.*

*Ante funus regium magnificus dominus N. MacZieiouuski integra armatura cum equo tam affabre facta & subtiliter, tum argento & coloribus distincta, vt omnium oculos in admirationem sui converteret, armatus, in manu gladium auratum mucrone ad latus conuerso gestabat. Hunc sequebatur armiger atra veste circundatus, hasta cuspide in terram conuersa, cum vexillo scutoq́; à læua & insignib. regiis armatus. Ensifer quoq; regni gladium mucrone ad latus conuersum præferebat. Tum pomum typum mundi repræsentans, sceptrum, corona aurea à senatorib. quib. id cōpetebat, portabātur. Legati aūt singularum puinciarum antecedebant. Post nobilitatem succedebat vrbis senatus & populus longo ordine. Omnis quoque Clerus præibat. longißimo honoratißimoque & maximè venerabili agmine. Ex ludis deinde literariis pueri de more antecedebant cum cantoribus lugubres nænias decantantes: hos almæ Academiæ doctores & magistri omnisque studiosorum ordo insequebatur. Hinc plus quam* CIↃ.CIↃ.CIↃ.CIↃ. *obscuro & tristi habitu vestiti cum funalibus & candelis vndique collucentibus ibant. Vbi iam in arcem ventum est, in ædem cathedralem, quæ vndiquaq; defixis cereis ardentibus illustrabatur, funus honorificentißime deponitur, regalib. supra collocatis. Exinde finitis carminibus vsitatis & solennibus orationem funebrem habuit abbas Magilensis, pietate & doctrina venerabilis:*

*lis: postea conuenientissimis decentissimisq; cerimonijs exsequiarum absolutis in tumulum maiorum suorum demittitur. Postera die in omnib. ecclesiis episcopi sacra celebrabant ad omnes sanctos, Franciscum, Annam, Stephanum, Marcũ, Stanislaum, item ad sacrosanctam, & indiuiduam Trinitatem. Vexilliferi quoq; singuli cum suis vexillis eadẽ quæ pridie pompa, cum equis totidem, & pheretris prædictis vrbẽ lustrabant; eques quoq; ad funeris pheretrum cataphractus vndiq; casside pro plumis cereis ardentibus circumuolutus, equo delabitur, hasta confracta, et gladio proiecto, cumq; cantaretur; Agnus Dei, Cancellarius & Vicecancellarius sigilla Regis mortui confregerunt: cæteri autem senatores sua sceptra posuerunt in altari. Ciues quoque vrbis suas exsequias funebres in ecclesia paræciali ad S. Mariam celebrabant.*

## RITVS ET CERIMONIAE OBSERVARI SOLITÆ in funere cuiusuis Regis aut Reginæ Galliæ. IX.



*Imul ac Rex obijt aut Regina, exprimitur eius imago cera in faciem imposita, vt accuratè effigies formæ illius respõdeat. Dum imago illa fit, sepelitur corpus à cubicularijs nobilibusq; domesticis: deinde positum in feretro plumbeo obtecto lignis & nigro holoserico cui crux ex albo serico imposita est, à custodibus in aliquod cubiculum instructissimum exportatur, spondæq; imponitur cuius bases auro textili exornatæ sunt, & super corpus insternitur operimentum magnum ex auro textili dependens humi. Huic basi ex aduerso in eodem cubiculo est altare paratum ad cantandam quotidie missam, officiaq; tantisper præstanda dum corpus ibi mansurum est. Postquam effigies comparata est, in aula ornatissima collocatur circumdata sedib. auro textili striato con textis, quibus insident antistites, proceres, nobiles, & officiales effigiem comitantes: quæ effigies imposita est lecto ornatissimo habente operimentum ex auro textili circumquaq; humi dependens, limbis factis ex murium Ponticorum pellibus distinctis, qui in longitudinem ab operimento excedũtur amplius iustum pedem. Huic effigiei primum induitur interula ex tela Hollandica serico nigro acupicta ad collum & manus; deinde subucula ex serico rubro coccineo, inserta serico leuidensi eiusdem coloris, & circumornata breui peniculamento, cuius subuculæ manicæ tantum vsq; ad latera brachiaq; & ad tibias quasi digiti quatuor conspicui sunt, propterea quod tunica serica cærulea insperfa floribus lirinis ex auro, peniculamentum habet ex auro & argento à manicis ad cubitũ vsq; digitos quatuor latum. Tunicæ impositum est regale pallium ex holoserico hyacinthino coccineo cæruleo, insperso floribus lirinis ex auro, in*

*vlna-*

*vlnarum quinq; longitudinem cõprehenso syrmate: quod pallium ante obtectum carens manicis infartum est serico leuidensi albo; collare autem rotundum muribus Ponticis inuersis, ornamenta deniq; omnia & syrma pallij infarcta muribus Ponticis. Ad collum effigiei supra pallium est catena ordinis magni Regis; ad caput pileus ex holoserico coccineo superne ornatus gemmis: tibijs indutæ sunt ocreæ ex tela aurea; soleis ex serico coccineo rubro, effigiei manus coniunctæ sunt: eam circumstant ad caput ceruicalia duo ex holoserico rubro coccineo arte Phrygionica ex auro, quorum vni ad dexteram sceptrum imponitur tanta ferè longitudine quanta est effigies, alteri ad sinistram manus iustitiæ tecta, impacta baculo longo duos pedes & dimidium. Lectus nullis supparis circumdatur. Ad angulũ lateris dextri, versus regulam illius est cathedra ex auro textili, & in ea puluinar eodem opere. In extremo lecti iuxta illum est scabellum obtectum auro textili, cui argẽtea crux deaurata imponitur: vlterius alterum scabellum est textili auro striato tectũ, cui semper insident chlamydati præcones duo, qui aspergillum offerant principibus lustralem aquam insperfuris. Inter præcones horæ distributæ sunt, vt semper honoris causa bini adsint. In extrema aula è regione illius effigiei est altare optime instructum. Ea in aula effigies octo dies aut nouem permanet, & ex quo Rex obijt vsq; dũ effigies à propinquo corpore auferatur, & deinceps eædem formæ officiorum exhibentur quæ viuo Rege solebant exhiberi: ordinarijs horis prandii & cœnæ mensa ab administris sternitur, ministerium mensale à nobilibus affertur præeunte ostiario quẽ administri poculorum sequuntur: tegitur mensa cum salutationib. & prægustationib. solitis: panis scinditur, paraturq; cibus, & cætera ad cibum pertinentia, præeunte ostiario & præfecto prætorii à panifice, assecla archimagiro, & mensalis ministerii custode: mallubrum et mantile abstergendis ma[illegible]bus à præfecto prætorii vni ex procerib. summo qui tum aderit committitur. Mensæ antistes bene dicit aut eleemosynarius, mallubra cathedræ Regis apponuntur tamquã si viueret, triaq; fercula mensalia ex more cum vini administratione, cuius poculum ijsdem locis exhibetur vbi Rex mortuus solitus erat bibere. His finitis ꝓ more mallubrum iterum affertur, gratiæ quoq; ab eodẽ antistite aguntur aut eleemosynario, adiectis psalmis & orationib. pro defunctis, adstantib. ijs qui Regem viuentem hora cibi solebant appellare, aut roganti respõdere: inter quos accedunt Principes, antistites, nobilesq; viri & feminæ ꝓter domesticos: cibaria dantur pauperibus. Sublata effigie, in mediã aulam loco illius apportatur corpus Regis et trapezophoris imponitur altis cum feretro pedes ferme quatuor & dimidium, quod feretrum holoserico nigro humi dependente tectum est, & in medio habente crucem ex albo serico, ad an-*

*gulos vero singulos scutū stemmaq; Galliæ cum corona & Regis ordine, circumquaq; supra holosericum est magnus tholus ex auro textili heteromallo, cum cruce magna in medio ex albo serico, minoribusq; Galliæ insignib. Ad extremitatem quamq; huius angustioris crucis circa tholum holosericum coccineum hæret hyacinthinum inspersum florib. lirinis ex auro in holoserici latitudinem, cui appingitur limbus è murium Ponticorum pellib. digitos quatuor latus, supra tholum feretrumq; versus caput est puluinar ex auro textili heteromallo, cui incumbit corona inter sceptrum & iustitiæ manum: ad sinistram pedes versus & super feretrum est deaurata crux ex argento. corpori feretroq; incumbit opulentissimum puluinar ex nigro holoserico. Infra ad pedes est scamnum nigro panno tectum, in quo est aquiminale, et vtrimq; inferiora scabella duo similiter tecta, quibus insident præcones duo chlamydati & tecti humeralib. Cum magnæ missæ canuntur, aut principes & Cardinales accedunt, adstant præcones vt adspergillum exhibeant: quibus principibus & cardinalibus ad præconum latus statuitur scamnum panno nigro tectum, vt durante missa officioq; sedere possint. Circa corpus feretrumq; est repagulum nigrum: aula atrata est lateribus & solo itemq; circumdantia sedilia quibus officiales insident. In extrema aula duo sunt altaria ornata inter se propinqua: vnum sacelli magni, in quo magnæ missæ canuntur, alterum oratorii, in quo submissæ. Magnæ missæ pro defunctis, quæ postrema symphoniacè canitur, & missæ oratorii quam ordinarius defuncti Regis sacellanus facit; assistunt primores, nobiles, officiales, & custodes atrati omnes. Hæc officia quotidie præstantur, & signum concionis datur, donec corpus inhumandum efferatur. Paucis ante dieb. Rex successor purpurato pallio regali purpuratoq; humerali, cuius pallij syrma à quinq; principibus fertur, cum eo comitatu quem voluerit, in aulam aduenit, vbi primus cubicularius puluinar ipsi exhibet, super quod post salutem solitam in genua procidit & preces dicit, corpusq; aqua lustrali adspergit oblato per antistitem vnum adspergillo quod antistes alter ipsi tradiderit: deinde exsurgit Rex, & salute dicta abit. Purpura lugubris color est Regum, Reginarum vero color luteus. Rex pallium suum positum præconibus solet dare. Tenendum autem est si Reges aut Reginæ Lutetiæ obierint, inhumandum corpus ex ædibus peti vbi decesserint. sin extra Lutetiam, deduci illud in ædem Mariæ Campensis aut S. Antonij Campensis prout commodius iter est. Aduenīēte eo status Lutetianos, id est, p̄sides aliaq; parlamenti quod vocant officia atrata, rationarios, subsidiarios, monetarios, electos, p̄fectum mercatorib. ædiles consiliariosq; vrbis oēs pullatos p̄cedere et corpori transeunti venerationem exhibere. Postridie mane p̄cones XXIV. p̄clamāt in foro ad marmoreā mēsam et in plateis*

honori-

*honorificas Regis præfationes adducentes prout consilium ipsius statuit, non autem parlamentum; quod ab eo munere quamuis demandato in Regem Henricum secundum sese excusauit. Breues eæ præfationes solitæ sunt fieri, quod est conuenientius. Pom- ridiano tempore deducitur in ædem vsq; S. Mariæ Lutetianæ: atq; vt amplius adduceretur populus ad honorem corpori quod est in feretro exhibendũ, effigies solet imponi feretro quo clauditur corpus. Ex priuilegio Lutetiani gestatores salis (quos vocant Auoarios) inferne feretrũ effigiémq; baiulabant. In exsequijs Caroli octaui Regis viginti nobiles qui in gratia fuerant, noluerunt pati vt ab infimæ sortis hominib. efferretur: sed ipsi neglecto labore propter studium in dominum suum singulare suis humeris gestauerunt, atq; (vt graue fuerit) soli maximo labore corpus effigiemq; ab æde S. Mariæ Campensis in tumulum vsq; exportarunt. Plutarchus in vita Numæ secundi Romanorum Regis auctor est patricios humeris lectum exportasse vbi erat corpus illius quando efferebatur. In funere Ludouici Regis duodecimi corpus effigiei suberat, quod gestarunt Auoarij concedentib. priuilegium nobilibus. In funerib. Francisci primi & Henrici secundi corpus ab effigie cœptum est separari, & currui signifero imponi, vt effigies esset eminentior. Itaq; soli effigiei ex eo tempore honores ad corpus ipsum pertinentes fuerũt habiti, licet futura resurrectione immortale futurum sit. Huius effigiei onus gestare pergunt Auoarii, sed onus est sublato corpore nõ mediocriter alleuatum. Cubicularii Francisci primi Regis circumligatis collo cingulis & solo capite exstante voluerunt minimo labore efferre illam. Henrici vero cubicularii in funere eius retecti, ad latera effigiei solummodo manibus operimentum ex auro textili cui effigies incumbebat sustinuerunt sine cingulis, aut alia gestatus simulatione. Sic paulatim ordo iam olim introductus propter solos Reges corrumpitur, quorum præcipuum officium est, vt ius bene administrari curẽt: qua administratione vt doceatur eos bene pfunctos esse, & Rex successor ad pfungendum adducatur, deniq; omnib. innotescat, iustitiam morte Regum minime desinere, solum parlamentum semper solitum est ante pone & à laterib. corpus effigiemq; circundare. Quod in Dionysiano conditur, ad Parlamenti commoditatem confectum est, abs quo præfertur luctus vt ostendat non suo nomine ferre, sed in honorem Regum Reginarumq; decedentium. In Caroli octaui Regis funere nobiles, domestici, & custodes circum corpus manere voluerunt, sed non fuerunt designatores, & nobiles ante, custodes post corpus collocarunt: in funere tamen Henrici secundi Regis custodes cum suo Duce circumdederunt corpus: Episcopus Parisiensis & magnus Regis Eleemosynarius ante effigiem proxime incesserunt: quod tent ante in exsequiis Francisci Regis superiore Episcopo, fuit interdi-*

 *ctum,*

*ctum, quamobrem se recepit ad alios Episcopos quorum processit ex ordine vltimus; est enim Regis curio quocunque loco sit, quia est summi oppidi Episcopus: propterea in sacello Regis officia ex vsu Parisiensi fiunt, corpus accipit, cum adest, etiam extra dicecesim suam, exsequias Regum in sua Ecclesia facit, & pompam funebrem: in qua non decet locus vllus Episcopum, sed proprius ipsius ordo est, vt deducat clerum. Accedit ad rationes has vsumque veterem, quod in sepulturis quibusque curio feretrum defunctorum proxime sequitur: familia seruorum præit, necessarij, & amici sequuntur corpus defuncti. Hæc pompa familiæ Regis & domesticorum ad ipsum pertinentium, qui gestant Regis insignia. In decreto Parlamenti relato in acta die vigesimo Nouembris* CIↃ.CCC.LXXX. *narratur in funere Caroli V. Regis tumultum fuisse à studiosis excitatum eo quod Rector Academiæ eodem ordine cum Episcopo capitulum suum deducente voluerit procedere: sed hæc rixa composita est, nam Rector ad dextram è regione illius incedit, & Decanus Parisiensis Ecclesiæ ad sinistram, summus Eleëmosynarius & magister oratorii, nisi sint antistites, in Eleëmosynariis procedunt vltimi: quod si Episcopi sunt, in Episcoporum ordine; sin Abbates, inter Abbates debent procedere. Pompa est huiusmodi: primus Regis armiger atratus pedibus incedens fert vexillum Galliæ (fanonem vocant) factum ex holoserico cœruleo, variatum floribus lirinis Phrygionicis ex auro, tectum pellucido bysso, ita vt vexillum non obscure appareat. Sed quia vox Fanonis priscis Gallis ex antiquo sermone Germanico recepta paucis est cognita, scire licet in* LIX. *capite legis Germanorum pro linteolo accipi: cumque vexilla ex linteo picto fierent in vsu fuisse vt Fanones dicerentur. Cornicines, Tympanistæ, Tubicines, aulœdi non sonantes subsequuntur taciti, ore instrumentorum suorum in terram verso, reiecto humerali, & aperto capite, demissis tubis & passis vexillulis: currus signifer tectus in terram vsque nigro holoserico habet magnam crucem ex albo serico cum viginti quatuor stemmatis Galliæ opere Phrygiano corona & ordine circumdatis; Hunc currum equi sex trahunt; binis tectis nigro holoserico in terram vsque, cui superne ex transuerso est magna crux ex albo serico: primo & vltimo equo sinistro latere insident aurigæ duo pullati, reiecto humerali, quem currum circumstant armorum administri. Corpus Regis sequuntur aliquot ex quatuor mendicantibus gestantes cereos quibus impacta sunt scuta cum signis Galliæ, & duodecim asseclæ induti nigro holoserico, aperto capite, reiecto humerali, insidentes equis duodecim tectis holoserico nigro cum cruce ex albo serico, quorum quemque habenis ducit pedes atratus, reiecto humerali è panno, aperto ca-*

*to ca-*

*to capite. Hippocomiæ Præfectorum vnus gestat calcaria, alter manicas militares, alius insigne Galliæ in scuto coronato cum ordinis catena circumquaque, alius chlamydem ex holoserico hyacinthino cum Phrygianis floribus lirinis: Primus autem Præfectus aut (eo absente) qui ætate maximus est, galeam insignem. Hi Præfecti quinque atrati, humerali ad caput apposito procedunt, equis ex holoserico nigro instratis cum cruce alba è serico. Circumstant eos permulti asseclæ hippocomiæ pullati. Equus autem insignis phaleratus, & plane opertus coccineo holoserico hyacinthino ex cœruleo variato floribus lirinis ex auro Cyprio ab auribus in terram vsque ab hippocomis duobus deducitur, quem equum circumstant vtrimque præcones aliquot summi pedibus, chlamydibus inuersis, posito ad caput humerali: & hippocomorum summus insidet equo instrato tectoque ex nigro holoserico, cuius medio crux magna ex albo serico est imposita. Huic summo hippocomo est ensis regius alteri accinctus humero & holoserico obtectus coloris Veneti, variato floribus lirinis ex auro: quem hippocomum humerali obtectum ad latera præcones quatuor pedibus deducunt, ornati vt superiores. Postea vero gestatur effigies non consertis manibus, vt in aula fuerat: sed dextera sceptrum tenens, sinistra manum iustitiæ. Sequitur designator, & maximus cubicularius signum gestans Galliæ ex holoserico coccineo hyacinthino, insperso floribus lirinis ex auro Cyprio, peniculatum & quadratum super lanceam purpuratam, vt ea qua vexillum geritur sed paulo ampliorem. Horum equi instrati sunt nigro holoserico cum alba cruce serica. Iuxta hos portatur tholus pro effigie comparatus, sed lõge dissitus, vt effigiei prospectum non impediat, quem in vrbe gerunt præfectus mercatoribus ædilesq́. Hos sequitur maximus (vt vocant) luctus Principum mulis paruulis insidentium syrmatis palliorum longissimis, quæ geruntur singula à pullato aliquo nobili pedibus subsequente. Post eos procedunt legati lugubri veste atq; humerali, deinde equites conchyliati ordinis habentes signum ordinis sui & humerale lugubre, vt quicunq; sequuntur proceres & nobiles ad cubiculum Regis pertinentes, item præfecti custodijs, & sagittarij cum luctu induti tunicis argentatis. Hæc pompa antea non immiscebatur clero (sunt enim regalia ornamenta ad Reges spectantia) in postremis autem exsequijs immixti fuerunt antistites & eleëmosynarij: quod propterea scriptum volui, vt rex eum ordinem cum placuerit statuat, & obseruari in posterum curet, ac non temere licentia hominum patiatur infringi. In æde summa Parisiensi fit solenne officium vesperi & postridie mane; à prandio vero deducitur funus eodem ordine ad crucem pandam vsque, tum Dionysianum cœnobiũ ordine supplicationis veniẽs corpus effigiemq́; si vna sunt,*

 *ab epi-*

*ab episcopo Parisiensi accipit, qui cum suis inde reuertitur. Cœnobitæ vero corpus effigiemq́; simul in suum locum efferunt; aut effigiem solum in suam ædem vsq;: ab ingressu vero Dionysiani oppidi tholus à cœnobitis quibusdam baiulatur. Vesperi fit solenne officium, itemq́; postridie cum inhumatione corporis cenotaphio magno impositi tectiq́; ex auro textili. Effigies, coronæ, sceptrum, & manus iustitiæ sublatæ traduntur præconibus, à quibus oblatæ tribus principib. accipiuntur: & confestim nobiles qui a cubiculis fuerunt defuncti regis, tollentes corpus in fornicem efferunt vbi est inhumandum: quo postquam descendit, similiter descendit fæcialium vnus qui clara voce proclamat fæcialibus, præconibusq́; vt facturi officium veniant: atq; illi statim accedentes, positas chlamydes substernunt corpori regis supra fornicem recumbenti. Qui autem in fossa est, eos nominatim vocat ex ordine, quinq; hippocomos vt afferant calcaria, manicas, scutum, chlamydem, & insignem galeam, quod faciunt; deinde aduocat armigerum primum, vt vexillum afferat: tum Duces Heluetiorum, & custodum, sagittariorum, ducentorumq́; nobilium domesticorum, vt signa sua afferant, quod item faciunt: hippocomum summum vt gladium regalem; primum cubicularium, vt signum Galliæ afferat, quod itidem faciunt: magnum magistrum aulæ, vt facturus officium veniat, quem præcedunt omnes præfecti prætoriani conijcientes in fornicem suos baculos, & magnus magister etiam suum; tum etiam tres principes aduocat, vt manum iustitiæ, sceptrum, coronamq́; afferant, quod item faciunt; idq́; omnes cum solenni honore, quotiens præter principes magni illius luctus ordine p̄teruehuntur: tum præco ille q̄ est in fornice ter exclamat; Rex mortuus est, oretur Deus pro anima eius: eodemq́; mom̄eto Regem nominans exclamat magna voce, Viuat Rex successor; idemq́; proclamat alter præco consistens in ædis pulpito. Tunc signo tubis & tympanis dato itur ad prandium: quo facto magnus magister aulæ antistitib. equitibusq; conchyliati ordinis comitantibus venit ad summam consessus illius mensam vbi congregata sunt domestica officia defunc regis, actisq́; gratijs exponit illis non amplius esse ipsis dominum, quare oportere vt sibi prospiciat quisq;, et signo magistralis baculi quem frangit demonstrat solutam & distractam esse familiam. vbi non est silentio transeundum esse relatum in acta, rupto in exequiis Caroli VIII. Regis baculo duos ipsius domesticos, alterum à cyathis Regi, alterum sagittarium custodem corporis ex dolore repente vitā cum morte commutasse: singulare amoris in famulis exemplum erga Regē optimum, q̄ proprie nominandus fuit amor & delitiæ hominum (vt Suetonius nominat Titum) adeo ab omnib. humanitatis lenitatis & bonitatis nomine amatus est, quibus virtutibus (vt ait alibi Cicero) principes ad Deum proxime accedunt.*

*dunt. Cancellarij Galliæ priscis temporibus prosequebantur Regum funera. Narrat in Chronico suo Matthæus Cucius Cancellarium Galliæ Guilelmum Vrsinensem funeri Regis Caroli Septimi interfuisse, nō cum Parlamento (quod desinente Regum anno solet interesse) sed post luctum illum qui vulgo maximus appellatur. Interfuit quoque Parlamentum funeri Joannis Regis, decimonono & XX. Aprilis anno* CIↃ.CCC.LXVI. *itemq́ Caroli* VII. *vndecimo* IXbris CIↃ.CCCC.XXIII. *vbi cum Parlamento aderat Ioannes Clericus Cancellarius Galliæ. Sine Cancellario vero interfuit Parlamentum, desinente anno Francisci secundi Regis quarto & quinto Decembris* CIↃ.IↃ.LXII.

*Reginarum autem funeris ordo melius quam ipsorum Regum obseruatur: vbi est effigies earum coronata vestitu & pallio regali purpureo, variato floribus lirinis, tenens dextra sceptrum & sinistra manum iustitiæ. deinde Principes concelebrantes magnum luctum & incedentes proceres viri feminæq́ lugubribus amiciuntur. Gratijs à prandio dictis, baculus item à summo aut primo eius præfecto prætoriano frangitur, Tholi exuuiæq́ figurarum quæ regibus & reginis factæ sunt & in funere cum ipsis elatæ, ad abbatem cœnobiumq́ Dionysianum pertinent, nō autem ad summum hippocomum aut alios regum reginarúmve administros; atque hoc ex sententia lata in Parlamento* IX. *Iulij* CIↃ.IↃ.I. *Ad religiosas autem Salicti prope villam Iudæam pertinent linteamina corporis mensarumq́, sigilla aurea & argentea, muli omnes, mulæ, equi generosi & honorarij officialium atque aliorum tum qui traxerunt currus regum reginarumque, tum qui effigies illas in exsequijs extulerunt, cum stragulis, collarijs, & ornamentis.*



# PANDECTARVM TRIVMPHALIVM TOMI SECVNDI LIBER PRIMVS, QVI EST DE HASTILVDIIS SOLENNIBVS *in Germania celebratis.*

## DE HASTILVDIORVM SOLENNIVM IN Germania origine, causis, auctore, &c.

*CVM Leone huius nominis septimo Pontifice maximo, Henricus I. Auceps, quod impensè aucupio delectaretur, cognominatus, & à stirpe Saxoniæ Dux, imperio iam potitus indignũ existimaret magnitudine sua, hostem Christiani nominis, cuius ipse esset caput, & vindex, pecunia potius, quàm armis submouere; ægreq; ferret prouincias multas, quas Carolus Magnus imperio subiecisset, ab eodem imperio aut prorsus alienatas, & auersas; aut certe Hunnis, qui iam paulatim in Hungarorum nomen concedebant, tributarias factas; etiam illis obnoxijs, quib. hæreditario iure præerat, ac nominatim Saxonia vtraq; Ducatibusq; Brandenburgensi, Stetinensi, Pomeraniæ, Megaloburgensium, Vinidarum, & Rugiæ, qui tum alijs atq; alijs nominibus nuncupabantur: ne tantam iniuriam in se acciperet, laudatißimus Princeps anno salutis humanæ* Iɔcccсxxxv. *ad omnes Imperij ordines, & imperio subiectos aut confœderatos litteras & mandata dedit; graui pœna in eos pronunciata & constituta, qui aliter fecissent, ne cui deinceps tributa soluerent. Quod cùm in contemptum sui factum violentißimè interpretarentur Hunni, adiunctis sibi Tartarorum & Russorum ingentibus copijs, in Obtritarum, Vinidarum, Saxonum, Brandenburgensium, Thuringorumq; agrum excursione facta, breui eos omnes subegere; impositis, vbi ita è re videretur, præsidijs; actisq; etiam ex vicinis regionibus prædis, & multis millibus hominum contrucidatis. Donec commotus talibus & tam enormibus damnis, vt par erat, Imperator, absoluta auctoritate sua vsus; omnes Imperij ordines, subditos, amicos, ad bellum euocauit, vt vim vi repellendo, qui minimam*

 *indigni-*

*indignitatem tolerare recusasset, ostenderet, se ad hoc non temeritate, sed consilio descendisse, tamq́; se suis tuendis sufficere, quam impotenter Hunni aliorum libertatem suam iniuriam interpretabātur. Dies autem, ad quem diem copiæ omnes coire debebant, dictus est certus post mensem tertium: locus, ad Magdeburgum vrbem siue Parthenopolim patentes campi, quo Imperator cum suis ipse quoque venturus erat, per se potissimum cum fidei hoste acerrimo prælio decertaturus.*

Apparatus bellic⁹ contra Hūnos. *Nec moram fecere laudatißimi Imperij Principes, aut Imperatoris sui voluntati defuere: sed quot maximas quisq; equitum & peditum copias armare potuit, cum tormentis bellicis, eisq́; omnibus, quæ eo pertinent, in expeditionem eduxere; ac nominatim quidem:* Copię Conradi Comitis Palatini. *Conradus Palatinus Rheni, Sacri Romani Imp. Vicarius limitaneus; ad quem plurimi iam ante conuenerant cum suis quiq; vicini, & maximè Belgicæ Principes ac Reguli; vel quia sacramento ad id obstringebantur; vel quia gloriosum putabant, pro religione in impios pugnare; vel deniq;, vt specimine aliquo virtutis suæ in eo bello dato, ad Imperatoris amicitiam viam sibi facerent.*

Treuirēsis Episcopus. *Inter alios, Treuirensis Episcopus ad eundem quoq; Conradum militem suum ire iußit ductu Comitis VVíprechti à Leiningen, qui cum summo imperio illi præesset; & Comitis VVarmundi Spanheimēsis; qui Magistri Equitum, siue, vt nunc vocant, Marschalli officio fungeretur, attributis his præterea*

*VVeckero Comite Bipontino,*
*Joanne Comite Sarbruckensi,*
*Philippo Comite Veldensi,*
*Gerardo Comite à Seyn,*
*Joanne domino à Robern,*
*VVilhel. Comite à Manderscheid,*
*Dipoldo domino à RipoltZkirchē,*
*& VVilhelmo domino à Thaun, cum alijs præterea qui numerū* CCCC. *implerent.*

Coloniēsis Episcopus. *Treuirensis exemplum secutus episcopus Coloniensis, misit similiter ad Palatinum ductu Eberhardi Comitis Rauensburgensis summi Præfecti, & Dietheri Comitis à VVitgenstein Marschalli suas copias; adiunctis ijs VVilhelmo Comite Diesthēsi,*

*Albeco Comite à Firnberg,*
*Friderico Comite à Lone,*
*Ioanne Comite Blanckenburgēsi,*
*& Paulo Comite Hornano, alijsq́;: ita, vt simul conficerent admodum* Iↄ *Equites.*

Leodiensis Episcopus. *Post hos Episcopus Leodiensis, Thungrensis dux, suos allegauit sub Domino Hartmanno ab Arburgo, cui comites dati*

*VVolfgangus Comes à Dagsburg,*
*VVilhelmus Comes Limburgēsis,*
*Reinherus Comes Zutphaniæ,*
*VVolfgangus Comes Bentensis,*
*& VVilhelmus Comes à Teckelnburg.*

Ciuitates imperiales. *Adiunxerunt se his imperialium quoq; ciuitatum cohortes militares,*

*res, Metensium, Aquisgranensium, Coloniẽsium, Leodiensium. Quam multitudinem cum hilari & læta fronte Conradus Palatinus excepisset, præfecit vniuersis VVolfgangum Comitem à Katzenelnbogen, legati vice; & Marschalli Philippum Comitem à Reinen Grauenstein: concilio militari iußis præsidere, VVilhelmo Comite à Solms, Henrico Comite à Salm, Conrado comite à Lutzelstein, & Vuiricho Domino ab Ochsenstein. Qui rursum adiunctos sibi habebant,*

| | |
|---|---|
| *Fridericum comitem Veldensem,* | *Arnoldum Do. Breuburgensem,* |
| *Ludouicũ comitẽ à Saruuerden,* | *Fridericum Do. à Bickenbach,* |
| *Vuilhelmũ comitẽ Kyrburgẽsem,* | *Ioannem Do. à Hohengeroltzeck,* |
| *Fridericum com. ab Appermundt,* | *Vuilhelmum Dom. Erbacensem,* |
| *Reinherum comitem ab Hanauu,* | *Arnoldum Do. à Stouffen, aliosq́.* |

*vniuersæ autem copiæ q̃ ductu Conradi Palatini ad Imperatorem peruenere, equites* CIↃ CC. *pedites verò fuere admodum nouies mille octingenti, præter tormentorum bellicorum, & aliorum apparatuum, vehiculorum & curruum ingentem vim.*

*Parte alia ad Imperatorem properabat Hermannus Dux Sueuiæ, vt circuli sui caput & Princeps; qui de suis mille equites armauerat, præfecto eis Rodolpho comite à Vuerdenburg, Marschallo verò constituto Friderico comite ab Helffenstein; cum quibus vna erant* Copiæ Hermanni Ducis Sueuiæ.

| | |
|---|---|
| *Burchardus comes Veringensis,* | *VVilhelmus comes ab Achelm,* |
| *Ludouicus comes Pfirtensis,* | *VVolfgangus comes à Masax,* |
| *Vlricus comes ab Vrach,* | *Ernfridus comes ab Herraberg, et* |
| *Georgius comes Feldkirchensis,* | *Emich⁹ comes Grœningensis, alyq́.* |

*His accedebãt copiæ Episcopi Mediolanensis duce Ioãnne comite Pedemõtano, Episcoporumq́ Augustani, Cõstantiens. Eistettensis; item ciuitatum imperialium, Mediolani, Augustæ, Cõstantiæ, &c. ita vt vniuersæ illæ numerum* x. *miliũ equitatu et peditatu facile cõplerent, quas perinde vt superiores Palatini, tormenta et impedimenta nõ pauca sequebãtur.* Episcopi, Mediolanensis, Augustanus, &c.

*Sed nec clarißimus belli fama Princeps Berchtoldus Bauariæ Dux ad summam diligentiam quidquam sibi reliqui facere voluit, cum vicinis & limitaneis, verum de suis instruxit equites mille trecentos, electos omnes; quibus præerat Ernestus comes Hirsbergensis, Marschallo Radebottone comite Kronburgensi; aderant autem cum his vna* Copiæ Berchtoldi Ducis Bauariæ.

| | |
|---|---|
| *Hauguualdus comes Kyburgens.* | *Rodolphus comes à Zollern,* |
| *Haugius comes Montfortensis,* | *Frideric. comes ab Hohendruchading,* |

*& Ludouicus comes Tubingensis. Accesserunt ad hos missu multorum aliorum etiam Primatum, Comitumq́ aliquot aliæ turmæ, & numeri militares; in ijsq́ nominatim Episcopi Saltzburgensis (qui solus quadringentos equites submisit, quibus præfuit Dominus Hildepoldus à Firmion* Episcopus Saltzburgensis.

Episcopi, Frysingensis, Passauiensis, &c.

*Eques, Marschallo Domino Albeco à Torring; æquè ex ordine equestri) Episcoporum Frysingensis, Passauiensis, Tridentini, & Regensburgensis; adeò vt Bauaricus exercitus fuerit simul* XII. *milium, &c.*

Copiæ Conradi Fráciæ Orientalis Ducis.

*Restabat Conradus Franciæ Orientalis Dux, qui vt suum quoque studium in Imperium declararet, octingentos equites proprijs stipendijs conduxit; quorum fuit præfectus Otho Comes VVerthemiæ, & Marschallus verò Otho Comes à Reineck, ad quos adiunxerat*

| | |
|---|---|
| *Henricum Com. à Camerstein,* | *VVilhel. Com. Schlusselburgēsem,* |
| *Cratonem Com. ab Hohenloe,* | *Albertum Com. Norimbergēsem,* |
| *Rupertum Comitem Psauuenburgensem,* | *Vuolfgangum Comitem à Castel,* |
| | *Ernestum Com. à Gleichen, &c.* |

Episcopus Argetinensis.

*Quibus accessere missi ab Episcopo Argentinēsi duce N. Comite Fryburgensi, & Marschallo Friderico à Lichtenberg, numero cētum quinquaginta equites: & ab Abbate Fuldensi ducenti alij, duce Andrea Comite ab Hoye, & Marschallo Erntricho ab Hutten, quibuscum pariter dignitate æquabatur Albertus à Thungen: facientibus omnib. in vniuersum qui Conradum Ducem Franciæ Orientalis sequebantur numerum* IX. *milium, &c.*

*His quatuoruiris quasi belli gerendi in itinere plurimi se certatim alij adiunxere Principes, Duces, Comites, Barones, Equites, Nobiles, partim vt tanti decoris, quantum hoc apparatu quærebatur, participes essent, vel sanguinis sui pretio; partim vt talibus sub magistris belli tyrocinium deponerent. Videre igitur erat,*

Sub signis Palatini:

Principes sub signis Palatini.

| | |
|---|---|
| *Eberhardum Ducem Elsatiæ,* | *Claudium Principē Tholosanum,* |
| *Gotfridum Ducem Thungrēsem, & Bullonensem,* | *Eberhardum ducem Lotharingiæ,* |
| | *Paulum Ducem Barrensem,* |
| *Ioannem Ducem Limpurgensem,* | *Arnoldum Ducem Borbonium,* |
| *Antonium Marchionem siue Comitē limitaneū à Pōtamonson.* | *Ligorium Ducem Burgundiæ,* |
| | *Henricum principem à Mollesin.* |

Sub signis Ducis Sueuiæ:

Principes sub signis Sueui.

| | |
|---|---|
| *Ethiconem iuniorē ducē Bauariæ,* | *Henricum Ducem Lotharingiæ,* |
| *Carolum Ducem Brabantiæ,* | *Richardum Ducem Burgundiæ,* |
| *Fridericum Ducem Arduennæ,* | *Princeslaum Ducem Croatiæ,* |
| *Theodor. secundū, com. Hollādiæ,* | *Arnoldum comitem Flandriæ,* |
| *Gerard. com. limitaneū Iuliacens.* | *Radebottonem Ducem à Meron, comitem ab Andechs,* |
| *Carolum comitem à Tschny,* | |
| *Gotuualdū com. ab Hennenberg,* | *Ludouicum com. Mōtis Beliardi.* |

Sub signis Ducis Bauariæ:

Principes sub signis Bauari.

| | |
|---|---|
| *Eberhardum Ducem Bauariæ,* | *Rupertum Duc. Bauariæ superioris,* |

*Rutgerum Comitem limitaneum Auſtriæ,*
*Grotzomiſlaum Comitem limitaneum à Merhern,*
*Ludouicum Ducem Sabaudiæ, Comitem limitaneum à Seuſſe,*
*Reinhardum tertium, Comitem Hannoniæ,*
*Fridericum Comitem Hohenuuartenſem,*
*Eberhardum Comitem à Sempt,*
*Rupertum Ducem Burgundiæ,*
*VVenceſlaum Ducem Bohemiæ,*
*Ioannem Principem a Sampanij,*
*Melchiorem Com. limitan. Iſtriæ,*
*Albertum Landgrauium Alſatiæ,*
*Arnoldum Principem & Comitem a Scheiren,*
*Othonem Comitem Nariſcorum, ſiue Voitlandiæ.*

Sub ſignis Ducis Franciæ Orientalis:

*Henricum Ducem à Meron,* Principes ſub ſignis Franci.
*Rupertum Comitem Andegauenſem, & Pariſienſem,*
*Ioannem Comitem Geneuæ,*
*Othonem Comitem Hennenbergenſem,*
*Fridericum Comitem Montis Beliardi,*
*Arnoldum Comitem Cliuiæ,*
*Fridericum Ducem Barrenſem,*
*Othonem Comitem limitaneum Franciæ Orientalis, & Norgauiæ tractus,*
*Henricum Comitem Naſſauiæ,*
*Arnoldum Hollandiæ Comitem,*
*Eckbertum Com. Veromanduæ.*

*Ita vt quatuor hi anteſignani; Palatinus, Sueuus, Bauarus, Francus, adduxerint Imperatori militaturos, præter Comites, Barones, Equites, Nobilesq́; innumeros, & exercitum equitum & peditum, in quo lecti eſſent roboris ad* XLII. *milia armatorum, quinquaginta quinq́; alios Principes, & Duces; digno tanto ſplendore & numero hominum apparatu bellico tormentorum & machinarum, quæq́; ad horum vſum deſiderari ſolent, pone eaſdem copias ſequente.* Summa copiarum.

*Seorſim verò miſerunt ſua quoque auxilia Epiſcopus Moguntinus (cuius trecentos equites moderabatur & regebat imperio Gerardus Comes ab Hanauu) & præter Moguntinum, Homburgenſis, Paderbornenſis, Oſnaburgenſis, & Mindenſis; quorum copijs præerant* Moguntinus Epiſcopus.

*Sifridus Comes Schuuartzenburgicus,*
*VVilhelmus Comes à Dieffalden,*
*Otho Comes Altenburgenſis,*
*Henricus Comes ab Hoye,*
*Otho Comes Arnſpergenſis,*
*Fridericus Comes à Rietberg,*
*Erneſtus Comes à Spiegelberg,*
*Georgius Comes Hohenburgenſis,*
*Siboldus Comes à Ringelen,*
*VVilhelmus Comes Thrumbergenſis,*

*Quibus auxiliis vehementer delectatus Imperator, & gratias ſummas Ducibus earum egit de tam prompto & deuoto obſequio; & ne ipſe ſibi deeſſe videretur, de hæreditariis ſuis prouinciis quam maximum quoq́; equitum & peditum numerum collegit; donec impletis octodecim* Copiæ Cæſareæ.

 millibus

*millibus peditum, & duobus equitum, signa explicuit, sub quibus hos Principes, Duces, Marchiones, Comites educebat. inprimis filios suos Othonem Ducem Thuringiæ, & Saxoniæ, & Henricum eiusdem Saxoniæ quoque Ducem: inde,*

Principes sub signis imperialibus.

*Vratislaum Ducem Silesiorum, seu Lutiburorum,*
*Dedonem Ducem Vuestphalorum, seu Angruariorum,*
*Barnimum Principem Pomeraniæ, & Vinidarum,*
*Boleslaum comitem limitaneum à Merbern,*
*Othonem Principem Ascaniæ,*
*Vicetislaum Ducem Bohemiæ,*
*Bilmarum Ducem Russorum, seu Roxolanorum,*
*Ettichonem ducem Engernensem,*
*Gotschalcum Ducem Hollandiæ,*
*Mestobeum principẽ Vinidarum,*
*Boleslaum Principem Delmantzium,*
*Othonem Comitem limitaneum Stadensem,*
*Theodonem comitem a Vuethin, & Rochlitz,*
*Ioannem Palatinum Thuringiæ,*
*Henricum com. Pedemontanum,*
*Sigismundum com. Alenconium,*
*Reinherum comitem a Dorgauu,*
*Rupertum comitem a Rettel,*
*Henricum comitem Benthensem,*
*Ioannem comitem a Leisneck,*
*Dietherum comitem a Rochlitz,*
*Guntherum comitem Schuuartzburgensem,*
*Sigismundum comitem à Gleichẽ,*
*Brunonem comitem Eckersbergensem,*
*Ludolphum Raugrauiũ à Kassel,*
*Theodoricum com. a Vuunsdorff,*
*Vuilhelmum com. a Leuuenrod,*
*Ioan. Burggrauium a Leiseneck,*
*Arnoldum Palatinum Saxoniæ,*
*Fridericum Burggrauium Meydburgensem,*
*Henricum comitem ab Haracort,*
*Philippum comitem Valesium,*
*Vuilhelmum comitem a Gretsch,*
*Vuilhelmum com. ab Auffheim.*
*Vlricum com. Aldenburgensem,*
*Vuilhelmum com. Arnshagium,*
*Ernestum comitem a Vueissenfels,*
*Andream comitem a Loddiburg,*
*Ernestum com. Vuoldẽburgensem,*
*Ludouicum com. ab Eberstein,*
*Henricum comitem Vuinssenburgensem,*
*Philippum com. a Norttingen,*
*Ioannem com. Eisenburgensem,*
*Ioannem comitem a Lindauu,*
*Vuernherum com. a Ploÿsick,*
*Erricum comitem a Peyn, &c.*

Principes alij cum equitatu auxiliari.

*Ad hunc exercitum etiam alij se Principes voluntarij non pauci adiunxere, quorum præcipui cum suis quisque auxilijs hi ferè sunt:*

*Arnoldus Bauariæ Dux, cum trecentis equitibus,*
*Mesico Dux Poloniæ, cum trecentis equitibus,*
*Vratislaus Dux Bohemiæ cum equitibus* cccc.
*Radebotto Magn⁹ Dux Roxolanorũ seu Russorũ cũ* Ɔcccc. *equit.*
*Ludouicus comes Armeniaci, cum equitibus* clx.

*Carolus*

*Carolus comes limitane⁹, seu Marchio à Pontamorson, cum equitibus delectis centum,*

*Gunthramus comes Habspurgẽsis, cum ducentis delectis equitibus,*

*Ludouic⁹ comes Sabronensis, cum* xc. *equitibus,*

*VVilhelmus comes Vaudemontius cum* lx. *equitibus,*

*Rodolphus comes Auergniæ, cum quinquaginta equitibus,*

*Rodolphus Comes à Reinfelden, cum* l. *delectis equitibus,*

*Conradus Comes à Kalb, cum equitibus quinquaginta,*

*Philippus Comes Monticius cum octoginta equitibus,*

*Nestrico Dux Poloniæ, cum equitibus* cclx.

*VVoldemarus Dux Jutlandiæ, cum* cccl. *equitibus,*

*Esico Princeps Ascaniæ, cũ equitibus* clx.

*Philippus Comes Arthesiæ, cum centum et octoginta equitibus,*

*Antonius Comes Bononiensis, cum* cl. *equitibus,*

*VVilhelmus Comes Niuernensis, cum* xxc. *equitibus,*

*VVilhelmus Comes Briannia cũ octoginta equitibus,*

*Henricus Burggrauius Neoburgensis cũ quadraginta equitib.*

*Eberhardus Comes ab Oningen, cum* lx. *equitibus,*

*Ludouicus Comes à Furstenberg, cum sexaginta equitibus.*


*Habuit ergo Imperator in vniuerso exercitu equitũ milia sex, præter* cc. & xl. *pro parte potiore ex Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Equitibus, Cæsareis, siue auratis, & Nobilibus coadunata. Quorum principum quamuis quidam Christianæ religioni nomen non dedissent, ideo tamen se Imperatori Henrico in hac expeditione adiunxerunt; quia vel vicini essent, vel fœderati, vel denique (vt mittam eos, qui metuebant, ne, si aliter fecissent, Hunnis perdomitis ad se victor exercitus traduceretur) quia priuatim amici eius, & virtutum, quæ in eo elucebant, admiratores erant.* Vniuersæ Imperatoris copiæ.

*Breuitatis caussa multos Comites, Barones, Equites, Nobiles, Patricios silentio transire necesse habui, quorum egregia etiam tum fuit cum in ipsum Imperatorem, tum in rempub. Christianam omnem fides; quiq; cum ijs, quos nominatim percensuimus, numero inito, reperti sunt implere sexaginta & nouem armatorũ milia, delectæ virtutis: ideoq; cum infideli hoste cõfligendi auidißima: quorum alacritate lætus Imperator, & animosior ipse quoq;, ac spei bene gerendæ rei plenus in hostem duxit. nec defugere certamen, & robori suo, & multitudini in primis fidentes, barbari; sed quia quæ vtrinque tum euenere Historicorum est pluribus describere, non nostrum, qui decursionum equestrium celebritatem ab origine repetere volumus; nõ immorabimur in materia aliena diutius; sed quoniam ea iam breuiter perstrinximus, quæ mox vsui nobis futura sunt;*

*sunt; ita cætera transiliemus, vt summatim dicamus, Deo quoq; pro meliore caussa stãte, Hunnos à delectis Christianorum copijs cum Obitritis ad internecionem pene cæsos. adeò, vt qui ex gente superfuerunt, omißis alienis, quæ inuaserant, trepidè ad sua refugerint; bene secum actum existimantes, si, qui ante vicinorum latè terras peruagabantur, superbè & crudeliter omnia vastantes, & ad extremam insolentiam, libidinem, impotentiam, reliqui nihil facientes, nunc terminos Hungariæ suæ tueri possent.*

Hũni victi & pfligati.

*At Henricus Imperator, hoste vndiq; pulso, & eiecto, obibat cum copijs suis regionem Obitritarum, ducatusq; Vinidarũ, Gotlandorum, & Rugorum, præsidijs vbicunq; res poscebat eas prouincias firmans; & frumentorum, aliarumq; rerum ad victum necessariarum ab hoste prouisam & congestam vim ingẽtem in Germaniam suam mittebat: donec omnes eas terras cum victore exercitu lustrasset, quæ nunc nominib. diuisæ, Brandenburgensibus, Megaloburgensibus, Pomeranis, Rugis, Vinidis populis habitantur.*



Votum Imperatoris.

*Legimus etiam in veteris memoriæ monumẽtis, Henricum Imperatorem ante suum cum Hunnis congressum, vouisse, se, si victoriæ compos fieret, religionis ergo profecturum ad D. Virginis, quæ est in Bauaria, loco, cui Maurkirch nomen est: cuius voti condemnatus, & reus, vnà cum eo, qui legati ipsius munere in expeditione Hunnica functus erat, in Bauariam profectus, vt se eodem voto exsolueret, & alia ibidẽ sui monumenta reliquit, & suam Legatiq; sui equestrem statuam æream, quo pacto easdem expressas hic videre est.*

Hinc

*Hinc agmine iam conuerſo Imperator cum pulcherrimo exercitu, & Principum tam Germanicorum, quam externorum cohortibus, per prouincias & ditiones ſuas domum cōtendebat; perambulataq; tam ſuperiore, quam inferiore Saxonia, Thuringia, & Haßia, Gothungam tandem appulit; ſic dictam, quod Gothos Hunnosq; ea expeditione ſubieciſſet. ac ne tum quidem dimißis Principibus, Comitibus, Baronibus, equeſtrisq; dignitatis & ex nobilitate primaria viris, qui nunquam ad eum diem tanto numero in vnum conueniſſe credebantur; ſed apparatibus conuiuiorum quam ſolemnißimis, atq; omnibus feſtæ hilaritatis, qui excogitari potuerunt, modis exceptis; cum ſæpe etiam belli ſimulachra exhiberet, & proluſiones in armis, decurſionesq; tam in equis quam pedibus, etiā in ſpecies hactenus non viſas & facies nouas inſtitueret, quibus ſuccedebant inde alia quoque oblectamenta, venatio, diſcus, iaculorum certamen, & inter epulas muſicorum inſtrumētorum omne genus, ac ſublatis menſis, cum lectißimis fœminis & virginibus ad numeros ſaltationes decentesq; chori, omnibus quidem alijs abunde ſatisfaciebat; ſed vni ſibi ſatisfacere non poterat. Decreuit igitur amplius gratificaturus hoſpitibus ſuis (quos quam diutißimè ſimul omnes detinere apud ſe cupiebat, ne ſi ſe iterum Hunni alijq; fidei hoſtes commouiſſent, magno molimento diſperſi ſemel, & ad ſua quiq; reuerſi, difficulterq; iterum coadunarentur) morem Germanis ad eum diem inſolitum, ſed nobilitati Galliæ, Angliæ, Britanniæ, poſt prœlia & hoſtem vſitatum, inducere, triumphandi poſt victoriam, & ſolemnibus legibus equeſtri decurſione certandi; inuitatis ad hoc in certum diem per edictum vicinis, externisq; omnibus Principibus, Comitibus, Nobilibus, qui de virtute propria tantum confiderent, vt in conſpectu honoratißimo alienam periclitari non pertimeſcerent.*

Reditus ab Hūnica expeditione Imperatoris.

*Quod conſilium ſuū cum in Principum conſeſſu aperuiſſet, obteſtans vnumquemq; per fidem, aut amicitiā, vti ſuper ea re ex animi ſui ſententia, quod expedire iudicaret, diceret: nemo fuit omniū, qui non magnanimum Imperatoris ſui inſtitutum laudib. veheret, & factis exſequendum, atq; ad rem conferendum pronuntiaret. etiam ijs ita opinantibus, qui iam pridem domos ſuas reſpiciebant. qui etſi videbant ad alterum annum, quo iam ab ijs aberant, tertium quoq; adiectū iri talium ludorum celebritate; poſtpoſuerunt tamen non illibenter illis ſua, vt quidam ait, ſeria: tantus erat vel amor Imperatoris, cui in omnibus minimis, maximis obedire, & dicto audientes eſſe hi principes cuperent; vel gloriæ & famæ parandæ per virtutem ardor, quo ſibi quiſq; egregium decus in tanti Imperatoris conſpectu, & illuſtrißimorum Principum, Martialiumq; virorum corona, dato fortitudinis ſuæ ſpecimine, promittebat.*

Prima deliberatio de ſolennib. & legitimis Germaniæ haſtiludijs.

*Hæc igitur prima & vltima ludorum equestrium, seu decursionũ solemnium per Germaniã origo est; quorum potissima cura cum alijs, tum imperij inprimis Principibus demandata est; ac nominatim quatuoruiris illis rei militaris peritissimis, & bellica laude iam dudum inclytis: penes quos summa rerum in Hunnica expeditione quoque fuerat,*

*Conrado Palatino Rheni,* *Hermanno Duci Sueuiæ,*
*Berchtoldo Duci Bauariæ,* *Conrado Duci Franciæ Orient.*

*quos eosdem Imperator iussit singulos de suis tresuiros optare, huic eidem negotio deliberando maximè idoneos, professus se quoq; tres delecturum, vt per hos quindecimuiros ludorum faciẽdorum omnia illa decernerentur, quæ ex re & dignitate imperij iudicarentur. nominati autem ad hanc deliberationem fuere mox à Cæsarea maiestate:*

Quindecimuiri ludorum faciẽdorum.

*Hermannus comes Mulbergensis,* *Alardus à Burckstorff, vir equest.*
*Erricus Dominus Breubergensis,* *dignit.*

A Conrado Palatino Rheni:

*Dipoldus Dominus à Rodemach,* *Eberhardus à Ratzenhaus, equest.*
*Vuilhelmus Dominus à Rolingen,* *dignit. vir.*

Ab Hermanno Duce Sueuiæ:

*Fridericus Do. ab Hohenheuuen,* *Georgius à Schellenberg, ex equestri ordine.*
*Fridericus Dom. ab Hohensax.*

A Berchtoldo Bauariæ Duce:

*Eruuinus comes ab Hohenbogen,* *Hildebrandus ab Ebrom eques.*
*Sifridus Dominus ab Hohenburg,*

A Conrado Franciæ Orientalis Duce:

*Henricus Comes à Schlusselberg,* *Fridericus ab Ehenheim, vir equ.*
*Ioannes Dominus à Bickenbach,* *dignitatis.*

*Atq; hi ita delecti, nominatiq; iussi sunt ab Imperatore totoq; imperij consessu consilia conferre, & ea despicere, quibus quam celeberrimi reddi possent ludi mox exhibendi; equestrisq; dignitas in summo fastigio collocari. quo omnes qui virtuti honorem haberi viderent, inprimisq; nobiles à stirpe nati, similis laudis amore, qualem in alijs suspicerent, calentes, id operam darent, vt ea sibi adiumenta pararent, quibus ad par decus possent aliquando feliciter & voti compotes peruenire.*

Quindecimuirorũ de ludis deliberatio.

*Deliberari ergo statim cœpit in secessu, quo liberius quisq; sententiam suam promeret, inter eos, quos recensuimus, quindecimuiros, de ꝓpositis ludicris decursionibus. sed quoniam nemo ex ijs vnq̃ vllis interfuisset, ac per hoc solemnium cerimoniarum, & rituum in ijs obseruandorum oẽs peræquè ignari erant; excepto Com. Hermanno à Mulberg, qui & ipse hactenus peritus earum rerum esset, quatenus de ijs differentem inter dũ*

audierat

*audierat Philippum quendam, Imperatoris Silentiarium, siue Secretarium; tandem ita collegas suos idem Comes Hermannus affatus dicitur:*



*Quandoquidem ita, collegæ optimi, Imperatoriæ maiestati, omnibusque Imperij ordinib. visum est, vt nobis potissimum demandarent eos equestres ludos instruere, quibus nobilitatis Germanicæ laus quam maxima & decantatissima reddi; dignitasque & magnitudo imperij innotescere etiã exteris, & longè dissitis posset: ideoque hi ludi tales decernendi sunt, quales non temerè neque vulgò spectari solent; ne, si parum ex maiestate & amplitudine nominis Germanici celebrentur, cum omnib. in vniuersum, tum inprimis nobis, quibus præter cæteros curandi committuntur, posterisque nostris notam aliquam inurant: neque tamen, si verum fateri volumus (propter insolentiam rei in hisce regionibus nostris adhuc non visæ adeò, vt vix fando vni atque alteri audita sit) per nos demandatæ nobis prouinciæ pares futuri sumus; mea ita fert sententia, consilio nobis aliorum quoque opus esse, & ante cæteros omnes togatæ militiæ cuiusdam nomine Philippi, inuictiss. Imperatoris à secretioribus consilijs, viri boni, prudentis, &, quod hic caput est, ludorum equestrium peritiss. vt qui in exteris eos regionib. sæpè exhiberi viderit, legesque obseruari in eisdem solitas diligenter & cum cura notarit, inprimisque quo pacto in Britannia (cuius regionis fama ob equestres cõcursiones assiduas, & summa solemnitate celebrari suetas, per totum terrarum orbem peruagatissima est) frequentari, & quibus conditionibus adsueuerint, examussim calleat. hunc si vocari placeret, opinor nos facilius voti compotes effectum iri, et studio cum publico om      m ordinum, tum priuatæ de nobis exspectationis satis-*

Consilium Comitis Hermanni a Mulberg.

 nisatis-

*ni satisfacturos; ad quam rem omnes nobis intendendos neruos, omnia conferenda consilia, nisi si vos aliter estis animati, censeo. Vix hæc perorarat inter murmura assentientium, ac cōsilium iamdudum approbantium Comes Hermannus, cum mandatu omniū accersitur in consilium Philippus Silentiarius. cui cum idem Comes pro omnib. breuiter indicasset quare vocatus esset, & quæ esset omnibus spes in ipsius prudentia, ludorumq́; de quibus instituendis ageretur, experientia; rogans vt eandem cum pluribus communicare vellet potius, quàm inuidiosa scientia solus possidere; gnarus, se non præsentibus tantum (quorū tamen hac ratione beneuolentiam promereri optabile illi esset) sed vniuersis imperij ordinibus, eorumq́; principi & capiti Henrico I. Imperatori ita gratificaturum.*

Philippus Imperatoris Secretarius, eiusq; de ludis equestribus consilium.

*Ad eam tam beneuolam Comitis orationem modestè ita ferè Philippus, certè in hanc sententiam respondisse memoratur; vt primo illustribus illis viris gratias ingentes ageret, quod dignum iudicassent cuius consilio vterentur, ijsdemq́; omnibus in rebus deuotissimum obsequium, & officiorum quoduis genus offerret. Inde ingressus sermonem de ludis equestribus, videri intelligere dicebat, Imperatoris voluntatem esse, solemnes ludos equestres instituere; quod quamuis non nisi ex magnanimo pectore, & digno tanto imperio animo proficisceretur, sibi tamen eo tempore, & rerum statu, non vsquequaq; probari. Quantum enim aut experientia in hisce rebus ipsa didicisset, aut lectione magistra profecisset; Equestres ludos institutos, celebrariq́; solitos, imo tum quoq; celebrari in Britannia, Gallia, alijsq́; prouinciis, partim vt in iis iuuentus martio operi adsuesceret, prolusionibusq́; se talibus ita exerceret, vt verum & iustum certamē in acie cum hoste mox non extimesceret; vsu ipso docta inter hastas gladiosq́; versari: partim in gratiam lectissimi fœminei sexus, & pudicissimarum virginum, quibus oblectatio ab his quæritur. iis conditionibus in certaminibus talibus obseruari consuetis; vti quatuor, qui ex omni numero rem optime gessisse calculis vniuersorū iudicantur, laudibus meritis, in publica audientia condecorarentur, adiectis etiam munusculis; cuiusmodi ferè esse solent sertum plexile adiuncto interdum cimelio, ceu brauio, puta gemma aliqua insigni auro inclusa. neque diffitendum plurimum acui virtutem & audaciam his ludicris pugnis iuuentutis, præcipue spectantibus, & oculis notantibus vniuscuiusq; facta, fœminarum virginumq́; nobilissimis in theatro consessibus, qui stimulos maximos subiiciunt optimo cuiq;, & studiosissimo earum sibi beneuolentiam demerendi. sibi tamen in præsentia similib. experimentis industriæ, & fortitudinis opus non videri duab. de causis: quarum prior esset; quod non omnibus propter ludicram rem consultum videretur, serio periclitari:*

tari: neq; tanti multi emendum existimarent sertum qualecunq;, vt eius gratia aut alijs vis inferenda, & ægrè faciendum esset; aut propriæ existimationis iactura subeunda; secunda quod virtus omniũ eorum qui hãc expeditionem vna fecissent ita veris discriminibus inclaruisset, vt tanquam rei dubiæ periculum eius iam demum faciendum non videretur, post biennij fere continuos bellicos labores, qui iam merito quietiore, & minus molesto terribiliq; oblectamenti genere pensandi essent: Si tamen clementissimo Imperatori omnino cõstitutum esset ludos huiusmodi exhibere; edicendos illos sibi videri per imperium vniuersum; maturoq; iudicio de legibus in ijs obseruandis decernendum; vti honore digni inter dissimiles sui cognosci possent; & ita omnes ad virtutem veram consectandam, vitiaq; (quæ abscondi in tali scena & theatro non possent) fugienda, animarentur; qua in re operam suam sedulam & gnauam pollicebatur, ne quid aliter atq; recte ac ordine institueretur.

Quibus omnibus, cum pluribus, quæ vltro citroq; dicta sunt, à Quindecimuiris ludorum faciendorum ad Imperatorem conciliumq; eius relatis: Imperator cum suis declarauit, ea, quæ in consessu Quindecimuirorum disputata essent, sibi extra rem non videri; sed prudenti discussione examinata. quare in posterum quoque reliquam eorum ludorum curam ijsdem Quindecimuiris (quibus Silentiarium suum Philippum assessorem dedit) iterato mandato confirmauit; sibi tamen, & quatuoruiris imperij sui (de quibus iam sæpe verba fecimus) dicendæ primo loco sententiæ in ferendis legibus ad ludos pertinentibus, & quinque articulos primos concipiendi, deq; reliquis ab alijs concipiendis, absoluta potestate statuendi, decernendiq; ius excepit: de quibus is articulus, qui Cæsareæ potestatis erat, in hanc sententiam tum ab ipso Imperatore scripto comprehensus fertur: Relatio cõsilij ad Imperatorẽ.

Ante alia præfabatur laudatissimus & modestissimus Imperator, primi articuli, seu capitis legum in ludis equestribus obseruandarum scribendi ideo se sibi ius reseruasse, quod æquum esset optima quæque à Cæsarea maiestate initium sumere; idémque consequenter spectatum in quatuor alijs quoque articulis, quos ex ordine Palatinus, Sueuus, Bauarus, Francus dictare deberent: memores in iis omnia ad Dei Optimi Maximi laudem, imperii propagationem, & illustrationem, ac nobilitatis decus incrementúmque referenda; honoratis virtutibus, punitis vitiis. Post hos Quindecimuiris ludorum quatuor quoque capitum scripto comprehendendorum ius fieri; decimum vero caput, sed ex ordine sextum futurum, permissum iri nominandis mox Regibus prouincialibus ludorum: qui simul decem articuli, vti diximus, & à quibus diximus, concepti Leges in equestrib. ludis seruãdę dicuntur.

*Silentiario Philippo examinandi & corrigendi ita offerendi sint, vti per eum, dum obscurius dicta explanat, parum plena implet, curua denique (quod aiunt) corrigit, adiectis hoc modo duobus, pro decem duodecim fiant. Quas bis senas quasi tabulas qui postea in decursionibus violaret, contemnerétve; is verberibus aliorum obnoxius esset; cum alijsq; omnibus de equo ipso suo concurrere coactus; ludibrij causa septis, quibus harena, siue locus spectaculorum in orbē cingeretur, imponeretur; aut nobilitatis, famæ, insigniū gentilitiorū deniq; amißionem incurreret. Promulgatum autem iri hos duodecim articulos solemniter semper; ne quis ignorantiam eorum prætendere vnquam posset. cum Imperator profiteretur, velle iubere se, vt deinceps eidem articuli perinde à concursuris in ludis equestribus seruandi disciplinæ causa pronunciarentur in solennib. conuentib. atq; illi à Christianis similiter duodecim custodiri debent, & veneratione summa prosequendi sunt, qui Apostolorum symbolo cōprehenduntur. His quasi præmißis deinceps Imperator pro primo articulo ita sanxit: Quod felix, faustū, fortunatumq; esset; ludos equestres in imperio solemniter posthac exhibendos omnib. qui modo à stirpe nobiles essent, apertos fore; vt in iis solitis omnibus armorum generib. depugnent: Exceptis, si qui in Deum, sacratißimam Trinitatem, fidemq; & religionem nostram Christianam, re, aut verbis impii, blasphemiq; existerent. Quales si vlli (maiorum suorum imaginibus, aliisq; rebus freti) decoris in huiusmodi ludis acquirendi participes facere se præsumerent, & harenæ inmitterent; iure hos meritißimo, ademto equo, septis impositum iri, pro gloria, quā arroganter sperauerint, perpetua infamiæ nota signādos.*

Caput I. Legis equest. decurs.

Caput II. Legis equest. decurs.

*Atq; hinc Imperator ad Palatinum cōuersus, secundum eum articulum, put iam constitutum esset, concipere iußit. Cui ille hoc fere sermone respondit: Iussu tuo, inuictißime Imperator, legis in ludis equestrib. seruandæ, quo more, & modo mandasti, & ad quos fines mādasti, nominatimq; ad diuini nominis gloriā, imperii vtilitatem, & nobilitatis promouendam augendamq; dignitatē, caput secundum esse iubeo: vt quicunq; ex nobilitate sciens prudens aduersus Cæsaream maiest. eiusq; mandata, sacríve Romani Imp. cōstitutiones, verbis aut factis fecerit, cōtenderítve; is ignominiæ causa in futuris omnib. equestribus decursionib. & equo mulctetur, & septis impositus, quæ meretur pati cogatur. ad cuius meæ constitutionis pleniorem executionem, Regem ludorum proxime exhibendorum meo, totiusq; Rhenanæ nobilitatis nomine, dico Meinolphū ab Erbach, vt is in dictis decursionibus cum æqui et boni protector, ac defensor; tum sanctionum statutarum, & statuēdarum vindex sit in eos, qui contra eas facere quoquo modo præsumserint.*

*Cum finem dicendi Palatinus fecisset, & vultu Imperator Hermāno Duci*

*Duci Sueuiæ innueret, uti consequenter sententiam suam super hac re diceret: Quando inquit, Clementiß. Imp. beneficio tuo libera mihi decernendi articuli tertij in hastiludiorum celebritatib. imperialib. deinceps obseruandi potestas sit; ita sancio, Germanicoq; huic imperio, post Deum conuenientißimum arbitror, vt quicunq; ex nobilitate fœminam, virginem, viduam quamcunq; verbo, aut facto violarit, earúmve bona, vt arces, prædia, pagos, alia, per vim detinuerit, aut vt detineãtur operam dederit; is, vt indignus qui de gloria & fama in certamẽ veniat, equi iacturam subire cogatur, & postea septis, more aliorũ, qui idem quacunq; alia ex causa meruerint, imponatur. Quæ mea vt rata lex sit, Regem ludorum meo & totius Circuli Sueuici nomine cõstituo Carolum Dominum ab Hohenheuuen, &c.* Caput III. legis equestr. decurs.

*Hinc ordine suo iussus dicere Berchtoldus Bauariæ Dux; Nihil ait, Augustiß. Imperator, post ea quæ sancita iam sunt conuenientißima, me iudice, ratione & methodo, cõducibilius arbitror, aut ad diuini nominis obsequium, aut ad imperij dignitatem, nobilitatisq; incremẽtum, quam vt à futuris ludis arceantur omnes, licet à stirpe nobiles, qui crimen falsi cõmiserint, periuri reperti fuerint, infames deniq; vllo vitæ suæ tempore exstiterint. Nã si se tales intrudere conentur, eos ego postquã equo deturbati fuerint, septis ex more inequitare iubeo, ad quã sanctionẽ meã ꝓpugnandam & defendendã declaro meo Circuliq; Bauarici nomine Regẽ ludorum proximè edendorũ, Georgium, Dom. à Vuolffartzhausen, &c.* Cap. IIII. Legis equest. decurs.

*Reliquus erat de quatuoruiris imperij clariß. rei bellicæ laude Conradus Franciæ Orientalis Dux, ad quem tum Imperator; Tuũ est, ait, Domine Auuncule, iam quintum caput legis in hastiludijs deinceps seruandæ proponere: & ille: Ego, inquit, inuictiß. Imperator, qui sacris mandatis tuis non parere nefas ducerem, expedire, exempli causa, iudico; vt quicunque Dominum suum prodiderit; in acie, expeditione, itineréve per fraudem deseruerit, aut deserendi auctor fuerit, fugam quacunque ex causa molitus; qui item ciues, & subditos suos, aut alioqui fidei suæ commissos, non, quatenus boni viri officium est, defenderit, propugnauerit, & tutos ab omni iniuria præstiterit, sed vel scelerate alijs vexandos propinarit, vel timidè, cum minimè opus esset, reliquerit, & hosti in prædam exposuerit; æquũ, dico, puto, vt hic talis à celebrandis ludis imperialib. perpetuo arceatur; aut alioqui equo per ignominiam amisso, quæ solent alij, talib. exercitiis inter bonos & fortes viros indigni, septis iniectus patiatur. Cui rei stabiliẽdæ nuncupo meo & Circuli Franconici nomine Regem ludorum Ernestum à Grumbach, Equitem. &c.* Caput V. legis equest. decurs.

*Quinq; primis articulis ita cõceptis, & scripto cõprehẽsis, Imp. Quindecimuiris, ludorũ curatorib. ad se accersitis, ita locutus fertur: Quoniã* Imperatoris ad XV. viros verba.

*ad offi-*

*ad officium vestrum pertinet de ijs omnibus cognoscere, quæ quoquo modo ad ludos magnos celebrandos pertinent, offerimus en vobis primos quinq; articulos, à nobis & quatuoruiris imperij decretos, in ijsdemq; ludis obseruandos; mandantes, vt ex parte vestra quatuor alios (quod cum laude omnium creatoris, & imperij commodo ac dignitate, nobilitatisq; & equestris ordinis augmento fiat) articulos eodem pertinentes vos quoque describatis, & Reges ludorum nouè nominatos (quos sacramento adactos confirmabitis) hortemini, suum caput legis vt meditentur; quo facilius, & animo magis præsente mox nobis operam dent in ludorum nostrorum publicatione; quia certum & constitutum est nobis per clarigationem omnibus Regibus, Principibus, Proceribus Christiani nominis denuntiare, si quos ex nobilitate apud se habeant virtutis bellicæ studiosos, & gloriæ cupidos; eos se ita iubeant comparare, si participes decoris in ludis nostris acquirendi fieri velint, vt parati et instructi omnib. ad certamen necessarijs Lunæ die post D. Matthæi Apostoli & Euangelistæ ad Parthenopolim nostram compareant. Vbi autem vos articulos vestros & Reges suum quoq; scripto mādaueritis, simul omnes decem Philippo nostro Secretario offeretis, vt is ijs addat, detrahat, aut interpretatione corrigat, quæ correctione egere iudicabit. inprimisq; iura, libertates, priuilegia alijs ludis equestrib. familiaria, describat; aliaq; deniq; faciat, quæ è re videbuntur; & de quibus tum agemus pluribus, illud nunc à vobis contendentes, vti hanc rem ita curæ habeatis, vt maturè omnia quæ ad cōsilij nostri explicationem, & desiderij cupiditatem implendam pertinent, confieri possint; qua re nihil aut nobis gratius, aut iniuncto vobis officio conuenientius facere vnquam valebitis.*

Reges ludorum confirmantur. *Hoc Imperatoris studio perspecto Quindecimuiri, statim Regum ad ludos proximos à quatuoruiris imperii electionem confirmarunt calculo suo quoque; nec immerito; cum quisq; Circuli sui nomine delectus ita vt diximus, eiusdem Circuli facile virtute, prudentiaq; Princeps esset. Quos tum Quindecimuiri ludis curandis ad se accersiuerunt; præsentesq; omnium nomine Georgius à Schellenberg eques, postquam adsurrexisset, sic affatus est: Quando ita quatuoruiris imperii placuisset, vt ipsi proximis ludis Reges se agerent, ideoq; mādatum collegio suo esset, sacramento eos ad hanc rem adstringere, sese & tum omnia ex æquo & bono administraturos, & nunc rem communi consilio cum collegio quindecimuirali gesturos; illudq; quibus rationibus possent adiuturos, orare idem collegium quindecimuirale, vti Regum demandatum officium hilari animo subire velint; Quod cum non abnuerent illi, sed iusiurādum quod exigebatur præstitissent, iussi consedere, vt quindecimuiralis concilii appendix. Mox lectis quinq; articulis à Cæsarea maiestate & quatuoruiris*

*tuoruiris imperij quindecimuiris ludis faciendis oblatis, rogati sunt ijdem Reges, vt sextum articulum quẽadmodum ab eodem Imp. præscriptum erat sancirent, indeq́ publicandis ludis operam darent, partito in quatuor summa membra vniuerso imperio Germanico, quorum singula singulis attribuerentur. in quibus omnibus strenuam illi operam promiserunt, & in sextum quidem articulum ita tandem consenserunt:*

*Vt quicunq́ cõiugem clam palámve è medio sustulissent, quiq́ auxilio aut consilio domini sui legitimi interfectores, ante, aut post cædem adiuuissent, hi, equo adempto, septis pro eo insidere cogerentur.* Caput VI. Legis equ. decurs.

*Post quæ rursus Quindecimuiri ex suâ iam parte de reliquis quatuor articulis deliberantes, ita ferè in iis sanxere:*

*Quisquis sacrilegio se polluisset, templis sacellisve spoliatis, aut viduis orphanisve sua per vim eriperet, detinerétve, cum viri boni, & inprimis nobilitatis sit, hæc talia prohibere, & in aliis punire, hunc equo per notam ademto septis imponendum.* Caput VII. Legis equ. decurs.

*Quisquis, non denunciatis inimicitiis, hostem suum adoriretur incautum, aut, iam denunciatis, aliter cum eo ageret, ac belli iure âgi cum hoste permittitur, corruptis segetibus aut vinetis, ita vt rerum precia crescere hinc necesse haberent: quisquis item per se, vel per suos, clam aut palam latrocinaretur, & vias infestaret, hunc ademto equo, &c.* Cap. VIII. Legis equ. decurs.

*Quisquis in imperio, & sub imperio, in Principatibus, Ducatibus, Comitatib. dominiis suis, inconsulto, & sine pmissu Imperatoris, patrimonii sui amplificandi, & diuitias corradendi studio, nouas & insolitas subditis, aut rebus eorum, extraneorúmve, terra, maríve, in vrbe, in agro, in flumine, exactiones imponeret, ita vt hoc nomine commercia damnum acciperent; subditiq́ eorum, aut inquilini, extraneiue negotiatores, viciniq́ iacturam paterentur, hunc equo cum infamiæ nota ad-empto, &c.* Caput IX. Legis equ. decurs.

*Quisquis notorii adulterii reus esset, qui aut coniugem habens, aut cœlebs coniugem alienam, aut velatam, & Deo deuotam corrupisset, siue alioqui etiam pudicitiæ fœminarum, virginumq́ insidiaretur, aut palam vim afferret, hunc talem equo ademto septis imponendum, &c.* Caput X. Legis equ. decurs.


*Hos deinde decem Articulos Quindecimuiri accersito ad se Philippo Cæs. maiestatis Secretario obtulere; monentes, vti ex Imperatoris mandato quæ illis deessent, quæq́ non satis dilucidè & disertè explicata viderentur, duobus articulis comprehenderet, quem hic modum idem Imperator statuisset. quod ille statim, lectis prius oblatis capitibus, hoc modo fecit:*

*Quisquis à stirpe nobilis non contentus bonis, quæ sibi hæreditario, alióve iure obuenissent, reditibusq́ suis, & q̃ sibi more recepto, à colonis* Caput XI. Legis equ. decurs.

*suis, subditis, operis, alijsq; quibuscunq; feudatario, aut quocunque iure alio deberentur, ac, si à consilijs Principi alicui esset, constituta hoc nomine pensione; quisquis, inquam, his omnibus non contentus, negotiaretur, augendi patrimonij causa, coemtisq; frugibus, vino, aut alijs speciebus, rebusq; annonam flagellaret; ludis equestrib. his prohiberetur, aut si decurrere aliorum exemplo præsumeret, equo mulctatus, septa inscendere compelleretur.*

Cap. XII. Legis equ. decurs.

*Quisquis recentioris est notæ nobilis, & non talis, vt à stirpe nobilitatem suam & origine quatuor saltem generis auctorũ proximorũ gentilitiis insignibus probare poßit, is quoq; ludis his exesto, aut si vnus pluresve emendicatæ huiusmodi nobilitatis, cum iis, quibus ius est decurrendi, sese permiscuerint, hi tales verberibus mulctentur, ex hastiludiorum consuetudine, & vbi de equo concurrerint, septis, notæ causa, inequitare adigantur.*



Approbatio capitum legis equest. decurs.

*His articulis ad alios adiunctis, vniuersi simul à Quindecimuiris ludis faciendis Imperatori oblati sunt. qui cum præsentibus sibi eos imperij Principibus in Gynæceo alium post alium prælegi iußisset; ita impensè omnes cum Imperatori, tum concilio placuere, vt statim iis Imperator vim legis dederit; & pro legibus, ita vt dictum est, in decursionibus equestribus deinceps obseruari mandauerit.*

Noui mot⁹ ab Hunnis & Obitritis.

*Dum hæc aguntur; interea Hunni, dolentes aduersam fortunam suam, nec tamen quid agerent satis exploratum habentes, adeò fractæ debilitatæque eorum vires erant, tandem, quod aperto marte non aude-*

*audebant, clam tentandum existimantes, forte, quia audierant vulpinam pellem induēdam ei, cui leonina nihil profuisset, arte Obitritarum, & Vinidarum animos in partem omnem versabant, & ad defectionem ab imperio solicitabant, quod cum haud vanis indicijs ad Imperatorem perlatum esset; Obitritarumq; & Vinidarum furorem eo progressum intellexisset, vt iam de admittendis Hunnis certi, tres sacerdotalis ordinis, & duas equestris dignitatis personas ab Imperatore sibi præfectas contrucidare non dubitassent; quarū hæ essent Philippus à VVolffsdorff, & Adamus ab Hohenklingen; valde vereri cœpit, ne altera & secunda Hunnica expeditio priore etiam difficilior subeunda esset. & quia tum viginti, et amplius, Principes cum suis domum redire passus fuerat ea lege, vt ad diem ludorum institutorum ad Meydburgum iterum cum nobilitate sua conuenirent; cum reliquis, quos apud se habebat, venationi quotidie operam dans, & ludorum eorundem præparationi, itemq; subinde vrbes, Emich, Sangerhausen, Quedelnburg, præter Meydburgum obiens, & lustrans; in quibus à nobilitate sæpe hastis puris concurrebatur, cum se omnes solemnibus decursionibus hoc pacto acuerent & indurarent: Statim ne quid resp. ab hoste detrimenti caperet, & alios omnes certiores factos de Hunnicis molitionibus reuocauit, & Conradum Ducem Franciæ Orientalis, cuius virtuti plurimum confidebat, ex itinere, quo domum itidem tendebat, ad se redire iussit, cohortatis etiam Principibus, qui præsentes erant, vt ante fecissent, strenuam imperio operam nauare, & aduersariorum perfidiam punire, quos inde statim ad hostem duxit.*

Cōradi Frāci ad Imperatorē reditus.

*Conradus verò acceptis Cæsareæ maiestatis litteris in vrbe Konigshofen, quod quasi Aulam regiam sonat, subditos suos statim euocauit, & coadunatis ex Franconia superiore & inferiore ad mille nongentis equitibus spatio dierum decem cum illis citato itinere ad Imperatorem peruenit. quem assecutus est castra castris hostilibus opposita habentem ad oppidum Verunum; nunc Angermund, prope Albim fluuium. Etsi alij quidam historici volunt ibi tum Imperatorem castra habuisse, vbi nunc est Stendel oppidum, quod aiunt eo tempore conditum; aggeribus & munimentis castrorum mutatis in faciem muri, & propugnaculorum vrbicorum.*

Obitritæ supplices in castra veniunt Imperatoris.

*In paucis deinde diebus venerunt in castra ad Imperatorem fiducia propria, nec vlla fide publica aut commeandi potestate prius impetrata, Obitritæ & Vinidæ, numero ferè* CC. *in equis, cum curribus* xl. *Imperat[illegible]isq; pedibus suppliciter affusi, ita locuti sunt: Cur, ô inuictissime Imperator, in subditos tuos ferrum stringis, & quos aliter peccantes coercere punireq; potes, bello aggrederis, quo non minus innocentes quam nocentes vexa-*

*tes vexari, & perire solent? Ecce aduenimus viri septuaginta, quibus more maiorum reipu. gerendæ administratio apud nos permissa est, cum suis quisque sanguine proximis; petentes, vt si quid à gente nostra admissum sit pœna dignum, nostrum id crimen sit, nostro sanguine & supplicio expietur, non eorum, penes quos culpa hic nulla esse potuit. Quanquam, si purgationi locus sit, speramus nos euidentißimis rationibus facta nostra Cæsareæ tuæ maiestati probaturos, cædibus exceptis paucorum, quæ vt temerè fortaßis commissæ sunt, ita causis grauißimis non caruere; quamuis, quidquid huius est, ad tuam hic, Imperator, clementiam recurrere malimus, quam, si non aliud, inuidiosum certè nobis eorum casum defendere. in aliis, vt diximus, causam nostram dicere semper paratißimi.*

*Mouebat quidem Imperatorem cum oratio, tum factum hostium, vt quod in causa mala temeritatis proiectißimæ merito haberi deberet, cum etiam in bona fiduciæ maioris, quam securitatis esset. memor tamen indignæ suorum necis, comprehendi cõtinuo vniuersos, & duci iussisset, nisi Proceres præcipitem hanc iram mitigassent; docentes, nemini purgationem sui, & causæ dictionem denegandam. ad hoc esse hos iam in potestate Imperatoris, ita vt si deliquisse conuincantur, etiam per decus administratæ iustitiæ supplicio affici poßint. Quibus placatior Imperator, & iam ad Obitritas, Vinidasq; se conuertens; qua, inquit, audacia noui Christiani vnctos Christi trucidare, & sanguine eorum manus vestras impiare ausi estis? quo furore etiam præfectos vestros pecorum instar mactare sustinuistis? aut quis color est vobis reliquus post hæc talia purgationis? Certe non video quid contemptores diuinæ maiestatis, cuius sacerdotes occidere pro ludo habuistis; & humanæ potestatis, quam adeò non veriti estis, vt magistratus ab ea constitutos in eius irrisionem contrucidare, facinus strenuum duxeritis; non video, inquam, quid ab his in posterum sperandum sit; ac cum non videam, potestatem tamen purgandi sui vnicuique facio, magis memor quid meæ clementiæ statuere, quam quid aliorum sceleratæ audaciæ pati conueniat; sic tamen, vt fides & veritas adsint, fraus & dolus absint.*

Imperatoris ad Obitritas verba.

*Ad quæ rursus ita breuiter Obitritæ & Vinidæ: Cædem commissam hanc causam habere, quod hi, in quibus esset commissa, vnanimiter in perniciem gentis suæ conspirassent; nec aßis æstimatis priuilegiis, immunitatibusq; ab Imperatoria sua clementia conceßis, post diuturnã Hunnorum tyrannidem, eadem quæ olim Hunni tributa exegissent, afflictis grauiter omnib. omnium ordinum hominibus, & ad seruilia officia coactis, ac nihil ad extremam auaritiam, crudelitatẽ, libidinem, reliqui facientes.*

Obitritarũ purgatio.

*cientes. de quibus cum querelas deferre ad Cæs. suam maiestatem sæpius voluissent, copiam eius rei ab eisdem factam non esse, imo tandem iniquissimos & superbissimos homines vltro accusationem instituisse, qua apud Imperatorem gentem vniuersam ream peragerent læsæ maiestatis, & nullius non enormis criminis. quod iudicium ipsi non defugissent, vt qui, quo numero iam in castra venerint, ad Imperatorem profecturi fuerint, nisi certissimis nuncijs & indicijs comperissent, insidias sibi à quinque illis non tam suis, quam Cæs. maiestatis & imperij hostibus positas in itinere, quibus è medio tollerentur; quo ita facilius noui Tarquinij in omnem gentem rectoribus & principibus suis spoliatam, ac impunitatis maiore securitate quiduis auderent, agentes, ferentesque omnia, nec quicquam diuini aut humani impollutum, intactumque relinquentes. Quæ si fingerent, & non plenè satis ijs litteris, instrumentisque, quæ maiestati suæ suppliciter cognoscenda offerrent, docerentur; non recusare se, quin extrema omnia patiantur. Vnum esse quod non tam excusent, vt dictum iam est, quam deprecentur; quod ipsi eorum criminum vindices fuerint, quorum cognitio ad Imperatorem pertinuerit. neminem enim alium quam se cædium quinque tyrannorum auctorem fuisse, quam vt factam ita nollent, sed de sententia imperii via legitima procuratam mallent, ita sperare, Clementissimum Imperatorem & suæ necessitatis vltimæ, & indignitatis, quam diutissimè frustra perpessi essent, rationem habiturum. cui Cæsareæ clementiæ concludendo se suaque, vitam, æstimationem, fortunas, quam possent maxime demissè commendarent.*

*Post hæc litteræ publicè lectæ sunt, quas exhibuerant supplices. quibus, aliisque indiciis cum Imperator de bonitate causæ eorum cognouisset, iam illis æquior; Quando, ait, ita se rem habere confidimus, quemadmodum relata modo à vobis est; ante factorum omnium gratiam vobis concedimus, nisi tamen postmodum aliter deprehensum fuerit; quo casu, Præfectis, quos iam nouos vobis designabimus, causæ vestræ iteratam cognitionem mandabimus; vti & alias quodcunque à vobis commissum crimen merita pœna vindicent, & illud inprimis, si non veritos vos cognouerint, mihi supremo vestro magistratui per fraudem & mendacia dolo ficta imponere.*

Imperator Obitritis delicti sui gratiam facit.

*Quæ cum dixisset Imperator, Præfectos eis constituit quatuor sequentes;*

| | |
|---|---|
| *Brunonem comitem ab Eberstein,* | *Ludouicum Dom. à Radenburg,* |
| *Fridericum Dominū à Zimbern,* | *Eberartum Dom. ad Lupiam.* |

Noui Præfecti Obitritarum.

*quos è vestigio iussit ab Obitritis & Vinidis suscipi, iuramento in eorum verba tanquam legatorum suorum adactis; quod non*

 *solum*

*solum obedienter, verum etiam libenter ab eis præstitum est, sopitis ita in præsens motib. omnibus, cũ magna partis vtriusq; & solida voluptate.*

## LVDI EQVESTRES PRIMI IN GERMANIA solenniter celebrati; editi ab Henrico I. Imperatore, cognomento Aucupe, anno Ͻcccc. xxxiix.

Carolus, Do. ab Hohenheuvvẽ, Sueuicus ludorum Rex.




Meinolphus Dom. ab Erbach, Rhenanus ludorum Rex.





Georgius Dominus à Vuolffartshausen, Bauaricus ludorum Rex.



Ernestus Grumbachi⁹ Eques, Francicus ludorum Rex.



Insignia Magdeburgensia, siue Parthenopolitana; in qua vrbe primi ludi equestres Germanici editi sunt.



DE LV-

## DE LVDIS PRIMIS EQVESTRIBVS Parthenopoli celebratis.

*COmpoſitis ita rebus Vinidarum, aliorumq́; Imperator rurſus ad ludos conuerſus, Reges iterum eoſdem ludos per edictum publicare quaquà iuſsit in diem Dominicam poſt trium Regum, ad Meydburgum, ſiue Parthenopenſuam, quo loco poſtridie, & die Martis, armiluſtria celebrarentur, galearumq́; ſortitiones fierent; vt ita die Mercurij & Iouis ſolemnis ludorũ exhibitio concelebraretur. Poſt quæ mandata idem Imperator, partitis principibus & copijs omnibus in tria agmina, ipſe à Viruno ad Albim cum vno profectus eſt ad ea loca, vbi nũc eſt Goſlaria oppidum, tum erat commodiſsimum & amœniſsimum diuerſorium venatione ſeſe oblectantibus: Secundum Dux Otho filius eius ad Quedelnburgum, Northuſiam, & alia oppida animi cauſa circunduxit; tertium Dux Henricus & ipſe Cæſaris filius Brunſuicum ſecum traxit, & in ea loca, quæ Tuſtra & Lonio fluminibus ambiuntur. non paucis etiam Principibus cum comitatu ſuo Meydburgum profectis, vbi Bacchanaliorum dies ſimul iucundiſsimè tranſmiſerunt, in armis aſsidui, & pugnarum varijs generibus ſe exercentes, vti ad diem ludorum paratiores inuenirentur. Philippus quoque Secretarius Cæſaris in commiſſo ſibi munere nihil ad extremam diligentiam reliqui faciens, medio tempore omnia priuilegia, & iura ludis equeſtribus obſeruanda ſcripto comprehenderat, comprehenſáque mox Quindecimuiris ludorum exhibuerat; quæ cum illorum iuſſu prælegerentur, huius ferè ſententiæ reperta dicuntur.* Anno Christi Dcccc. xxxiix.

*Primum, vt vrbs, oppidum, ciuitas, municipium, pagus, locus denique quicunque, ludis huiuſmodi deſignatus, hoſpitiáque ipſius, non intra muros tantum, ſed extra muros etiam, quà ſe ius & limites eius porrigunt, liberè pateant omnibus & quibuſcunque ludos illos concelebrare, ſpectaréve cupientibus, exceptis hæreticis, latronibus & proditoribus. Alijs omnibus cuiuſcunque ſtatus hominibus inmunitas ſit, & liber commeatus, non tantum ijs diebus, quibus ludi edentur, ſed & quatuordecim ante, ac totidem poſt eoſdem ludos; de quo voce præconis omnes ſint admonendi.* Statuta & priuilegia equeſtria. I.

*Inde vt area ludorum, octo diebus ante ſolẽnem & indictum eorum diem, ſepiatur, & muniatur; inferneq́; etiam æquetur, præparetur, ſternatur, vt ſepiri, muniri, æquari, præparari, ſterni loca ſimilia ab omni tempore moris eſſet.* II.

*Vt eodem hoc temporis ſpatio non alio iure decurſuri, quàm equeſtribus* III.

*ſtribus ludis ſolito, & familiari vtantur; exceptione aduerſus eos tuti, qui aliud eos ſubire iubeant.*

IV. *Vti ne quis ſub ſacramenti violatione areæ equeſtri decurſurus ſe inmittat, qui nõ prius peccata ſua expiauerit, & Deo ſe reconciliauerit.*

V. *Vti ne quis ignobilis galeam ſortitioni offerat, aut ad decurrendum ſe præparet; niſi incurrere velit pœnam viginti marcarum argenti; præter armorum, & equi iacturam; quorum hic cedet famulis, illa Heroltis, ſiue Regibus armorum.*

VI. *Vt qui à ſtirpe nobilis duxerit vxorem imparem, & non ex nobilitate; perinde ſciat interdictos ſibi hos ludos, atq; ignobilibus; impunitate data, ſi talis aliquis eis ſe inmiſcuerit, hunc more ſolemni verberib. mulctandi, & alijs conſuetis pœnis afficiendi, cum neq; filij ex huiuſmodi inæqualibus nuptijs nati, neq; nepotes in tertiam vſque ſtirpem ad eoſdem ludos admittendi, conantesq; ſe intrudere, ijſdem quibus parentes pœnis plectendi ſint. niſi ſi hi tales fratrem aut conſanguineum habeant, ludorum iure fruentem, quod ex inſignium ratione palam ſit, quo caſu is vicem agnati ſui luere poterit.*

VII. *Vt in ludis ſingulis ſinguli quoq; ex vnaquaq; familia tantum admittantur; niſi ſi qui alij erunt, qui, iam ante equeſtri dignitate condecorati, pro ſe rem peculiariter gerant, cum alii pro familiæ ſuæ fama & gloria in certamen prodire cogantur.*

VIII. *Vti in ludis, communibus expenſis & ſumptib. nemo comitatior prodeat, quam ſextus in equo, ſi Comes ſit; quartus, ſi Baro; tertius, ſi Eques; ſecundus, ſi ex nobilitate quilibet; præter quos ſi plures quis adduxerit, priuatis eos ſibi ſumptibus alendos ne ignoret.*

IX. *Vti ſi quis ratæ nobilitatis erit; qui in vnum aut plures duodecim articulorum, in ludis equeſtribus obſeruandorum, commiſerit; & nihilominus cum reliquis decurrere præſumat, pro familiæ ſuæ gloria: hũc Sodalitij in quo nomen dederit ſeruus publicus vni ex Heroltis indicet; vt ſimul inſignia eius in harena conſpecta fuerint, verberibus de more mulctetur; niſi ſi quis ex eadem familia culpam conſanguinei ſui purgare paratus erit; quod Heroltus Regi Circuli, ſub quo ſuccedaneus is cenſetur, indicare tenetur, vt ita cum priore illo mitius agatur. Similiter idem Heroltus vbi arma inſigniaq; eius agnouerit, qui pro altero pœnæ & decurſioni ſe offert; proclamare debet; talem, aut talem, adiecto nomine & cognomine eius, pro alio conſanguineo ſuo, cum, & ſub his armis pœnæ & iuri equeſtri ſe ſubmittere; vt ſpectatores, & præcipuè matronæ virgineſq; aulicæ pro alio eum hæc pati, non pro ſe, intelligant. Quodſi verò aliquis animaduerſione dignus pro ſe ipſe [illegible] urrere velit; eius rei facile ei ſit gratia; ſed ita, vt priore loco de incurſa pœna admoneatur. Cuius deuitandæ*

*uitandæ cauſa ſi mox emanſerit, & decurſum, vt ſpoponderat, non venerit; ad proximos inde ludos citatur; quos ſi item non obierit; rurſum ad alios proximos ludos citatur familia eius vniuerſa; admonita, vt aut ipſum emanſorem, aut eius loco duos alios ſuæ familiæ, nominis, & inſignium, pœnæ ludorum ſiſtat; ſciens, ſi ſecus fecerit, ſe iure decurrendi in talibus ludis in poſterum ſpoliandam. nec ſe tantum, ſed & eos, qui ex ea coniuges ſibi optauerint; liberosq́ ex tali coniugio natos; licet primi illi retro in ludis huiuſmodi certauerint. in quibus deinde admittendi non ſunt, niſi ritè Regi ſui Circuli ſe purgauerint; & digni venia viſi fuerint; quod cum accidit, perinde ac ſi nunquam ludis adhuc decurriſſent, pro nouitijs excipiendi ſeptis inducendi ſunt.*

*Die verò ipſo ludorum, tenentur decurſuri ad ſuum quiſque Regem deuenire, & nomen profiteri, non minus tribus Heroltis præſentibus, vt illud matricibus inſcribatur. atq; ibi monentur, ne in ludis equo mordaci, calcitroſo, ſternaciq́ vtantur; niſi pœna huic rei ſtatuta, & verberibus mulctari velint: deinde ita aptata omnia ſua arma habeant, vt nemini illa nocere poßint, aut extantibus acuminibus, præacutisq́ extremitatibus lædere quenquam valeant: Telis etiam non alijs vtantur; quam claua equeſtri, & gladio; quæ ipſa quoque ad ſolitum ludis morem haberi & inſpici debeant. Hæc qui ita vt diximus prouiderit; is demum galeam ſortitioni offerre, in certamen deſcendere, & obſeruato ludorum iure, ac cerimonijs, cum quouis decurrere, & vires ſuas periclitari poterit.* x.

*Atq; hactenus de ijs, quæ ante decurſionem fieri par eſt; quæ vbi erit celebrata; rurſum quiſque ad ſui Circuli Regem accedet, teſtimonium decurſionis ſcripto comprehenſum petiturus; quod tamen non niſi duobus Regibus ludorum duobusq́ item Heroltis præſentibus datur, qui in hac re ei, qui ipſe non decurrerit ſub periurij & violati ſacramenti pœna gratificari prohibentur. ſcriptum autem huiuſmodi ipſi Reges, cum adiectione Circuli, cuius nomine præſident, nominis ſui ſubſcriptione muniunt. Sed hoc Regiæ, Ducalis, aut Principalis dignitatis perſonæ non indigent. quoniam Reges ſui regni corona, Principes, & Duces ſerto caput adumbrare contenti, non ſolent perinde vt alij in his ludicris pugnis illud adornare: quemadmodum nec ſodalitati vlli ſe inſerere; quod tamen inferioris dignitatis omnes non ſolum faciunt, verum etiam facere tenentur. Poſt ſolemnes autem hos ludos, qui ſunt grauis armaturæ; aliæ quoq; digladiationes ſequi ſolent, & puris haſtis concurſiones; deq́ curſu certamina. chori item & tripudia, ad numerosq́ ſaltationes. Præterea gratiarum actiones dicuntur; & brauia donantur ijs, qui de ſingulis circulis armorum laude primi iudicati fuerint. Reges quoq; ludorum, no-*

Quid fiat poſt editionem ludorum equeſtrium.

uis ad hoc officiũ designatis, administrationis suæ rationes reddunt; præsentibus ex quoq; Circulo minimũ tribus, q ijs ludis decurrerint; quorũ etiam est acta Regum suorum suis subscriptionib. & signis communire.

Hoc quoq; obseruandum, vt omnib. iam ad ludos exhibendos præparatis, deligantur ex singulis Circulis duo, quorum quatuor disciplinæ ludicræ, quatuor septorum custodiæ deputentur. vt hi, ordinib. iam partitis, & distributis, funes incidãt, atq; ita viam decursuris aperiãt, animaduertántque in eos, qui animaduersione dignum aliquid admiserint; isti cum videbitur signum receptui tuba dari iubeant; quo audito depugnantes omißis clauis suis, gladijs rem gerere incipiant, & alij aliorũ clenodia conscindere & diloricare cõtendant: quo facto septa recluduntur, vtpote rite omnibus, quæ ad ludorum solemnia pertinẽt, administratis.

Talibus atq; alijs instructi à Philippo Secretario Quindecimuiri ludorum, cum impensè eis omnia placuissent, die sabathi, hoc est, biduo ante quam armilustria fieri debebant, & eorũ telorum oblationes ad solemne examen, quib. quisq; in certamine esset vsurus, numerũ inire cœperunt eorum, q ad ludos proximos nomen suum profeßi essent. quẽ cum inmodicum iudicarent & tribus, quatuor iustis commißionib. parẽ; statuerunt vti die Martis proximo decursiones primæ tẽpore pomeridiano, Mercurij alteræ & tertiæ ante, & post meridiẽ distinctim, quartæ verò & vltimæ Iouis die ante prandiũ celebrarentur: vti ita facilius familiæ diuiderẽtur, & spargerẽtur, quãplurimiq; virtutis suæ testãdæ locũ haberẽt. Hinc post equorũ armorumq; lustrationẽ, & examen ad electionẽ eorũ octo, q disciplinæ ludicræ moderatores & ad septa curatores essent, processum est; nominatis ad vtrunq; officium, vt singulis exhibitionibus & commißionibus noui semper præessent, ijs qui sequuntur:

Prima commißione iußi esse moderatores ludicræ disciplinæ,

Ex Circulo { Rhenensi, Ellingerus Comes à VVitgenstein,
Sueuico, Georgius Comes à Leiphein,
Bauarico, Henricus Comes à Fornbach,
Franconico, Ernestus Comes à Castel. }

Curatores ad septa,

Ex Circulo { Rhenensi, Dominus Henricus ab Erphade,
Sueuico, Dominus VVolffgangus ab Hohengeroltzeck,
Bauarico, Dominus Mauritius à Barsberg,
Franconico, Ioan. VVolffgangus à Geirn, eques. }

Secunda commißione moderatores disciplinæ ludicræ fuerunt,

Ex Circulo { Rhenensi, Ioan. VVolffgangus Comes à Marca,
Sueuico, Otho Comes a Zollern,
Bauarico, Andreas Dominus à Rotthale,
Franconico, Ernestus Comes ab Hohenloe. }

Cu-

*Curarunt ad septa,*

Ex Circulo
*Rhenano, Henricus Dominus à Bickenbach,*
*Sueuico, Sifridus Dominus à Zimbern,*
*Bauarico, Ioannes Comes à Diessen,*
*Franconico, Michael Dominus à Flugling.*

*Tertia commißione præfuerunt disciplinæ ludicræ,*

Ex Circulo
*Rhenano, Gasparus Comes ab Horn,*
*Sueuico, Georgius Comes à VVerdenberg,*
*Bauarico, Fridericus Comes à Sempt,*
*Franconico, VVilhelmus Comes à VVertheim.*

*Ad septa curarunt,*

Ex Circulo
*Rhenano, Sigismundus Dominus à Reineck,*
*Sueuico, Ernestus Comes ab Aßberg,*
*Bauarico, Michael Dominus à Mulberg,*
*Franconico, Crato Dominus à Brauneck,*

*Quarta & vltima commißione ludos moderati sunt,*

Ex Circulo
*Rhenano, Gertenus Comes à Seyne,*
*Sueuico, Marquardus Dominus ab Houuen,*
*Bauarico, Ratto Comes ab Andechs,*
*Franconico, Otho Comes ab Aldenburg.*

*Septis præfuerunt,*

Ex Circulo
*Rhenano, Sichardus Dominus à Ratzumhauß,*
*Sueuico, Diepoldus Dominus à Falckenstein,*
*Bauarico, Albanus Dominus à Schonberg,*
*Franconico, Antonius Dominus à Kunsberg.*

*Quibus ita ordinatis, visum est etiam ex quatuor Circulis quatuor eligere seniores, & totidem iuniores, qui vnà cum Regibus ludorum, totóque Gynæceo, & Heroltis omnibus sortitioni & partitioni galearum, clenodiorúmque examini, & armorum lustrationi praeessent, ad quam etiam rem statim designati sunt:*

Ex Circulo
*Rhenano, Ernestus Dominus à Pyrmont, senior, & Ludouicus Dom. ab Hornstein, iunior.*
*Sueuico, Gasparus Dom. à Bodman, senior, & Christophorus Dom. ab Hatstat, iunior.*
*Bauarico, Dom. Ludouicus Stauffer, senior, & Do. Andreas Aheymer, iunior.*
*Franconico, Dominus VVilhelmus ab Ehenheym, senior, & Dom. Fridericus à Sensheym, iunior, equestris dignitatis omnes.*

*Hinc electæ sunt ad lustrationem armorum, & galearum diuisionem, ex Gynæceo fœminæ, virginesq́ʒ, nominatim ex*

*Circulo Rhenano:*

*Margareta à Zolnern, D. Theodorici à Puttingen vidua; Agnes ab Helffenstein, Dom. Georgij ab Eltz coniunx legitima; Martha à VVindenberg, virgo.*

*Ex Circulo Sueuico:*

*Barbara ab Hacholting, D. Errici ab Ellerbach vidua; Anna à Rechberg, vxor Dom. Sigismundi à Ruxingen; Catharina Nothaffstina, virgo.*

*Ex Circulo Bauarico:*

*Margareta à Freyen Seiboldtsdorff, D. Friderici à Thennesberg, vidua. Magdalena à Truchtling, D, Eberardi ab Hage vxor. Agnes a Nusberg, virgo.*

*Ex Circulo Franconico:*

*Adelheis a Giech, Dom. Theodorici a Brauneck vidua. Elisabetha a Thungen, Dom. Joannis ab Altenstein vxor. Maria a VVolffskele, virgo.*

Acta xv. virorum confirmantur.

*His muneribus & officijs ita ordine distributis, quid egissent Quindecimuiri ad Imperatorem & concilium retulerunt; qui, singula & vniuersa, cum prælegi sibi ea iussissent, valde laudata auctoritate sua confirmarunt, & rata esse iusserunt: mandantes de cætero ijsdem Quindecimuiris, vt præconis voce omnes qui ad galearum lustrationem & partitionem delecti essent, parati esse iuberentur Lunæ die proximo inter decimam & vndecimam horas, quo tempore eædem lustrandæ & partiendæ essent.*

Armilustria.

*Hora autem constituta iam propinquante, Imperator ad examen & lustrationem, sortitionemq́ʒ offerri iussit galeas trecentas & nonaginta: inter quas vndecim Ducales & Principales, fuerunt eorum, quorum nomina subijciemus:*

*Gotschalci Ducis Hollandiæ,*
*Barnimi Principis Pomeraniæ & Vinidarum,*
*Arnoldi Palatini Saxoniæ,*
*Joannis Palatini Thuringiæ,*
*Friderici Burggrauij Meydburgensis,*
*Theodonis Principis & Comitis VVittensis,*
*Bilmari Principis Russiæ,*
*Boleslai Principis Delmantziæ,*
*Reineri Comitis Thuringiæ,*
*Othonis Comitis Limitanei, seu Marchionis Stadensis;*
*Othonis Comitis & Principis Ascaniæ.*

*Obtule-*

*Obtulerunt etiam cum Caes. sua maiestate galeas suas Comites numero vigintiocto, quorum & ipsorum haec sunt nomina:*




*Vlricus Comes Aldenburgensis,*
*Philippus Comes Valesius,*
*Reinerus Comes Harracortius,*
*Gunterus Comes Schuuartzburgensis,*
*Ernestus Comes a Vueissenfels,*
*Sigismundus Comes a Gleichen,*
*Ioannes Burggrauius a Leisneck,*
*Vuilhelmus Comes a Greutsch,*
*Ludouicus Comes ab Eberstein,*
*Joannes Comes ab Eysenburg,*
*Rupertus Comes Rettelius,*
*Henricus Comes à Vuinssenburg,*
*Fridericus Comes a VVunsdorff,*
*Vuilhelmus Comes Uffensis,*
*Vuilhelmus Comes a Louuenrode,*
*Theodorus Comes a Rochlitz,*
*Henricus Comes Pedemontanus,*
*Sigismundus Comes Alenconius,*
*Henricus Comes a Brenn,*
*Joannes Comes a Leisneck,*
*Rodolphus Rauugrauius a Cassel,*
*Ernestus comes a Vuoldenburg,*
*Bruno comes ab Eckersberg,*
*Erricus comes a Pein,*
*Vuilhelmus comes ab Arnshag,*
*Andreas comes a Lobdiburg,*
*Philippus comes Norttingensis,*
*VVernerus comes a Ploysigk.*

*Post Imperatorem obtulit cognitioni & partitioni Conradus Palatinus Rheni octogintaquatuor galeas, quarum septem Principales, seu Ducales, erant:*

*Eberardi Ducis Alsatiae,*
*Pauli Ducis Barrensis,*
*Antonij Marchionis Pontamonsonij,*
*Arnoldi Ducis Borboniorum,*
*Joannis Ducis Limburgensis,*

*Ligorij Comitis Burgundiæ,*
*Henrici Comitis Mollesinij.*

*Obtulerunt præterea cum Palatino XVI. hi Comites,*

*VVeckerus, Comes Bipontinus,*
*Ioannes, Comes à Sarbrucken,*
*Dieterus, Comes à Vuitgenstein,*
*Fridericus, Comes à Lone,*
*Paulus, Comes ab Horn,*
*VVilhelmus, Comes Limpurgensis,*
*VVilhelmus, Comes à Deckelnburg,*
*VVilhelmus, Comes Solmensis,*
*VVilhelmus Comes a Manderscheid,*
*Philippus Comes a Veldentz,*
*VVilhelmus Comes a Diest,*
*Ioannes Comes a Blanckenburg,*
*VVolffgangus Comes Dagßburgensis,*
*Vuolffgangus Comes Benthemius,*
*Philipp. Com. a Rheingrauenstein,*
*Henricus, Comes Salmensis.*

*Palatinum secutus est more recepto Hermannus Dux Sueuiæ; qui offerri curauit galeas octuagintaduas; de quibus nouem Ducales, Principalésque, erant:*

*Ettichonis, Ducis Bauar. superio.*
*Princeslai, Ducis Croatiæ,*
*Friderici, Ducis Arduennæ,*
*Gerardi, Marchionis Iuliacensis,*
*Gotuualdi, Comitis & Domini Hennenbergensis,*
*Henrici, Ducis Lotharingiæ,*
*Radebottonis, iunioris, Ducis Meronis, & Comitis ab Andechs,*
*Caroli, Principis Ascaniæ,*
*Ludouici, Com. montis Beliardi.*

*Comites Baronesq́, numero sedecim, qui Sueuum sequebantur erant:*

*Fridericus, comes ab Helffenstein,*
*Ioannes comes Pedemontanus,*
*Rodolphus comes a Zollern,*
*Vlricus comes ab Vrach,*
*Georgius comes a Feldkirch,*
*Ludouicus comes Tubingensis,*
*VVilhelmus comes a Masax,*
*VVilhelmus comes a Iustingen,*
*Joannes D. a Brandis,*
*Rudolphus comes a Vuerdenberg,*
*Emichus comes Gruningensis,*
*Ernfridus comes ab Herraberg,*
*Ludouicus comes a Phirdt & Dominus a Rochio,*
*VVilhelmus comes ab Achelm;*
*Henricus comes a Dalfaltz,*
*Gotfridus Dominus a Stoeffeln,*
*Fridericus Dominus ab Hohenstauffen.*

*Hinc sortitioni & examini Berchtoldus Bauariæ Dux offerri iussit galeas numero nonagintasex, quarum octo Ducales, Principalésque fuere,*

*Eberardi, ducis Bauariæ,*
*Alberti, Landtgrauij Alsatiæ,*
*Ioannis, Principis Sampaniæ,*
*Arnoldi, Principis a Scheyern,*
*VVenceslai ducis Bohemiæ,*
*Melchioris, Marchionis Istriæ,*
*Othonis Principis Vchtlandiæ,*
*Ludouici, Marchionis Sessæ, & comitis Sabaudiæ,*

*Comites*

*Comites partium eius fuerunt hi octodecim:*

*Reinerus Comes Hanoniæ,*
*Fridericus Com. ab Hohenuuard,*
*Conon Comes à Reinfelden,*
*Hauguualdus Comes à Kirburg, & Thuling,*
*Rupertus Comes Andegauensis, & Parisiorum,*
*Joannes Comes à Thrumberg,*
*Burchardus Comes à Veringen,*
*Fridericus Com. ab Hohẽdruchading,*
*Eberardus Comes à Sempt,*
*Ernestus Comes ab Hirsberg,*
*Eberardus Comes Oningensis,*
*Conradus Comes à Lutzelstein,*
*Philippus Comes ab Eberstein,*
*Ecbertus Comes Veromanduæ,*
*Fridericus Comes à Veldentz,*
*Radebotto Com. ab Hohenbogen,*
*Ludouicus Comes à Saruuerden,*
*Albertus Dominus ab Eynenberg,*

*Eodem die & hora, idem, quod iam nominati Principes, fecit Illustriss. Conradus, Dux Franciæ Orientalis, missis octuaginta galeis, quarum erant Principales quatuor:*

*Vicetislai Ducis Bohemiæ,*
*Dedonis Ducis VVestphaliæ,*
*Henrici Ducis Meronis,*
*Etthiconis Ducis ab Engern.*

*Comites verò vigintiduo, quos in partib. suis habuit, fuerunt:*

*Arnoldus II. comes Flandriæ,*
*Claudius comes Tholosanus,*
*Fridericus comes montis Beliardi,*
*Vuilhelmus com. Vaudemontius,*
*Henricus Burggrauius Neoburgensis,*
*Otho comes a Rineck,*
*Fridericus com. Aspermontensis,*
*Albecus comes a Firnenberg,*
*Rupertus com. Schlusselburgensis,*
*Joannes comes a Castel,*
*Otho, comes Arnsbergensis,*
*Arnoldus comes Hollandiæ,*
*Joannes comes Geneuensis,*
*Antonius comes Bononiensis,*
*Ludouicus comes Armeniacus,*
*VVilhelmus comes Pfauuenburgensis,*
*Vlricus comes ab Hanauu,*
*VVolffgangus com. ab Hohenloe,*
*VVilhelmus comes VValdeccensis,*
*Eberardus com. Raffensbergensis,*
*Philippus comes Monticy,*
*Henricus comes a Kammerstein.*

*Reliqui autem partium, tã Cæs. maiestatis, quam quatuoruirorum Imperij, ad complendum eum quem iam galearum oblatarum numerum fuisse diximus, erant ex primaria Germaniæ nobilitate. sed iam cæteros persequemur quoque, qui, his ludis depugnaturi, galeas suas cum ijs, quos suarum partium habuere, sortitioni & cognitioni permisere, in quibus fuere:*

*Otho, Dux Thuringiæ, maior natu filius Imperatoris Henrici I. qui galeas offerri iussit centum duodecim, ex quibus octo Principales Ducalésque fuere:*

*Volde-*

*Voldemari, Ducis Iutlandiæ,*
*Vatislai, Ducis Croatiæ,*
*Artuuini, Ducis Surbensis,*
*Philippi, Comitis Artesiæ,*
*Radebottonis, Ducis Rußiæ,*
*Viceslai, Principis Rugiæ,*
*Caroli, Marchionis Pontamonsonij,*
*Friderici Com. Eylnburgensis,*
*Burggrauij à Seusselitz.*

*Comites qui ab illo steterunt* XXIII. *fuerunt,*

*VVilhelmus, Comes Niuersius,*
*Rodolphus, Comes Auergnius,*
*Otho, Comes Altenburgensis,*
*Fridericus, Comes à Rietberg,*
*Georgius, Comes Homburgensis,*
*Siboldus, Comes à Ringelen,*
*Henricus, Comes à Biberstein,*
*Fridericus, Comes à Kolditz,*
*Henricus, Comes Hoyæ,*
*VVernerus, Comes à Gutsgauu,*
*Otho, Comes Mansfeldiæ,*
*Fridericus, Dom. Marbergensis,*
*Philippus, Comes Pliessensis,*
*VVilhelmus, Com. à Vuolckstein,*
*Gerardus, Comes à Seyn,*
*Reinerus, Comes Zutphaniæ,*
*Vuilhelmus, Comes à Dieffalden,*
*Vuilhelmus, Comes à Bryanny,*
*Vuiprechtus, Comes à Leiningen,*
*Vuilhelmus, Comes à Kirburg,*
*Ernestus, Comes à Spigelberg,*
*Henricus, Comes ab Arnstein,*
*Ernestus, Dominus à VVaringrod.*

*Othonem Imperatoris maiorem filium secutus est Arnoldus Dux Bauariæ, mißis galeis quadragintaquinq; quarum præcipuæ fuere,*

*Ruperti, Ducis Burgundiæ,*
*Friderici, Ducis Barrensis,*
*Othonis, Marchionis Franciæ Orientalis, &c.*
*Crotomislai Marggrauii à Merhern.*

*Atq; Arnoldum rursum Henricus Dux Saxoniæ, alter Imperatoris filius, mißis suarum partium galeis octuagintaquinque, in quibus eximiæ erant,*

*Rodolphi, Ducis Bauariæ superioris,*
*Esiconis, Principis Ascaniæ,*
*Ioannis, Burggrauii à Zorbick,*
*Aldeberi, Comitis à Morsberg, &c.*

*Post hos obtulere examini distributioniq; galeas cum suis quisque,*


*Vratislaus, Dux Silesiorum, triginta sex,*
*Eberardus, Dux Lotharingiæ, quadraginta octo,*
*Meßico, Dux Poloniæ, triginta duas,*
*Gotfridus, Dux Thungrensis & Bullonensis, octodecim,*
*Mestebæus, Princeps Vinidarum, trigintanouem,*
*Vratislaus, Dux Pomeraniæ & Vinidarum, viginti,*
*Nestrico, Dux Silesiæ, vigintiquatuor,*
*Vratislaus, Dux Bohemiæ, sexagintaquinque,*
*Rudigerus, Marchio Austriæ, trigintaduas,*
*Polislaus, Marchio à Merhern, quadraginta,*

*Vislaus, Princeps Milsiniorum, viginti, &c.*

*Quibus successere ex Comitibus præcipuis imperij, hi* XII.

*Theodoricus II. Comes Hollãdiæ,*
*Esico, Comes Ascaniæ,*
*Gunthramus, Comes Habsburgensis,*
*VVilhelmus, Comes Montfortensis,*
*Conradus, Comes à Kalb,*
*Ludouicus, Comes à Furstenberg,*
*Henricus, Comes Vverthemiæ,*
*Henricus, Comes Hennenbergensis,*
*Arnoldus, Comes Cliuiæ,*
*Otho, Comes Nassauiensis,*
*VVolffgangus, Comes à Katzenelnbogen,*
*Adolphus, Comes à Reineck.*

*qui cum suis miserunt galeas numero centum & vigintiocto, quos alij plures Comites, Barones, Equites, Nobilésque ita imitati sunt, vt numerus galearum eo Lunæ die examini & partitioni subiectarum, ad quatuor proximas ludorum celebrationes, fuerit in vniuersum facile duûm milium.*



*Armis autem scutisq́; & galeis, quæq́; huc alia pertinent, vt sunt paludamenta, saga, ornamẽta, phaleræ hominum, equorumq́; examinatis, & partitis; Georgio, cognomento Schuuabenlandt, vti inter Germanos ad hanc rem vnico, negotium datum est, vt Herolti Præconisq́; officio fungens, ludorum iura, priuilegia, legesq́; publicaret; eo adiecto, boni ominis causa, his primis ludis pœnam & animaduersionem omnẽ abfore, eiusmodique rerum proximis demum rationem iri habitum, præsentibus, aut certè instantib. nunc ideo decretis, vti fraternis & optimis erga* Publicatio legũ & priuilegiorũ eq. decurs.

*inuicem essent omnes animis, amicitiamq́; sibi alter alterius, & beneuolentiam conciliaret, non ex cuiusquã reprehensione, accusatione, & pertinaci insectatione, sed honesta quadam & cum humanitate cõiuncta æmulatione. Qua causa, si qui ex quacunq; occasione exulceratis & irritatis iam ante inter se animis essent, deponerẽt huiusmodi inimicitias, nebulasq́; omnes alienationum serenitate noua discuterẽt; memores, iras in hostem esse euomendas & exonerandas, hic vires contra hostem mutuo armorum exercitio acuendas.*



*Priuilegijs ludorum pronunciatis, & proclamatis, paßim arma, ornamentaq́; armorum, iam examini probata, ad dominos referebantur; qui se quam poterant magnificentißime ad ludos comparare studebant.*

Distributio ordinũ.

*Qui ludi cùm iam Martis die tempore pomeridiano initium habituri essent; ordines ita distributi sunt, vt prima illa cõmißione & exhibitione depugnaret Imperator cum omnib. ijs, qui cum eo armorum periculum subierãt, & galeas suas miserãt, quos fuisse diximus* CCCXC. *præterq́; Cæs.*

Prima commißio ludorum.

*maiestatem pateret area eo die Arnoldo Duci Bauariæ, qui secum habebat aliquot quadragintaquinq;, & Cõrado bellicosißimo Duci Franciæ Orientalis cum octuaginta item de suis, attributis præterea alijs octo capitib. Imperatori, ita vt tum septis se immiserint certaturi, quingenti & admodum viginti tres, qui omnes inde hastis concurrerunt.*

Secũda cõmißio.

*Mercurij verò die, tempore antemeridiano, iußi sunt diuisione facta discrimen gloriæ subire, Conradus Palatinus cum suis octuagintaquatuor, Otho Dux Saxoniæ & Thuringiæ, maior natu filius Imperatoris, cum*

*cum equitibus centum & XII. ſibi addictis, Meſsico Dux Poloniæ, cum quadragintaduobus, quos ſocios in armiluſtrijs habuerat, Meſtobæus Princeps Vinidarum cum vigintinouem de ſuis, & Poliſlaus Marchio à Merhern cum quadraginta ſuarum partium, ad quos præterea Palatino adiecti ſunt admodum ducenti & ſedecim alij; adeò vt æqualiter & quemadmodum pridiè certamini intereſſent quingenti viginti tres, quibus omnibus virtutis ſuæ tum teſtandæ in armis, locus fuit.*

*Eodem Mercurij die, ſed ſumpto prius prandio, ad tertiam decurſionem deputati ſunt, Hermannus Sueuiæ Dux, qui, vt dictum eſt, in partibus ſuis habebat octuagintaduos, Henricus Dux Saxoniæ, iunior Imperatoris filius, cum ſuis octuagintaquinque, Vratiſlaus Dux Sileſiæ comitatus trigintaſex de ſuis, qui cum eo arma examini & partitioni obtulerant, Vratiſlaus Dux Bohemiæ cum ſexagintaquinque ſuorum; Vratiſlaus Dux Pomeraniæ, cui ſimiliter aderant alij viginti, & Vitiẑlaus Princeps Milẑiniorum etiam cum viginti equitum comitatu; ad quos omnes Duci Sueuiæ Hermanno adiecta ſunt à ludorum curatoribus capita, ſiue galeæ, centum quadragintaquinque, ſic vt numerus aliarum exhibitionum, nempe quingentorum viginti trium, perinde impletus fuerit; de quibus nulli periclitandi vires ſuas eo die ante noctem copia denegata eſt.* Tertia cõmiſsio.

*Reſtabat quarta et vltima decurſionum celebritas: cuius anteſignanus fuit Berchtoldus Dux Bauariæ, cum ſuis nonagintaſex; adtributis ad extremum hunc ludorum actum, Eberardo Lotharingiæ Duce, cum comitatu quadragintaocto equitum, Gotfrido Duce Thungrorum & Bullonenſium, cum ſuis octodecim in armorum examine ſociis, Neſtricone Duce Sileſiæ, comitato vigintiquatuor ſuorum, Rutgero Marchione Auſtriæ, cum aliis trigintaduobus, & duodecim Comitibus his ſequentibus, puta:* Quarta cõmiſsio.

*Theodorico Comite Hollandiæ,*
*Henrico Comite ab Hennenberg,*
*Eſsicone Comite Aſcaniæ,*
*Arnoldo Comite Cliuiæ,*
*Gunthramo Com. Habſburgico,*
*Othone Comite Naſſauio,*
*Vuilhelmo Comite Montfortenſi,*
*VVolffgango Comite à Katẑenelnbogen,*
*Conrado Comite à Kalb,*
*Ludouico Comite à Furſtenberg,*
*Adolpho Comite à Reineck,*
*Henrico Comite VVerthemiæ:*

*qui omnes duodecim ſecum habebant centum vigintiocto de ſuis; ad quos, vt capitum numerus compleretur, Berchtoldo Duci Bauaro adiecti etiam fuere centum octuagintaduo, ita vt vno minus vltima hæc decurſio cõſtiterit, quam reliquæ; cum in ea depugnaſſe certum ſit quingentos & vigintiduos.*

Quid post ludorũ cõmissiones factum sit.

*Ludis equestribus hoc ordine & modo concelebratis; cum eodem etiam Iouis die, vltimo eorũ solemni actu finito iam prius, multa de equorum cursu certamina, multæ congreßiones singulares factæ essent; ducendis choreis sub vesperam se omnes parare cœperunt: & inprimis matronæ, virginesq́; quarum hic erat proprius decurrendi campus; in quem ante quam prodirent, credo facile verisimile futurum, si dicam, nihil eas eorum omisiße, quibus à natura concessum formæ decus adiuuarent, & exornarẽt, maximè cum scirent suarum quoq; partium fore, & honoris ergò laudationib. & gratiarũ actionib. defungi apud Reges Senioresq́; & virtutis causa donare meritis præmijs eos, qui optime in ludis rem geßissent, quæ quidem ante alia mox ita processum suum habuere, vt primæ laudationes in quatuor futuros & designatos iam primũ Reges ludorum proxime celebrandorum conferrentur & deriuarentur.*



Gratiarum actiones & laudationes primæ.

*Fungente ijs apud Fridericum Comitem ab Helffenstein, Dominũ à Filß, Sueuum, Comite quadam à SchuuartZburg: & eodem Friderico ludos quib. Rex designatus esset, edicẽte in diem D. Iacobi post trienniũ, hocest, anno noningẽtesimo quadragesimoprimo Rauẽsburgi celebrãdos.*

*Secundas hic partes egit apud Comitem Thibothonem ab Andechs, Bauarum, vxor Comitis Rodolphi à VVerdenberg: Thibothone ludos suos edicente in tempus quod esset proximum futurum à festo omnium Sanctorum, triennio post eos, quos edixisset Comes ab Helffenstein, hoc est, anno noningentesimo quadragesimoquarto Regensburgi celebrandos.*

Tertio

*Tertio loco dictæ gratiæ cum laudatione per Comitem quandam à Reineck virginem, pertinuere ad Ludouicum Comitem Eberstenium Frãcum, qui ludos suos equestres edixit in diem Dominicum post trium Regum, anno* Iↄcccc. *quadragesimoseptimo VVirtzeburgi siue Herbipoli, primaria Franciæ Orientalis ciuitate ad Mœnum, celebrandos.*

*Quartæ laudes dictæ sunt à Margareta filia Comitis Guntheri à Schuuartzburg virgine, Ludouico Comiti à Saruuerden, Rhenano; edicente eodem ludos suos in diem Dominicam post Trinitatis, anno noningentesimo quinquagesimo Augustæ Treuirorum ad Mosellam celebrandos.*

*Inde pariter actæ gratiæ, quod ludos sua præsentia cohonestaßet, quatuor Senioribus, vtputa: Imperatori Henrico, à Duce quadam Franciæ Orientalis; Palatino Rheni, à filia eiusdem Henrici Imperatoris; Eberardo Duci Lotharingiæ, à filia Vratislai Ducis Bohemiæ. Duci Franciæ Orientalis, à Duce quadam Lotharingica.* Secundæ.

*Sed & illis quatuor solemnes gratiæ dictæ, habitæq; honoris ergo, qui fortibus factis, & armis auratos gladios præ cæteris meruerant. fungentibus hoc munere,*

*Apud Dominum à Finstingen, qui Rhenensis Circuli erat, filia Eßiconis Domini Ascaniæ, oblato brauij loco gladio aurato.* Tertiæ.

*Apud Comitem Conradum à Kalb, qui Sueuici erat Circuli, quadam Comite a Schuuartzburg, & Domina a Blauvven, cum similis gladij honorario.*

*Apud Dom. Ernigum Vicedominum in Rothal, qui Circuli Bauarici erat, Comite quadam a Pauvvenburg, ense item manubrio aureo adiecto.*

*Apud quendam Comitem a Castel, vt qui esset Circuli Franconici, Comite nescio qua ab Acheln, cum simili brauio, quo & reliqui tres præcedentes donati fuerant.*

*Postremo actæ & illis gratiæ, qui ex singulis quatuor Circulis omnibus armis instructißimi, & apparatus magnificentia Principes fuere; quo nomine dictæ illæ sunt,* Quartæ & vltimæ.

*A filia Theothonis Ducis VVestphaliæ, Hermanno Duci Sueuiæ.*

*A N. Domina in Ingelnheim, nata ex familia Dalbergensi, Domino a Plauuen, Franco.*


*A filia Domini Eynenbergensis, N. Comiti a Seyne, Rhenano.*

*A N. Comite Kyrgbergensi, nata Domina in Langenburg, N. Comiti a Kronburg, Bauaro.*

*Quibus ita peractis, Principes, Comites, Baronésque honore,*

 *laudi-*

Choreæ. *laudibus, gratiarum actionibus, & donis affecti, instituerunt ad numeros choreas ducere, cum ea quisque matrona, virgineue a qua sibi gratiæ*



*actæ essent. durantibus his & similibus oblectamenti generibus in diem vsque Saturni, quo cum ad sua discedere quisq; pararet, & nominatim quatuoruiri imperii illi, sæpe nobis dicti; puta,*

| | |
|---|---|
| *Palatinus Rheni,* | *Dux Sueuiæ,* |
| *Dux Bauariæ,* | *Dux Franciæ Orientalis,* |

Ius ludorũ equestriũ ad quatuor uiros imperij transfertur. *vnanimiter ad Imperatorem deuenerunt, orãtes vti Imperator dignaretur impertiri sibi, tanquã imperii quatuoruiris, ius supremum in ludos equestres in posterum celebrandos, cum omnib. & singulis priuilegiis eo pertinentib. vt suis postmodum auspiciis inprimis illi p Palatinatum, Sueuiam, Bauariam, Franconiam celebrarentur; promittentes se tale ius sibi ab Imperatore indultum inter regalia sua, & feuda principalia connumeraturos, habiturosq; atq; perinde vt illa beneficium Imperatoris, imperiiq; agnituros; eoq; nomine quæ assolẽt deuotionis & fiduciariæ possessionis anathemata præstituros. quæ ipsorum postulata Imperator sane quam libenter impleuit, petito iure in eos posterosq; eorum in perpetuum trãslato, cum magnis etiam gratiarum actionibus, quod tam bonam & sedulam operã imperio Germanico bello proximè præterito contra Hunnos præstitissent.*

*Atq; hac ratione ius ludorum equestrium ad quatuor hos Principes peruenit; qui ab illo tempore supremi & perpetui eorum sunt reges in hodiernum vsq; diem; vt liquidius & disertius ex continua huius libri serie apparebit.*

LVDI

## LVDI EQVESTRES SECVNDI, IN GERMAnia solemniter celebrati, editi à Conrado, Duce Franciæ Orientalis, & Lotharingiæ, anno Iↄcccc. XLII.

Fridericus Com. Helffenstenius, &c. Sueuicus Rex ludorum.



Thibotho Comes ab Andechs Bauaricus Rex ludorum.



Ludouicus Comes à S.ruuerden, Rhenanus Rex ludorum.



Ludouicus Comes Eberstenius, Frãcicus Rex ludorum.



Insignia Rotenburgi, vrbis ad Tubarum flumen, vbi secundi ludi Germanici editi sunt.



DE LV-

# DE LVDIS SECVNDIS EQVESTRIbus Rotenburgi celebratis.

*PRæsidente Imperio Henrico Aucupe annum iam vigesimumprimum, Illustrißimus & omni virtutum genere commendatißimus Conradus, Dux Franciæ Orientalis (qui antea Rotenburgi ad Tubarum vt plurimum diuersari solitus, quod mox in imperio demandatis sibi pro Imperatore vicibus fungens, Vuormatiæ viuere necesse habuerit, paßim Dux Conradus Vuormatiensis vocatus est) gener alioqui etiam Cæsareæ maiestatis, ducta in vxorem filia eius Mechtilde, vidua Henrici Ducis Lotharingiæ, a quo etiam moriente in Lotharingiæ Ducatu cum eadem Mechtilde (quæ illi postea Othonem filium peperit) hæres est institutus, hic, inquam, Dux Conradus, cùm vnà cum Imperatore, & tribus alijs imperij primarijs Principibus, puta, Palatino, Bauaro, Sueuo, ludorum equestrium solemnia instituisset, eorundem iure supremo ab imperatore in feudum impetrato; ideoq; suarum esse partium existimaret simulachris his pugnarum bellicæ virtuti crescendi locum dare; vt exemplo quo Imperator Socerq; præiuisset vteretur, indixit decursiones equestres Rotenburgi ad Tubarum (quæ erat Franconiæ supernatis tum metropolis) cis nemus siue syluam Thuringiacam celebrandas, inuitato ad eas per legatos Rege Franciæ, omnibusq; ferè Germanicis Ducibus, Principibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Equitibus, Nobilibus, &c.*

Deliberatio de secũdis ludis equestribus.

*Nominatim autem super ea re litteras dedit ad Ludouicum Comitem Eberstenium, Regem ludis faciendis in Circulo suo Franconico; accersiuitq; eũdem ad deliberandum & consultandum Vuormatiam, quo cùm is Comes paullo pòst venisset, iussus est a Duce Conrado Rotenburgum proficisci; eodemq; euocare collegas suos, reliquorum Circulorum Reges, & cum ijs omnia quæ ad ludorum curam pertinerent prouidere, ne quid ad diem, quo exhiberi debebant, deesset; aut in quæstione versaretur. Quo loci cùm conuenissent Reges quatuor; vt puta, Ludouicus comes Eberstenius, Thibotto comes ab Andechs, Ludouicus comes a Sar uuerden, & Fridericus comes Helffenstenius, Dominus a Filß. iunxit se ijsdem ipse quoq; Dux Conradus, cõsilijsq; communicatis decretum est, vti Comes Eberstenius ludos publicãdos curaret cum alibi paßim, tum præcipuè per Germaniam in diem Dominicum post Simonis & Iudæ, anni* Iɔcccc xlii. *vti postridie armilustria celebrarentur, partitioq; ordinum fieret; quò Mercurij & Iouis inde diebus ludi committi possent, gratiarum actionibus, choreis alijsq; ludorum interpolationibus consequenter in dies inde proximos reiectis.*

*Ad*

*Ad hanc autem proclamationem ſiue indictionem, venerunt Rotenburgum hi ferè Duces, Principes, Comites, Barones, Equites, Nobiles, &c.*

Principes, Duces, Comites, Equites, &c. qui his ſecũdis equeſtrib. ludis interfuere.

*Conradus Dux Franciæ Orientalis & Lotharingiæ vt ſupremus eorum ludorum Rex, & muneris eius editor.*
*Berchtoldus Dux Bauariæ, feliciſſimus, & glorioſiſſ. Princeps.*
*Henricus Dux Bauariæ, & Norgauiæ.*
*Rutgerus Marchio Auſtriæ, & Bechlariæ.*
*Theodoricus Dux ab Engern.*
*Henricus Marchio Norgauiæ, & Franciæ Orientalis.*
*Reinardus, cui ab colli longitudine cognomentum fuit, Com. Hannoniæ.*
*Arnoldus II. Comes Flandriæ.*
*Arnoldus Princeps & Comes à Scheyrn.*
*Theodorus II. Comes Hollandiæ, & Zeelandiæ, Dom. Friſiæ.*
*Burchardus Comes Veringenſis.*
*Adelberus Comes à Sempt,*
*Gotuualdus V. Comes & Dominus Hennenbergenſis.*
*VValrabus Comes Naſſauius, Dominus à Lopern, à Sonberg, & à Laurberg.*
*Sichardus Comes Hirſbergenſis,*
*Dipoldus Comes Kiburgenſis, & Tulingenſis.*
*Reinerus Comes Hanauienſis,*
*Schuuichardus Comes à Seyne.*
*VVipertus Comes à Leiningen.*
*Erneſtus Com. Schuuartzburgẽſ.*
*VVolffgangus Comes VVerdenburgenſis.*
*Albertus Comes à Leuuenſtein.*
*Otho Comes à Reineck.*
*Vuilhelmus comes Vuerthemiæ.*
*Vuilhelmus com. Montfortenſis.*
*Berchtoldus com. à Lechſmundt.*
*Adamus comes Kirchbergenſis.*
*Rodolphus comes ab Vrach.*
*Sigiſmundus comes à Gleichen.*
*Philippus comes à Caſtel.*
*Gotfridus comes ab Hohenloe.*
*Adolphus comes Heyligenbergenſis, ſiue Sanctomontenſis.*
*Joannes Baro Vueinſbergenſis.*
*Joannes Dom. Ringenbergenſis.*
*Ortholphus Baro Rapolſtenius.*
*Ambroſius Baro Ruxingenſis.*
*Emericus Baro ab Ebſtein.*
*Erneſtus Dominus à Rochio.*
*Vuilhelmus Baro Hutſbergenſis.*
*Vuolfhardus Baro ab Hohenſaxẽ.*
*Philippus Baro à Brandiſſ.*
*Sifridus Baro a Zimbern.*
*Paulus Baro Iuſtingenſis.*
*Henricus Baro a Stoffel.*
*Fridericus Dom. ab Eckerſauu.*
*Vinceſlaus Baro Sternenbergenſ.*
*Vratiſlaus Baro Schuuanbergenſis.*
*Anſelmus Dom. Pelmontenſis.*
*Georgius Dominus a Thron.*
*Vatiſlaus Baro Bardouuitzẽſis.*
*Theodoricus Dominus Vuartenbergenſis.*
*Antonius Dom. ab Eberſdorff.*
*Sigiſmundus Dom. a Lichtenſtein.*
*Pantaleon Dom. a Tempelſtein.*
*Vuilhelmus Dom. ab Hochaberg.*

*Albertus Dom. Breuburgensis,*
*Conradus Dom. à Miskirchen,*
*Joannes Dominus à Flugelauu,*
*Andreas Dom. Krenckingensis,*
*Fridericus à Krichingē, Dominus Patlingensis,*
*Henricus Dom. Stretlingensis,*
*Vuilhelmus Dom. Radenburgēsis,*
*Conradus Dom. à Keyserstul,*
*Ammanus Dominus ab Hohengeroltsseck,*
*Augustinus Baro à Kaltern.*
*Reinardus Dominus à VVolfsenuueiler.*

*Ad hos accedebant innumeri prætерea alij, ita vt arma galeasq; lustrationis die examini, partitioniq; obtulerint, quingenti & trigintaocto, per se omnes potißimum depugnaturi. qui cum plures iudicarentur, quā vt vno & eodem tempore simul omnes decurrere possent: in duo summa agmina diuisi sunt; quorum prius Martis die à prandio in harenam descenderet, posterius Mercurij pomeridiano item tempore; patente die Jouis illis area, qui singularib. certaminib. delectarentur, et de quacunq; re concurrere vellent, virtutis suæ, & in armis dexteritatis periculum facturi.*

*Hinc Comes Ludouicus Eberstenius, cū collegis suis, aliquotq; seniorib. ex singulis Circulis, ad munia sua cuiq; distribuenda intendit; constitutis & designatis ante alia ad inspectionem armorum duodecimuiris his,*

*Ex Circulo Sueuico:*

*Domino Henrico ab Hurnheim,*
*Georgio ab Emß, siue Amasio,*
*Friderico à Morspurg.*

*Ex Circulo Rhenano:*

*Domino VVilhelmo Kronbergensi,*
*Engelhardo Reiffenbergensi,*
*Friderico Graslachensi.*

*Ex Circulo Bauarico:*

*Domino Andrea à Preißing, Equite,*
*Friderico Rainer à Raine,*
*Joanne à Breitenstein.*

*Ex Circulo Franconico:*

*Domino Rudolpho a Schaumberg,*
*Friderico ab Elrichßhausen,*
*Philippo a Vestenberg.*

*Matronæ autem virginesq; ad eandem rem delectæ, fuere;*

*Ex Circulo Sueuico:*

*Elisabetha a Bodman, vxor Domini Vuilhelmi a Schellenberg,*
*Agnes a Rechberg, vidua Domini Henrici a Thann,*
*Catharina a Freyburg, virgo.*

*Ex Circulo Rhenensi:*

*Barbara Nesselrodia, vxor Do. Vuolfgangi a Schuuanenberg,*
*Anna a Rudisheim, vidua Vuilhelmi Brunsers,*
*Magdalena ab Allendorff, virgo.*

*Ex Cir-*

*Ex Circulo Bauarico:*

*Catharina à Paulßdorff, vxor Domini Friderici a Toring,*
*Lucia a Vualdeck, vidua Domini Sebaldi a Laber.*
*Magdalena a Murach, virgo.*

*Ex Circulo Franconico:*

*Vrsula a Kunsberg, vxor Domini Conradi a Felberg,*
*Anna a Rosenberg, vidua Domini Rodolphi a Thungen,*
*Agnes a Seinsheim, virgo.*

*Disciplinæ ludicræ moderatores dicti sunt:*

*Dominus Vuolffgãgus Schencken à Geyern, Francus;*
*Dominus Ernest. ab Huernheim, Sueuus,*
*Dominus Bilsboldus a Barsberg, Bauarus,*
*Dominus Otho ab Heussenstein, Rhenanus.*

*Curatores vero ad septa:*

*Arnoldus a Vuenckheim, Frãcus,*
*Ioannes a Schellenberg, Sueuus,*
*Sigismund. a Vualdeck, Bauarus,*
*Henricus ab Eltz, Rhenanus.*

*Atq; ita officijs omnibus distributis, cum armilustria celebrata iam essent, cum omnes se paßim tũ illi inprimis præparabant ad certamen impensius qui Martis die a prandio concursuri erant; in quibus præter alios fuerunt nominatim hi:*

*Berchtoldus Bauariæ Dux,*
*Theodoricus Dux ab Engern,*
*Henricus Marchio Norgauiæ, & Orientalis Franciæ,*
*Reinardus longicolli, comes Haoniæ,*
*Theodoricus Secũdus, comes Hollandiæ, & Zeelandiæ,*
*Burchardus com. Veringensis,*
*Gotuualdus comes & Dominus Hennenbergensis,*
*VValrabus comes Nassauius, Do. a Lopern, Sonberg, & Laurberg,*
*Diepoldus com. a Kiburg & Tullingen,*
*Schuuichardus comes a Seyne,*
*Vuolfgangus com. Vuerdenbergẽs.*
*Erasmus Dom. Tullingensis,*
*Rupertus Dom. Petershemius,*
*Reinardus Dom. à Mani,*
*Albertus Dom. ab Heusten.*

*Atque his additi multi prætereà Equites, nobilesque, ita vt, veluti in priore editione, hic quoque spectati fuerint admodum ducenti quadraginta.*

*Cæterum die Martis verberibus mulctati sunt & tyrocinium deposuerunt solitis cum cerimonijs excepti;*

Mulctati verberib. & solenniter excepti priore cõmissione.

*Reinardus Dom. a Romersuuael,*
*Georgius Dom. Vvalcortius,*
*Ioannes Dominus Milindungius,*
*Guilelmus Dom. ab Horst,*
*Philippus a Bicken,*
*Sigismundus a Leyen,*
*Henricus Flordorffius,*
*Vveluuardus Rude,*
*Guilelmus Epserus,*
*Henricus Schottus,*
*Conradus Stachelius a Stacheleck,*
*Ioannes Eychelbergius,*
*Erasmus Dom. Tullingensis,*
*Rupertus Dom. Petershemius,*
*Reinardus Dom. a Mani,*
*Albertus Dom. ab Heusten,*
*Andreas Allendorffius,*
*Albertus Bellershemius,*
*Emmericus ab Auffses,*
*Philippus Landschadius,*
*Gebericus a Giech,*
*Ernestus Kunßeccius,*
*Fridericus Noppingius.*

*Durauit autem pugnæ ardor (postquam septis occlusis, & incisis funibus, copia eius facta est) ad horas duas: post quas signo tuba dato missis clauis ad gladios recursum est; quibus amputatis symbolis & clenodijs finis certaminis fuit.*

*Eadem plane ratio certaminis etiam posterioris fuit, in quo verberibus mulctati sunt & deposuerunt tyrocinium;*

Candidati posteriore commissione.

*Vvolffgangus Alletzhemius,*
*Henricus Vviltzius,*
*Vvolffgangus a Baumgart,*
*Vvolffgangus Birgelius,*
*Fridericus a Than,*
*Vvolffgangus Heybeccius,*
*Andreas Morsbergius,*
*Henricus Gnotstadius,*
*Guilelmus ab Hirshorn,*
*Sifridus a Derrn,*
*Philippus a Monteregio,*
*Sigelius a Gertzen,*
*Henricus Fleckenstenius,*
*Ioannes a Lindauu,*
*Ernestus Reineccius.*

Eodem

*Eodem Mercurij die absolutis solemnibus decursionibus illi campum subierunt, qui postridie varijs armorum generibus, tam Germanico quam Italico, Gallicoq; more extra ordinem depugnare decreuerāt. Sub vesperā vero omnes Principes, Duces, Marchiones, Comites, Barones, Equites, vniuersā deniq; nobilitatē cū toto Gynecæo instructiß. epulis & apparatu plane regio accepit Florētius Princeps Batauus, septēdecim mensis positis, ad quas soli Principes seorsim quisque cœnarent, de more Principali. inter quas suam ita collocari iusserat, vt in omnes quaqua conspicere, ab omnibus adiri posset. ibi nihil eorum omissum est, quæ ad exhilarandos animos facere quoquo modo possent omnis generis Musicis aßiduè personantibus, postque sublatas mensas etiam choreis institutis, quibus tota penè nox continuata est; cum interea per præconē indicto silentio, Princeps Florentius ita clarè pronuntiari iubet. Quandoquidem die postero multi præpilatis hastis, multi puris, nonnulli etiā interiecta maceria aliter atq; aliter depugnare constituissent, præter eos qui gladijs nudis rem gesturi essent; coniugem suam decreuisse pro se quoq; virtutem honorare, decretis duodecim brauijs, quorum quatuor essent trecentorum, quatuor ducentorum, reliqua deniq; quatuor centum singula florenorum. quæ distribui deberent inter eos, qui tres in vnoquoque depugnandi genere cæteris præstare iudicati essent. Quibus præmijs incitati etiam magis, qui dudum suapte sponte certaminis & pugnæ auidi essent; Iouis die mane in forum, quod vetus vocant, conuenerunt omnibus instructi armis admodum viginti octo; interiecta maceria modicæ a terra altitudinis concursuri, inter quos primas virtute meruit*

Cœna triūphalis.

Donatiua decernuntur.

*D. Joannes Breedenrodius, ruptis hastis quadraginta nouem:*
*Secundas D. Philippus Egmondanus, ruptis hastis triginta sex.*
*Tertias D. Eberardus Ißelstenius ruptis hastis viginti octo.*

Victores primi certaminis.

*Nihilosecius interim Germani supernates more suo quoque omnibus instructi armis grauioribus in nouo foro decurrebant, numero triginta duo; durante certamine eorum cum admiratione omnium quatuor ferè horarum spatio, omnium tamen iudicio eximia hic opera fuit primo loco*

*Gebardi comitis à Seyne,*
*Secundo Arnoldi Baronis & D. Rappoltstenij,*
*Tertio Reineri Comitis ab Hanauu.*

Victores secūdi certaminis.

*toto autem vtriusq; certaminis tempore maxima conspiciebatur vtroque loco hominum equorumq; frequentia; Principibus, Comitibus, Equitibus, Nobilibus alijs, ipsisq; adeo fœminis nunc hoc nunc illo spectaculo oculos animumq; oblectantibus, atq; inprimis adeo Germanis superioribus Belgarum, ac vice versa Belgis Germanorum depugnandi rationem, & in armis dexteritatem admirantibus; crebrisq; vbiq; per pi-*

*gnorum interpositionem orientibus contentionibus de fortitudine cuiusque, & certaminum euentu: donec audita vndecima finem labori imposuit, vnoquoque ad corporis curam conuerso.*

Victores tertij certaminis.

*Prima vero post meridiem rursum ad Nouum forum omnes conuenere, vbi tum triginta sex fere more Italico depugnauere. inter quos primus iudicat⁹ animi corporisq; fortitudine Antonius D. Vuaßenaerius, Secũdus Philippus Com. à Solms, Tertius Alardus Com. & Do. à Forn.*

*Similiter tum in foro veteri Germani inter se grauioribus armis decertarunt, pugnæ quodam genere, quod sociale vocatur. in quo cùm depugnassent horis fere quatuor quadraginta duo; reliquis tamen præstare longe visi D. Ernfridus à Thoring frustratis triginta octo ictibus, D. Conradus Comes Hohenloius elusis triginta tribus, & D. Thurigus ab Eltz hastis vna & triginta dexteritate mira frustratis. Cæterum quod de frustratione dicimus, hoc ita accipi debet: quoties aliquis in aduersarij pectore hastam suam comminuebat, aduersario non idem quoque faciente, totiens procedebat ea hastarum comminutio ad victoriæ momentum huiusmodi ictuum auctori.*

Victores quarti & vltimi certaminis extra ordinarij.

*Ad hæc autem spectacula cũ prope etiam effusior omnis ordinis, sexus, conditionis, ætatis, multitudo concurrisset, quam ante meridiem; tandem in huius exercitij locum aliud successit; chorearum nempe; in quibus primus inceßit Conradus Com. Palatinus ad Rhenum, Elector* VII. *uir, manu ducens vxorem Godofridi Ducis Brabantiæ. Secundus Godofridus idem Brabantiæ Dux, cum Balduini comitis Hannoniæ coniuge.*

Choreæ.

*Tertius Philipp. Dux Sueuiæ, cum vxore Philippi comit. Flandriæ.*

*Quartus Otho Marchio Italiæ, Comes Burgundiæ, cum vxore Gosselini Ducis Burgundiæ.*

*Quintus Florentius Comes Hollandiæ &c. tamquam conuiuij Rex & modiperator, manu ducens vxorem Henrici, Limpurgici Ducis.*

*Post hæc indicto silentio proclamatum est vti frequentes omnes adessent; suum enim iam vnicuiq; honorẽ habendum, quem bene rem gerẽdo diebus proxime præteritis meruisset: vbi tamen prius id officij genus noue electis Regibus quatuor præcipuarum Germaniæ prouinciarum præstitum esset, ad quod hoc ordine processum est:*

Honos Regib. ludorũ habetur.

*Prima vxor D. Alardi à Gaesbeck verba fecit apud D. VVillebolдum Tegenbergium, tanquam Regem Bauaricum:*

*Secunda vxor D. Sigiberti ab Asperen apud D. Ioannem Hurnbemium Sueuum:*

*Tertia vxor D. Ioannis Heinsbergij apud Dom. Ortolphum VVilhelmßdorffium, Francum.*

*Quarta vxor D. Guilelmi ab Erckels apud D Guilelmum Reiffenbergium, Rhenanum.*

Inde

*Inde vero iam ad victores ludorum deueniri cœpit. I. Coniuge Florentij Comitis Hollandiæ &c. offerente Gebardo Comiti à Seyn torquem aureum trecentorum florenorum. quē eodem die præpilatis hastis decurrendo meruisset.* Victores donantur virtutis ergo.

*II. vxore D. Ioannis Comitis Namurcensis D. Arnoldo Baroni Rapoltstenio similiter offerente torquem ducentorum florenorum, quod primus a Comite Gebardo in eodem certamine virtute fuisset.*

*III. vxore Comitis VValrabi Nassauij D. Reinardo Comiti ab Hanauu donante tertium brauium, quod erat corona aurea, cui numismata centum, floreni vnius singula pretium æquantia, scitè admodum dependebant.*

*Tum ad illos descensum est, qui Italicis armis depugnassent; dante vxore Othonis Cliuiæ Comitis, D. Antonio VVassenaerio primum brauium torquem trecentorum florenorum: secundo vero offerente Ioanna filia virgine Henrici Comitis LutZelmburgensis Comiti Philippo à Solms ducentorum florenorum honorarium: vt tertium etiam vxor VVarmundi à Spanheym Alardo Comiti à Forn obtulit, quod erat fibula centum florenorum.*

*Socialis inde certaminis victoribus; Primo quidem vxor Gebardi Comitis à Seyne Ernfrido à Thoring dono dedit armillas aureas trecentorum florenorum, quod frustratis triginta sex hastis optime in suo depugnationis genere rem gessisset.*

*Secundo filia VValrabi Comitis Iuliacensis Conrado Comiti Hohenloio torquem imposuit ducentorum florenorum, propter frustrationem triginta trium hastarum.*

*Tertio vxor Reinardi ab Hanauu D. Thuringo ab EltZ munus dedit centum florenorum, vt quod elusis ictibus* XXXI. *meruisset.*

*Sed neq; qui pariete seu maceria intermedia pugnarunt inhonorati præteriti sunt; I. Coniuge Othonis Comitis Rauensburgensis D. Ioanni Breedenrodio dante munus trecentorum florenorum, quo ruptis viriliter quadraginta nouem hastis dignus ab vniuersis spectatoribus iudicatus esset.*

*II. vxore eiusdem Ioannis Dom. Breedenrodio Domino Philippo Egmondano brauium secundum offerente quod esset florenorum ducentorum ob ruptas hastas triginta sex.*

*III. vxore Henrici Comitis Teckelburgici D. Eberardo Isselstenio donante præmium quod residuum erat, quia viginti octo hastas fortiter dextreq; admodum comminuisset.*

*Brauijs vero ita distributis constitutum est vt ordine eodem etiam in choreis victores vterentur, & eam duceret quisq; a qua & honore &* Choreæ secundariæ.

 *mune-*

*munerib. auctus esset: Unde præire cœpit Gebardus Comes à Seyne cum vxore Florentij Comitis Hollandiæ, quem reliqui qua dictum & ordinatum erat serie consequebantur: non ante saltandi & tripudiandi fine facto, quam nox diei concedere pararet; quo tempore ægre soluto conuiuio, chorisq; ad hospitia quiq; sua dilapsi sunt, somno & quiete contractã laßitudinem detersuri. viri inprimis, qui quatridui cõtinuum laborem in multam lucem dormiendo pensare voluerunt. donec meridiano pene sole admoniti lecto exilierunt, certatim litteras præstitæ à se ijs ludis operæ, testes petentes, quibus acceptis die Saturni in patriam quisq; suam redire cœpit: excepto tamen Florentio Comite Hollandiæ cum suis, qui in diem Lunæ vsque Coloniæ substitit, hac maximè causa, quod cum Senatus populusq; Coloniensis, vt hi ludi commodius magnificentiusq; celebrarentur, multam & bonam operam nauassent, gratitudinis suæ putauit, seorsim ijs gratias agere, habereq;, quod die Dominica fecit, inuitatis ad prandium senatoribus, cum quibus hilarem plane eum diem sumsit; & distributis per singulas sodalitates siue communitates aut collegia artificum negotiatorumq; singulis plaustris ferinæ, & vini, quibus se illi inuicem lautißimè inuitarunt. Senatu etiam ipso cœnã tum præbente Florentio Comiti Hollandiæ, &c. cum omnibus suis, & toto Gynæceo, adeò sumptuosè & magnificè, vt omnes faterentur merito hanc vrbem haberi Belgicæ totius caput.*

*Lunæ die hora ferè decima antemeridiana Florentij Comitis cõiunx Colonia Agrippina deceßit Durã versus, sexcentorum equitum fortißimo simul & maxime decoro comitatu. quod ornabant non parum sedecim candidi equi Anglicani eius generis, quos Tellenones vocamus, et quindecim carpenta deaurata, quibus, quæ vehebantur, angelicis formis quam humanis propiores erant.*

*Vxorem autẽ duabus ferè post horis Florentius consequi cœpit cum aliis sexcentis equitibus, quorum plerique Comites, Barones, Equites, vel ex primaria erant nobilitate. venerat enim, vt tanto Principe dignum erat, ad ludos, quorum ipse auctor esset, cum aliis rebus omnibus, tum inprimis viris fortibus & nobilibus, quæ præcipua principum ornamenta opesq; sunt, instructißimus, ac tum decedentem Coloniẽsis Senatus, cum hoc officii genus nulli Germanicorum Principum præstitisset, ducentis fere cum equitibus ob admirationem magnitudinis eius, & heroicam liberalitatem, qua Imperatoriæ cuidam maiestati, quam Comiti similior erat, extra ditionis suæ terminos prosecuti sunt: cum consequuto etiam longo tempore non alii frequentiores quam de Florentii Comitis magnanimitate sermones Coloniæ haberentur.*


LVDI

LVDI EQVESTRES EX ORDINE XII. SOlenniter in Germania celebrati; Editi ab Henrico eius nominis Sexto Imperatore; Neapolis, Siciliæ, & Sardiniç Rege, Duce Sueuiæ, &c. anno clↄ. c. xciix.

Vuileboldus Tegenbergius, Bauaricus ludorum Rex.




Ioannes Hurnhemius, Eques, Sueuicus ludorum Rex.



Ortholph⁹ Vuilhelmsdorffius, Francicus ludorum Rex.



Guilelmus Reiffenbergius, Eques, Rhenanus ludorum Rex.



Insignia tam secretiora quam principalia Norimbergæ, vrbis imperialis amplissimæ, vbi duodecimi ludi equestres Germanici celebrati sunt.





# DE DVODECIMIS GERMANICIS Equestribus ludis.

*Henricus, huius nominis sextus, Romanorum Imperator, Rex Neapolis, Siciliæ, et Sardiniæ, ac Sueuiæ Dux, natus Friderico primo patre, ludos equestres tribus potißimum de causis Norimbergæ celebrari voluisse dicitur: quarum prima esset, quia decreuerat valedicere imperio, eo ad tempus excessurus, cōponendorum hæreditariorum regnorum causa, quæ multis nominibus præsentiam ipsius dudum requirebāt; secunda, quod Principes quosdam Germanicos, qui contra parentem ipsius Fridericum Imperatorem arma gesßissent, & ipsi nondum essent reconciliati, beneuolentia & humanitate ad officiū suum reducere cupiebat; tertia, quod Norimbergenses superiori plus quam ciuili bello inter patrem ac filium, longißimo tempore grauißima damna acceperant, bonorumq́; iacturam magna ex parte fecerant; quare merito digni viderentur, quibus rem familiarem fluctuantem stabiliendi, & confirmandi occasio obijceretur. His igitur rationib. impulsus Imperator, scribit nobilitati Franciæ Orientalis vicinæ, vt ea dispiciat, quæ ludis edendis opus essent; indeq́; publicari eos iubeat, ibi, vbi diximus, locorum celebrandos. Franci ergo ante alia legunt de suis*

Frāci delecti ad editione horum ludorum.

*D. Guilelmum Grumbachium, Equestris ordinis virum;*
*D. Vuolffgangum Fuchsium, seniorem, Equitem,*
*Arnoldum Schaumbergium,*
*Henricum Ebenhemium,*
*Fridericum Seinshemium,*
*Vuolfframum à Rotenhane.*

*atq; his sex mandant Norimbergā vti proficiscantur, ibiq; in re præsenti deliberent, quo modo facillime & maxime ex dignitate Germanici nominis, Imperatoris desiderio satisfieri posse videatur. Qui legati cum Norimbergam venissent, & in Senatu legationis suæ causam exposuissent: Egerunt ante omnia Norimbergenses ingentes gratias Cæsareæ maiestati, quæ tanta beneuolentia rebus accisis suis difficillimo tempore consultum & prospectum iret; indeq; toti ordini Franconicæ nobilitatis, ac legatis ipsis, qui eum laborem curamq; quæ capienda essent ludorum nomine, subire nō recusassent; polliciti, se nusquam eis defore, sed liberū commeatum permittere aduentoribus, hospitiaq; et spectaculorum loca ipsorum arbitrio designaturos. Quod cum dictum factum esset; decreuerūt hi seuiri vna cum Senatu Norimbergensi, prouisis omnib. Cæsareos ludos vbiq; esse per imperium publicandos: missisq; litteris, nuntijs, præconibus, Heroldis, ac per eos clarigatione facta illos paßim indici curarunt in diem Dominicum post purificationis diuæ matris virginis, anno* CIↃ. *centesimo nonagesimooctauo.*

*Conuene-*

*Conuenerunt igitur deſignato & dicto die Norimbergæ:*

*Imperij Principes:*

Principes q his ludis interfuerũt.

*Henricus Dux Saxoniæ & Bauariæ, cognomento Superbus,*
*Fridericus Dux Bohemiæ,*
*Ludouicus Dux Bauariæ,*
*Vinceſlaus Marchio Merherniæ,*
*LutZelmanus Dux Teccenſis,*
*Hermannus Landgrauius Thuringiæ,*
*Berchtoldus Dux Meroniæ,*
*Conradus Marchio LauſniZiæ, & Comes Rochliſiæ,*
*Rudolphus Marchio Badenſis,*
*Henric. Marchio Rumsbergenſis,*
*Vuernerus March. Hochbergẽſis,*
*Poppo Princeps & Comes Hennenbergenſis.*

*Comites,*

Comites, q his ludis interfuerũt.

*Arnoldus Comes Cliuiæ,*
*Gerlachus Comes Naſſauius,*
*Fridericus Comes Orlamuntius,*
*Lambertus Comes Teringenſis,*
*Berchtoldus Com. Vochburgenſis,*
*Henricus Comes Reneccius,*
*Berchtoldus Com. Hohenbogenſis,*
*Albertus Comes Tullingenſis,*
*Altmanus Comes Abensbergenſis,*
*Reinardus Comes Hanauiæ,*
*Theodoricus Comes Hallenſis,*
*Ludouicus Comes Phirtenſis,*
*Berchtoldus Com. Lechſmuntius,*
*Albertus Comes Vuerthemiæ,*
*Conradus Comes Mosbergenſis,*
*Rudolphus Com. Montfurtenſis,*
*Gebardus Comes Hirſchbergenſis,*
*Fridericus Comes Fryburgenſis,*
*Eberhardus Com. Dornbergenſis,*
*Henricus Com. Vuertenbergenſis,*
*Gebardus Comes Roteneccius,*
*Joannes Comes Helffenſtenius,*
*Berchtoldus Comes Greisbachius,*
*Gebardus Comes Hohenloius,*
*Vlricus Co. Stenius, ad Norgauiã,*
*Sigiſmundus Comes à Gleichen,*
*Ioannes Comes Caſtelanus,*
*Conradus Co. Vueiſſenhornanus,*
*Philippus Comes Hohendruchadingenſis.*

*Barones,*

Barones q affuerunt his ludis.

*Henricus Reuſſius, D. à Blauuen,*
*Magnus Baro Heydeccius,*
*Gotthardus Baro Vueinsbergẽſis,*
*Philippus Baro Brauneccius,*
*Godofridus Baro & Dom. Limpurgicus,*
*Eberardus Baro Vuittelsbachius,*
*Vuolffgangus Baro Breubergenſis,*
*Sigiſmundus Baro Hutsbergenſis,*
*Andreas Baro à Daun,*
*Henricus Dom. Kammerſtenius,*
*Fridericus Dominus Erbachius,*
*Gebardus Dom. Grindlachius.*

*Vt in pauca conferam, fuerunt vniuerſi qui arma inſigniaq́; delectui & cognitioni obtulerunt, admodum ſexcenti et viginti; quorũ omniũ cũ circus vno & eodẽ tempore capax non eſſet; multo minus, vt tanta multitudo vires ſuas explicandi locũ, & pugnandi copiã habere poſſet; decretum eſt, vt duab. exhibitionib. ludi cõcelebrarẽtur. Senatus verò, necubi Imperatoris volũtati aut nobilitatis Germ. ſtudio defuiſſe videri poſſet,*

*non*

*non alia tantum diligenter & alacriter præstitit, sed duodecim etiam ex vrbana sua nobilitate, & à stirpe patricios delegit, qui curatoribus, regibusq́; ludorum apparerent quasi; quæq́; illi facto opus esse iudicassent, in rebus ad hospitia, aliaq́; pertinentibus, gnauiter ac sedulo confecta redderent, qui fuere nominatim:*

Nobiles & patricij Norimbergenses delecti ad curã ludorum.

| | |
|---|---|
| *Fridericus Hallerus, Præfectus rei militaris vrbanæ,* | *Ernestus Grundtherus,* |
| *Guilelmus Kolerus, Curator syluarum,* | *Hildebrandus Hallerus,* |
| *Sebaldus Vualdstramerus, magister venatorum,* | *Laurentius Holtschuerus,* |
| *Bilgramus Eibius,* | *Nicolaus Pfintzingius,* |
| *Joannes Ebnerus,* | *Sebaldus Volckheymerus,* |
| | *Henricus Muffelius,* |
| | *Vuolffgangus Tucherus.* |

Norimbergensis Senatus studiũ in ludos equestres & nobilitatẽ.

*Hi, vt diximus, duodecim iußi sunt ad nutum Regum & curatorum ludorũ omnia & singula facere; inprimisq́; Ernestus Grundtherus (qui eo tempore Architectonicæ vrbis Norimbergensis præerat) mandatum acceperat, vt quæ ad sepimentorum, theatrorumq́; rationes pertinerẽt, è vestigio fieri per suos curaret: admonitis ijsdem duodecimuiris vrbanis, si quid tale forte incidisset, quod incõsulto Senatu decernendum non putarent, statim id ad eundem Senatum referrent, vt sine mora, quod vsus exposceret communi consilio & auxilio prouideri & confieri posset.*

*Quod Norimbergensium studium æmulati curatores ludorum, faciundum decreuerunt vt duodecim & ipsi viros more recepto ex quatuor principalibus Germaniæ prouinciis designarent, quibus onus suum cuique munus & officium, quod ludis obire deberet, imperandi, imponeretur. ad quod mox lecti sunt de Bauaris:*

Delecti ad munia ludicra dispertienda.

*D. Guilelmus Mulbergius, cui tanquã regi iis ludis futuro adiũcti sunt,*
*Sigisbottus Barsbergius, & VVolffgangus Paulsdorffius.*

*De Rhenanis:*

*D. Henricus Staffelius, qui & ipse vt rex, habuit adsessores; Reinardum Stockhemium, & Guilelmum Feurbachium.*

*De Sueuis:*

*D. Ioannes Fridericus Frydingensis, qui habuit auxiliarios; Nicolaum Eptingium, & Vuolffgangum ab Haluueil.*

*De Francis Orientalibus:*

*Dom. Vuolffgangus Fuchsius, adiunctis ei subsidiariis; Friderico Ehenhemio, & Henrico Lentershemio.*

*Qui duodecim re deliberata, cuius causa ipsis permissa erat, ad armorum ante alia iudicium, quod tempore cæteris officiis prius est, præter Heroldos, siue reges armorum, aliosq́; minorum gentium designarunt.*

Sueuos:

*Sueuos:*

*Joannem Henricum ab Aluueil, senioris iudicis partes impleturum, & Henricum à Bach, iunioris loco futurum.* Iudices armorum de cõsessu virorum.

*Rhenanos:*

*Vuernerum Pyrmontium seniorẽ; Ioannem Schoneccium iuniorem.*

*Bauaros:*

*Henricum Ramskerchium, seniorem;*
*Georgium Haußnerum, iuniorem.*

*Francos:*

*Philippum Gutenbergium, seniorem;*
*Fridericum Reitzenstenium, iuniorem.*

*His mandatum est vt singulas armorum species, insigniáque & symbola depugnaturiẽtium cum cura inspicerent; & si qui parum noti quatuor prouincijs, vtpote peregrini, aut alioqui suspecti tanquam non plenum meræ nobilitatis habeant priuilegium, irrepere conarentur, horum causam cognoscendam ad concilium reijcerent: interim ijs additæ quo hoc fieret exploratius*

*De Gynæceo Bauarico:*

*N. ab Hilckershausen, vxor Vuilleboldi Preißingij.* Iudices armorũ & insignium de Gynæceo.
*Agnes Greiffenbergia, vidua Conradi Berbingij.*
*Margareta, filia virgo D. Diepoldi à Messenhausen.*

*De Gynæceo Rhenano:*

*N. Losnichia, nuptijs iuncta D. Henrico Landsbergio.*
*Hildegardis Ratzumhusia, vidua Domini Guilelmi Hurteni, Saulnhemij.*
*Anastasia Engelhemia, virgo.*

*De Gynæceo Sueuico:*

*Adelheis Hacholtingia, vxor D. Alberti Ahelfingij.*
*Gutta Vuesterstettena, vidua D. Philippi Sturmfederi.*
*Anna Gundelshemia, virgo.*

*De Gynæceo Franconico:*

*Dietburgis Stettenbergia, vxor Dom. Ioannis Vuirsbergij.*
*Anna Stettena, vidua Guilelmi Streitbergij.*
*Vualpurgis, filia virgo Guilelmi Rheinstenij.*

*Diribitores seu moderatores pugnæ primo die fuere:*

Diribitores pugnæ & curatores ad se-[illegible]

*Ex Circulo*
- *Sueuico, Eringus Entzbergius.*
- *Rhenano, Henricus Helffenstenius.*
- *Bauarico, Leonarthus à Kurn.*
- *Franconico, Theodoricus Dungfeldius.*

*Curarunt verò ad portas Circi:*

R Ex Cir-

Ex Circulo { Sueuico, Fridericus Bernfelßius
Rhenano, Arnoldus Flershemius,
Bauarico, Ioannes Frumeßelius,
Francico, VVolffgangus Reduuitzius.

Pugnæ diribitores posteriore certamine fuere:

Ex Circulo { Bauarico, Alardus Ramßbergius,
Rhenano, Emmericus Cronenbergius,
Sueuico, Schuuichardus Hatstadius,
Francico, Iodocus Eglofstenius,

Curatores septorum fuere:

Ex Circulo { Bauarico, Godofridus à VValdauu,
Rhenano, Ioannes Bauarus à Bopparten,
Sueuico, Conradus à Zulnhart,
Franconico, Kilianus à Kere.

Armilustriorum autem die, sex admodum reiectos & ludis prohibitos reperio: nempe

Reijculi, siue exacti ab his ludis.

N. Herttenbergius,
N. Neideccius,
N. à Steynauu,
N. Hohenstenius,
N. Hoheneccius,
N. Geyllingius.

Priori vero coitioni imputati sunt de Principibus:

Qui priore coitione depugnarint.

Henricus Dux Saxoniæ, et Bauariæ, cognomento Superbus,
Fridericus Dux Bohemiæ,
Berchtoldus Dux Meroniæ,
Hermannus Landgrauius Thuringiæ,
Rudolphus Marchio Badensis,
Poppo Comes & Dominus Hennenbergensis,

De Comitibus:

Gerlachus Comes Nassauius,
Berchtoldus Comes à Bogen,
Fridericus Comes Orlamuntius,
Berchtoldus Com. Vochburgensis,
Ludouicus Comes Pfirtensis,
Conradus Comes Mosbergensis,
Reinerus Comes Hanauiæ,
Rudolphus Comes Montfurtensis,
Fridericus Comes Fryburgensis,
Ioannes Comes Helffenstenius,
Henricus Com. Vuertenbergensis,
Gebardus Comes Hohenloius,
Conradus Co. Vueissenhornanus,
Philippus Comes Hohendruchadingensis.

De Baronibus:

Henricus Reußius Baro Blauiensis,
Godofridus Baro Limpurgicus,
Gotthardus Baro Vueinsbergẽsis,
Vuolffgangus Baro Breubergensis,
Erardus Baro Vuittelsbachius,
Henricus Dominus Kammerstenius.
Gotthardus Dominus Fluglingensis,

Quibus

*Quibus Principibus, Comitibus, Baronibus attributi sunt alij quoque, cum Equites, tum nobiles, ita vt agmen illud constiterit trecentis & decem, vt aiunt, galeis; quemadmodum & secundum; in quo erant*

*Principes:*

Posteriore coitione q depugnauerint.

| | |
|---|---|
| *Ludouicus Dux Bauariæ,* | *& Comes Rochlitzius,* |
| *Vinceslaus Marchio Merherniæ,* | *Vuernerus March. Hochbergens.* |
| *Lutzelmanus Dux Teccensis,* | *Henricus Marchio Rumsbergensis.* |
| *Conradus Marchio Lausnitiæ,* | |

*Comites & Barones:*

| | |
|---|---|
| *Arnoldus Comes Cliuiæ,* | *Altmanus Comes Abensbergius,* |
| *Lambertus comes Veringensis,* | *Sigismundus comes à Gleichen,* |
| *Theodoricus comes Hallensis,* | *Gebardus comes Hirschbergius,* |
| *Henricus comes Reneccius,* | *Berchtoldus comes Greysbachius,* |
| *Berchtoldus Comes Lechsmuntius,* | *Gebardus comes Roteneccius,* |
| *Albertus comes Dullingensis,* | *Magnus Baro Heydeccius,* |
| *Eberardus comes Dornbergicus,* | *Philippus Baro Breuneccius,* |
| *Albertus comes VVerthemiæ,* | *Sigismundus Baro Hutschbergensis.* |
| *Vdalricus comes Stenius, ad Norgauiam,* | *Andreas Baro à Daun,* |
| *Ioannes comes Castelanus,* | *Fridericus Dominus Erbachius,* |
| | *Eberardus Dom. Grunlachius.* |

*Prima autem exhibitione hi ferè verberibus excepti sunt, & vt noui ludorum assectatores solemniter initiati;*

Verberib' affecti, & excepti solẽniter priore cõgressu.

| | |
|---|---|
| *Reinardus à Bernsauu,* | *Gotthardus à Vorschiedt,* |
| *VVolffgangus Rudius, senior,* | *Leonarthus Maxelrenius,* |
| *Richardus Reischachius,* | *Theodoricus Freudenbergius,* |
| *Albertus Riethemius,* | *Conradus Vallenrodius,* |
| *VVolffgangus Haussnerus,* | *Ludouicus à Luchauu.* |

*Posteriore vero hi, quorum iam nomina subijcientur:*

Item posteriore congressu.

| | |
|---|---|
| *Henricus VVolffstenius,* | *Ioannes Hohenstenius,* |
| *Henricus Bellershemius,* | *Conradus à Thann,* |
| *Paulus Leytenbeccius,* | *Sigismundus Eichelbergius,* |
| *Fridericus Nothafftius,* | *Georgius Giltlingius,* |
| *Christophorus Mulhemius,* | *Ernestus ab Hoffuuardt.* |
| *Theodoricus Phalhemius,* | |

*Solemnibus decursionibus de more confectis; illi campo se inmiserunt, qui postridie, hoc est Iouis die, singulari decurrendi genere & armis oblectamento esse spectantibus decreuerant; vti seque equosque proludendo prætentarent, periclitarenturque: etsi horum ludorum celebritatem populo fortuna inuidit, quod eodem Iouis die, cum Imperator procerum*

Cooritur tumultus. *concilium indixisset, repente, incertum, tum quidem, qua causa, tantus tumultus exortus sit, vt res in seditionem exarserit: adeo quidem, vti obseratis portis Senatus custodias adderet, & excubias vbiq; disponeret; donec sub vesperam fons & caput eius rei Henricus Saxoniæ & Bauariæ Dux portis a ciuibus reseratis se effudit, cuius digressu omnia statim composita sunt; choreæq; institui cœperunt; sic tamen, vt eis Cæsarea maiestas non interesset.*

*Ante choros vero silentio indicto, cum iam omnes in procinctu starent, Regum noue electorum in quatuor principalibus Germaniæ prouinciys ludis deinceps curandis nomina publicata sunt; quæ fuere:*

Noui reges ludorum. *Sichardus Leubelfingius Bauarus, Ioannes Ingelhemius, Rhenanus, Ernestus Staffelius, Sueuus, Ludouic. ReduuitZius, Francus.*

Choreæ. *Inde serio ad numeros saltari cœptum. I. ducente Friderico Duce Bohemiæ manu vxorem Berchtoldi Ducis Meroniæ.*

*II. Ludouico Duce Bauariæ ducente Hermanni Landgrauij Thuringiæ coniugem.*

*III. Vinceslao Marchione Merherniæ, ducente vxorem Friderici Burggrauij Norimbergensis.*

*IV. Hermanno Landgrauio Thuringiæ ducente vxorem LutZelmani Ducis Teccensis.*

*V. LutZelmano Duce Teccense ducente manu Sophiam ex familia Ducali Bauariæ, vxorem Comitis Popponis Hennenbergensis.*

*VI. Conrado Marchione LausniZiæ ducente Anastasiam filiam LutZelmani Ducis Teccensis.*

*VII. Berchtoldo Duce Meroniæ ducente vxorem VVerneri Marchionis Hochbergensis.*

*VIII. Rudolpho Marchione Badensi ducente vxorem Friderici Comitis Orlamuntij.*

*IX. Henrico Marchione Rumsbergensi ducente Gerlachi Comitis Nassauij filiam.*

*X. VVernero Marchione Hochbergensi ducente manu vxorem Henrici Comitis Reneccij.*

*XI. Poppone deniq; comite Hennenbergico ducente vxorem Berchtoldi Comitis Hohenbogensis.*

Catalogus Principũ, Comitum, &c. vtriusq; sexus, q ludis his interfuerunt. *Affuerunt autem vniuersi in his ludis, & ipsi decurrerunt Principes tredecim; Comites viginti nouem; Barones* XIII. *Equites* LXVIII. *Nobiles* CCCC. XCVII. *præter innumeros alios Comites, Barones, Nobiles, q in Cæsareo aut aliorum comitatu fuerunt & ludis se non inmiscuerunt.*

*In Gynæceo quoque spectare erat lectissimas matronas virginésque Principes septẽ; Comites quindecim; spectabiles sex; nobiles deniq; centũ quadra-*

*quadraginta octo, cum ſuis quæque familiaribus & pediſſequis, ex dignitatis ſuæ & ſtatus ratione.*

*Muneribus autem & officijs functi ſunt cum ludorum curatoribus hac Cæſarea exhibitione vtraq;*

Muneribus functi his ludis.

*Equites,*

*Guilelmus Grumbachius,*
*Joannes Fridericus Fridingenſis,*
*Vuernerus Pyrmontius,*
*Ernigus Entzbergius,*
*Leonarthus à Kurn,*
*Alardus Barſsbergius,*
*Emmericus Cronenbergius,*
*Sigardus Leubelfingius,*
*Joannes Ingelnhemius,*
*Henricus Staffelius,*
*Guilelmus Mulbergius,*
*Vuolffgangus Fuchſsius,*
*Theodoricus Thunfeldius,*
*Godofridus Vualdauius,*
*Schuuigerus Hatſtadius,*
*Erneſtus Staffelius,*
*Ludouicus Reduuitzius.*

*Nobiles,*

*Sigiſbotus Barſsbergius,*
*Arnoldus Schaumbergius,*
*Guilelmus Feurbachius,*
*Henricus Seynshemius,*
*Nicolaus Eptingius,*
*Vuolffgangus Haluueilius,*
*Joannes Henricus Anuueilius,*
*Henricus Ramſsbergius,*
*Philippus Gutenbergius,*
*Henricus Helffenſtenius,*
*Arnoldus Flershemius,*
*Ioannes Frumeſſelius,*
*Ioannes Bauarus à Bopparten,*
*Kilianus à Kere,*
*Vuolffgangus Paulsdorffius,*
*Fridericus Ehenhemius,*
*Reinardus Stockhemius,*
*Vuolffgangus à Rotenhane,*
*Henricus Lantershemius,*
*Henricus Bachius,*
*Ioannes Schoneccius,*
*Georgius Hauſsnerus,*
*Fridericus Reitzenſtenius,*
*Fridericus Bernfelſsius,*
*Vuolffgangus Reduuitzius,*
*Conradus à Zulnhart,*
*Iuſtus Egloffſtenius.*

Poſtludia Norimbergẽſis nobilitatis.

*Rebus omnibus ita vt relatum iam eſt circa ludorũ ſolemnia ritè procuratis, cum poſtridie abitum omnes de more pararent, S.P.Q. Norimbergenſis feſta conuiuia apparatusq́; quam ſplendidiſsimos in diem dominicum proximum indixit, publica præconis voce, inuitatis ex loco vbi in Ciuica domo ſiue Curia edicta proponi ſolent omnibus & ſingulis Princip. Comitib. Baronibus, Equitibus, Nobilibus, cum vniuerſo Gynæceo qui ludos eos concelebrarant. nec contenti hac ſolemni inuitatione, ipſi Senatores per ſingula hoſpitia domosque, in quibus tam frequens Procerum, clariſsimorumq́; Germaniæ luminum multitudo diuerſabatur, precatum ierunt vnumquemque, vt dignitate & auctoritate ac gratia valebat maximè, peculiariter; vti tantulam morã nõ moleſtè ferret, ſed*

 ſtudio-

*studiosissimis sui hanc gratiam faceret, simul & Caesareae maiestati largiretur, quae tantisper ibidem ipsa quoque precibus suis adducta & impulsa subsistere decreuisset. Quibus Norimbergensium petitionibus vt facilius vniuersi & singuli annuerent, in caussa fuit ipse Imperator, qui concilium indixit, quod Saturni demum die sub vesperam solutum est: cum interea ter diffissum fuisset. Feminae tamen principes, & dignitate caeteris potiores, quod rationes earum moram non paterentur, vota Senatus populiq; implere non potuerunt; quarum tamen decessus, quando aliter fieri non poterat, earum, quae remanserunt copia ijdem Senatus, populusq; se consolabantur.*

Prādiū triumphale. *Cum vero exspectato die dominico prandij hora adesset, deduxerunt honoris caussa frequentes Principes, Comites, Barones, Nobiles, Caesareā suam maiestatem ad locum conuiuio destinatum; vbi cum Imperator lotus discubuisset, latus ei claudēte quadā principe matrona: eidem praetereamensae (quae ob hoc in iustā longitudinem extendebatur) adhibiti sunt* Prima mē-sa. *octo imperij proceres, cū totidē vicissim primarijs foeminis virginibusue.*

Secūda mē-sa. *Iuxta hanc Caesaream mensam paululum a latere, aut potius paucorum passuum interuallo dextrorsum, alia instrata erat item oblonga, cui accubuerunt iussi cum totidem nymphis comites numero duodecim*

Tertia mē-sa. *Rursus e regione huius, hoc est ad laeuam, similis tertio loco posita erat mensa, ad quam consederunt perinde cum duodecim matronis, virginibusue duodecim Caesarei aulici consiliarij.*

Quarta mē-sa. *Cui ipsi etiam opposita quarta rursum duodecim comites & totidem nymphas capiebat.*

Quinta mē-sa. *Quintam vero occupabant duodecim equestris ordinis & officiorum palatinorum praefecti, matronis item virginibusq; vicissim distincti.*

Sexta & vltima mēsa in imperiali triclinio. *Extrema vero propè in coenatione, sic tamen vt in oculis esset semper Imperatori, sexta mensa collocata erat, ad quam consederunt Consules, Senatoresq; Norimbergenses.*

Duae aliae cenationes & 12. in eis mensae. *Iuxta primariam hanc coenationem erant etiam duae aliae; in quarum vnaquaq; sex mensae adornatae erāt; occupantibus alterā centū quinquaginta fere Comitib. Baronib. Equitib. nobilibusq; ex comitatu Imperatoris, Principumq;, vel qui animi caussa proprijs auspiciis & sumtibus ad eos ludos venissent; quorum hoc conuiuium coronis quasi quaedam esset: his, inquam duarum coenationum secundariarum alteram; alteram occupantibus admodum octuaginta lectissimis & ornatissimis omnibus animi, corporis, fortunaeq; dotibus foeminis virginibusq; quae omnes essent, (praeter alias etiam quadraginta, quae in Caesarea coenatione cibum capiebant) ex nobilibus familiis & patriciis reipublicae Norimbergensis.*

*In hoc conuiuio illati sunt missus ex omni ciborum genere; aerio, aequoreo, &*

*reo, & terrestri, hoc est, auibus, carne, ferina, piscibus, mensæ quidem Imperiali triginta sex, reliquis verò omnib. viginti quatuor. Vini quoq; varia genera tam Germanica, quam Italica, Gallicaq; in Cæsarea mensa propinabantur: cum in cæteris etiã quinq; patria diuersa, nõ ad sitim tantũ, sed ad delicias etiam satisfaceret; puta ex Germanicis, Rhenana, Franconica, Neckarica, & Austriaca, Bernatiaq; ex regionib. vicinis.* Missus & fercula quę & quot illata. Vina quę & qualia propinata.

*Remotis inde mensis aliquandiu choreis indultum est; donec illi, qui exercitium magis virile optabant, ad ludicras decursiones leuiorib. armis instructi, campo, vel harenæ potius ad hoc stratæ se inmiserunt, in qua eo die tam bonam operam præstiterunt patricij Norimbergenses, vt Imperatoris ore laudari etiam meruerint; inprimisq;* Choreæ. Ludi equestres secundarij.

*Georgius Hallerus; Sigismundus Tucherus; & Ioannes Holtschucherus. quos tres Cæsarea maiestas præcipue ob dexteritatem armorum admirabatur, nõ timidè affirmans, summos viros in hoc genere futuros fuisse, si ipsorum vitæ ratio à pueris eos ad hoc studiũ applicuisset, cum sic quoq; ijs, q perpetuo in Principum aulis talia meditarentur, cõparari possent.* Norimbergenses laudati ob virtutem.

*Cœnæ deinde tempore per multa & maxima palati, oculorum, aurium, animi deniq; oblectamenta traducto; choreisq; finitis, in quibus tres Norimbergenses, quos diximus, eius diei in pugna ludicra victores, ipse Imperator post Principes præcipuo & primario honore condecorauit: cum idem Imperator conuiuis omnib. valedixisset; in somnos iturus, vocatis ad se consulib. & primarijs quibusdam ac maiorum, vt ita dicam, gentium Senatoribus, ostendit paucis, cum quidam Principes per malam gratiam decesserint, alijq; etiam nonnulli exulceratis in imperio animis sint; contra quorum conatus, si quid forte moliantur, nõ satis prouisum sibi sit, vt qui paruo comitatu ad ludicra certamina proximè edita venerit, neq; satis instructo ab animis, et ab armis, si vis inferatur, et manus seria pugna postulet, maiore exercitus parte ad Donuuertã relicta; petere se, præsidij causa, vti Norimbergenses quamplurimos possent equites vrbanos ad Palatinos suos adderent, quibus cum tutius quò destinasset, peruenire posset, quod Consules Norimbergenses per sese potissimum facturos esse spoponderunt, & re ipsa præstiterunt.* Cœna.

*Cum enim postridie Imperator viam ingredi vellet, qui tum non vltra quadringentos equites, de suis, comites, & stipatores habebat; affuerunt primum quinque Principes, qui officii causa (simul quia in Cæsaris securitate suam quoque positam arbitrabantur) Maiestatem suam Donuuertam vsq; prosequi promiserant; puta:* Quo comitatu Impe. Norimberga decesserit.

*Ludouicus Dux Bauariæ, cum trecentis octuaginta equis.*
*Lutzelmanus Dux Teccensis, cum octuaginta sex equis.*
*Ludolphus Marchio Badensis, cum centum & viginti equis.*

*Henri-*

Henricus Marchio Rumßbergensis, cum equis sexaginta quinq;
Vuernerus Marchio Hochbergensis cum equis sexaginta quatuor.
quos inde Norimbergenses sequebantur cum equis quadringentis; nullo inter eos mercenario, sed vnoquoq; de patricijs (qui ea tẽpestate non negotiabantur, sed de reditib. suis annuis & fructibus rusticorum prædiorum, fundorumq; vitam tuebantur, ideoque etiam nobilitati per omnia dignitate æquabantur) tot Imperatori equites adducente; quot pro re sua satis esse iudicaret. Magister autem equitum eorum omnium Norimbergensium erat Guilelmus Hallerus, senior, qui optionem seu legatum habebat Vuilleboldum Grundtherũ, Andrea Gotto, cognomento Pfintzigio rem nummariam & ærarium vrbanum tum administrante:

Magister equitũ Norimbergensiũ, eiusq; optio; & ærarij præfectus.

Quibus vniuersis ita paratis vehemẽter lætus Imperator, & inprimis de Norimbergensium erga se studio gaudens, cum admodum mille quingentis equitibus quod voluit, citra fortunam Donuuertam, Sueuiæ ciuitatem peruenit; vbi copiarum eum suarum partem multò maximam habuisse diximus.

Familiæ autem patriciæ quæ tum Cæsaream maiestatem deduxerunt Norimberga Donuuertam, hæ ferè fuere:

Catalogus patriciorũ Norimbergensiũ, qui Imperatorem Donuuertã vsq; prosecuti sunt.

Vualdstromeri cum equis sedecim.
Halleri cum equis nouendecim,
Vorchtelij cum tredecim equis,
Grundtheri cum equis tredecim,
Bilgrami ab Eibe cum vndecim equis,
Volckheymeri cum tredecim equis
Rietheri cum decem equis,
Muffelij cũ quatuordecim equis,
Koleri cum nouem equis,
Mendelij cum decem equis,
RutZenij cum quindecim equis,
Zennerij cum sex equis,
Nortuueinii cum octo equis,
Tucheri cum equis quatuordecim,
Ebneri cum equis octo,
Gruberi cum equis quatuordecim
Siguueinii cum vndecim equis,
SchutZenii cum nouem equis,
TatZelii cum nouem equis,
Meuuerlinii cum nouem equis,
Schurstabii cum vndecim equis,
Grosseni cum decem equis,
Sachsenii cum quinq; equis,
Kressenii cum nouem equis,
Holtschucheri cum duodecim equis,
Behemii cum nouem equis,
Eschalaueri cum octo equis,
Reinsbergeri cum duodecim equis,
Steinlingeri cum duodecim equis,
Lemleinii cum sex equis,
Eißenuuangeri cum equis decem,
Amonii cum sex equis,
Eluuangeri cum sex equis,
Cunheri cum equis octo,
SchleuuitZeri cum quatuor equis,
Brunstereri cum septem equis,
Drachtenii cum sex equis,
Kypperi cum equis octo,
Stromeri cum equis octodecim,
Jngrami cum tribus equis.

Qui


*Qui autem Stromeri & Nutzelij hodieq́ vocantur, hac expeditione primum nobilitati sunt; ab Imperatore armis & cæteris nobilitatis insignibus donati. reliquis quoq omnib. familijs, quas iam memorauimus, ob aßiduam & bonam ipsorum operam, qua tam in vrbe quam itinere Cæsareæ suæ maiestati magna dexteritate cõmodarunt, & vsui fuerunt, nouis ad vetera priuilegijs adfectis, in quib. inter cætera hæc: Omnes ex talibus familijs, qui, vt hactenus fecissent, negotiatione & mercatura se abstinerent, cæteris in imperio nobilibus, qui ferè in agris & arcibus degũt, deinceps æquatum iri, potestate permissa solemnib. & indictis ludis equestrib. per imperium decurrendi, omniaq́ ea, siue ioco, siue serio faciendi, quæ à stirpe nobiles facere permittuntur. qua de re latius in litteris videre est, super ea à Maiestate sua ijsdem Norimbergensibus concessis; qui mox, vt & Principes, qui eandem maiestatem comitati perinde fuerant, impetrato commeatu, & honorificentißimè, ac cum summa gratia demißi, ad sua quisq rediere.*

## LVDI EQVESTRES EX ORDINE XIII. SOlenniter in Germania celebrati; editi ab ordine equestri & nobilitate Rhenana, Imperatore Philippo, Duce Sueuiæ, anno cIↄ. CC. IX.


Ioãnes Ingelnhemius, Eques, Rex ludorum Rhenanus.



Ernestus Staffelius, Eques, Sueuicus ludorum Rex.




Sichardus Leubelfingius, Eques, Bauaricus ludorum Rex.



Ludouicus Reduuitzius, Eques, Francicus ludorum Rex.



Insignia Vuormatiæ, vrbis imperialis, vbi XIII. ludi equestres Germanici celebrati sunt.



## DE LVDIS EQVESTRIBVS DECIMIS-tertijs Germanicis.

*Anno à salute humani generis millesimo ducentesimo nono, nobilitas Rhenana ludos equestres, qui fuerunt in imperio decimi tertij, instituit Vuormatiæ ad Rhenum celebrandos; missis, qui locum pugnæ designarent, & septis claudendum curarent, hospitiaq; describerent, equitibus de corpore suo, nominatim:*

Curatores ludorum XIII.

| | |
|---|---|
| *Ernfrido ab Andelauu,* | *Vuolffgango* Hirschhornano, |
| *Erpffo Sickingio,* | Honorato Helffenstenio, |
| *Sigismundo Eltzio,* | *Philippo Greiffenklao,* |
| *Joanne Fleckstenio,* | *Emmerico Blettenbergio.* |

*qui octouiri cum solita omnia prouidissent; ijs, quæ diximus, loco & anno indixerunt solemne ludicrum in diem Dominicam post Purificationis D. Matris virginis; ad quod præsentia sua & virtute condecorandum venerunt, maxima, si alias vnquam, frequentia:*

*Principes:*

Principes vtriusq; sexus, qui his ludis interfuere.

*Otho, cognomento Rubicundus, Comes Palatinus Rheni, Dux Bauariæ, septemuir, Elector, &c. cum vxore sua Gertrude, filia* Henrici *Comitis Palatini Rheni.*

*Guilelmus Dux Saxoniæ, septemuir, Elector, &c. cum vxore* Helena *filia Vuoldemari regis Daniæ.*

*Albertus*

*Albertus Marchio Brandenburgenſis,* VII. *uir Elector, &c. cũ uxore Michtilda filia Conradi Marchionis Landſbergenſis.*

*Leopoldus, cognomento Honoratus, Dux Auſtriæ.*

*Henricus, huius nominis ſecundus, Dux Brabantiæ, & Lotreci.*

*Fridericus Dux Lotharingiæ, cum uxore N. ex familia Ducum Barrenſium.*

*Fridericus, huius nominis ſecundus, Dux Sueuiæ.*

*Boſſemiſlaus Dux Bohemiæ, cum uxore Hildeburgide, filia Leopoldi, cognomẽto Honorati, Ducis Auſtriæ, & vidua inuictiſſimi quondam Imperatoris Henrici ſexti; quam tamen, contra libros cenſuales ludorum equeſtriũ, Chronica Auſtriaca non Hildeburgidem, ſed Margaretam vocant.*

*Otho Marchio Italiæ, & Comes Burgundiæ, natus ex familia Ducum Sueuiæ.*

*Vdalricus Dux Carinthiæ.*

*Henricus Buruuinus, ſenior, qui, neglecto titulo regio, Obitritarum primus ſe ſcripſit Principem, & Dominum Vinidarum.*

*Lutzelmanus Dux Teccenſis cum uxore, nata ex Comitum Gruningenſium familia.*

*Theodoricus Marchio Miſniæ, Lauſnitiæ, & Oſterlandiæ, Comes Vveiſſenfelſſius.*

*Hermannus Landgrauius Thuringiæ, & Heſſiæ, cum uxore Sophia, nata ex familia Ducum Bauariæ.*

*Bonifacius, huius nominis ſecundus, Marchio Montisferrarienſis, cum coniuge Cunaria, filia Emanuelis Imperatoris Conſtantinopolitani.*

*Theodoricus Marchio Saxoniæ, Comes Greutſchius, & Summerſchenburgicus.*

*Henricus Marchio Rumſsbergenſis.*

*Philippus Marchio Seſſæ, & Comes Sabaudiæ.*

*Conradus Marchio Lauſnitziæ, & Comes Rochlitzius.*

*Burchardus, huius nominis ſecundus, Marchio Hochbergenſis.*

*Ecbertus Marchio Saxoniæ.*

*Albertus, cognomento Leuis, Marchio Landſsbergenſis, & Oſterlandiæ.*

*Balduinus Comes Hannoniæ, & Flandriæ.*

*Berchtoldus Burggrauius Norimbergenſis.*

*Theodoricus Comes* Hollandiæ, *& Rupertus frater eius Comes Carinthiæ.*

Henricus *Princeps Anhaltinus, Comes Aſcaniæ, et Dominus Bernburgenſis.*

 *Vuerne-*

*Vuernerus comes Habsburgensis,*
*Berchtoldus Comes ab Andechs, & Meron, Marchio Istriæ.*

*Comites,*

Comites q his ludis interfuere.

*Adelberus comes Ebersbergius,*
*Theodoric. eius nominis quintus, comes Cliuiæ,*
*Henricus comes Nassauius, comitis Othonis filius,*
*Gerardus comes Geldriæ & Zutphaniæ,*
*Eberhardus primus, comes Vuirtenbergensis,*
*Ioannes comes Egmondanus,*
*Vuolffgãgus com. Ortenbergensis,*
*Rudolphus com. Vuerdenbergẽsis,*
*Emichus comes Leiningensis,*
*Lambertus comes Veringensis,*
*Hartmanus comes Dullingensis,*
*Haugeus comes Montfurtensis,*
*Guilelmus com. à Katzenelnboge,*
*Vdalricus comes Vuittinius,*
*Richardus comes à Seyne,*
*Godefridus comes à Zigenhan,*
*Ludouicus comes Pfirtensis,*
*Ægo comes Fryburgensis,*
*Otho comes Reneccius,*
*Vdalricus comes Helffenstenius,*
*Guilelmus comes Vuerthemiæ,*
*Gebardus comes Hirschbergensis,*
*Philippus comes Firnenbergicus,*
*Vuolffgangus comes à Cael.*
*Adolphus primus, com. ab Altenauu, & Montensis,*
*Vdalricus comes à Kalb,*
*Volckardus comes Lechsmuntius,*
*Guilelmus comes Morssius,*
*Ioannes comes Saruuerdensis,*
*Godofridus com. Hohenloius, cum uxore N. ex familia Landgrauiorum Leuchtenbergensium,*
*Theodoricus comes Manderschedius, cũ uxore Elisabetha, filia Othonis comitis Nassouij,*
*Ambrosius comes à Dietz,*
*Arbogastus comes Lutzelstenius,*
*Conradus comes Falckstenius,*
*Salamander comes Diestensis,*
*Henricus comes Bipontinus,*
*Reinardus comes Trumbergensis.*

*Barones,*

Barones q his ludis interfuere.

*Vuirichus Reussius, Dominus à Blauuen,*
*Vualterus Schenckius, siue Pincerna, Baro Lympurgicus,*
*Albertus Dominus Burgauiæ,*
*Fridericus Dominus Vueinsbergicus,*
*Gotschalcus Dominus à Rotzio,*
*Vuiliboldus Dominus ab Heyltrum,*
*Berchtoldus Dominus à Neiffen,*
*Ernbertus Dominus Rapoltstenius,*
*Ioannes Dominus Geroltseccius,*
*Henricus Dominus Runckelius,*
*Philippus Dominus Braubachensis,*
*Ernfridus Dom. a Rodemachern,*
*Fridericus Dominus Liechtenbergensis,*
*Antonius Dom. Dornbergicus,*
*Henricus Dominus a Zimbern,*
*Degenartus Dominus Hellenstenius,*
*Guilelmus Dominus Falckenbergicus,*

*Georgius*

*Georgius Baro Ochſenſtenius,*
*Andreas Baro ab Hohenheuuen,*
*Ioannes Dominus Vuarbergenſis,*
*Paulus Dom. Brauneccius,*
*Vuolffgangus Dom. Brandiſsiæ,*
*Sigiſmundus Dominus Franckenſtenius,*
*Albertus Dom. Stoffelius,*
*Antonius Dom. Reineccius,*
*Georgius Schenckius Dom. Erbachenſis,*
*Chriſtophorus Dom. Bitſchius,*
*Guilelmus Dominus Tauttenbergenſis,*
*Fridericus Dom. a Pleßauu,*
*Vuernerus Dominus à Daun,*
*Ernfridus Dom. Bickenbachius,*
*Antonius Dom. Puttingenſis,*
*Vuolffgangus Dominus Fluglingenſis,*
*Eruuinus Dominus à Stauffen,*
*Gunthramus D. Grundlachius,*
*Schmaſmanus D. Hohennaccius,*
*Vuolffgangus Dom. à Dauben.*

*Equites:*

Equites qui hos ludos cōdecorarunt ſua pręſentia.

*Georgius Falckſtenius,*
*Hildebrandus Baldeccius,*
*Theodoricus Eltzius,*
*Guilelmus Schellenbergius,*
*Henricus Brennbergius,*
*Schuueikerus Frauuenbergius,*
*Albus Franckenſtenius,*
*Ioannes Fleckſtenius,*
*Leopoldus Hallerſtenius,*
*Ioannes Pallantius,*
*Henricus Seinshemius,*
*Alardus Harphius,*
*Erpffius ab Andelauu,*
*Ioannes Bauarus à Bopparten,*
*Emmericus Helffenſtenius,*
*Hermannus Vuenckhemius,*
*Conradus Trucſeſius à VVetshauſen,*
*Gotus Freyburgius,*
*Georgius Greiffenclae,*
*Quirinus Neßelrodius,*
*Andreas Vuindenbergenſis,*
*Philippus Landſbergius,*
*Ioannes Bodmannus,*
*Erneſtus Honnoltſtenius,*
*Henricus Nußbergius,*
*Ioannes Bellershemius,*
*Ioannes Morsbergius.*

*Ex Nobilitate:*

Qui ex nobilitate reliqua his ludis interfuerint.

*Magnus Otho ab Hirſchhorn,*
*Eraſmus ab Andelauu,*
*Adamus Boßius a VValdeck ſenior,*
*Bleickerus Sickingenſis,*
*Ioannes Kolbius a Bopparten,*
*Erneſtus Neidpergius,*
*Ioannes Pyrmontius,*
*Albertus Rarſpergius,*
*Vuigoleus Frauuenbergius,*
*Ioannes Reynerus a Reyne,*
*Arnoldus Nußbergius,*
*Guilelmus Eſchius,*
*Albertus Vuinterus,*
*Nicolaus Franckenſtenius,*
*Sigiſmundus Hurnhemius,*
*Vuolffgangus à Stadion,*
*Albertus a Knoringen,*
*Adolphus a Cleen,*
*Erneſtus Fyluuilius,*
*Vuolffgangus Emmerichus,*
*Gotus Seinshemius,*
*Mauritius Schaumbergius,*

*Apelles Schenckius à Geyern,*
*Otho Freyius à Dern,*
*Sigismundus Erenbergius,*
*Ernestus Hornstenius,*
*Fridericus Helffenstenius,*
*Ioannes Bauarus à Bopparten,*
*Vuendelinus Helmstadius,*
*Frider. Kēmererus à Vuormatia,*
*Henricus Spedt,*
*Vuolffgangus Hatstadius,*
*Georgius à Kammerauu,*
*Fridericus Leiningius,*
*Sigismundus Vuolffstenius,*
*Vuolffgangus a Fronhofen,*
*Emmericus Eltzius,*
*Bernardus Rudishemius,*
*Ioannes Heusenstenius,*
*Ernfridus Helmstadius,*
*Vuendelinus Gemmingius,*
*Georgius Freyburgius,*
*Guilelmus Abelfingius,*
*Christophorus Lauterus,*
*Ioannes a Greiffenclae,*
*Henricus Vuiltzius,*
*Rackius Seckendorffius,*
*Henricus Grumbachius,*
*Egolphus a Rotenhane,*
*Adrianus a Drat,*
*Otho Lindenfelßius,*
*Henricus Breitenstenius,*
*Ernfridus Vuildenstenius,*
*Georgius Vualdeccius,*
*Balthasar ab Hauß,*
*Roschius Budafeldius,*
*Reinardus Flerßhemius,*
*Conradus Trachenfelßius,*
*Vuolffgangus Iungingius,*
*Guilelmus a Vueluuardt,*
*Melchior Forstius,*
*Ernestus Landsbergius,*
*Guilelmus Eibergius,*
*Sebastianus Hatsfeldius,*
*Theodoricus a Vuelden,*
*Nicolaus Venningius,*
*Ernestus a Dorfelden,*
*Henricus a Vueingarten,*
*Henricus Auffeßius,*
*Vuernerus Knebelius,*
*Vuernerus Rietefelius,*
*Sebastianus Keffelius,*
*Fridericus Steinius a Stein,*
*Germanus Feßlerus,*
*Albertus Vuindenbergius,*
*Ioannes Dieterus a Reinauu,*
*Diepoldus Anglachius,*
*Hieremias a Leyen,*
*Ernestus ab Hagen,*
*Emmericus Staffelius,*
*Vuolffgangus Bachius,*
*Eustatius Hurtius,*
*Erasmus Seiboltzdorffius,*
*Sigismundus ab Eisenhofen,*
*Vuolffgangus Ahemius,*
*Vuolffgangus Fleckstenius,*
*Erbus Blettenbergius,*
*Albertus Sturmfederus,*
*Fridericus Ehingius,*
*Conradus Entzbergius,*
*Philippus Pallantius,*
*Andreas Falckenstenius,*
*Albertus Sunthemius,*
*Magnus Vuesterstettenus,*
*Emmericus Rodius,*
*Guilelmus Flachius,*
*Ioannes Durckhemius,*
*Theodoricus Egloffstenius,*
*Marquardus a Bibra,*
*Amanus Reiffenbergius,*
*Ernestus Bommelburgius,*
*Iodocus Baumgartius,*

*Christo-*

*Christophorus Camerus,*
*Vuolffgangus Nußdorffius,*
*Franco Cronenbergius,*
*Krantzius Vuachenhemius,*
*Adolphus Hentschuchshemius,*
*Sebastianus Fetzerus,*
*Henricus Honoltstenius,*
*Eisenbardus Borschedius,*
*Sigismundus Bernfelßius,*
*Ioannes Breytenbachius,*
*Ebaldus Sickingius,*
*Fridericus à Than,*
*Hieronymus à Lindauu,*
*Conon Bellershemius,*
*Vuolffgangus Morsbergius,*
*Sigismundus Frisbornius,*
*Conradus Spanhemius,*
*Ioannes Roschius Oberstenius,*
*Theodoricus Faulhaberus,*
*Frouuinus Vualdenstenius,*
*Otho Langenhemius,*
*Ioannes Schuualbachius,*
*Henricus Brendelius,*
*Ioannes Iud à Stein.*

*Item Ioannes à Peffenhausen probauit etiam stirpem iudicibus ea parte, qua de auia sua docere plenius proxime præteritis Moguntinis ludis iussus erat.*

*Quos vero iam subijciam, quia non satis instructi ad iudiciũ videbantur, reiecti sunt ad ludos proximè futuros, iussiq; interim circo exesse:* Reijculi & excesse iussi circo, dum plenius causam suã iudicibus probarent.

*Fredericus Reynius,*
*Hermannus Vdenhemius,*
*Daniel Mulhemius,*
*Ioannes Schottus,*
*N. a Bubenhofen,*
*N. Gebsatelius,*
*Arnoldus Blanckenbergius,*
*N. Ehingerus,*
*Fridericus Rudishemius,*
*Henricus a Syn,*

*Petrus Fielstenius,* *Joannes Henricus Badenus,*
*Hermannus Feslerus,* *Guilelmus Reidenbuchius,*
*N. Lotterbeccius,* *N. Neuneccius,*
*N. Stiebarus,* *Georgius Voitus a Saltzburgo.*

*Expuncti autem plane sunt & exacti:*

Expuncti plane.

*Iacobus à Steyn,* *N. Voitus à Reyneck cognomento à Gmunden,*
*N. Budickhemius,*
*N. Rotenstenius,*

*Quia verò auctores horum ludorum sodales, quibus pro tessera Asinus est, necessario quædam circa leges equestres corrigenda arbitrabantur; ad eam rem curatius & ex sententia plurium tractandam, quosdam de alijs quoque sodalitatibus corrogarunt, quorum auxilio simul quæ deerant, expleta; quæ superuacanea putabantur, recisa; quæ denique vitiosa; ad rectam normam emendata sunt. Quæ placuit inde in tabulas relata publicè pro lege haberi, perinde ac si omnes & singuli eadem voluissent, iussissent; ita vt sequitur:*

Statuta noua circa equestres ludos.

*I. Ne quis in vllum collegium sodalitiumue decursurus in posterum admittatur, nisi de cuius paterna maternaque & vtrinque auita nobilitate plene constet; cuiusque maiores celebratis & editis olim ludis interfuerint. In quo si de quocumque candidato disputetur, & controuersia oriatur: tenebitur idem ille caussæ suæ bonitatem tribus aut duobus minimum testibus probare, qui sint indubitati ipsi stemmatis, & pleno ludorum iure fruantur.*

*II. Qui expunctus, aut certe dilatus a iudicibus, contra sententiam eorum circo se pugnæ paratus instructusque inmiserit, is præter equi, armorumque amißionem, quæ cedunt apparitoribus & armorum Regibus, omni in posterum iure ludorum spolietur, et si adiutorem conatus et peruicaciæ suæ aliquem habuerit, hic ipse quoque vt læsæ Fidei publicæ reus, arbitrio Illustrißimi Comitis Palatini &c. mulctandum & puniendum sese non nesciat.*

*III. Vt ne quis etiam ex nobilitate recipiatur in vllum collegium, sodalitiumue, decursurus; qui non ciuitatis quocunque tandem donatus sit, aut gaudeat, iuri renunciauerit, illudque solenniter eierauerit. sed & si quis denuo à ludis ciuitatem aliquam impetrauerit, is in æternum circum sibi clausum, & ad equestria certamina aditũ præstructum sciat.*

*Sequuntur Capita alia ob quæ in pœnam ludorum legibus definitã inciditur, & verberum supplicium incurritur;*

Alia statuta.

*I. Qui sciens prudens peierauerit, aut testimonio falso aliquem læserit.*

*II. Qui captus iure belli, & conditionibus certis dimissus, illis non steterit,*

*steterit, & fidem datam, dextraque iuncta confirmatam non seruauerit.*

*III. Qui litteris subscriptione, aut signo, annulоue suo communitis fidem præstare contempserit.*

*IV. Qui desertor factus, de fuga sua iudicium subire legitimum recusat.*

*V. Qui per vim aut fraudem pudicitiam feminarum expugnat, læditue, aut eo nomine se iactat.*

*VI. Omnes fœneratores noti, & Propolæ, aut flagellatores annonæ.*

*VII. Qui latrocinijs aut cædibus contaminati, de ea re iudicio contendere recusant; hi omnes arbitrarijs pœnis plectantur.*

*VIII. Qui sacrilegio se impiauerint; templa diruerint; aut templis, sacrisq́; debita reddere nolunt.*

*IX. Qui scientes hæresim fouent, aut spargunt semina eius.*

*X. Qui se adulterio polluerint, aut illegitimè in pellicatu viuunt.*

*XI. Qui per vim alicui suum eripiunt, aut detinent: viatores excipiunt, & in nexum ducunt, ergastulisque includunt.*

*XII. Qui indignas se nuptias contrahunt, & vxorē ignobilē ducunt.*

*XIII. Qui cum parentes maioresque habeant qui ludis olim interfuerint, ipsi non vtendo ius suum deterius fecerint; & diem certaminum olim non obierint, licet à circo in totum non excludantur, pœnæ tamen & mulctæ subijciuntor.*

*XIV. Illegitimè nati omnino exesse ab his ludis iubeantur. idemque iuris sit de ijs, qui indubitatæ nobilitatis cum sint, natalium lucem negotiando, & quæstum exercendo contenebrant.*

*Statutum præterea est:*

*I. Ne quis vt equo hæreat facilius, insolita & inusitata auxilia circumspiciat, sed sella equestri communi contentus sit, stapedesque habeat ex more aptatos.* Alia item statuta.

*II. Vt portæ septorum adhibita custodia firmentur; ne quis non probatus iudicibus ijs inobseruatus, aut vi irrumpat.*

*III. Qui sibi conscij sunt violati alicuius capitis, de numero tantum eorum, quæ iam relata sunt; iudicio arma insigniaq́; ne subijciant, ne vltro dedecus quæsisse videantur.*

*IV. Qui de equo concurrens inferior abierit, vt is recipere eum possit dato pretio, quod ratione dignitatis cuiusq́; maius, minusue, veterum statutis continetur.*

*V. Vti ne quis cingulis ad frena vtatur tribus digitis latioribus, ne quis frontem equi aut sellam chalybe muniat; aut alioqui ea, ferroue in instrumento vtatur; ita vt damnum ex ea re dari possit.*

*VI. Uti ne quis arma vetita intra septa habeat; aut telis vtatur alijs, quam in ipso certamine post hastas clauis, in postludio gladijs:*

*VII. Vt qui verberibus mulctandi sunt, clauis tantum tundantur, idq́ qua armis muniuntur, neq́ omnino qua ea desinunt. Sed & si quis condemnatus fuerit vt fustuario exarmetur; is quoq́ clauis non offendetur, quà armorum aliqua parte nudatus fuerit; quando hæ pœnæ sunt corrigendis hominibus inuentæ, non tollendis.*

*VIII. Ut qui contra æstimationem suam fecisse officiumq́ conuictus fuerit, cum eo non de laude gloriaq́, sed de equo concurratur; ademtoque eo, ipse cum sella equēstri septis imponatur, in eisq́ ad finem vsque decursionum perdurare ita cogatur.*

*IX. Uti gladij etiam cum reliquo instrumento armorum oculis iudicum subijciantur, ijq́ nullum probent, nisi minimum trium digitorum latitudine, etiam qua in mucronem desinit: ad hoc obtusum quaqua ita, vt neq́ cæsim neq́ punctim vulnus inferre posit. atque vt hi tales, quales diximus, ab eisdem iudicibus nota insigniantur, extraq́ ita notatos nullum in pugna habere liceat.*

*X. Uti ipsorum horum gladiorum quoq́ vsus nullus sit, ante quam signum ei rei tuba detur; tumq́ stringantur in aduersarium ad clenodia eius conscindenda; neq́ adhibeantur ad partem aliquam corporis eius ab armis nudatam perstringendam, aut offendendam.*

*XI. Uti simultates omnes ante portas septorum deponantur; neque quisquam in certamine, vt cum hoste, dimicet de vita & sanguine; sed vt cum amico laudabili æmulatione succensus de laude & gloria contendat.*

*XII. Qui contra vnum aut plures horum articulorum fecerit; eius arma, equusq́ fisco cedant; ipse sit infamis, & intestabilis.*

*XIII. Qui iniuria ab vno pluribusue verberibus affectum se conqueretur, is eos coram Rege suo conuenire libere poterit. Rexque ita conuentus duos, aut certè quatuor, integræ æstimationis, & non suspectos sibi adhibebit, cum eisque arbitrario iudicio caussam definiet. Quos duos tamē postremos articulos ita pro lege haberi demum placuit, si vnanimiter quatuor prouinciarum ordinibus probarentur.*

*Statuta circa seruitia seruanda:*

Statuta circa famulitium.

*I. Vti ne quis decursurus comitatior prodeat ad certamen, quam tribus famulis ad pedes, si primi ordinis & principalis dignationis sit; duobus si Comes, Baroue; vno si Eques aut quiuis e nobilitate fuerit.*

*II. Vti hi ipsi non aliorum quam suorum quisque dominorum equos frenent, & hactenus eisdem seruiant, vt verberibus mulctandorum frenum regant.*

*III. Vt*

*III. Vt contra etiam ab omni depugnantium vi & iniuria tuti sint, neq; vel clauis contundi, vel gladijs feriri poßint, sed impune inter armatos inermes versentur.*

*His ita salubriter constitutis, Mercury tandem die censu armorũ, & insignium, omnisq; instrumenti militaris, & ludicris institutus est; ad quem cum datis nominibus galeæ caßidesq; offerrentur ad quadringentæ quinquaginta sex, decretum est vt factis duobus agminibus binis etiam commißionibus decerneretur.*

Armorũ in dibium.

*Antemeridiani autem, hoc est prioris certaminis antesignani ductoresque fuere: Georgius cognomento Diues, Comes Palatinus Rheni, Dux superioris & inferioris Bauariæ, Patruusq; eius Otho Comes Palatinus Rheni, Dux Bauariæ, quibus proximi erant dignitate & ordine:*

Antesignani prioris commissionis.

*Sebastianus Comes Ortenbergensis,*
*Balthasarus Comes Schuuartzburgicus,*
*Guilelmus Comes Kirchbergensis,*
*Vuolfgangus Comes Ottingensis,*
*Philippus Comes Kirchbergensis,*
*Sigismundus Comes Lupfius,*
*Sigismundus Fronbergius, Dynasta ab Hag,*
*Ioannes Dynasta Degenbergensis,*
*Conradus Dynasta Heydeccius.*

*quibus attributi sunt etiam alij Equites, nobilesq; viri, ita vt vniuersi implerent numerum ducentorum viginti duorũ, qui commißione priore laudabiliter depugnarunt.*

*Animaduersum tamen est eadem coitione primum in Engelhardum Berlachingium, qui septis impositus est, deinde in alios qui nudis verberibus mulctati sunt, puta:*

Verberib⁹ mulctati & septis impositi ignominiæ caussa.

*D. Magnum Haßbergium,*
*D. Gasparum Zornium a Bullach,*
*Iacobum Begerum a Geyspoltsheym,*
*Poppelinum Stenium,*
*Seisium Thoringium,*
*N. Reitzenstenium,*
*N. Guttenbergium,*
*N. Hohenrenium,*
*N. Schuuartzenstenium,*
*N. Vuindeccium,*
*N. Vueyerum,*
*N. Reichium a Stein,*
*N. Andelauium,*
*N. Stauffenbergium.*

*Ad septa curarunt priore commißione:*

Curatores ad septa.

*D. Magnus Marescallus ab Hohenriechen,*
*D. Engelhardus Neidbergius,*
*D. Reinardus Schaumbergius,*
*Bleickardus Lantschadius.*

*Posteriore congressu:*

*Berthramus Nesselrodius,*
*Erckingerus Rotenstenius, Rex Sodalitatis eius cui Asinus tessera erat,*

*Vuolffgangus*

*Vuolffgangus Vualdeccius,*
*Joannes Seckendorffius.*

Antesignani posterioris cõmissionis.

*Fuerunt autem Ductores pomeridiani congressus Illustrissimus Philippus Comes Palatinus Rhen. Dux Bauariæ, Sacri Rom. imp. Septemuir Elector, &c. & Fridericus Marchio Brandeburgicus, Dux Stetini, Pomeraniæ, Cassubiorum, & Vinidarum, Burggrauius Nurimbergicus, Princeps Rugiæ, &c. itemq́ Albertus Marchio Badensis, & Comes Spanhemensis; quibus aderant proximi:*

| | |
|---|---|
| *Philippus Comes Hanauiæ,* | *Henricus Comes Bitschius,* |
| *Ioannes Comes à Zollern,* | *Bernardus Comes Eberstenius,* |
| *Crato Comes Hohenloius,* | *Henricus Comes Lupfius.* |

*Ad quos alij Equites, nobilesque adiuncti sunt; ita vt implerent vniuersi numerum ducentorum viginti octo capitum, quæ discrimen secundarium viriliter subierunt; cum laudeq́ officio functi, finem ei fecerunt.*

Septis impositi, & verberibus affecti secũda cõmissione.

*Ita tamen, vt prius verberibus mulctatus sit, & septis ad spectaculum impositus Conradus Berlachingius, Eques.*

*Verberibus vero tantum affecti sint, quos subijciemus:*

| | |
|---|---|
| *D. Burchardus Begerus,* | *Karius Ottingius,* |
| *Joannes Jud à Steyn,* | *N. Pfauu Rietbergius,* |
| *Duo Libenstenij,* | *N. Vuolffskelius,* |
| *N. Paulsdorffius,* | *Ioannes à Dachenhausen.* |
| *N. Helmstadius,* | |

Præsidium ad septa & ad portas Circi.

*Utraque commissione sexcenti armati septa in orbem cinxerunt; vt si quis motus oriretur, compescere eum statim vel vi possent: eadémque causa ad singulas portas, exitusq́ septorum turma equestris in statione fuit toto ludorum tempore; quorum metu in officio omnes continerentur.*

Catalogus eorum qui his ludis depugnarũt.

*In sortem autem & partitionem vtriusque commissionis venerunt primi ordinis Principes quinque; secundi ordinis Comites viginti, Barones quatuor; tertij ordinis, Equites sexaginta nouem, Nobiles alij trecenti quinquaginta octo.*

Feminę virginesq; quę his ludis affuerunt.

*In Gynæceo etiam erat cœtus feminarum lõgè lectissimarum, & virginum item pudicissimarum, formosissimarumq́ frequẽtissimus, in quibus erant primæ notæ*

Vxor Philippi Comitis Palatini, &c. cũ suis.

| | |
|---|---|
| *Philippi Pal. Com. VIIuiri Electoris, &c. vxor, ornatissima omnibus animi corporisq́ dotib. Princeps, quæ habuit secum* | *N. Kuttenbergiam,* |
| | *N. Schenckiam ab Erbach,* |
| | *N. Herettinam,* |
| | *N. Stauffiam,* |
| *N. Comitem Eberstenaim,* | *N. Vuolsteniam,* |

*N. Hohen-*

*N.Hohenſteniam,*
*N.Schrotſbergiam,*
*N.Schiluuatzinam,*
*N.Steniam,*
*N.Frumgeram.*

*Aderant præterea, pompa ſane ſpectatu digniſſima:*

Principes & Comites &c. aliæ.

*Othonis Bauariæ Ducis Soror,*
*Lantgrauia Leuchtenbergenſis,*
*Vxor Henrici Comitis Bitſchij,*
*Vxor Comitis Hanauiæ,*
*Vxor Eraſmi Schenckij Erbacenſis,*
*Vxor D.Bernardi Badenſis,*
*Vxor Goſii Alletzhemij,*
*Vxor D.Georgij Venningij,*
*Filia D. Goſii, Seckendorffianæ nuptijs facta,*
*Filia D.Conradi Hutteni,*
*Vxor Philippi Dalbergij,*
*Vxor D.Engelardi Neidbergij,*
*Vxor D.Georgii Helmſtadii,*
*Vxor Georgii Rechbergii,*
*Vxor Friderici Dalbergii,*
*N.Miltzia,*
*N.ex Canum ſiue Hundiorum familia,*
*Vxor Ioannis Hohenſtenii,*
*Vxor Friderici Blickeni,*
*Vxor Berchtoldi a Thurn,*
*Vxor Georgii Roſenbergii,*
*N.Lochingera,*
*N.Dottenhemia,*
*Vxor Arnoldi Roſenbergii,*
N.*Rotenhania,*
N.*Mautnera,*
*Vxor Erckingeri Roteſtenii,*
N.*Blanckenfelſia,*
N.*Heybeccia,*
*Vxor Kiliani Berlachingii,*
*Vxor Philippi a Leyen,*
*Vxor Friderici Staufferi,*
*Filia Dietheri Lantſchadii,*
N.*Lantſchadia,*
N.*Hohenſtenia a Guſſin,*
*Eliſabetha Helmſtettera,*
*Martha Helmſtettera,*
N.*Dottenhemia,*
*Vxor Guilelmi a Thurn,*
*Vxor Dami Hentſchuchshemii,*
*Vxor Iacobi Vvindeccii,*
*Margaretha Schickingia,*
*Vxor Bernardi Schaumbergii,*
*Vxor Georgii Goleri,*
*Filia Neithardi Horneccii,*
*Andeleis Schickingia,*
*Vxor Bernardi Kalbii,*
*Socrus Ioannis Hirshornii,*
*Margaretha Stettena,*
*Vxor Iacobi Kranchii,*
*Filia D.Martini Helmſtadii,*
*Soror eius nupta in familiam Fuchſiorum,*
*Vxor Ioannis Stenii,*
*Vxor & filia Guilelmi Bemelbergii,*
*Vxor Thomani Rudii,*
*Vxor Ioannis Schickingii,*
*Vxor Othonis Seckendorffii,*
*Schuueigkeri Schickingii vxor,*
*Vxor Dietheri Lantſchadii,*
*Vxor Ludouici Schickingii, & filia Vrſula,*
*Vxor Ioannis Rotenhuſii,*
N.*Laubingera,*
N.*Lengfeldera,*
*Filia Martini Schickingii,*
N.*à Pfauu,*
*Vxor Michaelis Roſenbergii,*

*N.Bettendorfera,*
*Margaretha Schickingia,*
*Vxor Ioan. Helmstadij, et Socrus,*
*Vxor item alterius Ioannis Helmstadij,*
*Reinardi Helmstadij vxor,*
*Erhardi Helmstadij vxor,*
*Vxor & filia quondam Jacobi Helmstadij,*
*Soror Joannis Helmstadij,*
*Vxor Georgij à Bach,*
*N.Speta,*
*Vxor Guilelmi Neidbergij,*
*Vxor Joannis Eltzij,*
*N.Thungena,*
*Vxor Dietheri Dalhemia,*
*N.Vualdenfelsia,*
*Vxor Sigismundi Remmingii,*
*Dietheri Gemmingii vxor,*
*Duæ Sternfelsiæ,*
*Vxor Petri Harantzii,*
*Vxor Eberhardi Neidbergii,*
*Vxor & filia Philippi Seckendorfii,*
*Vxor Othonis Gemmingii,*
*N.Libenstenia,*
*Magdalena Heßingera,*
*Vxor Bernardi Gemmingii, & socrus,*
*Vxor Joannis Venningii,*
*Vxor Georgii Sternfelsii,*
*N.Halfingia,*
*Vxor Philippi Sachsenhemii,*
*N.Hentschuchshemia,*
*Karii Venningii vxor,*
*Vxor Conradi Franckenstenii.*

Triũphale prandium.

*Jouis vero die post Bartholomæi Princeps Elector solenne instituit prandium in arce, in quo hoc ordine consessum est:*

Prima mensa.

*Primariam mensam occupabant Philippus Palatinus Comes, Princeps, Elector, &c.*

*Magnus Magister ordinis Teutonici, siue matris Virginis.*
*Albertus Marchio Badensis,*
*Ioannes Comes Vuerthemiæ.*

*Secundam mensam occupabant:*

Secunda mensa.

*Otho Dux Bauariæ,*
*Georgius cognomẽto Diues, Dux Bauariæ,*
*Fridericus Marchio Brandeburgicus,*
*Ioannes Comes Nassouius, Beylstenii Dynasta,*
*Iodocus Comes à Zollern.*

Quinquaginta aliæ mensæ

*Erant præterea quinquaginta mensæ aliæ stratæ reliquis Comitibus, Baronibus, Equitib. Nobilib. quos nominatim iam recensuimus.*

Prima mensa in Gynæceo.

*Ad mensam etiam Palatini Electoris Philippi vxoris adhibitæ sunt,*

*Soror Ducis Bauariæ Othonis, Reineccia,*
*Filia eius Leuchtenbergica,*
*N.Comes Bitschia.*

Viginti-quinq. aliæ mensæ.

*Vigintiquinque autem aliæ mensæ occupatæ sunt à reliquo Gynæceo, nominatim ante cõmemorato, præter nonaginta admodum pedissequas, quæ & ipsæ splendidiß. alibi exceptæ sunt.*

*Et mensis quidem principalibus viginti fercula illata sunt, ex bona parte puro auro inducta.*

Comites

*Comites autem, Barones, Equites, nobiles occupabant menſas quadraginta quatuor.*

*Tubicines, Tibicines, Cornicines, Fidicines, & id genus reliqui menſas octo.*

*Ad abacum ſeruabat & curabat Ioannes Schenckius ſiue Pincerna, Baro Erbacenſis.*

*Erant autem expoſita in abaco admodum viginti duo magna, & centum minora vaſa, ſiue pocula gemmata, aurata, argentea; inter quæ pleraq; Canthari, lagenæ, Obbæ, crateres, ſcyphi, phialæ, Cymbia, cyathi, pateræ &c.* Abacus.

*Eodem die animi cauſſa extra ordinem decurſum eſt, in quo certamine cum Electori Philippo ſe commiſiſſet Vuolfgangus Comes Otingenſis, vterq; ad terram corruit; idemq; euenit* Decurſio aut concurſio potius extra ordinem.

*Sigiſmundo Comiti Lupfio, cum Scheckio Seckendorffio.*

*Georgio Felbergio, cum Seiſio Thoringio.*

*Balthaſari Comiti Schuuartzburgico, cum Eberhardo Brandenſtenio.*

*Vuolfgango Barſbergio, cum Conrado Helmſtadio.*

*Guilelmo Vuolffſtenio, cum Stephano Schaumbergio.*

*Ludouico Bauaro Baroni Scharffeneccio, cũ Vuolfgango Luchauio.*

*Cum vero Fridericus Marchio Brandeburgicus & Crato Comes Naſſouius concurrerent; Marchio equo deturbatus eſt ſolus, Naſſouio in ſella equeſtri perdurante, In quo finis fuit; Eraſmo Seiboltſdorffio, qui cum Georgio Felbergio committendus erat, infecta re ante certamen cum aduerſario ex harena digreſſo.*

*Hinc ſaltationes inſtitutæ ſunt, in quibus triginta duo funalia ſiue faces prælucebant; datis primis earum partibus Georgio, cognomento Diuiti, Duci Bauariæ, cum ſorore ſua Comite Palatina, vxore Electoris Philippi &c.* Choreæ.

*Secundis Philippo Comiti Palatino ſeptemuiro Electori &c. cum Lantgrauia Leuchtenbergica, quæ erat Ducis Othonis ex ſorore neptis.*

*Tertijs Othoni Duci Bauariæ, cum ſorore ſua Reineccia.*

*Quartis Friderico Marchioni Brandeburgico, cum Hanauia ſorore Ducis Othonis.*

*Albertus autem Marchio Badenſis iudicium ipſe ſuum ſecutus, non exſpectatis quibus huius rei cura demandata erat cerimoniarum ſeu Regibus; ſeu magiſtris, duxit manu virginem quandam ex familia Baronum Erbacenſium.*

*Honos autem regibus ludorum ita habitus eſt, vt verba fecerint I.*

[illegible]

*Vxor Erckingeri Rotenſtenij apud Guilelmum Rechbergium, Sueuum, qui edixit ludos Sutgardiæ dominica poſt Bartholomæi anno* CIↃ.CCCC. XXCII. *initium habituros.*

*II. Filia virgo Jacobi Helmſtadij apud Damanum Pallantium Rhenanum, qui edixit ludos equeſtres in Agrippina Vbiorum Colonia dominica Bacchanalium anno* CIↃ.CCCC.XXCII. *initium habituros.*

*III. N. Stoffelia, vxor Engelberti Neidbergij, apud Eraſmum Roſenbergium, Francum, qui edixit ludos Norimbergæ dominica poſt Pentecoſten anno* CIↃ.CCCC.XXCIV. *initium habituros,*

*IV. Filia Ioannis Sickingij apud Albertum Staufferum Bauarum, qui edixit ludos Regensburgi ad Danubium dominica poſt Pentecoſten anno* CIↃ.CCCCXXCV. *initium habituros.*

Quiddã inter ſtatuta, paullo ante indictu.

*Quod autem ſuperius monere me fugit; cautum eſt ijs ludis Heidelbergenſibus, ne quis extra ordinem omnino decurreret, cui non ſolenni certamini intereſſe fas eſſet. ſed nec aliter quoque idem facere permiſſum eſt quam iuſta armatura, & cum ſymbolis clenodijsque ſolitis.*

Quot quiſque Principum homines equoſque aluerit

*Atque his ludis ſumptu ſuo aluit Princeps Elector Philippus octingentos viginti homines equoſque.*

*Otho Dux Bauariæ ducentos quinquaginta.*

*Georgius Dux Bauariæ ſeptingentos viginti tres.*

*Fridericus Marchio Brandeburgicus octingentos & admodum ſex.*

*Albertus Marchio Badenſis ad centum homines equoſque.*

*Fuerunt præterea tum Heydelbergæ ſuo ſumtu quique ludorum participes non fuere niſi oculorum tenus plus minus octingenti viri equiq;.*

Summa equorũ hominumque qui tum Heidelbergæ fuerũt.

*Jta vt ſumma ſummarum redeat ad homines equoſq; ter mille, quadringentos, nonaginta nouem.*

LVDI

LVDI EQVESTRES EX ORDINE XXXI. SOlenniter in Germania celebrati; editi ab ordine equestri & nobilitate Sueuica in gratiam Principis Illustrissimi Eberhardi Comitis Vuirtenbergici, anno cIↄ. CCCC. LXXXIV.

Quibus ludis Reges fuere:

Ioannes Iacobus Bodman[9], Eques Sueuus.

Insignia Vuirtenbergica.

Sigismūdus Leymingi[9], Eques Bauarus.

Erkinger[9] Seinshemius, Eques Francus.

Damus Pallantius, Eques Rhenanus.

Insignia Stutgardiæ, vrbis ditionis Vuirtembergicæ primariæ, vbi XXXI. solennes ludi equestres Germanici celebrati sunt.

# DE LVDIS EQVESTRIBVS XXXI. solennibus Germanicis.



*Vdos* XXXI. *equestres edendos curauit illustrißimus Princeps, Vuirtenbergicus Comes, die Mercurij post Regalia, anno recuperatæ salutis* CIↃ.CCCC.LXXXIV. *honorauerunt que eos præsentia sua.*

Qui his ludis affuerint. Fridericus Brandeburgicus Marchio cum comitatu suo.

*Fridericus Marchio Brandeburgicus cum suis, in quibus fuere:*
*Henricus Burggrauius Misnensis, Dynasta Blauiæ,*
*Fridericus Comes Castellanus,*
*Frideric. Schenckius Baro Lymburgicus,*
*Ioannes Baro Stoffelius,*
*Ioannes Fridericus, Comes à Zollern,*
*Ioannes Comes Sonnebergius,*
*Christophorus Schenckius, Baro Lymburgicus,*
*Sigismundus Baro Schuuartzbergius,*
*Rudolphus Haslangius, Eques,*
*Ioannes Jacobus Bodmanus, Eques,*
*Conradus Knoringius, Eques,*
*Apelles Seckendorffius, Eques,*
*Ioannes Seckendorffius, Eques,*
*Degenardus Fuchsius, Eques,*
*Georgius Zebitzius, Eques,*
*Ludouicus Huttenus, Eques,*
*Gasparus Sackius, Eques,*
*Ioannes Eybius,*
*Leonardus Mareschallus à Bappenheym, Eques,*
*Raffius Gundelshemius, Eques,*
*Ioannes Fuchsius, Eques,*
*Sebastianus Vuirsbergius,*
*Erckingerus Rechenbergius, Eq.*
*Fridericus Seinshemius, Eques,*
*Christophorus Schenckius a Geiern, Eques,*
*Gasparus Krelshemius,*
*Conradus Vuirsbergius,*
*Ioannes Leonrodius,*
*Engelardus Berchlingius,*
*Henricus Auffesius,*
*Henricus Leineccius,*
*Philippus Vuissentauius,*
*Ioannes Zebitzius,*
*Georgius Truccesius à Pommersfelden,*
*Guilelmus Stenius ab Altenstein,*
*Michael Vuirsbergius,*
*Ioannes Auffesius a Vuolckenberg,*
*Diezius Truccesius a Vvetshausen,*
*Joannes Felbergius,*
*Carolus Hesbergius,*
*Alexander Mareschallus à Bappenheym,*
*Otho à Giech,*
*Ludouicus ab Elrichshausen,*
*Henric. Ochsius à Gentzendorff,*
*Guilelmus Russenbachius,*
*Georgius Ehenhemius,*
*Gasparus Klingenbergius,*
*Georgius Mareschallus a Bappenheym,*
*Ioannes Entzbergius,*
*Nithardus a Vuolmarshausen,*
*Eberhardus Vualdenfelsius,*
*Guilelmus Bebenburgius,*

*Ioannes*

*Ioannes Auffesius,*
*Georgius à Giech,*
*Ioannes Truccesius,*
*Hermannus Marescallus,*
*Crato Lentershemius,*
*Ioannes Zolnerus à Rotenstein,*
*Sigismundus Vualrodius,*
*Sigismundus Luchauius,*
*Conradus Zebitzius,*
*Fridericus Reitzenstenius,*
*Christophorus Grossius a Drockauiu,*
*Erckingerus Seinshemius,*
*Vuolffgangus Uvolfskelius,*
*Vitus a Rotenhan,*
*Ioannes Seckendorffius,*
*Georgius Grumbachius,*
*Philippus Fuchsius, Senior,*
*Michael Ebenhemius,*
*Burchardus a Stadion,*
*Ioannes Knoringius,*
*Conradus a Stadion,*
*Vtzius Knoringius,*
*Sixtus Seckendorffius,*
*Philippus Fuchsius,*
*Iodocus Eglofstenius,*
*Vuolffgangus a Dachenhausen,*
*Georgius Seinshemius,*
*Christophorus Seckendorffius,*
*Ioannes Vttingius,*
*Ioannes Fuchsius,*
*Andreas Rauenstenius,*
*Ludouicus Knoringius,*
*Reinardus Fuchsius,*
*Sebastianus Seckendorffius,*
*Laurentius Eglofstenius,*
*Engelardus Seinshemius,*
*Conradus Rotius,*
*Sebastianus Seinshemius,*
*Sixtus Seckendorffius, Iunior,*
*Falco Vttingius,*
*Philipp. Stenius a Liechtenburg,*
*Mauritius Seckendorffius,*
*Georgius Reitzenstenius,*
*Ioannes Seinshemins,*
*Duo Vuichsenstenij,*
*Duo Ebenhemij,*
*Diezius Hesbergius.*

*VVirtenbergici:*

VVirtenbergici.

*Eberhardus Comes Vuirtenbergicus, Senior,*
*Guilelmus Lantgrauius Hessiæ, Eberhardi ex sorore nepos,*
*Crato Comes Hohenloensis,*
*Vuolfgangus Baro Geroltzeccius,*
*Henricus Comes Furstenbergius, Georgij F.*
*Mango Marescallus ab Hohenriechen, Eques,*
*Georgius & Eberhardus fratres, Barones Gundelfingij,*
*Ioannes Vuernerus, Baro à Zimbern,*
*Ioannes Truccesius, Baro Vualburgicus,*
*Burchardus Ellerbachius, Eques,*
*Bernardus Nothafftius, Eques,*
*Guilelmus Aurbachius, Eques,*
*Georgius Felbergius,*
*Sigismundus Freyburgius,*
*Georgius Ebingius,*
*Ioannes Gussius a Sachsenheym,*
*Egolphus Freyburgius,*
*Guilelmus Gussius,*
*Gerardus Dalhemius,*
*Bernardus Libenstenius,*
*Ioannes a Bubenhofen,*
*Philippus Nippenburgius,*
*Ernfridus Felbergius, Eques,*

Gasparus

*Gasparus Klingenbergius, Eques,*
*Vlricus à Iungingen, Eques,*
*Georgius Felbergius, iunior,*
*Sigismundus Vueldenus,*
*Ernestus Freyburgius,*
*Otho Seckendorffius,*
*Lazarus Sunthemius,*
*Erasmus Vueyerus,*
*Georgius Hertenstenius,*
*Ioannes Reischachius,*
*Bernardus Nippenburgius.*

*Sodalitas Canis Gallici & Serti:*

Sodalitas Canis Gallici & Serti.

*Conradus Spetus, rex sodalitatis, cui tessera Canis Gallicus,*
*Ludouicus Comes Helffenstenius,*
*Albertus Schenckius, Baro Lymburgicus,*
*Guilelmus Rechbergius,*
*Vlricus Vuesterstettenus,*
*Marcardus Stenius,*
*Vlricus Rechbergius,*
*Conradus Halfingius,*
*Vlricus Freundsbergius,*
*Diepoldus Stenius,*
*Ioannes Spetus,*
*Ioannes Truccesius à Budishausen,*
*Ioannes Vuesterstettenus,*
*Ioannes Freundsbergius,*
*omnes hactenus equestri baltheo insignes.*
*Fridericus Rechbergius,*
*Guilelm. Rechbergius, Friderici F.*
*Henricus Stenius, iunior,*
*Bernardus Vuindeccius, senior,*
*Reinardus Vuindeccius, iunior,*
*Theodoricus Spetus,*
*Thomanus Freundsbergius,*
*Ludouicus Rechbergius,*
*Ludouicus Spetus,*
*Adamus Freundsbergius,*
*Georgius Bauarus, Eques,*
*Conradus Stenius, senior,*
*Eittelius Vuernauius,*
*Reinardus Spetus,*
*Theodoricus Roderus ab Offenburg,*
*Gasparus Spetus,*
*Anselmus Ibergius,*
*Ioannes Rechbergius,*
*Erckingerus Hurnhemius,*
*Erckingerus Mittelburgius,*
*Ioannes Sunthemius cognomento Vffenlochius,*
*Georgius Vueluuartus,*
*Reinardus à Neuuhausen,*
*Vitus Vuesterstettenus,*
*Henricus Vueluuartus,*
*Henricus Schillingius,*
*Georgius à Neuuhausen,*
*Guilelmus Bocklinus à Vvinterthal,*
*Franciscus Schenckius à Schenckenstein,*
*Adamus Thummius à Kungen,*
*Diepoldus Spetus, senior,*
*Georgius Rechbergius,*
*Adrianus Stenius,*
*Vrsus Hurnhemius,*
*Ioannes Vveilerus,*
*Georgius Vuernauius,*
*Bernardus Stenius,*
*Ioannes Hurnhemius,*
*Iacobus Vuernauius,*
*Albertus Rechbergius,*
*Ioannes Spetus, cognomento* Gracilis,
*Conradus Bachius,*

*Conra-*

*Conradus Stenius, Iunior,*
*Bernardus Aurbachius,*
*Petrus Libenstenius,*
*Georgius Spetus,*
*Ioannes Libenstenius,*
*Ioannes Gundelshemius,*
*Georgius Sunthemius,*
*Ioannes Hofuuartus,*
*Guilelmus Sperbersеccius,*
*Joannes Giltlingius,*
*Burchardus Sturmfederus,*
*Vitus Rechbergius.*

*Sodalitas, cui Symbolum Monoceros:*

Sodales Monocerotis siue Vnicornis.

*Diezius Thungenus, Rex sodalitatis*
*Paulus Absbergius, Eques,*
*Conradus Hesbergius, Eques,*
*Otho Lichtenstenius,*
*Mauricius Thungenus,*
*Sigismundus Thungenus,*
*Vuolfgangus Reineccius,*
*Andreas Reineccius,*
*Vuendelinus à Ridern,*
*Vuilleboldus Schaumbergius,*
*Vitus Schaumbergius,*
*Dietherus Rudius à Kolnberg,*
*Guilelmus Stettenus,*
*Henricus Vualdenfelsius,*
*Diezius Marescallus, a Schneid,*
*Georgius Vvulffersdorffius,*
*Iodocus Luchauius, Eques,*
*Georgius Schaumbergius,*
*Georgius Rosenstenius,*
*Michael Rosenbergius,*
*Conradus Rosenbergius,*
*Christophorus Rosenbergius,*
*Michael Schaumbergius,*
*Daniel Reineccius,*
*Georgius Rudius à Kolnberg,*
*Vtzius Kungsbergius,*
*Conradus Schaumbergius,*
*Gotschalcus Sternbergius,*
*Stephanus Zobelius,*
*Guilelmus à Kere.*

*Sodalitas, cui tessera Corona:*

Sodalitas Coronæ.

*Diepoldus Hesbergius, Eques,*
*Eittelius Eroltzhemius.*

*Sodalitas, cui pro tessera Falco, & Piscis:*

Sodales Falconis & Piscis.

*Vlricus Comes Montfortensis,*
*Vvolfgang. Com. Furstenbergius,*
*Conradus Comes Montfortensis, Vlrici F.*
*Haugius Comes Montfortensis, & Pfaubergensis,*
*Andreas Comes Sonnenbergius,*
*Guilelmus à Zulnhart, Eques,*
*Marcardus Kroseccius, Eques,*
*Joannes Gasparus Laubenbergius, Eques,*
*Ioannes Vlricus Armseccius,*
*Ioannes Eittelius Staffelius,*
*Ioannes à Zulnhart,*
*Gasparus Randeccius,*
*Albertus Kunseccius,*
*Ioannes Kunseccius,*
*Joannes Laubenbergius.*

*Sodalitas, cui tessera Rupicapra:*

Sodales Rupicapræ.

*Cõrad. Auffesius, Vuolckẽbergius.*
*Philippus Kronenbergius.*

*Sodalitas, cui tessera Canis Venaticus:*

Sodales Venatici Canis.

*Damus Pallantius.*

*Sodalitas, cui tessera Lupus:*

Sodales Lupi.

*Iacob. Fleckstenius, Rex sodalitij,*
*Fridericus Dalbergius, Eques,*
*Iacobus Reichenstenius,*
*Georgius Reichenstenius,*
*Eberhardus Brendelius ab Homburg,*
*Joannes Flershemius,*
*Ioannes Dalbergius,*
*Adamus Zorn a Bullach.*

*Sodalitas, cui tessera Asinus:*

Sodales Asini.

*Schuueickerus Sickingius, Rex sodalitatis,*
*Erasmus Schenckius, Baro Erbacensis,*
*Joannes Helmstadius,*
*Bleickerus Gemmingius,*
*Conradus Schickingius,*
*Bernardus Gemmingius,*
*Michael Berlichingius.*

*Bauarici Nobiles:*

Bauarica Nobilitas.

*Vuolfgangus Barsbergius, Eq.*
*Vitus Maxelrenius,*
*Bernardus Seiboltsdorffius,*
*Georgius ab Eissenhofen.*

*Reges ludorum fuere, insignibus eorum de more honoratis, & circumlatis:*

Reges ludorũ qui. Curarunt etiam ad septa.

*Ioann. Iacob. Bodmanus, Sueuus,*
*Sigismund. Leymingius, Bauarus,*
*Erckingerus Seinshemius, Franc.*
*Damus Pallantius, Rhenanus.*

*Atq; hi ipsi seruarunt ad septa per se potissimum, excepto Sigismundo Leymingio, Bauaro, cuius vices impleuit Georgius ab Eissenhofen.*

*Armilustrio præesse iussi sunt de quatuor imperij prouincijs, Rhenanorum quidem nomine, ex sodalitate, cui tessera Lupus:*

Iudices armorum.

*Iacobus Fleckstenius, Rex sodalitatis,*
*Fridericus Kammmererus a Dalberg, Eques,*
*Georgius Theussius a Ratzumhauß, Eques.*

*Ex sodalitate Rupicapræ:*

*Conradus Auffesius Vuolckenbergius,*
*Philippus Kronbergius.*

*Ex sodalitate Canis Venatici:*

*Damus Pallantius.*

*Ex sodalitate Asini:*

*Schuueickerus Sickingius, Rex sodalitij,*
*Reinardus Helmstadius,*
*Ioannes Helmstadius,*
*Bleickerus Gemmingius.*

*Bauarorum nomine:*

*Vuolfgangus Barsbergius,*
*Bernardus Seiboltzdorffius,*
*Georgius ab Eisenhofen.*
*Vitus Maxelrenius.*

*Sueuorum nomine, ex sodalitate Canis Gallici:*

*Conradus Spetus, Rex Sodalitatis,*
*Vlricus VVesterstettenus, Eques,*

Conradus

*Conradus Abelfingius, Eques,* *Guilelmus Rechbergius, Eques.*

*Ex Sodalitatibus Falconis, & Piscis:*

*Ioannes Iacobus Bodmanus, Eq.* *Guilelmus à Zulnhart, Eques,*
*Marcardus Ronsseccius, Eques,* *Gasparus Klingenbergius.*

*Ex Sodalibus Coronæ:*

*Magnus Marescallus a Bappenheym,* *Sigismundus Freyburgius,*
*Burchardus a Stadion.*

*Francorum Orientalium nomine, Ex Sodalibus Vrsinis:*

*Ioannes Fuchsius, Eques,* *Mauricius Egloffstenius,*
*Apelles Seckendorffius, Eques,* *Vitus a Rotenhan,*
*Erckingerus Seinshemius,* *Sebastianus Vuirsbergius,*
*Georgius Ehenhemius,* *Nithardus a Vuolmarshausen,*
*Ioannes Seckendorffius,* *Gasparus Krelshemius.*

*Ex Sodalibus Monocerotis, siue Vnicornis:*

*Paulus Absbergius, Eques,* *Henricus Vuallenfelsius,* *Georgius Schaumburgius, ab Ilmenauu,* *Diezius Thungenus.*

*Ludi autem hi Stutgardienses, armorumq́ iudicium, & quidquid huc pertinet, exigebantur ad normam & leges proxime Heydelbergæ latas, & fixas; ita vt his nihil hic aut adderetur aut demeretur.*

*Die igitur iudicij ampliata caussa dilati sunt ad proximos ludos; Ioannes Vvernauius, Eques. Eittelius Vvernauius. Vuolfius Aschius, & N. Schuuellerus.* Ampliati ab armorũ Iudicibus.

*Expuncti vero sunt:*

Expuncti à Iudicib. & vetiti ludis interesse.

*Guilelmus Vualdeccius,* *Sigismundus Rackius,*
*Iacobus Rabenstenius,* *Henricus Bunauius,*
*Otho Feilschius,* *Georgius Metschius,*
*Henricus Holbachius,* *Melchior Sutzelius a Margetheym,*
*Andreas Vuildenstenius,* *Arnoldus Blanckenhemius,*
*Henricus Bunauius, Iunior,* *Apelles Schenckius a Symen.*
*Henricus Roderus a Francken,*

*Absoluti autem sunt caussa dicta:*

Qui caussa dicta absoluti sint.

*Ioannes a Bubenhofen,* *Bernardus Nippenburgius,*
*Adamus Zorn a Bullach,* *Philippus Nippenburgius.*

*Ad hos etiam Daniel Mulhemius, & Georgius Ehingius. qui tamen quamuis non prohiberentur interesse ludis, nescio qua caussa ijs abstinuerunt.*

*In Gynæceo erant facile Principes:* Gynæceũ.

*N. nata ex familia & patre Marchione Mantuæ; vxor Eberhardi Senioris Comitis Vuirtenbergici.* Principes feminæ.

*N. nata patre Marchione* Brandeburgico, *vxor Eberhardi Iunioris Comitis Vuirtenbergici.*

*N. Comes Vuirtenbergica, vxor Cratonis Comitis Hohenloensis.*

Comitatus Principum feminarũ. *In harum principum feminarum comitatu erant aliæ quoque lectissimæ matronæ, virginesq́ nobiles, ad quadraginta duæ.*

Gynæceũ Canis Gallici & serti. *Sodalitates vero quibus tessera Canis Gallicus, & Sertum, habuerunt cœtum ornatissimarum feminarum virginumq́ & ipsæ constantem admodum octuaginta quatuor nymphis.*

Conuiuiũ triũphale. Mensa prima. *Omnes autem Principes, Comites, Nobiles, vtriusq́ sexus conuiuio excepit senior Eberhardus Vuirtenbergensis Co. adhibitiq́ mensæ primæ:*

*Fridericus Marchio Brandeburgicus,*
*Eberhardus Comes Vuirtenbergicus, Senior,*
*Henricus Burggrauius Misnensis, & Dynasta Blauiæ,*
*Ioannes Comes a Zollern,*
*Henricus Comes Furstenbergicus,*
*Ludouicus Bauarus, Dynasta Scharffeneccius.*

*Mensæ* Secundæ:

Mensa secunda.
*Sigismundus Marchio Brandeburgicus,*
*Ioannes Comes Castellanus,*
*Henric. Comes Furstenbergicus,*
*Georgius Comes Vuerdenbergic.*
*Vuolffius Comes Furstenbergicus,*
*Vlricus Comes Vuerdensis,*
*Georgius Baro Gundelfingius.*

*Mensæ Tertiæ:*

Mensa tertia.
*Ioannes Comes Sonnebergius,*
*Ioannes C. Montfortensis, Iunior,*
*Ioannes Vuernerus, Baro a Zimbern,*
*Ioannes Comes Vuerdenbergicus,*
*Albertus Baro Lymburgicus,*
*Ioannes Baro Stoffelius.*

Triginta octo aliæ mensæ. Item quinque præterea aliæ. *Inde triginta octo aliæ mensæ ex ordine ab Equestris ordinis & primariæ nobilitatis viris occupabantur; præter quinque item tubicinum, & fidicinum collegiis stratas. quibus adde Regem armorum vnum, Præcones quatuor, & totidem Sodalitatum ministros publicos.*

Principum feminarũ mensa. *In Gynæceo autem præter mensam principalem, cui adhibitæ sunt:*

*Comes Vuirtenbergica Senior,*
*Comes Vuirtenbergica Iunior.*
*Comes Hohenloia,*
*Comes Otingia,*
*Comes Helfestenia,*
*N. Lymburgica.*

Octodecim aliæ. *Erant aliæ octodecim lectissimis feminis, & pudicissimis virginibus instratæ.*

Abacus in cœnatione Principum virorum. *In cœnatione autem Principum virorum in abaco exposita videre erat vasa omnis generis, ad vsum poculorum, aurea, gẽmata, argentea, plus minus centum nonaginta duo; præter cornua tria venatoria magni pretii, reliquamq́ supellectilem auream, argenteamque; vt sunt pelues, gutti, candelabra &c.*

*In cœnatione Principum feminarũ expoſita viſebãtur in abaco vaſa item gemmata, aurata, argentea, admodum centum decem & ſeptem.* Abacus in cœnatione Principũ fœminarum.

*Inde Reges ludorum noui creati ſunt; facientibus verba apud illos I. N. Lymburgica, vxore N. Comitis Helffenſtenij apud Magnum Mareſcallum à Bappenheym, qui edixit ludos Ebingæ in dominicam poſt Ioannis.* Noui ludõ rũ Reges.

*II. N. Rechbergia, vxore Conradi Speti, apud Vuolffium Barſbergium, Bauarum; qui edixit ludos Monauij ad Iſaram, in Dominicam poſt Martini.*

*III. Filia Alberti Rechbergij, apud Philippum Fuchſium, Francum; qui edixit ludos Bambergæ ad Rednizium, in Dominicam poſt Michaelis.*

*IV. Filia N. Frauuenbergij, Equitis, apud Iacobum Fleckſtenium, Rhenanum; qui edixit ludos Vuormatiæ ad Rhenum, in Dominicam poſt trium Regum.*

LVDI EQVESTRES EX ORDINE XXXII. SOlenniter in Germania celebrati; editi ab ordine equeſtri & nobilitate Bauarica, in gratiam Illuſtriſ. Georgij, Comitis Palatini Rheni, vtriuſque Bauariæ Ducis, &c. anno eodem clↄ.cccc.xxciv.

Quibus Reges fuere:


Ioãnes Vuolffſtenius, Eques.




Georgius ab Eiſſenhofen, Eques.



Ioannes Barſbergius, Eques.



Vlricus Breitẽſtenius, Eques.



Insignia Ingolstadij, vrbis Bauaricæ ditionis ad Danubium, vbi XXXII. ludi equestres Germanici celebrati sunt.



## DE XXXII. LVDIS EQVESTRIBVS Solennibus Germanicis.

*HOs etiam ludos edendos curauit anno* CIↃ.CCCC.LXXXIV. *Dominica post Ægidij illustrißimus princeps* Georgius, *Co. Palatin. Rheni, & Dux Bauariæ vtriusque ijsq; interfuerūt Principes Bauarici cum clientela sua, nominatim*

Qui Bauarici principes cũ clientela sua his ludis interfuerunt.

*Georgius Comes Palatinus Rheni, Dux vtriusque Bauariæ,*
*Christophorus Comes Palatinus Rheni, Dux Bauariæ vtriusq;,*
*Georgius Frauunbergius, Eques,*
*Ioannes VVolfstenius, Eques,*
*Vlricus Breitenstenius, Eques,*
*Ioannes Staufferus a Sunching, Eques,*
*Adamus Thoringius, Eques,*
*Erasmus Seiboltsdorffius, Eques,*
*Lucas Ahemius, Eques,*
*Stephanus a Schmihen,*
*Georgius ab Eisenhofen,*
*Vitus Egloffstenius,*
*Vuigoleus Ahemius,*
*Henricus Ebronius a Vuildenberg,*
*Iodocus Zengerus a Schneberg,*
*Ioannes Iutmanus ab Affecking.*

*Nomine Francorum Orientalium censui armorum præfecti:*

Iudices armorum.

*Ioannes Fuchsius, Eques,*
*Vitus a Rotenhan,*
*Georgius Schaumbergius,*
*Conradus Grumbachius,*
*Thomanus Rudius a Kolnberg,*
*Mauricius Thungenus.*

*Nithardus*

*Nithardus vero a Vuolmarshauſen præfectis iudicij in vniuerſum adſeſſor, & monitor appoſitus eſt.*

*Nomine Sueuorum iudices dati ſunt ex ſodalitate Canis* Gallici:

*Conradus Abelſingius,* *Conradus* Spetus.

*Ex* Sodalitio *Coronæ:*

*Alexand. Mareſcal. a* Bappēheym *Burchardus a* Stadion.

*Ex* Sodalibus *quibus teſſera* Falco, *& Piſcis:*

*N Truccesius a Pommersfelden,* *Duo* Schuuendii.

*Duo Haßbergij,*

*Rhenanorum nomine dati item Iudices:*

*Conradus Auffeſius, Rex Sodalitatis Rupicapræ,*

*Ioannes Abelſingius, ex Sodalitate Canis Gallici.*

*Bauarici Iudices:*

*Chriſtophorus* Kammerus, *Eq.* *Vuarmundus Frauunburgius.*

*Ex Sodalibus Vrſi Coronati:*

*Ludouicus Ehenhemius.*

*Ex Sodalibus Unicornis:*

*Henricus* Konſbergius.

*Bauari his ludis ampliati fuere:*

*Nicolaus Baro Abensbergius,* *Onargus Baro Vuildenfelſius,* Ampliati his ludis.

*Georgius Miſtelbeccius,* *N. Offenſtettenus,*

*Heydericus Leberskircherus,* *Sigiſmundus Apffentalius,*

*Vuolffius Zaunrud a Guteneck,* *N. Eckerus* Kopffingius.

*Franci Orientales ampliati:*

*N. Schonbergius,* *N a* Kere,

*Duo Truccesii a Pommersfelden,* *N.* Schenckius *a* Symen.

*N. Ochßius,*

*Sueui ampliati:*

*Magnus Hasbergius, Eques,* *N. Paulsuueilerus,*

*Vlricus Habsbergius,* *Duo* Schuuendij.

*Ex his emanſerunt & ad nomina non reſponderunt:*

*Alter Truccesiorum a Pommerſfelden,* *Duo* Schuuendij, Emāſores.

*Duo Haßbergij.*

*Expuncti autem ſunt de iudicum ſententia:*

*Henricus Vuitzlebeus,* Georgius *Vuatzmansdorffius,* Expuncti à Iudicibus.

*Guilelmus Reydenbuchius,* *Vuolfgangus Zaunrudius, a* Guttenec,

*N. Schuuelcherus,*

*N. Stiebarus,* *Gaſparus* Kemnetterus,

*Henricus* Kottenauius, Georgius Kottenauius,

*Gaſparus Bocklinus,* *N. Eytelſchelmius a Bergen.*

*Abſoluti*

*Absoluti autem sunt Iudicum sententia, cum Ingolstadij causam suam delegatis ad eam cognitionem probassent:*

Absoluti iudicũ sententia.

*Vlricus Schlanderbergius, Fridericus Vuiltzlebeus, Fridericus Storius à Storsteyn, Conradus Schenckius à Vuesterstetten, Philippus Schuueygererus, Vuolffius Aschius, Gasparus Zornius, Vitus Rabenstenius, Conradus Rabenstenius, Thurrigelius Gotzmanus, Ioannes à Peffenhausen, Gosius Vuulffersdorffius, Fridericus Iacobus Anuueylius, Georgius Rauheneccius, Georgius Hohenrenius, Daniel Mulhemius, Henricus Reitzenstenius.*

*Inter septa curatores fuere:*

Curatores inter septa.

*Vlricus Breitenstenius, Eques, Georgius ab Eisenhofen, Ioannes Vuolffstenius, Eques, Ioannes Barsbergius.*

*Diribitores pugnæ fuere;*

*Sigismundus Leymingius, Eques, Stephanus Smichenus, Hẽricus Kammerbergius, Eques, Vitus Egloffstenius.*

*Cum sequentibus concursum est de equo:*

Cum quib. de equo certatũ sit.

*Onargo Barone Vuldenfelsio, Nicolao Schieroltdingio, Equite, N. Vuolffstenio, Dynasta Pechẽsi, Gasparo Zornio à Bullach, Equ. Iacobo Landauio, Equite, Heiderico Leberskirchero, Duobus Holbachijs, Georgio Mistelbeccio, N. Anuueilio, N. Reytzenstenio, Thurrigelo Gotzmano, Gabione Traunnero, Sigismundo Apffenthalio, Sigismundo Eckero à Kepffing, Daniele Mulhemio, N. à Plaum, Friderico Hollupio, Georgio Eberstenio, N. Vuitzlebeno, Duobus Metschijs, Ioanne Leytenbeccio, N. Schenckio à Symen, N. Ochsio, N. Schuueigerero, N. Schenckio à Vuinterstetten, Guilelmo Rotauio, N. Paulsuueilio, N. Storio à Storstein, N. Blanckenstenio, N. Morsbeccio, Ioanne Kolnbachio, Guilelmo à Kere.*

Gratiæ dictæ nouis Regibus.

*In gratiarum actionibus verba fecerunt I. Margareta Eichbergia, vxor N. Hagii, apud Ioannem Fuchsium, Francum; qui edixit ludos Vuirzeburgi, Dominica post corporis Christi edendos, cum corollario certaminis equestris extra ordinem armis grauioribus.*

*II. N. Brenbergia, vxor Alberti Murheri, apud Adamum Thoringium, Bauarum; qui edixit ludos Regensburgi ad Danubium Dominica post Martini.*

*III. Magda-*

*III. Magdalena Gumpenbergia virgo, apud Alexandrum Mareſcallum à Bappenheym, Sueuum; qui edixit ludos Ehingæ ad Danubium dominica poſt Bartholomæi.*

*IV. Soror virgo Georgij Vuiſbeccij apud Conradum Auffſeſium Vuolckenbergium, Rhenanum; qui edixit ludos exhibendos in Agrippina Vbiorum Colonia ad Rhenum.*

## LVDI EQVESTRES EX ORDINE XXXIII. ſolenniter in Germania celebrati; editi ab ordine Equeſtri & nobilitate Franconica, in gratiam Illuſtriſsimi Alberti Marchionis Brandeburgici, Septemuiri Electoris, &c. anno cIↃ.CCCC.XXCV.

Quibus ludis Reges fuere:

Ioannes Fuchſius, Eques.



Alexander Marſchalcus à Bappenheym, Eques.



Conradus Auffſeſius, Eques.



Adamus Thorringius, Eques.



Insignia Onoltsbachij, vrbis primariæ in Burggrauiatu Norimbergensi, vbi XXXIII. ludi equestres Germanici celebrati sunt.



## DE LVDIS EQVESTRIBVS XXXIII. SOlennibus in Germania.

ANno cIↃ. CCCC. LXXXV. *edendos curauit illustrißimus Albertus Marchio Brandeburgicus, Septemuir Elector, &c. eos equestres ludos qui fuerunt ex ordine in imperio* XXXIII. *Dominica post Ascensionis Christi; designatique sunt ad iudicium armorum, & insignium, nataliumq́ue vniuscuiusque examen, qui iis ludis decurrere vellet,*

*Ex Sodalitio Falconis & Piscis:*

Iudices armorum.

*Georgius Comes Vuerdẽbergicus,* *Henricus à Zulnhart,*
*Conradus Schellenbergius, eques,* *Burchardus Ellerbachius.*

*Ex Sodalibus Canis Gallici, & serti:*

*Guilelmus Aurbachius, Rex,* *Conradus Ahelfingius, eques,*
*Vlricus Vuesterstettenus, eques,* *Conradus Spetus.*

*Ex Sodalitio Canis Gallici:*

*Conradus Knoringius, eques,* *Sigismundus Freyburgius, eques,*
*Magnus Marescallus à Bappenheym, eques,* *Alexander Marescallus à Bappenheym.*

*Ex Sodalitate Rupicapræ:*

*Philippus Dalbergius, Rex eius sodalitii,*

*Frideri-*

*Fridericus Fleckstenius, Eques, Ioannes Flershemius.*

*Ex sodalitate Lupi:*

*Fridericus Stenius, eques, Godofridus a Cleen, qui tamen*
*Berchtoldus Blettenbergius eq. postea transiit ad Sodalitium*
*Conradus Auffesius, Rupicapræ.*
*Guilelmus Nesselrodius,*

*Ex Bauarica nobilitate:*

*Sebastianus Seiboltsdorffius, Georgius Gumpenbergius, eques,*
*Albertus Vuildenstenius, Ioannes Iutmanus.*

*Ex Franconica nobilitate:*

*Ioannes Fuchsius, eques, Ioannes Beckendorffius, Kres-*
*Sixtus Ehenhemius, bergius,*
*Ioannes Seckendorffius, a Ni- Fridericus Seinshemius, eques,*
*dertzheym, Vitus a Rotenhan,*
*Guilelmus Bebenbergius, Ioannes Grumbachius,*
*Philippus Fuchsius, Conradus Fuchsius.*

*Ex Sodalibus Vrsi & Antemonilis:*

*Georgius Absbergius, Ioannes Auffesius, eques,*
*Thomanus Rudius Rex, Otho Lichtenstenius.*

*Sequentes ex quatuor primarijs prouincijs Germaniæ in ordinum distributione alijs sunt adtributi.*

*Franci ex sodalitijs Vrsi & Antebullæ:*

*Ioannes Fuchsius, eques, Ioannes Egloffstenius, eques,*
*Vitus Vualnrodius, eques, Erckingerus Seinshemius,*
*Ioannes Seckendorffius, senior, Vitus a Rotenhan,*
*Georgius Ehenhemius, Ioannes Grumbachius.*
*Nithardus a Vuolmarshausen,*

*Sodalitatis cui tessera Monoceros:*

*Thomanus Rudius a Kolnberg, Georgius Absbergius, eques,*
*eius sodalitatis Rex, Diezius Thungenus.*
*Conradus Abelfingius, eques,*

*Sueui sodalitatum Canis Gallici, & Serti:*

*Guilelmus Aurbachius, Rex so- Guilelmus Rechbergius, eques,*
*dalitatis, Vlricus Vuesterstettenus, eques,*
*Conradus Abelfingius, eques, Conradus Spetus.*

*Sodalitatis, cui Corona tessera:*

*Magn. Maresc. à Bappenheym, Sigismundus Freyburgius, eques,*

*Sodalitatis, cui tessera Falco, & Piscis:*

*Conradus Schellenbergius, eques, Henricus à Zulnhard.*
*Burchardus Ellerbachius, eques,*

*Rhenani ex sodalitate Lupi:*

*Fridericus Fleckstenius, eques,*
*Philippus Kemmererus à Dalberg,*
*Ioannes Flershemius.*

*Ex sodalitate Rupicapræ:*

*Fridericus Stenius, Rex sodalitij,*
*Berchtoldus Blettenbergius,*
*Guilelmus Nesselrodius à Balsterkam.*

*Ex sodalitate Asini:*

*Bernardus Gemmingius.*

*Bauarici:*

*Sebastianus Seiboltsdorffius, Eq.*
*Georgius Gumpenbergius, Eques,*
*Albertus Vuildenstenius,*
*Ioannes Iutmanus ab Affecking.*

*Inter septa curarunt,*

Curarores ad septa.

*Ioannes Spetus, eques Sueuus,*
*Georgius Gumpenbergius, Eques Bauarus, vice Georgij ab Eisenhofen,*
*Georgius Ehenhemius, Francus,*
*Guilelmus Nesselrodius, Rhenanus; loco cognati sui, Berchtoldi Nesselrodii.*

*Diribitores pugnæ qua parte constiterat Illustrissimus Marchio Albertus:*

Diribitores pugnæ.

*Frideric. Marchio Brandeburgic.*
*Michael Baro Schuuartzburgic.*
*Sebastianus Vualnrodius, Eques,*
*Paulus Fuchsius Breitenbachius.*

*Diribitores pugnæ ex parte aduersa:*

Diribitores alij.

*Ioannes Seckendorffius, senior,*
*Thomanus Fuchsius a Kirchschonbach,*
*Georgius Ehenhemius, Præfectus Feuchtuuangensis,*
*Fridericus Seckendorffius, cognomento Rheinhoferus.*

*Caussa dicta & probata generis serie, absoluti sunt his ludis à iudicibus:*

Absoluti his ludis iudicũ sententia cum causam dixissent.

*Guilelmus Adelmanus ab Adelmansfelden, Eques,*
*Theodoricus ab Harras, eques,*
*Nicolaus Schieroltingius, eques,*
*Henricus Stibarus, eques,*
*Guilelmus Reidenbuchius,*
*Georgius Eberstenius,*
*Vlricus Morsbeccius,*
*Albertus Sulmantingius,*
*Rudolphus Planitzius,*
*Gasparus Bocklinus,*
*Rudolphus Planitzius, Iunior,*
*Vuolffius ab Hausen Stettbergius,*
*Ettelschelmius a Bergen,*
*Vuolfgangus Zaunrudius,*
*Conradus Neidbergius,*
*Guilelmus Neuneccius,*
*Fridericus Rudishemius,*
*Georgius Kuttenauuerus,*
*Vuolfgangus Schuuangauius.*

*Emanserunt; nescio qua caussa, nec cognitioni se stiterunt:*

Emãsores.

*Petrus Schuuellerus,*
*Stephanus à See,*
*Petrus Finsterlochius.*

*Accepti*

*Accepti sunt solenniter candidati:*

*Theodoricus ab Harras, eques,*
*Henricus Stibarus, eques,*
*Guilelmus Adelmanus, eques,*
*Eitelschelmius a Bergen,*
*Guilelmus Neuneccius,*
*Albecus Sulmantingius,*
*Iacobus Landauius, eques,*
*Guilelmus Reydenbuchius,*
*Conradus Neidbergius,*
*Rudolphus Planitzius, iunior,*
*Georgius Eberstenius,*
*Vuolfgangus Zaunrudius.*

*In armorum autem examine primo loco collocata sunt Illustrissimi Friderici Marchionis Brandeburgici cassis, armaque, & instrumentum omne militare,*

*Henrici Burggrauij Misniæ, & Blauiæ Dynastæ,*
*Friderici Schenckij, siue a cyathis S. C. M. Baronis Lymburgici,*
*Georgii Comitis Helfenstenii,*
*Joannis Comitis Sonnebergii,*
*Ioannis Baronis Schuuartzenbergici, Equitis,*
*Erckingeri Rechbergii, equitis,*
*Guilelmi Bemmelburgii,*
*Christophori Schenckij a Geiern, equitis,*
*Conradi Berlachingii, equitis,*
*Georgii Fortschii à Durnauu,*
*Guilelmi Gußii, à Gussenberg,*
*Diezii Vuilmansdorffii,*
*Ioannis Auffesii,*
*Sitticii Zebitzii,*
*Kiliani Vuallenfelsii,*
*Ioannis Eybii, Vestenbergii,*
*Ioannis Leonrodii, senioris,*
*Ioannis Leyneccii,*
*Georgii Vuichstenii,*
*Vlrici Knoringii,*
*Diezii Truccesii à VVetzhausen,*
*Christophori Kotsauii,*
*Georgii a Giech,*
*Christophori Hirsbergii,*
*Ioannis Auffesii,*
*Othonis a Giech,*
*Bernardi Berlachingii,*
*Philippi Vuissenthauii,*
*Philippi Truccesii a Vuetzhausen,*
*Guntheri Bunauii,*
*Ioannis Eybii, iunioris,*
*Conradi Zebitzii,*
*Michaelis Großii à Drockauu,*
*Iodoci Zebitzii*
*Ioannis Auffesii,*
*Henrici Bunauii,*
*Vuolfgangi a Dachenhausen,*
*Henrici Roderi Voytlandi,*
*Ioannis a Giech,*
*Iodoci Feultschii,*
*Guntheri Bunauii, iunioris,*
*Henrici Reitzenstenii,*
*Arnoldi Blanckenbergii,*
*Georgii Großii à Drockauu,*
*Henrici Reitzenstenii,*
*Sigismundi Gebsattelii,*
*Henrici Rusenbachii,*
*Ludouici ab Elrichshausen,*
*Andreæ Rabestenii,*
*Nithardi Berlachingii,*
*Beringarii Lotzauii.*

Candidati horum ludorum.

Armorum collocatio lustrationis die.

Fridericus Marchio cum suis.

*E regione collocatæ erant Galeæ Marchionis Sigismundi cum suis, puta:*

Marchio Sigismundus cum suis.

*Eittelii Friderici, Comitis a Zollern,*
*Ioannis, Comitis Castellani,*
*Alberti Schenckij, Baronis Lymburgici,*
*Christophori Schenckij, Baronis Lymburgici,*
*Philippi Archicubicularii, Baronis Vueinsbergii,*
*Conradi Knoringii, Equitis,*
*Iacobi Landauii, Equitis,*
*Gaspari Saccii, Equitis,*
*Henrici Feultschii, Equitis,*
*Magni Marescalli a Bappenheym Equitis,*
*Georgii Zeduuitzii Marescalli, Equitis,*
*Georgius autem Tauffkirchius a* Guttenberg *&* Gaſparus *Thorerus ob neſcio quod dictum factumue erga* Gynaceum*, verberibus affecti ſunt.*

*Fuerunt autem iis ludis in Gynæceo matronæ, virgineſque:*

Gynæceũ.

*Vxor & filia virgo Friderici Lãtgrauii Leuchtenbergici,*
*N. ex familia Dynaſtarum Vrſinorum, vxor Henrici Pflugii,*
*Vxor & filia virgo Sigiſmundi Frauẽbergii, Dynaſtæ Hagii,*
*Vxor Henrici Vuildenfelſii,*
*Filia virgo* Georgii *a Satelbogen,*
*Filia Vuolfgangi Frauuenbergii,*
*N. Cloſſeni vidua,*
*Vxor Alberti Murcheri,*
*Filia* Henrici *Nothafftii,*
*Vxor Joannis a Sattelbogen,*
*Vxor & priuigna* Henrici *Nothafftii,*
*Vxor Chriſtophori Vuolfſtenii,*
*Vxor Ioannis Eychbergii,*
*Vxor Vtzii* Kunſpergii,
*Vxor* Georgii *Vualdauii,*
*N. Comes Ottingana,*
*N. virgo Vuolffſtenia,*
*Vxor Bernardini Stauffii, Baronis Ernfelſii,*
*Vxor Ioannis Staufferi,*
*Vxor* Geôrgii *Barsbergii,*
*Vxor* Hermanni *Heibeccii,*
*Vxor Sebâſtiani Vualdauii,*
*Vxor Sigiſmundi Leymingii,*
*Soror virgo* Geôrgii *Barsbergii,*
*Vxor Lucæ Ahemii,*
*Vxor Alberti Vuildeſtenii,*
*Vxor Henrici Nothafftii,*
*Filia virgo Alexãdri Vuildeſtenii,*
*Vxor Joannis Ebronii,*
*Vxor Henrici Ebronii,*
*Vxor Sebaſtiani Albeni,*
*Vxor Vlrici* Kameraun,
*Vxor Iodoci Zangeri,*
*Vidua Henrici Studachii,*
*Vxor Petri Reyneri a Reyn,*
*Filia virgo* Balthaſaris *Nothafftii,*
*Vxor* Georgii *Hohenrenii,*
*Vxor N. Frauuenbergii,*
*Degenarthi Offenſtettii vxor,*

*Vxor Seiſii*

*Vxor Seisii Thorringii,*
*Ioannis Bodmani uxor,*
*Vxor Georgii Schuuartzenstenii,*
*Vxor Christophori Frauunbergii,*
*Vxor Theodori Hofferi,*
*Vxor Sigismundi a Sattelbogen,*
*Vxor Vuolfgangi Ramelstenii,*
*Vxor Thomani Preißingii,*
*Vxor Ioannis Leitenbeccii.*

Honos Regibus habitus.

*Regibus nouis ludorum, honorem eum gratulatæ sunt: I. Vxor Sebastiani Vualdauii, Ludouico Rheinachio, Sueuo, Sodali Falconis & Piscis; qui edixit ludos Friburgi Brisgoiæ dominica post trium Regum anno* cIↄ.cccc.xxcIIx. *initium habituros.*

*II. Catharina Barsbergia virgo Othoni Lichtestenio, Franco, Sodali Vnicornis; qui edixit ludos suos Nurimbergæ dominica post trium Regum anno* cIↄ.cccc.xxcix. *initium habituros.*

*III. Vxor Henrici Ebronii Christophoro Kammero Bauaro; qui edixit ludos Ingolstadii siue Angelopoli ad Danubium dominica post trium Regum anno* cIↄ.cccc.xc. *initium habituros.*

*IV. N. ex Baronum Stauffiorum familia Friderico Kemmerero à Dalberg, Rhenano, qui edixit ludos Vuormatiæ ad Rhenum dominica post Purificationis anno* cIↄ.cccc.xci. *initium habituros.*

LVDI EQVESTRES EX ORDINE XXXVI. ET vltimi solenniter in Germania celebrati; editi ab Equestri ordine & nobilitate Palatinatus Rheni, eodem anno cIↄ.cccc.lxxxvii.

Quibus ludis Reges fuere:

Ludouicus Rheinacius, Eques.





Christophorus Kammerus, Eques.



Otho Lichtenstenius, Eques.




Fridericus Dalbergius, Eques.



Insignia

Insignia Vuormatiæ, vrbis ad Rhenum imperialis, vbi XXXVI. & vltimi Germanici ludi equestres solennes concelebrati sunt.



## DE XXXVI. ET VLTIMIS SOLENNIBVS ludis equestribus Germanicis.

*HOs ludos indictos à nobilitate Palatina in Dominica post Bartholomæi eodem adhuc anno CIↃ.CCCC.XXCVII. condecorarũt ... a præsentia instructi paratiq́ ad certamen;*

Qui his ludis interfuerint.

*Illustriß. Philippus, Comes Palatinus Rheni, & Dux Bauariæ,*
*Illustrißimus Gasparus, Dux Bauariæ, Comes Veldensis,*
*Illustrißimus Ioannes Lantgrauius Leuchtenbergicus,*
*Crato Comes Hohenloensis,*
*Ioannes Ringrauius,*
*Vuolffgangus Comes Furstenbergicus,*
*Bernardus Comes Eberstenius,*
*Fridericus Schenckius, siue Pincerna S.R.I. Baro Lympurgicus,*
*Vuolffgangus Dynasta Frauuenbergicus,*
*Vuolffgangus Dynasta Barsbergicus.*

*Sodalitas Lupi auctor ludorum:*

Sodales Lupi.

*Fridericus Dalbergius, Rex Sodalitij,*
*Vueckerus Comes Bitschius,*
*Iacobus à Rotzenhausen,*
*Ioannes Lantsbergius,*
*Philippus Dalbergius,*
*Iacobus Fleckstenius,*
*Vlricus à Than,*

*Ioannes Ingelnhemius,*
*Carlinus Ingelnhemius,*
*Eberhardus Fetzerus à Geyßpitzheym,*
*Philippus à Leyen,*
*Ioannes Flershemius,*
*Fridericus Fleckstenius,*
*Iacobus Kranichius,*
*Brennerus Lebenstenius,*
*Eberhardus Brendelius ab Homburg,*
*Ioannes Dalbergius,*
*Ioannes Libenstenius,*
*Nicolaus Fleckstenius,*
*Henricus Bauarus à Boppart,*
*Theodoricus Dalbergius,*
*Fridericus Kranichius,*
*Paulus Boßius à Vualdeck,*
*Ioannes Vuolffius à Spanheym,*
*Adamus Zornius.*

*Sodalitium cui tessera Asinus:*

Sodales Asini.

*Schuueickerus Sickingius,*
*Erasmus Schenckius, Baro Erbacensis,*
*Gosius Adelhemus, Oeconomus,*
*Ioannes Rodenstenius,*
*Georgius Venningius,*
*Georgius Golerus Rauesburgius,*
*Joannes Hirshornius,*
*Erckingerus Rodestenius,*
*Karius Venningius,*
*Reinardus Helmstadius,*
*Conradus Franckestenius,*
*Schuueickerus Schaumburgius,*
*Ioannes Venningius,*
*Conradus Sickingius,*
*Bleickerus Gemmingius,*
*Erhardus Helmstadius,*
*Ioannes Helmstadius.*

*Adiectitij:*

Adiectitij.

*Albertus Erenbergius,*
*Theodoricus Neidbergius,*
*Thomanus Roderus,*
*Adamus Lantsbergius,*
*Iacobus Lantsbergius,*
*Ioannes Helmstadius,*
*Henricus & Theodoricus Hentschuchshemij,*
*Iacobus Begerus Geyßpitsenus,*
*Vuolfgangus Schaumburgius,*
*Eittelus Schelmius a Bergen,*
*Michael Rosenbergius,*
*Henricus Rudius à Kolnberg.*

*Sodalitas cui tessera Venaticus Canis:*

Sodales Venaticicanis.

*Emundus Pallantius,*
*Ioannes Eltzius.*

*Sodalitium Rupicapræ:*

Sodales Rupicapræ.

*Otho Comes Solmensis,*
*Reinard. Comes Vuesterburgius,*
*Bernardus & Philippus Comites Solmenses,*
*D. Ioannes Kronbergius,*
*D. Fridericus Thorfeldius,*
*Berchtol. Blettẽbergi⁹, Oeconom⁹,*
*Balstercamus Nesselrodius,*
*Ioannes Vualdeccius,*
*Philippus Bickenus,*
*Gotthardus a Cleen,*
*Paulus & Joannes Breitenbachij,*
*Philippus Rudius a Kolnberg,*
*Ioannes Breitestenius,*
*Philippus Vuolfskelius,*
*Conrad. Schenckius à Schuueinsberg,*

*Ioannes*

*Ioannes Vbenus,* *Conradus Horstius,*
*Theodoricus Staffelius,* *Ioannes Helfenstenius,*
*Engelbertus Stenius,* *Emericus Reiffenbergius,*
*Conradus Nesselrodius,* *Theodoricus Knebelius,*
*Frideric. Greiffenclaus à Volrad,* *Zisolphus Rosebergius,*
*Ioannes Kronbergius,* *Franco Libestenius,*
*Bleickerus Lantschadius, iunior,* *Ioannes Greiffenclaus à Volrad,*
*Philippus Kronbergius,* *Adamus Altendorfius,*
*Gasparus Mielenus,* *Marsilius Reiffenbergius.*

*Sodales Bauarici:*

Sodales Bauarici.

*Iodocus Zangerus,* *Georgius Barsbergius.*

*Sueui ex sodalitiis Piscis & Falconis:*

Sueui ex sodalitio Piscis & Falconis.

*Burchardus Begerus à Geyspitsen,* *Conradus Hatstadius,*
*Valentinus Vuittingius,*
*Theodoricus Hummelius à Staufenberg,* *Reinardus Neuneccius,*
*Ioannes Neuneccius.*

*Sodalitia Canis numellati & Serti:*

Sodales Canis Numellati, &c.

*D. Vlricus Rechbergius,* *Georgius Rechbergius,*
*Guilelmus Vueluuartus,* *Diepoldus Spetus,*
*Petrus Liebenstenius,* *Ioannes Vueluuartus,*
*Burchardus Sturmfederus,* *Bernardus Nippenburgius,*
*Guilelmus Sachsenhemius,* *Ioannes Gasparus à Bubenhofen,*
*Ioannes Kaltenthalius,* *Philippus Ehingius.*

*Franconici sodales quibus tessera Vrsus:*

Franci Sodales Vrsi.

*Nithardus à Vuolmarshausen,* *Ludouicus ab Elrichshausen,*
*Apelles Seckendorffius,* *Marcus Berlachingius,*
*Carlinus Grumbachius,* *Bernardus Berlachingius,*
*Ludouicus Huttenus,* *Erasmus Ehenhemius,*
*Erckingerus Seinshemius,* *Iacobus Huttenus,*
*Michael Grossius à Drockauu,* *Philippus à Vuolmarshausen,*
*Melchior Sutzelius à Mergetheym,* *Nicolaus Scherlingius,*
*Georgius Scherlingius.*

*Sodales quibus tessera Vnicornis:*

Sodales Vnicornis.

*Otho Lichtenstenius,* *Philippus Stenius,*
*Vitus Schaumburgius,* *Philippus Schuuegererus,*
*Leonarthus Vuenckhemius,* *Sigismundus Gebsattelius,*
*Conradus Rosebergius,* *Petrus Echterus,*
*Ioannes VVolffgangus Absbergius,* *Diezius Thungenus,*
*Thomanus Rudius,*
*Eustatius Thungenus,* *Vuendelinus à Riedern,*

*Leonarthus Rosebergius,*
*Stephanus Zobelus,*
*Andreas Voitus à Reineck,*
*Gulelmus a Kere,*
*Ioannes Iudius à Stein,*
*Balthasar Stibarus.*

*Reges ludorum fuere, insignibus eorum de more honoratis, circumlatisq; per pompam:*

Reges ludorum. *Conradus Ahelfingius, Sueuus Eques,*
*Ioannes Bintznauius à Vuildenholtz, eques Bauaricus,*
*Emundus Pallantius, Rhenanus,*
*Nithardus à VVolmarshausen, Francus.*

*Iudicio armorum præfuerunt de Rhenanis Sodales Lupi:*

Iudices armorum. *Fridericus Kemmererus à Dalberg, eques, rex sodalitij,*
*Georgius Ratzumhusius, eques,*
*Joannes Lantsbergius, eques,*
*Rudolph. Bauarus à Bopparten,*
*Ioannes Flershemius,*
*Philippus Kemmererus à Dalberg,*
*Paulus Boßius à Vualdeck.*

*Sodales Rupicapræ:*

*Ioannes Kronbergius, eques,*
*Berchtoldus Blettenbergius,*
*Philippus Vuolfskelius,*
*Philippus Rudius à Kolnberg,*

*Sodales Asini:*

*Schuueikardus Sickingius, rex sodalitij,*
*Gosius Aletzhemius, eques.*

*Sodales Canis Venatici:*

*Emundus Pallantius,*
*Ioannes Eltzius.*

*Iudices Bauarici:*

*Vuolffgangus Fronbergius, Baro Hagiensis,*
*Vuolffgangus Barsbergius, Eq.*
*Jodocus Zangerus à Schneberg.*

*Sueuici Iudices ex sodalitate Falconis & Piscis:*

*Burchardus Begerus à Geysputsen, Eques,*
*Ioannes Neuneccius.*

*Sodales Canis Gallici & Serti:*

*Vlricus Rechbergius, eques,*
*Diepoldus Spetus,*
*Georgius Rechbergius.*

*Iudices Franconici ex Sodalitate Vrsi:*

*Apollonius Seckendorffius, eques,*
*Erckingerus Seinshemius,*
*Erasmus Ehenhemius,*
*Nithardus a Vuolmarshausen,*
*Philippus a Vuolmarshausen.*

*Sodales Vnicornis:*

*Otho Lichtenstenius,*
*Michael Rosebergius,*
*Diezius Thungenus,*
*Vitus Schaumbergius,*
*Thomanus Rudius à Kolnberg.*

*Curato-*

*Curatores inter septa erant:*

*Diepoldus Spetus loco Conradi Ahelfingij,*
*Vuolfgangus Barsbergius Eques loco Ioannis Bientzenauij,*
*Emundus Pallantius tamquam rex Rhenani tractus,*
*Nithardus a Vuolmarshausen vt Rex prouinciæ Franconicæ.*

Curatores ad septa.

*Pugnæ Diribitores fuerunt:*

*Georgius Theos a Ratzumhauß, eques,*
*Rodolphus Bauarus, a Bopparte,*
*Paulus Boßius a Vualdeck,*
*Philippus Hurtius a Saulheim.*

Diribitores certaminis.

*Verberibus mulctati sunt & de equo concurrerunt:*

*Melchior Sutzelius à Mergetheym,*
*Ioannes Kaltenthalius,*
*Duo Neuneccij,*
*N. Ehingius,*
*N. Vueittingius,*
*N. Stenius,*
*N. Schenckius à Schuueinsberg,*
*Duo Breitbachij,*
*N. Eitelschelmius à Bergen,*
*N. a Bubenhofen,*
*N. Iudius,*
*N. Entzbergius.*

Mulctati verberib⁹, &c.

*Reges armorum seu Heroldi, Præcones, Apparitores Collegiorum:*

*Henricus Oede Heroldus ditionis Coloniensis,*
*Ioannes Osterreicherus Heroldus, Sodalium Falconis & Piscis apparitor,*
*Carlinus Arnsbergius Præco, apparitor Rupicapræ coronatæ,*
*Vtzius Helfenstenius Præco, apparitor Canis & Serti,*
*Henricus Hengsbergius, Præco, apparitor Lupi,*
*Magnus Grunuualdius, apparitor domus & nobilitatis Bauaricæ,*
*Lazarus Bohemus, apparitor Sodalium Asini,*
*Georgius Amandus, apparitor Sodalium Canis venatici,*
*Simon, apparitor collegij Coronæ,*
*Conradus Zollerus, magister armorum siue insignium,*
*Ioannes Frey magister insignium.*

Reges armorũ, Apparitores, &c.

*Apud Reges ludorum verba fecerunt de Gynæceo, I. Vxor Friderici Kemmereri, nata ex familia Gemmingiorum, apud Vlricũ Rechbergium, Sueuum, qui edixit ludos Stutgardiæ Dominica post Michaelis anno* CIↃ.CCCC.XXCIIX. *initium habituros.*

Honos Regib. nouis habitus.

*II. N. Rolingia, vxor Rodolphi Bauari a Bopparten, apud*

*Diezium Thungenum, Francum, qui edixit ludos Bambergæ dominica post Michaelis anno* cIↄ. cccc. xxcix. *initium habituros.*

*III. N. virgo Ratzumbusia apud Jodocum Zangerum à Schneberg, Bauarum; qui edixit ludos Regensburgi ad Danubium dominica post Michaelis anno* cIↄ. cccc. xc. *initium habituros.*

*IV. N. virgo ex familia Eltziorum apud Berchtoldum Blettenbergium, Rhenanum; qui edixit ludos Coloniæ Agrippinæ ad Rhenum dominica post Michaelis anno* cIↄ. cccc. xci. *initium habituros.*

Gynæceū. *In Gynæceo fuere præter N. Comitē Palatinam Rheni &c. N. Comitem Stolbergiam nuptijs factam; natam autem Comitem VVirtenbergicam, N. uxorem N. Comitis a Bitsch natam Liechtenbergicam, N. uxorem N. Comitis Montfortensis, natam Comitem a Bitsch, N. Comitem Ebersteniam, N. Comitem Solmensem, N. Comitem Arbergicam & viduam Kunigsteniam ad centum viginti sex lectissimæ ornatissimæque matronæ & virgines aliæ.*

FINIS LIBRI PRIMI TOMI SECVNdi triumphalium Pandectarum.



PANDE-

# PANDECTARVM TRIVMPHALIVM TOMI SECVNDI LIBER SECVNDVS, QVI EST DE HASTILVDIIS PER EVropam vniuersam.

## LVDI EQVESTRES MILITARES EDITI AB Eduardo III. Angliæ Rege Londini anno cIↃ.CCC.XLII. I.



*Duardus eius nominis III. Angliæ Rex bellicosissimus, cùm in medio feruore Martio nescio qua mala fortuna sua in amorem incidisset Ælisabethæ Comitis Saleberiensis coniugis, feminæ non corporis specie, qua tamen omnes ætatis suæ matronas anteibat, quam animi dotibus insignioris; & frustra illam diu appellasset, noctemq; vnam saltem orasset; existimans extrema linea amare haud nihil esse, vt, quando potiri ea non liceret, saltem eius videndi sibi esset copia, ex composito indixit ludos equestres Londini, vrbe Angliæ primaria, mense Augusto anno* cIↃ.CCC.XLII. *magno apparatu celebrandos: eosq; promulgari curauit trans mare etiam in Gallia, Hannonia, Flandria, Brabantia: professus se omnibus liberum commeatum tam ad redeundum domum, quam ad veniendum, & in Anglia ludorum eorum causa subsistendum dare, cuiatescumq; tandem illi essent. Suis autem Principibus, Comitibus, Baronibus, Equitibus, per vniuersum regnum mandarat, vt quo maximo & splendidissimo posset comitatu cum sua quisq; coniuge, filiabus, & sanguine coniunctis indictum ludorum diem obiret: nominatimq; Comiti Saleberiensi iniunxit vti vxorem suam quoq; ad vrbem regiam cum toto Gynæceo præsto tum adesse iuberet. quod ille, vt qui nihil mali suspicaretur, se facturum sanè quam libenter profitetur. Sed vxor eius, quæ sciebat sua causa hunc apparatum institui, seq; potissimum hac arte peti; dissimulato eo quod cogitabat & in animo habebat (se enim sibi sufficere putabat ad Regem astu tractandum, & prudentia sua affectus eius indomitos moderandos) paruit quidem marito & obiuit ludorum diem; sed, quod potuit, minimum formæ lenocinata est, ne amplius Regis amorem accenderet, quem extinctum omnino cupiebat. Venerunt autem ad hoc festum certamen, Comes Guilelmus Hannonius, & Dominus Ioannes Hannonius, eius patruus, cum maxima & frequentiss. Baronũ, Equitumq; caterua. duraueruntq; ludi & choreæ diebus ex ordine* XV. *habueruntq; se cætera satis bene, nisi quod casus est in ludicro eo certamine Ioannes,*

*Ioannes, maximus natu filius Vicecomitis Bellimontij in Anglia, cuius morte magnus ad omnes dolor deriuatus est, quod manu promptus, & laudatissimorum morum eques haberetur. Affuerunt etiam eisdem ludis Hēricus torti colli, Comes Lenclastrius; Henricus eius filius; Comes Derbyensis; Dominus Robertus Arthesius; Comes Richemontius; Comes Norentonius, & Clocestrius; Comes Vuaruicius; Comes Saleberiensis; Comes Pennefortius seu, vt malunt alij, Pennebrothius; Comes Herfordius; Comes Arondelius; Comes Cornouelleus; Comes Quernfortius; Comes Suffortius; Baro Stanfortius; alii.*

## LVDI EQVESTRES VENETIIS EDITI recepta Creta anno cIↃ.CCC.LXIV.

### II.

*PEractis eximiè quæ ad rem diuinam pertinebant, in ludos ac spectacula versi omnes. operosum sit enumerare, quot ludorum species, quæ formæ, qui sumptus, quæ solennitas, quis ordo fuerit: cum, quod in re tali rarum valde & mirabile, nullus vsquam tumultus, nulla confusio, nullæ turbæ datæ sint, sed omnia plena lætitiæ, plena concordiæ atq; amoris. Ita vt etsi magnificentia regnum suum tenuerit, ne modestia quidem tamen ac sobrietas exularent. Multos autem festos dies vario apparatu celebritas hæc deduxit, duobus vero tandem tota res ludis clausa est. Quorum alter discursus, alter concursus, dici potest. In altero enim recto calle decurrebant singuli; in altero singuli singulis hinc inde concurrebant; vterq; ludus equester, sed inermis primus, nisi quod hastis & clypeis decurrentes, sericis exuuiis vento effusis, quandam belli actus imaginem repræsentabant. At secundus armatus, & duelli species quædam: itaq; in illo quidem elegantiæ plurimum, periculi minimum, in hoc autem artificio par discrimen: vnde non sat propriè hastiludium vocatur, quod nomen primo magis conuenit, illo enim vere luditur, hoc certatur. Cæterum in vtroq;, magna & mira prorsus industria, non vt quibusdam persuasum est nauticæ atque æquoreæ, sed militaris ac Martiæ gentis, eminuit. Ea equitandi tractandorumq; ars armorum, ea demum æstus & laborum patientia, quæ quibusuis acerrimis bellatoribus satis esset: vterq; ludus in platea illa, cui nescio an terrarum orbis parem habeat, ante ipsam marmoream atque auream templi faciem exhibitus; & priori quidem ludo nemo externus interfuit. quatuor et viginti nobiles adolescentes, forma, habitu & ætate conspicui hanc sibi partem lætitiæ delegere, accersito Ferraria Thoma Bambasio, qui talis erat tum Venetiis, qualis quondam Romæ Roscius: Huius ductu*

*& consilio*

*& consilio ludus hic celebratus est, tali ordine, vt non homines currere, sed volare angelos iudicares. Mirum spectaculum, tot ephœbos ostro atque auro vestitos cernere; tot æripedes ac fulgentes phaleris equos; sic regentes frenis, sic vrgentes stimulis, vt vix terram pedibus tangere viderentur. Atque ita sui Ducis edictum præsentibus animis obseruantes, vt hoc ad terminum propinquante, iste claustris erumperet, ille autem se cursui præpararet; qui alternatione hac, & summa omnium paritate, in circulos redigesta, vnus, isque perpetuus cursus erat, dum vnius finis principium esset alterius, & desinente vltimo, rursum primus inciperet, ita vt cum multi tota luce currerent, sero vnum diceres concurrisse. Et vicißim nunc hastarum fragmina cœlo volitantia, nunc vento crepitantia cerneres signa purpurea. nec dictu facile, nec credibile est auditu, quænam ibi fuerit indies hominum frequentia. Nullus sexus, nulla ætas, nullus status defuit. Jam Dux ipse cum immenso procerum comitatu, frontem templi supra vestibulum occuparat, vnde marmoreo è suggestu essent cuncta sub pedibus. Locus est, vbi quatuor ænei & aurati equi stant, antiqui operis, ac præclari, quisquis ille fuit, artificis: ac ne æstiuus sol aut calore offenderet, aut fulgore, diuersicolorib. auleis vsquequaq; pendẽtibus prouisum erat. Infra vero nihil erat vacui, non, vt aiunt, milij granum in terram cadere potuisset; platea ingens, templum ipsum, turres, tecta, porticus, fenestræ, non tantum plena, sed conferta omnia & condensata. Inæstimabilis atque incredibilis populi multitudo terræ faciem tegebat; & subiecta oculis vrbis florentißimæ, numerosa simul & culta fœcunditas festi lætitiam geminabat; vt nihil penitus plebi esset in tanta iucunditate suiipsius adspectu, & contemplatione iucundius. Erat ad dexteram ingentis in morem pulpiti contextum trabibus solarium, ob idipsum tumultuario opere erectum, vbi ex omni flore nobilitatis, honestißimæ electæ quadringentæ matronæ insignes, specie atque ornatu spectabiles meridianum, & quotidianis quoque conuiuijs matutinum ac serotinum ornamentum consessu sydereo præbuere. Interuenere præterea, quod debere silentio tegi negat, in eas terras casu aduecti è Britannia nobilißimi quidam viri, Comitesque & consanguinei Regis Anglicani, quos recenti victoria exultantes peregrinatio eo transmarina contraxerat; quique sese interim à labore æquoreo vegetabant. Hunc multorum dierum equestris illa decursio finem habuit, cuius præmium solus honos fuit. Isque tam ex æquo vnus omnibus; vt cum victor quisque nemo victus merito dici posset. Alteri autem ludo, quod neque tam pari euentu, & periculo maiore agitandus, & in partem venturi aduenæ erant, alia statuta sunt præmia: puta corona magni ponderis puro ex auro, gemmisque fulgentibus, victo-*

*ris decus; dehinc baltheus argenteus præclari operis, quo se munere solaretur, qui secundum locum gloriæ meruisset. Jam edictum militari quidem ac vulgari stylo scriptum, sed Ducalis bullæ testimonio insigne, per finitimas distantesque prouincias missum erat, quo acciti ad equestrem illum, quem concursum dixi omnes, qui talis gloriæ studio traherentur. Conuenere autem multi non diuersarum modo vrbium, sed linguarum, quibus & militiæ disciplina, & virtutis fiducia esset, & spes laudum; cumque iam ludi alterius finis esset, hic ad Nonas Augusti cœptus quatuor diebus continuis actus est, tanta celebritate, vt post eam vrbem conditam, nihil tale memoria hominum repetatur. Ad extremum & Ducis, & procerum, & externorum militarium virorum, nominatim illius, qui Dux belli fuerat, victoriæque post Deum ac lætitiæ auctor erat, concordi iudicio primus honor ciui obtigit, secundus aduenæ Ferraria profecto.*

## LVDI EQVESTRES EDITI A RICHARDO Rege Angliæ Londini anno cIↄ. c c c. x c.

### I I I.



*Vm Rex Angliæ Richardus, eiusque consanguinei & tota Anglicana nobilitas ex paucis, qui tum in repræsenti fuerant, quo apparatu & qua pompa Isabella Galliæ Regina Parisios ingressa fuisset intellexissent, æmulatione quadam accensi, & ipsi festos ludos militares indixerunt Londini celebrandos; in quibus sexaginta equites singuli singulas feminas virginesque ex prima nobilitate, & quam exquisitissimè & sumptuosissimè excultas in contubernio suo habentes, biduo, hoc est, Dominica & Lunæ die post S. Michaelis anno millesimo trecentesimo nonagesimo, omnibus equestri pugna decertare cupientibus, copiam sui facerent. Qui sexaginta equites & totidem primariæ feminæ mane ex arce Londinensi per mediam vrbem vico Tieppensi in locum amœnissimum & spatiosissimum, cui nomen est Semectefilia egrederentur; ibique toto die Dominico perstarent & exspectarent quemcunque congredi volentem extraneum, vocarenturq́ue eius diei ludi Festum Calengenium. Similiter Lunæ die ijdem sexaginta eodem in loco omnibus armis instructi congredi volentes quoscunque extraneos exciperent, & sustinerent; siue illi præpilatis, siue velitaribus hastis vti mallent: decreta brauij loco corona ex auro puro ei, qui inter extraneos optimè rem gessisse iudicio totius Gynæcei (quod cum Regina frequentissimum ijs ludis affuturum esset) videretur; & armillis aureis magni pretii ei, qui*

*ex ijs, quos diximus,* LX. *intraneis & prouocatoribus tractandorum armorum & iaciendarum torquendarumque hastarum primus censeretur, Die Martis vero eodem in loco nobiles Anglicani equestri baltheo non donati similiter pugnandi potestatem facerent cuicunque volenti suæ conditionis extraneo; quibus ludis victores virtutis ergo donarentur, extraneus quidem generoso equo, frenato & strato; intraneus vero Falcone ad aucupium. Quod festum certamen ita vti dictum est quum Reges armorum vbique per Angliam, Scotiam, Galliam, Flandriam, Brabantiam, Hannoniam, Germaniam clarigatione facta publicassent; multi se certatim in modo nominatis regnis & prouincijs ad eos ludos obeundos compararunt, alij vires suas in ijs periclitaturi, alij spectaculo tam celebri fruituri. Inter alios autem decreuit in Angliam traijcere eius solennitatis gratia Guilelmus Hannonius, Comes Ostrenantius, Princeps, vt in primo ætatis flore, admodum liberalis, & talium exercitiorum studiosus. cognato ergo suo Regi Richardo gratificaturus, quamplurimos magni nominis equites ad se pellexit, Comites eos secum ducturus. & nominatim Dominum Gommeginium vt morum Anglicanorum, inter quos diu vixerat, gnarum & peritum. Noluit tamen multis de causis idem Hannonius iter Anglicum ingredi inconsulto patre Auberto Comite Hannoniæ, Hollandiæ, & Zelandiæ. quare, dum parantur & instruuntur necessaria ei profectioni, excurrit ipse Hagam Comitis, vbi tum Aubertus agebat. cui cum consilium suum exposuisset, negauit senior expedire ei Angliam ingredi, aut vllas in ea amicitias ambire, qui iam nuptijs Regno Galliæ deuinctus esset; cuiusque soror natu maxima Burgundiæ Duci collocari deberet. Sed cum Guilelmus abnueret se nouum vllum fœdus cum Anglo captare; & animi tantum causa diceret se indictis ludis interesse velle, quam ad rem cuperet patris consensum; nihil vltra obtinere potuit, quam quod pater respondit, eum iam sui iuris esse, quare posse facere quod animo suo collibuisset; sibi tamen consultius videri ea profectione si abstineret. Vnde Guilelmus, animaduerso rem quam ipse tantopere cordi haberet non probari patri, tacuit quidem, sed nihilosecius maturari iubebat ad iter necessaria, Caletumque comportari; atque interim per Gommeginium Regem Anglicanum certiorem facit, se honoris eius causa indictos ab eo ludos præsentia sua cohonestaturum. Quo nuntio valde exhilaratus Richardus rex cum suis, magnificè donatum Gommeginium ad Hannonium remittit: intereaque impulsus eodem studio armorum, quo Ostrenantius, Comes S. Pauli Vualeranus, qui tum in matrimonio habebat sororem Richardi regis Angliæ, cum magna equitum nobiliumq; caterua Caletum venit, vbi naues Anglicanæ in anchoris*

 *stabant,*

*ſtabant, vecturæ principes, equitesq; ad feſtum Anglicanum vndique
confluentes. inuentoq; hic Oſtrenantio primus tamen mare tranſmiſit,
exceptus Londini à Rege affine ſuo, & fratre eius Joanne Hollando, om-
nibusq; proceribus Anglicanis maxima cum lætitiæ ſignificatione. Die
autem quo ludi committi debebant hora fere tertia ex arce Londinenſi,
quæ eſt ad Thameſim flumen, proceſſum eſt ad locum ſpectaculorum
hac fere pompa: Sexaginta equos armatos & inſtratos ad pugnam toti-
dem adoleſcentes e nobilitate ducebant; ſequebantur ſexaginta feminæ
virginesq; tellenonibus equis vectæ excultæq; ad luxum & miraculum
vſq;, ſingulæ ſingulos equites armatos omnibus armis, & pugnæ paratos
argenteis catenis vinctos trahentes: præcedentibus & præcinentibus tu-
bicinibus & cornicinibus alijſque id genus prope infinitis, quo apparatu
cum ventum eſſet ad locum, vbi ludi committendi erant, & Rex cum
regina, principibusq; & aulico comitatu ſexus vtriusq; iam dudum lo-
cum ceperat: Feminæ, virginesq; in præparatum ſibi tabulatum aſcen-
dunt; equites vero imponuntur ordine equis illis robuſtioribus quos pri-
mo loco ductos diximus; & ſic antagoniſtas exſpectant. qui non diu defu-
ere, deſcendente in campum Comite S. Pauli cum ſuis, à quibus cum An-
glis magna corporis animorumq; vi certatum eſt ad noctem vſque, qua
inſtante, Regina ſe recepit in ædes Epiſcopi Londinenſis, quæ ſunt in vico
D. Pauli, vbi etiam cœnatum eſt, & humaniſsime excepit aduenientem
tum primum Comitem Oſtrenantium cum rex & regina, tum omnes in
vniuerſum qui aderant, ſeu Anglicani nominis, ſeu alterius cuiuſcunq;
gentis proceres. Donati autem ſunt eo die virtutis præcipuæ cauſa de ex-
traneis Comes S. Pauli; de intraneis Comes Hoſtidomnius: durauerunt q;
choreæ inſtitutæ præſente Rege, Regina, fratribus, & patruis, auunculisq;
regijs, et reliquis principib. in multam noctem; quo tempore quisq; ad de-
ſcripta ſibi & deſignata deuerſoria diſceſsit: rege & regina exceptis, q toto
ludorum tempore ædib. epiſcopalib. pro hoſpitio & regia vſi ſunt. Mane
videre erat diſcurrentes per vrbem famulos eorum, qui in certamen de-
ſcenſuri mox erant; et ſatagentes, ne quid dominis ſuis in ipſo diſcrimine
in inſtrumento militari et equeſtri deeſſet, aut legitimum vſum non præ-
beret. Poſt nonam autem rex Richardus armatus omnib. armis (nam
intraneorum princeps & anteſignanus futurus erat) cum magna princi-
pum virorum caterua ad locum certaminis venit; occupauitque ſedes
pridianas regina cum Gynæceo ſuo. Primus autem ex tranſmarinis con-
ſpiciendum ſe dedit Oſtrenantius Com. cum maximo & ſplendidiſs. equi-
tum comitatu, pugnæ parato. Cōſequenterq; venerunt Com. S. Pauli, &
Gallici nominis eqtes, certaminis cupidi. Cōmittuntur igitur ludi, mul-
tiq; equis deturbantur; multi galeis exarmantur: durante eo ſpectaculo
ad ſolis*

*ad solis vsq; occasum, quo ad sua quisq; se recepit. Vnde mox cõuenerunt pceres feminæq; primariæ ad triumphalem cœnam, post q̃ donati sunt ob virtutem, de extraneis Com. Ostrenantius, q hoc decus nõ fauore emeruit, sed vera & solida virtute; de intraneis Anglus qdam nomine Hugo Despenserius. Martis die equestri ordine adhuc nõ donati depugnarunt ad noctem vsq; magna cum spectantium voluptate. Mercurij die pmiscuè concurrerunt omnes, prout cuiq; cum hoc vel illo vires suas periclitandi voluntas incessit. Iouis die Rex cœnam viris, Regina feminis primarijs dedit. Veneris die prandio triumphali excepit vniuersos Dux Lanclastrius. Sabbati Rex & Regina cum pompa sua & toto comitatu tam suo quam Ostrenantij & S. Pauli Comitum transierunt in arcem Vvindesoriam, qui est locus amœnissimus ad Thamisim primo ab vrbe lapide. hicque conuiuia & festi apparatus instaurati sunt, & accepit Ostrenantius ordinem Anglicanum à rege Richardo, cruralem fasciam cœruleam cum noto elogio. cuius eum rei non parum deinde pœnituit: incidit enim eo facto in maximam Regis Galliæ indignationem: atq; ita mox donati magnificè proceres extranei, equitesque, & nobilitas omnis ad sua reuerterunt.*

## LVDI EQVESTRES COMMISSI INter quendam Gallici & alium Anglicani nominis equitem, in Bellouacis anno cIↄ.ccc.xxc. IV.

*Habente castra in Bellouacis nomine Anglorum Regis sui (qui tum eam ditionem ferro & igni populabatur, nomini Gallico infestissimus) Comite Bouquinguamo, Gallus quidam e nobilitate prouinciali ad stationes hostium accedens propius, rogauit, esset ne in ijs castris aliquis dominam aut amicam q haberet, in cuius gratiam vellet secum hasta, securi equestri, & gladio, trib. subinde petitionib. depugnare? quod cum inter Anglos pcrebuisset, obtulit se certamini quidam Ioachimus Cathorius, iaciendæ hastæ peritiss. quare Marescallus in ijs castris, Filvuaterius dynasta, Gallo, cui nomẽ erat Gauuanus Micælleus, renuntiari iubet, mox affuturum qui ipsi⁹ petitioni satisfaciat. quo ille vehementer lætus redit ad suos, iamq; armis omnib. instructus reuertitur ad condictum, famulis tres hastas, tres secures equestres, tres deniq; gladios pferentibus, & multum mirantib. Anglis, qui non existimabant Gallis tantũ aut animi aut virium esse, vt quisquam ex illis cum Anglo aliquo singulari certamine cõgredi auderet. Magna igitur statim huius rei fama fuit; & q̃ vsq; ad Comitẽ Bouquinguamum permanarat. qui*

*volens frui eo spectaculo, cum Stanfortio Comite, & Dimeserio (vel vt alij Dimestrio siue Donneserio) Dynasta conscendit equum, & venit in rem præsentem. Congrediuntur igitur perduelles, sed irrito primo conatu, equorum vitio; sic & secunda congreßione non nisi leuiter alter alterum perstrinxere; quo viso Bouquinguamus, quia iam aduesperascebat, pugnam differri, & Gallum bene curari iubet, ac eis qui erant in Gallico præsidio proximo nuntiari, sese militem ipsorum abducere secum constituisse animi causa, vt alibi commodius cœptum inter Gallici & Anglicani nominis homines de virtute certamen ad finem perduceretur. quo facto, bona fide se eum esse remissurum. quod & fecit. Cum enim mox ad abatiam Cisterciensem, quæ est eius ordinis primaria, peruenisset; ibidem Gauuarum & Katorium iterum commisit, geßitque Gallus rem optime ex sententia Bouquinguami; hastamq; suam torsit dexterrime. Anglus autem non tenuit destinatum ictui locum, sed hasta Galli suram traiecit; multum fremente & indignante Comite, omnibusq; proceribus Anglicanis ventum inde est ad gladios, quibus cum parem quisq; gloriam promeruisset; procedi vlterius in pugna Comes Bouquinguamus vetuit; videbat enim Gallum iam multum sanguinis amisisse, quem obligato vulnere donauit Francicis centum, & comitatum armorum rege ad suos remisit.*

## LVDI ALII EQVESTRES INTER GALLOS ET ANglos aliquot commißi sub idem tempus quo superiores.

## V.

*NOn ita multo post Reginaldus Touarsius Baro Tictauiensis Dynastam Vertangium Anglum prouocauit ad congressum, & tres hastas iaciendas. cui Anglus libenter adsensit, sed ab Imperatore suo, Comite Bouquinguamo, eius rei implendæ facultatem tum quidem obtinere non potuit; mansit tamen vtriq; voluntas armis decertandi: & ad par periculum prouocabant Nothus Clarius Sabaudus seu Pedemontanus Eduardum Bellicampium Anglum, filium Rogerij; Tristramus Iailleus Ioannem Ambreticortium; Ioannes Castelmorantius Iannequinum Clitonium; Galleus Aunoeus Guilelmum Clitonium: & Dom. Hoyauius Araneus Guilelmum Francum. Qui Galli in Nannetum postea vrbe primaria inclusi habente in propinquo castra Comite Bouquinguamio, cum ab Anglis sollicitarentur vti ad pugnam condictam prodirent, negantib. præfectis vrbis tum tempestiuas huiusmodi cōcertationes videri, inuiti rem differre coacti sunt: quousq; Comes Anglicus venit Venetias Gallorum, quo tempore Galli prouocatores ad*

*Regni*

*Regni Conestabilem pfecti, q ad septimũ inde lapidẽ aberat cum Comite Marchiæ, multaq; Gallica nobilitate; ab eo petunt & impetrant depugnandi potestatẽ: mittiturq; statim armorum rex Gallicus, nomine Gallei Aunoei & Hoyauij Aranei, qui Guilelmo Clitonio, & Guilelmo Franco denuntiet, si equestri pugna condicta secum decertare velint, tuto ipsos posse ad hoc venire, dari.n. liberam accedendi, pugnãdi ac redeundi potestatem; nec defugiunt certamen Angli, sed cum venia Imperatoris sui eunt; rem strennue gerunt, & redeunt; ac cum eis vna alter armorum Rex, per quem Reginaldus Touarsius, Tristramus Jailleus, Ioannes Castelmorantius, & Nothus Clarius, quisque suum aduersarium euocat ad pugnam, oblato commeatu. nec tergiuersantur Vertangius dynasta, Ioannes Ambreticortius, Eduardus Bellicampius, & Iannequinus Clitonius, sed volentes non pmisit quoquã discedere Comes Bouquinguamius; q armorũ regem cũ tali responso remisit; Iret, ac indicaret eis à quibus missus esset; Comitem Bouquinguamiũ nõ minorem habere potestatem in dando cõmeatu, aut fidem in præstando datum, quam Conestabilem; quare si vellent Galli condictam pugnam obire, venirent cum quot vellent comitib. omnib. enim liberã, vbi voluerint, redeundi facultatem fore. quo audito Conestabilis agnoscere se dixit magnanimũ & dignum filio Regis responsum: aitq; se velle spectatorem pugnæ esse, cuius rei alij etiam cupidos se professi sunt ad triginta vsq; illustres viri. qui ne temere qd fecisse viderentur, mittunt q signatas sigillo Comitis Bouquinguamij litteras de commeatu impetret. quibus allatis, iter ingrediuntur Gallici Proceres, inq; suburbio Venetiarum Gallicarum, humaniter ab Anglis accepti, hospitantur. Postridie ventum est in subiectam vrbi planiciem; ibique præsentibus Gallis, & Comite Bouquinguamo, Comite Suffortio, & Comite Donneserio, omnique nobilitate Anglicana, componuntur pugnatorum paria. nempe Vertangius Dynasta Reginaldo Touarsio; Ioãnes Ambreticortius Tristramo Iailleo; & Eduardus Bellicampius Notho Clario. Primo igitur concurrunt hastis, pilis Burdegalensibus ferratis, Touarsius & Vertangius ille Gallicus, hic Baro Hannonius; cuius congressionis is euentus fuit, vt Vertangius grauem ab aduersario ictum sustinuerit, sed citra vuln⁹, cum ipse contra Touarsii non arma tantum & thoracem hasta penetrarit, sed etiam ferrum corpori ita impresserit, vt sanguis late ebulliret, quo tamen nihil ille territus, & secundo, & tertio cum aduersario congressus est, nullo amplius accepto, aut illato damno. quo facto se vterq; ad spectandum aliorum fortunam comparauit. Procedunt igitur Ambreticortius Hanno, & Tristramus Jailleus Picto, qui ter congressi, fortiter rem gesserunt, & pares omnium iudicio abierunt. Quod aliter euenit succedentibus*

*Eduardo*

*Eduardo Bellicampio Anglo, & Notho Clario Pedemontano: nam Anglum Clarius prima coitione, vt multo dexterior & robustior, ex equo deturbatum terræ allisit; idemq; secundo quoq; facit, cum Bellicampius resumpta hasta & recollectis, vt putabat, viribus secundam fortunam tentare ausus fuisset; vnde frementes Angli eum vlterius contendere vetuerunt; negantes parem eum Sabaudo cum corporis mole, tum fortuna ipsa. Quo viso Clarius, vos, inquit, Angli, aut Eduardum sinite telam quam orditus est mecum detexere, aut alium date qui vices eius impleat. Quæ verba cum per interpretem Bouquinquamio significata fuissent; æquum, inquit, orat. prodeat igitur si quis est, qui Anglici nominis decus tueri se posse contra eum confidit. Adhuc loquebatur Comes, cùm prosiliens Iannequimus Fetaceilleus eius rei potestatem sibi fieri petit, & impetrat. nec minore virtute pugna defungitur, quam fiducia illam aggressus est: ter pari Marte cum Clario cõgressus, ruptis & comminutis semper fortißimè & dexterrimè hinc inde hastis. nec pugna gladiatoria cessit; cum perinde atque aduersarius intra sextam petitionem duos gladios rupisset: paratus deniq; erat ex formula prouocationis cum Clario securi equestri depugnare, sed Comes illas manibus excußit; negans illos debere odio ad exitium alter alterius tendere, qui virtutis tanta de se specimina dedissent. in quo quieuerunt, spectaturi pugnam Castelmorantij Galli, & Iannequini Clitonij Angli; quæ sane impar erat, perinde vt Eduardi ante & Clarij. erat enim Castelmorantius vir robustus & virtutis expertæ; Iannequinus contra delicato magis corpore, quam forti: & quia intimus erat Comiti Bouquinquamio, dolebat is domesticum suum huc necessitatis venisse, cui contrauenire non facile saluo eius honore poterat; sinitur igitur prima coitione congredi cum Gallo, à quo cum facile solo allisus esset, accesserunt qui iuberent eum vlterius pugnæ se non inmiscere. a quibus Castelmorantius aliũ seu fortiorem, seu feliciorem sibi aduersarium dari petijt; contra quem armauit se statim Guilelmus Fermitonius. qui prima coitione in pectore ab aduersario bona & legitima petitione ita petitus, vt vix se in equo continuerit, cõtra illegitima iactatione hastæ femur Galli ita transuerberauit, vt ferrum à tergo extaret: magno cum fremitu & indignatione Anglorum, Gallorumq;. sed excusabat se Fermitonius, allegans se pedem figere non potuisse: inde factum vt infra Zonam aduersarium tetigerit. quod sibi euenturum si præscire potuisset, nunquam se in harenam & certamen descensurum fuisse. quibus excusationibus Galli etsi parum sibi satisfactum putarent; nihilominus, cum aliter faciendi copia nõ esset, ad sua reuerterunt: Castelmorantio gestatoriæ lecticæ militari imposito, qui diu in magno vitæ discrimine ex eo vulnere versatus est.*

# LVDI RVRSVS ALII EQVESTRES INTER Anglum & Gallum quendam anno cIↃ.CCC.LXXXI, VI.

ANno cIↃ.CCC.LXXXI. *cum ex pacto Angli Venetijs Gallicis discederent, exq́ ijs aliquot Angli Caroburgum, vbi in præsidijs ante fuerant, impetrato commeatu à Conestabili redirent; in quib. erant Ton Fil-Vuarinus, Guilelmus Clitonius, Ioannes Burlius, & Nicolaus Cliffortius: cum ventum esset Iosselinoburgum; accessit ad eos eques Gallus, nomine Ioannes Boucmelius: qui aliás verba fecerat cum Cliffortio, de iaciēdis secum tribus hastis. ac tum; quod, inquit, Nicolae Cliffortí sæpe optauimus, vt alter alterius vires & dexteritatem periclitari possemus, eius rei nunc nobis coram Conestabili & frequenti nobilitate fit copia. quare age, congrediamur; & videamus cui fortuna magis sit arrisura. ad quæ cum Anglus responderet, neq́ se tuto subsistere posse, neq́ arma parata & ad manum habere. ego te, inquit Gallus, Caroburgum vsq́ inuiolatum post certamen ipse ꝑducam; & ad arma qđ attinet, duas similes armaturas in medium afferri iubebo, quarum vbi alteram tibi sumpseris, alteram ipse induam. Post q̃ cum Anglus deliberaturum se diceret, & reuersus ad Conestabilem Gallus ei exposuisset, ꝗd cum Cliffortio verborum cōmutasset, ostendißetq́ se pugnæ valde cupidum; à prandio vbi Angli ad salutandum Conestabilem officij causa, & impetrandum ꝑ quos tuto in pacata deducerentur, in arcem conuenere; Conestabilis arridens leuiter, ego vos, inq̄t, omnes manere iubeo mecum, vsq́ in diem crastinum. quo è vestris & nostris quidam equestri pugna decertabunt, indeq́ post prandium comites vobis dabo à quib. deducamini: dictum, factum; venitur postridie à partibus in campum; vbi cùm Gallus armaturas duas in medio posuißet, iuberetq́ Anglum eligere: negauit Anglus id se facturum, necesseq́ habuit Gallus priore loco se armare, quem inde Anglus imitatus est. moxq́ congreßione facta Cliffortius, q pectus medium aduersarij sui ex disciplina appetierat, cum hasta ꝑ lubrica & polita arma erraret, collo eius eam impegit, & in eo ferrum liquit; indeq́ cursum perfecit. ad Gallum autem cum socii accurrißent, ferrumq́ eduxißent, è vestigio ille nullo verbo edito concidit, & expirauit, antequam Cliffortius adeße potuit; qui valde eius morte indoluit, vt & Marchiæ Comes, qui defunctum Boucqmelium in intimis semper habuerat. Dedit autem prandium omnibus postea Conestabilis, cui Cliffortius intereße noluit; cum quod ægrè ferebat tam temerè strenuum alioqui virum à se occisum; tum quod propinquos et amicos eius verebatur: sed iußu Conestabilis accersitus, arcem tandem ascendit; eiq́ tum idem*

*Conestabilis; video, inquit, Cliforti, te Boucqmelij fortuna non parum commoueri; sed quid agas, hi sunt bellicorum huiusmodi ludorum flores, & fructus. neq; ego, si tuo loco fuissem, aliter sane fecissem. longe enim præstat hosti hæc facere, quam pati ab hoste. quibus dictis cum prandium finitum esset, ductu Barresii, primi inter Gallos nominis equitis, Caroburgum Angli peruenerunt.*

## LVDI EQVESTRES EX PROVOCATIONE inter Gallum & Anglum in Hispanijs sub idem tempus. VII.

*ERat in exercitu Regis Castiliæ eques quidam Gallus, nomine Tristramus Royius, in primo adhuc flore ætatis: qui videns pacem Castellano cum Lusitaniæ rege fore, ne omnino nulla re præclare gesta in Galliam reuerteretur, mittit regem armorum in castra Anglorum, inuitans quemcunq; ex ijs ad iaciendas tres hastas ad vrbem Valdeloram; quam eandē puto cum ea, quam Latini Valeriam vocant. nec tulit repulsam Gallus, sed condixit ei certamen iuuenis æque Anglus, nomine Millesius Vuindesorius. qui eam expeditionem susceperat, spe equestris ordinis in ea virtute acquirendi. Postridie igitur Anglus comparuit in designato certamini loco, comitatus Matthia Gournæo, Guilelmo Bellicampio, Thoma Simonio, Domino Souldichio, Domino Nouocastellano, Domino Bardeo, alijsq; item complurib. ita vt vtrinq; centum & amplius (cum Gallo enim multi quoq; aderant partim Galli, Britones partim) affuerint equites; ibiq; ante certamen Vuindesorius à Souldichio dignitate equestri donatur, & inde concurritur. Bis quidem ita, vt vterq; hastam suam in aduersarij pectore fortiter ruperit, tertio vero traiectis armaturis alter alterius pectus ipsum perstrinxit ferro; sed citra damnum tamen; comminutis & dissilientibus late hastis. quo facto cum plurimum vterque à circumstantibus laudatus fuisset virtutis ergo, ad sua quisque discessit.*

## LVDI EQVESTRES COMMISSI BVRDIGALAE INter Dynastas Rupefoucautium & Montferrantium anno CIↃ.CCC.LXXXVII. VIII.

*ANno CIↃ. CCC. LXXXVII. equestri pugna decertarunt Burdigalæ in magna nobilitatis vtriusque sexus frequentia, & spectante etiam Senescallo Joanne Harpedantio; Dynasta Rupefoucautius, Gallus, ex sorore natus Capitalis Buzij; & Dynasta Guilelmus Montferrantius, Anglus. misitque Comes Focensis equites suos domesticos Rupefoucautio propinquo suo, qui illi adessent; donoq;*

*donoq; ei duci iussit equos aliquot cum armaturis compluribus gladijsq; & hastarum pilis, optimæ notæ. die itaque certaminis comparuit Rupefoucautius cum amplius ducentis equitibus, qui omnes illi sanguine & cognatione iungebantur, neq; minore, sed aliquanto etiam maiore comitatu Anglus aduenit. Quippe qui propinquos suos apud se haberet, Dynastam Rohanium, Dynastam Esparreum, Dynastam Durasium, Dynastam Mucidentium, Dynastam Lendurasium, Dynastam Courtonium, Dynastam Languranum, Dynastam Bardeum, Dynastam Tardeum, Dynastam Montcroyatium, aliosq;. confluxerat præterea magna vndiq; multitudo ad spectaculum eius certaminis; cuius magna, propter decertaturorum nominis celebritatem, per Angliam & Galliam diu fama fuerat. Prima autem coitio talis fuit, vt alter alterum hasta galea exuerit: secunda quoque & tertia congressione pares discesserunt. deditq; tum cœnã omni nobilitati Senescall⁹, & postridie quisq; domũ repedauit.*

## LVDI EQVESTRES INTER IOANNEM Hollandum & Reginaldum Royium, eodem fere tempore in Hispanijs.
## VIIII.

*PAulo postquam Dux Lanclastrius deditione cepisset Besantium vrbem, non succurrente ei in tempore Rege Castellano; misit eodem armorum Regem ad Ioannem Hollandum Reginaldus Royius Gallus cum litteris, quibus petebat vti Hollandus vellet in gratiam dominæ & amicæ suæ tres secum hastas iacere: offerens se cum triginta comitibus (ad quam rem impetrari commeatum à Duce petebat) si ita videretur, Besantium venturum, aut si mallet Hollãdus Valledoletum excurrere, se ei à Rege Castellano cum comitatu sexaginta equitum liberum commeatum præstiturum. quib. litteris lectis Hollandus & communicatis cum Duce, placuit Reginaldum Besantium venire; cui rei litteræ commeatus statim scriptæ & signatæ sunt, regiq; armorum datæ; cui Hollandus Chlamydem etiam dono dedit, et duodecim Nobiles aureos. quo ille munere lætus redit ad Royium, q mox cum* CXX. *& amplius Besantium ingreditur: vbi iussu Ducis vnicuiq; commodum diuersorium designatum est. Venerat autem eodem audita certaminis futuri fama Rex Portugalliæ siue Lusitaniæ, & regina; itemq; Dux Lanclastria cum filia sua, ingentiq; caterua cum procerum, tum nobilium feminarum. Die vero dicto certamini cum Rex & Regina, Duxq; Lanclastrius cum vxore & filia, itemq; reliqui principes vtriusq; sexus ad hoc extructa theatra occupassent; Ioannes Hollandus Anglus, & Reginaldus Royius Gallus, in harenã descendunt. ibiq; conuenit vt de laude,*

*non de vita certarent; et si maximum adituri erant etiam de vita periculum, concursuri primum hastis præpilatis, indeque gladijs non obtusis, sed acutißimis pugnaturi; ac deniq; securib. equestrib. & sicis, quorum telorum nullum non extrema minabatur: sed tanti erat viris fortißimis virtutẽ extendere factis. Congreßione igitur prima Reginaldus hastam tam valide intorsit in galeam Hollandi, vt illa in quatuor frusta tam sublime dißiliret, q̃ iaci non potuisse videbatur. Hollandus autem Reginaldum galea exarmauit. q̃ cum ille resumpsisset, obserariq; firmius curasset, concurrunt secundo; & Reginaldus velut ante galea nudatur, ipseq; contra Hollandi galeæ scintillas ignitas vi ictus impactæ hastæ expreßit. quo viso Angli qui aderant aiebant Gallum studio galeam non satis valide claudi iubere, dicebantq; admonendum, vt proinde atq; Holland⁹ faceret, fibulata galea vteretur: sed Dux tacere eos iussit; addens, vnicuiq; fas esse in reb. similib. pro arbitrio suo agere. et si, q ad me, inquit, mallem in certamine galea q̃ firmißime clausa vti. interim Rex laudabat impense vtrumq; & adstantem Ioannem Ferrantium interrogabat, quid ei de tali certamine videretur; q respondit non paruam se ex eo voluptatem capere, redireq; in memoriam alterius Reginaldi congreßionis cum Guilelmo Vuidesorio præsente fratre ipsius: quo tamen tempore, inquit, galeam validius claudendam curabat. q̃ dum dicit ille, tertio congrediuntur depugnantes, hasta alter alterius galeam impetẽs tanta vi, vt oculi ijs scintillauerint. fuitq; ea quoq; vice Gallo excussa galea. quo nomine non parũ vituperabatur ab Anglis, vt q vetitis & contra disciplinam adminiculis vteretur: dictante contra Duce, imo prudenter eum facere. neq; iam, inquit, Thomam Persyum, & Thomam Morelium alloquens, docend⁹ est Reginaldus quomodo se in certamine gerere debeat; q aliquanto maiorem eius rei vsum habet, q̃ Hollandus. vtcunq; is quoq; non male rem gesserit. Atq; inter hæc parant se antagonistæ ad decertandum equestri securi, gladio, & sica. quib telorum generib. vt in pauca rem conferam, vsi sunt dexterrime. illæsumq; vtrumq; abduxerunt sui. ac mox Dux omnib. Gallis prandiũ dedit; collocato Reginaldo honoris causa proxime à Duce vxore sua; cum qua mox ille de rebus varijs sermonem habuit, & soluto cõuiuio, dictoq; omnib. vale, Valledoletũ versus iter cũ suis ingressus est.*

## LVDI EQVESTRES COMMSSI INTER GALLVM & Anglum quendam anno cIↃ.CCC.LXXXVIII.

X.



*Nno* cIↃ.CCC.LXXXIIX. *præsente Rege Galliarum Ioannes Bareus Gallus, & Thomas Hapurghan⁹ Anglus, ex familia Ducis Hyberniæ, equestri pugna congreßi sunt, depugnaturi petitionibus*

*tionibus quinque, hasta, securi equestri, gladio, & sica. sed quinta concursione hastica, cum quatuor priores hastas vterque dexterrime torsisset, Anglus ita à* Gallo *exceptus est, & terræ solo allisus, vt ægre adiutus à suis surrexerit: quo tamen casu nihil territus alijs telorum generib. cum aduersario ita certauit, vt regis & omnium spectatorum ore laudari meruerit.*

## LVDI EQVESTRES COMMISSI INTER QVINque Anglos & totidem Gallos Burdigalæ, anno cIↃ.CCC.LXXXIX.

### X I.

I*Nitio anni* cIↃ.CCC.LXXXIX. *Burdigalæ præsente & spectante Duce Lanclastrio equestri pugna decertarunt Angli quinq; familiares & domestici omnes Ducis: cum totidem* Gallis*: quorum aliqui erant domestici Marescalli regni* Gallici*: & nominatim: I. Pectonius Allaginius, Vasco-Anglus, cũ Mauricio Mannigueto Gallo: II. Arragonius Raymonius, Anglus; cum Notho Chauuignio, Gallo: III. Ludouicus Malapus, Gallus, cum Iacquemino Ceruicorni, Anglo: IV. Arcembaudus Villerius, Gallus, cum filio Dynastæ Chaumontij, Vascone Anglo: V. Guilelmus Foucautius, Gallus, cum fratre Dynastæ Chaumontij, Vascone Anglo. Certatum est igitur acriter, spectante, vt diximus, Duce cum vxore & filia, magnaq; & frequenti nobilitate vtriusq; sexus tam Anglica, q̃ Gallica. modus autẽ pugnæ fuit tres petitiones hastis, tres gladijs, tres sicis, & tres deniq; securi equestri, seu Amazonia: neq; simul omnes, sed alij post alios depugnarunt; idq; perpetuo & consequenti triduo. gesserunt autem rem omnes strenue, et cum laude summa: neq; quisquam vulnus accepit, nisi quod Raymonius occidit equum Nothi Chauuignij, quo nomine à Duce plurimis verbis obiurgatus fuit, vt qui contra disciplinam equestrem fecisset; datusq; est ab eodem Duce Chauuignio in locum occisi equus alius.*

## LVDI EQVESTRES CELEBERRIMI COMmissi ab Anglis & Gallis anno cIↃ. CCC. XC.

### X I I.

E*Rant in familia & comitatu Regis Galliarũ Caroli Sexti anno fere* cIↃ.CCC.XXCIX. *tres primariæ nobilitatis iuuenes, ætate & studio erga rem bellicam pene pares; nominibus Dom. Bouciquautius iunior, Dom. Reginaldus Royius, & D. Sanct Pyius cubicularii omnes regii: qui cum in Monte pessulano à Gynæceo aulico rogarentur, vti in armis virtutis suæ specimẽ aliquod dare vellent; nõ difficulter annuerunt; de quibus tamen antequam vlterius agamus, vt petitionis*

*huius feminea ratio omnibus constet, res paulo ante gestæ altius nonnihil repetendæ sunt, ne ab inani virium ostentatione, quod veræ & solidæ virtutis fuit, profectum fuisse videatur.*

*Igitur scire licet regnante adhuc Carolo V. in Galliam ex Anglia traiecisse Equitem quendam Anglicanum, rebus bello gestis clarum, & præcipuæ tum famæ, nomine Petrum Cortinæum; huncq; Parisios cum venisset, prouocasse ad singulare certamen Guidonem Trimolium, q cum ei lætus lubensq; pugnam, locumq; et diẽ pugnæ condixisset, sub oculis potißimum Regis sui, & Principũ omniũ Gallici nominis, frequensq; procerũ & nobilium multitudo ad id spectaculum cõfluxisset: vbi dies pugnæ aduenit, spectante Rege & Burgundionum Duce cum magna Procerum caterua; pcesserunt armati in equis ex prouocatione depugnaturi: primasq; hastas alter in alterius pectore viriliter cõminuerunt. sed cum secundas porrigi sibi iußissent, & ad alterã coitionem se cõpararent, inhibiti sunt à Rege, q vetuit illos vltra contendere. magna, vt videbatur, cum indignatione Anglicani Equitis, q extrema omnia aut pati, aut aduersario de victoria concedendi neceßitatẽ imponere decreuisset: sed cum aliud impetrare non posset, ceßit imperio regio, donatusq; magnificè cũ ab ipso Rege, tum à Duce Burgundionum, conuerso itinere Caletum reuerti statuit in comitatu D. Claryei, equitis primarij Galli: cum quo vbi Lucenam ventum est, sedẽ tum Comitis S. Pauli, sororis Richardi Regis Angliæ; inuitatus Cortinæus à Comite, læta eius aduentu (quippe q̃ priorib. nuptijs coniuncta fuisset Dom. Cortinæo Petri consanguineo, q iuuenis admodum fato suo functus est) & cum Claryeo cœnæ adhibitus: cum vt fit, sermo ortus esset de rebus varijs, et Comes S. Pauli Petrum interrogaret, qd ei Gallia placuisset; Certe inquit, nihil non magnificũ in ea oculis meis occurrit; fateriq; necesse habeo, eas non esse opes regni Anglicani, q̃ cum Gallicanis poßint aut debeant cõparari: vlterius interrogatus de Procerum Gallicorum humanitate & comitate qd visum ei fuisset: Quod ad humanitatem & hospitalitatem attinet, ait Cortinæus, nihil habeo q̃ de illis querar: sed qua causa mare traieci, in ea mihi parum satisfactũ est, & omnib. audientib. dictum volo; si Dominus Claryeus, q est Gallicani sanguinis eques, in Angliam venisset, & quemcunq; de nostris ad singulare certamen prouocasset, nostros ei plenè satisfacturos fuisse, q̃ contra in Gallia mihi euenit. Nã commissus sum quidem cum Tremolio, sed ad primarum hastarum fragorem cohibitus fui; mandatoq; regio iussus vlterius pugna absistere. Vnde dico, & dicam quocunq; me mea fortuna feret, non factam mihi esse copiam depugnãdi in Gallia; quodq; non ad extremum spiritum cum aduersario contenderim, eius rei culpam omnem, cum in me nulla sit, Equitib. Gallici nominis merito imputandam. Quæ*

Cortinæi & Trimolij procerum pugna singularis.

verba altius paulo in Claryei pectus descenderunt, quam quisquam opinabatur. sed cohibebat tum se, quia Anglum tuto pducendum Caletum vsq; receperat. Comes autem S. Pauli respondit, imo videris mihi honorifice planè Gallia excedere, cum Rex ipse dignatus sit te rogare vti pugna vlterius abstineres. neq; erit quisquã in vtroq; regno, q non & consilium tuum in pficiscẽdo, & moderationẽ in regi parẽdo laudib. semper in cælum vecturus sit: quare supersede, amabo, huiusmodi in posterum querelis. Ad q̃ Cortinæus cum ita se facturum spopondisset, tandem donati à comite magnificè ipse & Claryeus itineri se reddiderunt. quo cum tãtum pfecissent, vt iam Anglicanæ ditionis fines attingerent, cœpit Cortinæus Claryeo gratias agere q ipsius p̃sidio in pacata sibi venisset: sed Claryeus, q adhuc scripta in animo habebat dicta illa Cortinæi apud Comitem S. Pauli, arrogantiæ plena, quantum iudicabat, & virtutẽ Gallici nominis nimis vilipendentia; Ego, inquit, Cortinæe iussu Regis mei & Ducis Burgundionum te p infestam alioqui Galliam tutum ad tuos reduxi: Cæterum fixi sunt adhuc in animo meo aculei eorum verborum, q̃ te in contemtum nobilitatis Gallicæ p̃sente illustrißima S. Pauli Comite habere his dieb. memini: à qua nobilitate ne iactes apud tuos tibi parum in armis satisfactum, vt tum visus es dicere; En me tibi quamuis inter Gallos minorum, vt ita dicam, gentium equitem, qui si lubet hodie etiam, siue mauis crastino die armis tecum decertare paratus sum, non odio tui, aut in iactationem mearum virium; sed ad seruandam illibatam famam & æstimationem nobilitatis Gallicæ; quæ nunquam ita degenerabit, quin semper habitura sit, quos Anglis pugnæ cupidis opponat. Quibus auditis Cortineus; rectè, inquit, Claryee loqueris, accipioque conditionem pugnæ à te mihi oblatam in crastinum: quo tempore te hic armatum exspectabo; tribus tecum hastis concursurus, quo ita per te famæ equestris ordinis in Gallia consulatur. Condicta ita pugna Claryeus Marquisam se recipit, ibi de armis & equo sibi prospicit; eo promptius, quod in confinio regni Gallici & terras ditionis Anglicanæ, hoc est, inter Gallicam Bononiam & Caletum Anglicanum, magna apud omnes reperitur prouisa armorum copia. Cortinæus vero facit idem Caleti, vbi tum Præfectum agebat Dom. Joannes Vvarnesius: cui cùm Cortinæus exposuisset, quid cum Claryeo facere deliberasset; respondit is, certaminis se spectatorem fore, & præsidij causa aliquot equites secum ducturum. Quid multa? venitur à partibus ad condictum: sed ita, vt Cortinæus longe comitatior accederet, Præfecti Caletensis causa: sumunt scuta, obserantur ipsorum galeæ; porriguntur illis hastæ pilis Burdegalensibus præferratæ: indeq; concurrunt magna vi; sed frustra vtrimq; vt fit, præ nimio studio, prima coitione, sed non eadẽ fuit fortuna secunda Cõgressus Cortinei & Claryei.

*secundæ congreßionis. quippe in qua Claryeus Anglum sic exceperit, vt traiecto eius scuto, in humero aduersarij ferrum reliquerit, quod à tergo ad palmæ longitudinem exstabat, & ex equo eum eodem ictu ac vulnere deturbarit. Quod cum videret, cursu perfecto, & conuerso equo, suspicatus, id quod res erat, læsum esse Anglum (nam corona suorum cinctum cernebat) sensim ad illum adequitauit; cum quidam ex comitatu præfecti Caletensis, certè, inquiunt, poteras humanius & mitius cum Cortenæo concurrisse; non ita humerum illi traiecisse. Quibus Gallus; fortunam moderari non est in manu mea; & quod illi accidit, mihi quoq; euenire potuit; sed interrogate, aut sinite interrogem ego, satisfactum sitne ipsi an vlterius aliquid requirat. Quæ extrema excipiens Vuarnesius; plene, ait, Cortenæo satisfactum est: quare ire tibi licet, quo & quando volueris. Cum quibus reuersus in Galliam Claryeus, tamquam re bene gesta, gaudebat; cum aliter longe accipi factum suum intelligit. inprimisq; a Rege, Duce Burgundiæ, & ipso Trimolio, totoq; concilio regio; in quo in tantum deliquisse Claryeus ferebatur, vt, bonis eius in fiscum redactis, deportatione puniendus sententia omnium iudicaretur: quod aduersus eum hostilia ausus esset, quem deducendum in pacata, & ab aliorum iniuria defendendum ipse a rege, & Burgundiæ Duce accepisset. quid plura? euocatur ad causam dicendam Claryeus; qui coram rege, ipsiusque concilio cum sisteretur; interrogatus, qua fronte ausus fuisset iniussu Regis sui cum eo armis decertare, quem, ab ipso Rege commendatum, ab aliorum vi tutum præstare debebat; etsi valde percellebatur irato vultu regis, & mirabatur factum suum aliter longe atq; ipse existimasset accipi, tamen confirmans ipse se, & timorem dißimulans; Ego, inquit, quæ à Rege facere iussus sum, cum fide omnia impleui: sed cum in itinere Cortinæus insolentius de se et gente sua loqueretur, nostrorum autem hominum virtutem cōtemptim deprimeret; faciundum mihi existimaui, dißimulato dolore, donec fidem meam liberassem; vt postea nominis Gallici æstimationem quod possem tuerer, ad quam rem non tantum ab honestate inuitari me, sed etiam à pietate prope cogi arbitrabar, infit inde narrare omnia & singula quæ paulo ante memorauimus; concluditq; tandem, sese quidem existimasse se non tantum nullam pœnam incurrisse, verum etiam laudem meruisse: sed quando aliter se rem habere videret, submittere se iudicio Conestablij & Marschallorum Regni Gallici: nec defugere iudicem ipsum Cortinæum, ordinemque omnem equestrem tam Gallici, quam Anglici nominis. quibus tam iustis excusationibus etsi nonnulli mouebantur de concilio, in custodiam tamen datus est bonus Claryæus, bonis eius in fiscum redactis, in qua custodia diu anceps periculum sustinuit, ne quid in eum grauius consuleretur. sed*

*tandem*

*tandem intercessione Dynastæ Coucyij, Ducis Borbonij, & ipsius illustrissimæ Comitis S. Pauli, coram qua Anglus tam arroganter locutus fuerat, libertati restitutus est, cum hoc elogio: Existimabas, Claryee, te bene nomini Gallico consultum ire suscipiendo in te pugnæ aleam contra Cortinæum, sed grauiter errasti contra, quod aduersus eum, qui tuæ protectioni commissus erat, arma induisti. debebas enim, si quid erat in quo offendisset Cortinæus æstimationem Gallicæ nobilitatis, eam rem ad regem retulisse, & ex ipsius præscripto omnia fecisse: quod quia à te obseruatum non est, ideo ea es passus, quorum tibi es conscius: in posterum igitur adhibe consilijs tuis rationem, & de libertate tua age gratias Duci Borbonio, & Dynastæ Coucyio, itemque illustrissimæ Comiti S. Pauli, qui omnes non paruos ceperunt labores tua causa.*

*Atq; hic fuit euentus pugnæ inter Gallum & Anglum, atque eorum, quæ eam pugnam consecuta sunt. Quæ cum tum, quo tempore diximus (vt aliquando tandem ad tres nostros prouocatores redeamus) omnium in ore versarentur, taliq; occasione aulicæ matronæ virginesq; scire cuperent, quid Gallorum virtus Anglorum arrogantiæ præstaret; solicitarunt, vt initio attigimus, tres florentes ætate & laude armorum viros; Boucicquautium iuniorem, Reginaldum Royium, & D. Sanct-Pyium, vti aliquid dignum se animo conciperent: ad quod illi per se alioqui proni, constituerunt in confinio regni Gallici & terras ditionis Anglicæ, hoc est prope Caletum, ineunte æstate proxima triginta ex ordine diebus vnicuiq; cuiuscunq; gentis aut nationis esset concurrendi secum copiam facere, siue quis puris siue præpilatis hastis vti mallet. Quod consilium quia regi omnibusque qui aderant plus animorum quam prudentiæ habere videbatur, iussi sunt ijdem tres Prouocatores formulam suæ prouocationis concipere, & scripto comprehensam regi exhibere; vt si quid arrogantius aut immodestius in ea dictum, conceptumue esset, eius rei vitium emendaretur. quod sane illi non illibenter fecerunt, in hanc fere sententiam:*

*Ardor & studium cognoscendi vicinam regno Gallico nobilitatem, virtutemq; eius in armis periclitandi, tantum apud nos potuerunt, vt constituerimus ad Iugueluertum* xx. *Maij proxime instantis comparere, ibidemq; triginta ex ordine diebus subsistere, ac quotidie exceptis Veneris diebus copiam nostri facere quibuscunq; ex equestri ordine & nobilitate, (cuiatescunq; illi sint) siue quis præpilatis hastis, siue puris malet nobiscum concurrere, seu deniq; vtrisq; potius; ad quintam vsq; coitionem. Quam ad rem extra tabernaculum nostrum inuenientur clypei & & scuta nostra insignibus nostris gentilitijs picta, affixa; vti is, qui pugnæ cupidus erit, per se, vel per alium pridie virga tangat eius clypeum,* Formula prouocationis.

 *cum quo*

*cum quo præpilata hasta, aut scutum, qui cum velitari hasta siue pura concurrere volet; aut vtrumq; hoc est & clypeum, & scutum, si vtroq; hastarum genere experiri fortunam decreuerit. Atq; ita per se vel per alios clypeum aut scutũ alicuius tangens, tenebitur nomen suum profiteri apud eos, quibus clypeorum & scutorum nostrorum custodiam committemus. Tenebuntur itẽ concurrere nobiscum volentes singuli saltem singulos viros nobiles secum adducere, Patrinorum vices impleturos; vt & nos circa nos alios habituri sumus, qui simul ea decernent, quæ pro re nata decernenda ex vsu vtriusq; partis videbuntur. Oratum autem etiam atq; etiam volumus omnes equestris ordinis, & ex nobilitate, cuiuscunq; nationis illi sint, ne in animum inducant credere, nos ad hoc consilium descendisse superbia aliqua, aut odio impulsos, sed studio videndi & cognoscendi quamplurimos viros fortes, & honoratos; quorum desiderio nostrapte natura flagramus. Unde etiam clypei nostri neq; chalybe neq; ferro munientur, veluti idem à concursuris nobiscum obseruari quoque cupimus. tum nullus dolus malus, nulla fraus interueniet: arbitriq; certaminis, æqui vtriq; parti solem, aliaq; æqualiter partientur. Ad horum autem omnium confirmationem literas præsentes sigillo quisq; nostro, & gentilitijs insignibus signauimus: Scriptum & datum in Montepessulano* XX. *Nouembris anno reparatæ salutis* CIↃ. CCC. LXXXIX. *inferius subscripserant: Reginaldus Royius, Bouciquautius, Sanct-Pyius.*

*His litteris regi oblatis, diu in quæstione fuit, an permittenda esset publicatio earum; quod res ipsa arrogantiæ plena, & occasionem datura videbatur, (præsertim quod tam prope Caletum pugnæ locus dictus erat) rumpendis inducijs, quæ cum Anglo in triennium pactæ erant, vnde multi, senioresq; præsertim cohibendum iuuenilem hunc ardorem censebant; sed vicit tamen diuersa sententia, fauente ei rege, admodum iuuene, & rei bellicæ studioso, qui negabat se passurum, vt, quod coram toto Gynæceo aulico receperant se facturos tres maximi animi & virtutis viri, ei intercederetur, atque ita ipsi vanitatis arcesserentur. Qua Regis voluntate audita, frequentes censuerunt, agerent Prouocatores quod in rem suam fore ducerent, dum intra formulæ concepta verba se continerent: quæ sententia tres Prouocatores valde delectauit: quibus etiam tum in cubiculum suum accersitis Rex summa affabilitate dixisse fertur, Bouciquauti, Reginalde, & tu Sanct-Pyi, videte, vt & priuati & publici decoris eam rationem habeatis, quam par est. de cætero, sumptibus ne parcite, quoniam nostra liberalitate vobis decem florenorum milia ad consilij vestri explicationem honoratiorem adijcientur; de quo munere illi deuotissime, vt debebant, Regi gratias egerunt: ex eoque tempore intenti instituto suo publicari vbique*

*per*

*per vicinas regiones, & maxime in Anglia, curarunt formulam prouocationis suæ. Multi igitur vbiq; se comparabant ad certamen, & inprimis Angli: qui putabant sibi ignominiosum futurum, si ad indictam pugnam loco tam vicino non comparuissent.*

*Ante alios autem fortunam experiri decreuerant Anglici nominis viri, Ioannes Hollandus, Comes Hostidonius, Dynasta Ioannes Cortenæus, Dynasta Joannes Tractonius. Dynasta Ioannes Gouloufreus, Dynasta Ioannes Rousselius, Dynasta Thomas Scorbonius, Dynasta Guilelmus Clysetonius, Dominus Guilelmus Clinetonius, Dom. Guilelmus Tailleburgicus, Dom. Godofredus Seteus, Dom. Guilelmus Hacquenæus, Dom. Ioannes Vobeas, Dom. Ioannes Auberthicortius, Dom. Henricus Bellimontius, & multi alij. ita vt centum & amplius ituros se, & Gallicam virtutem experturos profiterentur, palam dictitantes, sua maxime causa hanc telam orsam: æquum igitur esse, vt dum perneatur illa, adiutores sint. quin etiam laudabant multi magnanimitatem Prouocatorum, quibus sermonibus fiebat vt multi alij quoq; Angli mare se traiecturos confirmarent spectandi gratia. ad quam rem etiam Principes viri præmittebant quibus sibi & comitatui suo opus futurum videbatur; magnaq; vis armorum Caletum conuehebatur; ingensq; hastarum vtriusq; generis, hoc est & præpilatarum, & velitarium, numerus. Sub ipsum vero tempus, quo certamina indicta mox initium habitura erant, primus traiecit Ioannes Hollandus, frater regis Angliæ. q in comitatu suo habebat principes & equestris ordinis viros circiter LX. quibus omnib⁹ Caleti hospitia designata, & metata sunt. sed vt ad Prouocatores nostros reuertamur, illi initio Maij parati à reb. omnib. Bononiam venerunt, ibiq; paucos dies commorati, concesserunt in abbatiam S. Iuguelluerti, vbi primum ad eos perlatum est de insigni apparatu Anglorum ad pugnam, quibus nouis vehementer læti, p̄mouendi & maturandi negotij causa miserunt, q loco quasi medio inter Caletum et S. Iugueluertum tria tenderent tabernacula viridia, et tempori concoloria, pretiosissima, et ad portam singulorum figerent singulos clypeos, & singula scuta, tangenda à pugnæ cupidis, ex formula p̄uocatoria. Cæterum, vt in pauca res conferatur, ludi hi siue certamina bellica commissa sunt in hunc modum:* Qui his ludis interfuerint Angli.

*Vigesima prima Maij Prouocatores primi comparuere quo loco pugna cōmitti debebat, armati omnib. armis, equiq; eorum strati paratiq; ad nutum stabant, nec multo post affuere Caleto Angli tam fortunam p̄iclitaturi, q̄ spectaturi, et iudices cuiusq; virtutis futuri. prim⁹ autē Ioan. Holland⁹ p quendā ex comitatu suo feriri tangiq; curauit ex formula clypeū* Boucicquautij, *hastis præpilatis cōcursur⁹, et iusti discriminis aleā subitur⁹. quo factō* Boucicquauti⁹ *p̄dit è suo tabernaculo, sumptoq; clypeo, &* Initium ludorum primo ludorū die. I. Cōgressus Boucicquautij & Ioānis Hollandi.

*hasta ex animi sententia, conscendit equum, captoq; vterq; spatio alter in alterum effuso cursu fertur, sed vltra nihil actum est, quam quod Bouciquautius clypeum Principis Anglicani hasta perforauit, citra noxam aut læsionem tamen. sic secunda quoque coitione non nisi leuiter alter alterum perstrinxit; vnde cum ad tertium congressum se pararet Anglus,*

II. Cögressus Sanct-Pyij & Ioannis Hollandi.

*negauit Bouciquautius amplius sibi eo die cum illo rei fore. quo ille audito, curauit feriri clypeum Sanct-Pyii, qui alacer prodijt, sed in concursu equorum vitio factum est vt non recto filo inuicem impeterent, sed quasi ex transuerso, quo tamen ictu Sanct-Pyij Hollandus galea denudatus est, quam raptim à suis sibi rursum induci & claudi, obserarique curauit. secunda coitione magnis viribus vsus vterque alter in alterius clypeo hastam viriliter rupit: sumptoq; ad respirandum spatio, mox tertio concurrerunt; tamq; duriter alter in alterius galeam impegit, vt scintillæ ex ijs excussæ, omnibus spectantibus conspicuæ fierent. post quæ, cum Comes, ipsis periculis animosior, in gratiam dominæ & amicæ suæ vnam adhuc hastam frustra torquere voluisset, decesit inuitus, locum alteri facturus, ruptis & bene collocatis sex hastis; quo nomine nõ paruam tam à Gallis, quam ab Anglis, reliquisq; spectatoribus laudem tulit.*

III. Cögressus Reginaldi Royij & Comitis Marescalli.

*Atq; illi quidem successit Anglici nominis alius quem Comitem Marescallum vocabant, isq; cum feriendum curasset per quendam e suis clypeum Reginaldi Royij, qui ouanter statim prosilijt, sumptoque clypeo & hasta, ac equo inscenso, aduersario se obuiam tulit, primus ictus equorum exerratione vtrimq; frustra fuit, vnde valde indignati animosius etiam secundo concurrerunt, quo Reginaldus admisso aduersarij ferro, contra in eius clypeo hastam suam comminuit. tertia vero coitione destinato ictu alter alterius galeam tanta vi impetijt, vt late scintillæ spargerẽtur, Comesq; capite nudaretur, qui etiam eo die pugna abstinuit vlteriore.*

IV. Cögressus Bauciquautij & Cliffortij.

*Submoto Comite Marescallo prodijt expertæ virtutis eques Anglicanus, Dynasta Cliffortius, consanguineus magni illius Ioannis Chandoi, qui feriendum curauit scutum Bouciquautij; sed prima congreßione, etsi scintillæ galeis excussæ fidem facerent quam neuter aduersario suo parceret, tamen hastam suam vterq; integram habuit; ad secundam coitionem Bouciquautius in aduersarij pectore suam rupit, ipseq; ab eo galea nudatus est, quam resumere contra eundem recusauit. quare Cliffortius tangi per suos iußit clypeum Sanct Pyij, contra quem prima coitione hastam suam comminuit ita, vt in tria frusta illa dißiliret, & vice versa ipse ab eo galea exutus est, qua fortuna eo die contentus ad suos se recepit.*

V. Cögressus Sanct Pyij & Cliffortij.

VI. Cögressus Bouciquautij & Belmontij.

*Quartus ex Anglis, qui virtutem Gallicam experiri voluit, fuit Henricus Bellimontius, non contemnendæ famæ eques, qui feriri mandauit*

*dauit clypeum Bouciquautii, sed cũ subditis calcarib. equos admisissent, Bellimontius hastã suã nõ optime intorsit, à latere aduersariũ petẽs, à quo cõtra recto filo in medio clypeo ictus, ad terram ex equo deturbatus fuit.* VII. Cõgressus
*quẽ tamen adiut⁹ à suis statim iterũ repetiit, posteaq; duas hastas dextrè* SanctPyii cum Belli-
*satis cum Sanct Pyio rupit, neutro alioq; læso, damnoue aut malo affecto.* montio.

*Inde Petrus Cortinæus, iampridem cupidus certaminis, misit q virga feriret omnes tres clypeos bellicos; cuius sui mandati interrogat⁹ hanc rationem edidit; cupere se, nisi aliunde impediatur, cum singulis ex prouocatorib. binas hastas rumpere: quod illi facile fuit à Gallis impetrare. Cucurrit autem primo contra Reginaldum Royium, sed nullo effectu, equorum suorum vitio: quibus acrius subditis calcaribus secunda coitione Reginaldus Anglum galea exuit. Qui cum reponi sibi eam & firmiter obserari curasset, prima coitione cum Sanct Pyio dextre satis hastam suam comminuit; mutuo id faciente aduersario, quem Cortinæus altera congreßione capite nudauit. hinc congressus cum Bouciquautio, tanta vi alter alterum directe excepit, vt equi hinc inde attoniti quasi, substiterint, quibus retro conuersis, cum secundo concurrerent, vterq; galeam amisit. Quo facto Gallus se recepit, nequiquam Cortinæo contra quemlibet de trib. cupiente septimas hastas quatere, quod dicerent Galli, eum & priuatæ gloriæ, & publico patriæ decori satisfecisse, collocatis quam optime sex hastis.*

IIX. Cõgressus Reginaldi Royij cum Cortinæo.

IX. Cõgressus SanctPyij & Cortinæi.

X. Cõgressus Bouciquautij & Cortinæi.

*Digreßi igitur Cortinæi locum occupauit Dynasta Goulousrius; qui feriri curauit clypeum Reginaldi; cuius galeam prima coitione perstrinxit, simile quid ab eo quoque passus; secunda coitione impetum dominorum equi deseruere; vnde irati illi, tertia viriliter hastas suas alter in alterius medio clypeo comminuere. Quartus congressus pene irritus fuit; contra quam quintus, quo vterq; galea exutus est.*

XI. Cõgressus Royij & Gouloufrij.

*Inde clypeum Sanct Pyij feriri iussit per suos Ioannes Rosseus, notus domi militiæq; eques ob virtutem, cuius etiam tum specimẽ edidit, ea vi cum Sanct Pyio concurrens, vt equi retro pene acti in medio cursu interiungerent; repetito autem certamine vitio equorum non plene satis inuicem attigerunt; quare indignati tertia vice alter alteri galeam detersit; quo successu contentus Anglus, recepit se ad suos.*

XII. Cõgressus SanctPyij & Rossei.

*In cuius locũ prodijt Petrus Scornebonnius, magni animi, & in primo adhuc ætatis flore eques, cui negotiũ sua voluntate fuit (eius enim clypeum feriri mandauit) cũ Bouciquautio: irrito conatu coitione prima, ꝓpter exerrationẽ equorum; quare secũda equis vehementius instantes, Bouciquautius quidem in aduersa galea Angli hastam rupit, Anglus autem Bouciquautium ita violenter galea exuit, vt magna sanguinis vis naribus eius exilierit, quæ fuit causa cur se ad tabernaculum suum*

XIII. Cõgressus Bouciquautij & Scornebonnij.

 *reciperet,*

*reciperet, non amplius eo die, Sole iam occiduo, concursurus. sed Scor-*
XIV. Cõgressus Sanct-Pyij & Scornebonnij. *nebonnius non contentus bene rem gessisse contra Bouciquautium, feriri iussit clypeum Sanct-Pyij, cum quo congressus amplius prima coitione nihil fecit, quam quod galeam aduersarij perstrinxit, idemq; passus est. ea tamen fuit destinatorum ab illis ictuum ratio, vt si filo recto alter alterius clypeum tenere potuisset, neuter iudicio omnium spectatorum illæsus abiturus fuerit. secunda coitione vterq; quidem hastam suam tanta vi comminuit, vt in tria frusta illa dissiliret; sed dispar in eo fortuna fuit, quod Anglus præceps ad terram affixus est, qui à suis adiutus in equum quidem sustollitur, sed ad certamen nõ rediit, frustraq; exspectante eum aut alium Sanct-Pyio, Angli omnes vno agmine, et citato cursu Caletum repetiuerunt, multis sermonibus vltro citroq; habitis de rebus quæ eo die accidissent, vt & Galli in abbatia Sanct-Iugueluerti similibus confabulationibus bonam noctis partem transmiserunt.*

Initiũ certaminis secundo ludorum die. *Martis die, cum tam Prouocatores Galli, quam Prouocati Angli sacris operati essent, sumptoque statario ientaculo ad certaminis locum vtrique conuenissent, ludi equestres, seu potius seria pugna erat, committi rursus cœperunt, mittente Gulielmo Clisetonio, equite Anglo probatæ*
I. Cõgressus Clisetonij cum Bouciquautio. *alibi virtutis, qui virga feriret clypeum Bouciquautii, cum quo quater congressus est pari fortuna. siquidem prima coitione alter in alterius clypeum hastam magna vi intorsit, citra fractionem tamen. secunda galea vtriusq; non leuiter perstricta fuit: tertia equi retro abire, & in medio cursus impetu vi mutua dominorum subito consistere coacti sunt, vix compotes sui. quarto & vltimo congressu (pertendenti enim Anglo & vlterius etiam concurrere volenti responsum est a Gallis eum abunde officio suo fecisse satis) vterq; nudo capite ad suos rediit.*

*Clisetonio successit cognominis pene Anglus eques, in primo adhuc æ-*
II. Cõgressus Clinetonij & Sanct-Pyij. *tatis flore, Dynasta Clinetonius, qui sibi rem esse voluit (iusso feriri eius clypeum) cum Sanct-Pyio. horumq; pugnæ is successus fuit; quod alter in alterius clypeo ferrum condiderit, hastis in compluria frusta dissilientibus cum admiratione omnium, neutrum tam valida hastarum impactione vulnus accepisse. secundæ etiam hastæ optimè sunt collocatæ; tertiæ propter equorum exerrationem frustra fuerunt. quarta coitione* Gallus *Angli caput exarmauit, qui re non omnino male gesta, vt locum aliis quamuis inuitus daret, ad socios armorum sensim reuersus est.*

*Tertius eo die processit ex Anglis Comitis Hostidonij propinquus*
III. Cõgressus Stamarti & Royij. *Gulielmus Stamartus, qui cum Reginaldo Royio concurrit: & primo quidem hactenus superior fuit Gallus, quod Anglus, post mutuos validissimos ictus destinato clypei loco impactos, dum cursum perficit, hastam manibus amisit; dexterrimè aduersario suam perferente, secundo*

*te; secundo Anglus Gallum non satis directe, ideoq; leuiter admodum contigit; ipse contra ita exceptus, vt in equi tergum supinaretur, & nō procul abesset quin ad terram deflueret; tertio alter alterius galeæ scintillas viuacissimas extudit, ac tanto quidem impetu, vt hasta vtrique excussa sit: qua resumpta facta est quarta & vltima coitio, quæ sanè longè fuit acerrima, & qua valentissimè alter alterius galeam appetijt; superiore tamen Gallo, qui aduersarij exarmauit caput, tantaq; vi illi hastam intorsit, vt vehementer titubans vix equo se tenere potuerit.*

*Inde ex partibus Anglorum quidam Lanclastrius processit, feririq; iussit Bouciquautij clypeum: primus autē ictus talis fuit, vt ex vtriusq; galea (in eam enim hinc inde collimatum erat) scintillæ plurimæ, & densissimæ prosilirēt, mirarenturq; omnes tectum eos caput ex ea coitione retulisse. secundi ictus vitio equorum pene irriti fuerunt; tertio congressu Anglus capite exarmato cursum perfecit, galea ab aduersario decussa; qua fortuna contentus ad suos se recepit.* IV. Cōgressus Lanclastrij & Bouciquauij.

*De quibus contra prodiit eques Anglus quidam, adhuc iuuenis admodum, nomine Ioānes Tailleburgius; cum quo decertauit, videns clypeum suum eius iussu de more virga contactam, Sanct-Pyius: primasq; hastas vterq; dexterrimè torsit, & cōminuit: sed secundæ frustra fuerunt ob exerrationem equorum: quod tertio congressu correctum est vtroq; nudo capite redeunte, in quo Tailleburgius finem concurrendi fecit.* V. Cōgressus Tailleburgij & Sanct-Pyij.

*Post quem se intulit Godefridus Seceus, equo & hasta dexterrimè vtens; iussoq; feriri Reginaldi Royij clypeo, cū eo congressus est pari fortuna tali: primo impacto & accepto ictu valentissimo, & tali quidem, vt cùm hastæ, qua erāt firmitate, non rumperentur, equi sisterentur, & in poplites clunesq; quasi recellerentur; secunda coitione nō satis directe alter alterum impetiit, & tamen hastam vterq; manib. amisit: quam culpam siue suā, siue suorum equorum animati ipso periculo Gallus Anglusq; abunde emendarunt congressu tertio, quo Anglus Galli galeæ hastam violentissime impegit, atq; adeo, vt vehementius citra læsionē non potuerit: Gallus autem, qui inter suos facile inter primos in arte equum flectendi, & hastam iaciendi censebatur, cuiusq; cœpta omnia feliciorem euentum sortiri credebantur, quia amore stimulante suscipiebātur, Anglum tam duriter excepit, vt rupta hasta in tria frusta; pilum quidem liquerit in sinistro eius brachio, alterumq; frustum in clypeo, tertio & maiore postquam alte exiliisset, cadente in solum. nec tamen læsus graui vulnere Anglus vllum trepidationis signum dedit, sed per[fe]cto alacriter cursu legitimo, mox ad suos reuersus est; à quib. [e]ducto ferro vulnus obligatum est, laudantib. omnib. tam Gallis q̃ Anglis virtutem Reginaldi, q hastæ, quā nouā sibi delegerat, innixus, alium aduersariū exspectabat frustra.* VI. Cōgressus Secei & Royij.

*Adueniens*

VII. Cōgressus Blaquetij & Sanct-Pyij.

*Adueniens enim post Seceum tam male tractatum quidam Anglus, quem Blaquetium illi vocabant, non Reginaldū antagonistā, sed Sanct-Pyium habere voluit; cuius ad hoc clypeū virga feriri cum iussisset; admisso vterq; equo in aduersarium omni impetu nitebatur; eo effectu vt alter alterius galeā duriter perstrinxerit, atq; ita, vt ipso nisu hasta ambobus excussa sit. qua resumpta secundo congressi sunt, sed frustra penè, equorum vitio. quare tertia coitione, indignatione faciente vtriq; maiores animos, Anglus Gallum impacta violenter hasta satis duriter excepit, sed ipse etiam durius exceptus, amisit galeam; quam tanta vi appetijt Gallus, vt, ruptis fibulis quibus stringebatur, alte sublatam terræ solo inde afflixerit.*

IIX. Cōgressus Bolcæ & SanctPyij.

*Proximus à Blaquetio certamen inijt Ioannes Bolcas; cui se obuium tulit, cum clypeum suum eius iussu feriri vidisset, idem Sanct Pyius. fueruntq; primæ hastæ vtrimq; bene collocatæ, mirantibus omnibus eas aut non disruptas fuisse, aut non clypeum hinc inde obiectum penetrasse. quorum neutrum factum videri potest quod in ipso impetu decertantiū manibus excussæ sunt: secundæ & tertiæ hastæ equorum maxime insolentia irritæ fuerunt; quarto autem cōgressu nudatum galea Anglum Gallus ad suos remisit.*

IX. Cōgressus Messidonij & Bouciquautij.

*Cuius loco affuit mox sumptuosissima armatura conspicuus, & certaminis auidissimus, Thomelinus Messidonius, iuuenis adhuc; q feriri cum mandasset per suos clypeum Bouciquautij, cum eo cōgressus est nullo aut paruo primo effectu; sed secundo, cum ipse viriliter in clypeo Galli hastam suam comminuisset, tanta cōtra vi ab eo exceptus est, vt ex equo sublatus post tergum eius ad terram affixus sit, vnde auxilio suorū mox surrexit, non amplius eo die pugnaturus.*

X. Cōgressus Nauartonij & Bouciquautij.

*Quem vlturus Nauartonius, Anglici nominis eques, eiusdem Bouciquautij per alium tacto clypeo, cum eo congressus est pari fortuna bis; quippe primo alter in alterius galeā magna vi inuectus est; secundo hastæ hinc inde clypeis impactæ in tria frusta dissilierunt. tertia autem coitione Anglus galea nudatus campo excessit.*

XI. Cōgressus Sequaquetonij & Royij.

*Vacantem inde locum occupauit Sequaquetonius Anglus, notæ virtutis, & armis dexterrimè vtens: isq; feriri iussit clypeum Reginaldi Royij, cum quo congressus, et si non omnino pessime rem gessit, impacta duriter in aduersarium hasta, parum tamē abfuit, quin præceps ad terram deturbaretur: coactus resupinato toto corpore fere hastam missam facere. secundarum autem hastarum eadem virtus fuit; quippe impactæ hinc inde galeis aduersis, scintillas viuas eis extuderunt. Tertia vero coitione ita exarmauit caput Angli Gallus, vt ipse equusque ægre se à casu cohibuerint, titubatione vehementi confessi virtutem Reginaldi; quam tentan-*

*tentandā sibi vlterius non existimans Sequaquetonius, alteri campum cessit.*

*Sed nemo, quia aduesperascebat, amplius eo die in certamen descendit: ideoq; cum Angli, vt pridie, Caletum se recepissent: Galli re bene gesta reuerterunt ad abatiam suam Sanct Iugueluertensem. Sciendum autem est Regem Galliæ dissimulata persona toto tempore ludorum præsentem & spectatorem affuisse: comitatum conscio vnico Dynasta Garamcerio, æque quis esset dissimulante; cum quo singulis diebus finitis certaminibus hasticis Marquisam se recipiebat.* Rex spectator ludorum.

*Mercurij dies cum illuxisset valde sudus ac serenus, ceu faueret hisce ludicris molitionibus, affuerunt hinc inde partes: nec mora, cum contra procedentem Anglum equitem, cuius magna erat ob armorum experientiam fama, nomine Joannem Siluaticum, familiarem autem & domesticum Comitis Hostidonij, se mouit (eius enim clypeum feriri iusserat) Reginaldus Royius; cuius cōgressus is fuit exitus, quod alter, aut forte vterq;, corpore suo terram dimensurus fuerit, nisi vtrimque hastæ in compluria frusta dissilyssent. Ictus sane destinato impacti tanta vi & dexteritate simul illati sunt, vt mirum fuerit depugnantes illæsos abijsse; quippe pila perforatis clypeis vtrimq; sub axillis eorum viam sibi fecerunt: indeq; rupto hastili clypeis inhæserunt: neq; quisquam erat qui non corpore eos recepisse ferrum existimaret; quo maior vtrimq; lætitia orta est, comperto metum eum frustra fuisse. admoniti autem sunt post iactus tam periculosos hastarum pugna vlterius abstinere, eo saltem die. sed neganti Anglo se vnius congressus causa mare traiecisse, Gallus respondit, recte eum dicere; neq; per se staturum, quominus plene cupiditati eius satisfiat. resumptis igitur recentibus cum hastis, tum clypeis; secundo exerrantibus equis, nequiquam in alterum alter ferebatur: vnde indignatus vterque hastam solo allisit. tertia coitione vtrique galea decussa est; quo facto Angli sui generis certatorem abduxerunt; dictitantes, satis eum honori suo fecisse, & alijs quoque concurrendi & vires suas periclitandi locum dandum. quibus rationibus Siluaticus quamuis inuitus cedens, campo excessit; mutatoque equo ad spectandam virtutem alienam rediit.* Initiū certaminis tertio ludorū die. I. Cōgressus Siluatici & Royij.

*Nec diu fuit cum ex agmine Anglicano procurrit Guilelmus Basquenæus, consanguineus Comitis Marescalli, qui vbi feriri virga iussisset Bouciquautii clypeum: post tres pares coitiones, quippe prima vterque galeam amisit, secunda vterq; hastam suam fortiter comminuit, tertia ictu suo vterq; equorum vitio aberrauit, cum quarta iterum galea exarmatus esset, ea fortuna sua contentus ad suos rediit.* Cōgressus Basquenæi & Bouciquautij.

*Basquenæum secutus est quidam Anglicani nominis eques, Scotus*

 *dictus;*

III. Cōgressus Scoti & Sanct-Pyij. *dictus; qui cum Sanct-Pyio, cuius clypeum feriri iusserat, concurrens, prima coitione par ei decessit: cum vtrimque equorum cursus inhibitus fuisset impetu dominorum: secunda vero etiã superior fuit, excussa Gallo galea; qui tamen mox sese vltus est, tertio congressu sublato ex sella equestri Anglo, & ad terram grauiter afflicto; vnde sublatus est à suis, satis excusatus ab vlteriore certamine.*

IV. Cōgressus Stapletonij & Sanct-Pyij. *Sed vindicaturus amicum Bernardus Stapletonius clypeum eiusdẽ Sanct-Pyij feriri iußit, à quo tamẽ mox ita abijt, vt cōtentus fuerit par ei contra stetisse. quod & re vera fecit. nam primo congressu vterq; alter alterius galeæ igneas scintillas excudit: secundo magna vi illatus est alter in alterius clypeum, neutro vllum titubationis aut trepidationis signum dante: tertio vterque galeam amisit.*

V. Cōgressus Arondelij & Royij. *Hinc Ioannes Arondelius, qui inter Anglos flectendi equum arte, cantandiq; & saltãdi facile primus habebatur, vires suas periclitari voluit contra Reginaldum Royium, cuius ad hoc clypeum feriri iußit. primaq; congreßio satis acris fuit, & vtriq; excussa est ipso impetu hasta. secunda, alter alterius galeæ ita illatus est, vt ignis ex eis exilierit; tertia equorum vitio neuter destinatum ictum perferre potuit, & tamẽ vterq; hastam manib. amisit. quarta alter alterius galeam leuiter perstrinxit: quinta deniq; congreßione, vterq; hastam suam in aduerso & obiecto sibi clypeo fortiter rupit, atq; ita pares per omnia discesserunt.*

VI. Cōgressus Stonij & Bouciquautij. *Vacantem inde campum ingreditur Nicolaus Stonius, et iubet feriri clypeum Bouciquautii: cum quo, post parem duarũ coitionum fortunã, quarum priore alter alterius galeam pstrinxit, posteriore vterq; tanta vi illatus est in aduersarium, vt excußis hastis equorum cursus sisteretur: tertio congressus, nudo capite ad suos reuerti coactus est.*

VII. Cōgressus Marescalli & Bouciquautij. *In cuius locum proceßit contra eundem Bouciquautium, cuius clypeum feriri iusserat Ioannes Marescallus, Anglici generis eques. fuitque horum quoque fortuna par duobus congreßibus, nam primo vterq; accepto & illato ictu hastam manibus amisit: secundo alter alterius galeam perstrinxit, sed minime defunctoriè. tertia vero coitione Anglus in obiecto sibi aduersarii scuto hastam tanta vi comminuit, vt in frustilla illa dißiliret, & contra Gallus Anglum, perinde vt proxime præcedentem, exarmatum galea ad suorum agmen remisit.*

IIX. Cōgressus Clifetonij & Royij. *Secutus est ex ordine iuuenis adhuc, & gloriæ cupidus si quis alius, Ioannes Clifetonius; isq; feriri mandauit clypeum Reginaldi Royij. cum quo sex diuersis vicibus pari fortuna congressus est. si quidem prima coitione alter alterius galeam perstrinxit: secunda vterq; in obiectũ sibi clypeum magno impetu illatus, hastam manibus amisit: tertia, alter alterius galeæ ignẽ excudit: quarta, vterq; vitio equi sui ictu aberrauit:*

*quinta,*

*quinta, vterque haſtam ſuam fortiter rupit; ſexta & vltima ex æquo vterque galea exarmatus eſt; atque ita per omnia pares Anglus ad ſuos Gallus in tabernaculum ſuum ſe recepit.*

IX. Cõgreſſus Leauij & Sanct-Pyij.

*Poſt hæc campo ſe inmiſit Anglicani quidam ſanguinis eques, cuius ſcutum argenteum atræ ſtriaturæ diſtinguebant, et crux media; Rogerium Leauium vocabāt, qui cognoſcebant; iuſſoq; feriri clypeo Sanct Pyij; cum eo congreſſus, poſt parem fortunam primæ & ſecundæ coitionis, quarum hac alter alterius galeam perſtrinxit, illa vterq; tanta vi rem geſſit, vt equi in medio curſu ſubito interiunxerint; tertia vice galea exarmatus pugna exceſſit.*

X. Cõgreſſus Auberthicortij & Royij.

*Conſequenter venit in medium eques quidam in armis dexterrimus & haſticæ diſciplinæ lōgè peritiſsimus, inſignib. & patria Hanno, quippe natus in comitatu Oſtrenantio, ſed a puero in Anglia educatus, in domo & familia nobiliſsimi Regis Eduardi: nomen illi erat Joannes Auberthicortius. atque hic feriri iuſsit clypeum Reginaldi Royij; cum quo ita concurrit, vt prima coitione alter alterius galeæ ignitas ſcintillas expreſſerit: ſecunda mirum fuerit non vtrique haſtam adactam per pectus medium: quippe impactio haſtarum tam violenta erat, quam nulla adhuc toto certaminis tempore fuiſſet; ſatisque oſtendebant depugnantes, ſeſe nullum ſiue periculum ſiue letum refugere, ſed animoſe velle laudem, vt ait ille, ipſa vel morte paciſci. tertia coitione, Auberthicortius Reginaldo galeam magna vi excuſsit, ita vt ille, ad ſuos ſe recipiens, negaret ſe eo die vlterius in certamen deſcenſurum:*

XI. Cõgreſſus Auberthicortij & Bouciquautij.

*quo animaduerſo Auberthicortius, auidus adhuc pugnæ, feriri virga iubet Bouciquautij clypeum; cum quo pari fortuna ter congreſſus eſt: cum primo alter alterius clypeum, ſecundo galeam perſtringeret, tertio demum vterque nudo capite ad ſuos rediret: in quo finis certaminum eius diei fuit, Anglis Caletum, Gallis in abatiam Sanct Iugueluertenſem reuertentibus.*

Initiũ certaminis quarto ludorum die.

*Iouis die, qui quartus certaminum & ludorum equeſtrium fuit. cum partes in campum veniſſent, primus fortunam tentare voluit eius diei*

I. Cõgreſſus Eſtaſij & Bouciquautij.

*Godefridus Eſtaſius contra Bouciquautium; cuius ex formula prouocationis clypeum feriri mandauit. fuitque prima coitio ſatis dura, vtrimque impactis in galeas aduerſas haſtis; quas tamen non excuſſerunt: & ſecunda etiam durior, neq; abitura ſine vulnere & ſanguine, perlatis ictibus clypei hinc inde medio, ſi haſtæ non diſsilyſſent in fruſta: ſed & tertij congreſſus par fortuna fuit, vtroque capite exarmato ad ſuos redeunte.*

II. Cõgreſſus Burgij & Sanct-Pyij.

*Secundus proceſsit Alanus Burgius, magnæ in armis dexteritatis, qui iuſſo feriri clypeo Sanct-Pyij, vt inuictus ab illo abijt, ita vice*

*versa vincere quoque eum non potuit, ter enim congressi: primo uterque alterius galeæ ignem expressit: secũdo in obiecto sibi clypeo uterque hastam suam viriliter rupit; tertio perinde uterque amissa galea discessit.*

III. Cōgressus Storpij & Bouciquautij.

*Minus secunda videri potuit fortuna Anglis eo die in Joanne Storpio, qui tertio loco progressus, cum Bouciquautij clypeum feriri curasset; prima quidem & secunda coitione par aduersario creditus est (quippe cum illa uterque ictu suo ob exerrationem equorum aberrasset, ista alter alterius galeam satis duriter perstrinxisset) sed tertio congressu ita a Gallo equo deturbatus est, ut sine suorum auxilio surgere, & recolligere se non potuerit.*

IV. Cōgressus Herchaucij & Bouciquautij.

*Quem ulturus Eques quidam ex familia Reginæ Angliæ, nomine Herchaucius, confestim per suos Bouciquautij clypeum feriri mandat; nec defugit certamen Gallus. concurritur igitur magnis animis, sed præstudio ictu uterque aberrauit; nisi quod Anglus ex transuerso galeam Bouciquautij perstrinxit contra disciplinam equestrem; unde non parua est orta controuersia inter Gallos & Anglos; ipsis etiam Anglis fatentibus tamen, Herchaucium, si Galli summo iure agere vellent, equi armorumque iacturam merito incurrisse. sed res composita est ita, ut Galli, precibus Anglorum ad hoc inducti, Herchaucio delicti sui gratiam fecerint. qui cum ad hoc peteret unius adhuc hastæ iaciẽdæ sibi facultatẽ dari, & interrogatus contra quem ea uti vellet, feriri iuberet clypeum Reginaldi Royij, is, qui eo die adhuc non depugnauerat, sane quam libenter Anglo copiam sui fecit: itaque duriter hominem ex sella sublatum terræ affixit, ut, cum nullum membrum moueret, pro conclamato ab omnibus haberetur. vixque tandem, viuus deprehensus, auxilio suorum ad socios Anglos rediit: non tam dolentes eius fortuna, quam dignum ea increpantes; qui contra leges equestrium decursionum faciendo, turpem toti nationi notam adspersisset.*

V. Cōgressus Herchaucij & Royij.

VI. Cōgressus Scornebonnij & Sanct Pyij.

*Quam virtute diluturus Robinus Scornebonnius, feriri curauit clypeum Sanct Pyij, cui par tribus congressibus non inmerito ea fortuna contentus ad suos rediit; qui bene nauatam ab eo nomini Anglicano operam prædicabant; quod prima coitione aduersarii galeam, perinde ut ipse perstrictus fuerat in aduersa galea, perstrinxisset: in secunda vero ictum non minus valentem clypeo eiusdem impegisset, quã ipse ab eo accepisset; in tertia denique exarmatus ab eo galea, vicissim illi galeam excussisset.*

VII. Cō[illegible] Merlanij & Royij.

*Dispar causa, certè fortuna, Joannis Merlanii fuit: qui Scornebonnio successit. nam hic cum primo par visus fuisset Reginaldo Royio, cuius clypeum feriri iusserat; perstrictis utrimque leuiter galeis prima coitione; & altera utroque tanta vi se inferente, ut equi retro pene abire coacti*

*coacti fuerint, certe in vestigio constiterint; ad extremum tertio congressu duriter a Gallo solo affixus est.*

*Non deterritus tamen hac sorte sociorum Ioannes Moutonius, feriri iubet clypeum Bouciquautij, a quo, cum prima coitione alter in alterius clypeum valide illatus fuisset, & secunda galeæ vtrimq; perstrictæ, tertio congressu nudo & exarmato capite ad suos remissus est.* VIII. Cõgressus Moutonij & Bouciquautij.

*E quibus mox prodijt Eques quidam Anglici nominis, specie insigni, & admodum procerus, equoq; scientißimè vtens: nec imperitus iaciendarum hastarum; Iaqueminus Stropius nomine: q feriri virga iußit clypeum Sanct-Pyij, certamen autem eorum hunc exitum habuit: prima coitione vterq; præ studio, & vitio equorum, ictu suo aberrauit; secunda alter alterius galeæ ignem excudit, & hastam vterq; manib. amisit. tertia Anglus fortiter quidē in obiecto sibi à Gallo scuto hastam fregit, sed à fortiori Gallo ex equestri sella sublat⁹ mensuram corporis sui solo impreßit.* IX. Cõgressus Stropij & SanctPyij.

*Abducto à suis Jacquemino, proceßit in medium Guilelmus Masqueleus, qui huius certaminis causa mare traiecerat, cum Comite Hostidonio, cuius clientelæ pars erat: & feriri iusso clypeo Bouciquautii, animose se pugnæ parauit. in qua etiam pari virtute se geßit: æquo marte ab eo discedens. cum primis hastis, ex galeis hinc inde scintillæ densißimæ excusæ fuissent: secundas alter alterius clypeo maximo impetu intulisset, ac mox vterq; abiecisset; tertiis alter alterum galea exarmasset.* X. Cõgressus Masquelei & Bouciquautij.

*Post quæ feriri mandauit clypeum Sanct-Pyii Nicolaus Leauius; qui nequaquam sibi defugiendum certamen ratus, sumpto clypeo & hasta, conscensoq; equo, obuium se Anglo fert. Concurritur summa animi corporisq; vi; & alter in alterius clypeum tanta contentione hastam torquet, vt nisi illæ in frusta dißilijssent, grauia inuicem vulnera facturi fuerint; secunda vero coitione destinatis ictibus in galeam alter alterius illatus, viuas scintillas eis excuderunt: tertia vterq; exarmat⁹ fuit galea; fibulis, quib. illæ adstringebantur, hastarum pilis disruptis. in quo finis certaminum fuit, nemo enim Anglorum præterea pugnam audebat.* XI. Cõgressus Leauij & SanctPyij.

*Quare etiā Comes Hostidonius, Comes Marescallus, Dynasta Clifffortius, Dynasta Bellimontius, Dynasta Ioannes Clisetonius, Dynasta Auberthicortius, Dominus Ioannes Scornebonnius, reliquiq; Anglici nominis proceres, & equites, qui ijs quatuor diebus depugnauerant, vno agmine ad Prouocatores Gallos accedentes, magnas eis gratias egerunt, quod horum ludorum equestrium auctores exstitissent; profeßiq; omnibus qui fortunam tentare decreuissent abunde satisfactum esse, valedixerunt ipsis; addentes, se Caletum, atque inde traiecto mari in Angliam decreuisse reuerti, omnibusque equestris ordinis & rei bellicæ studiosis ibi indicaturos, si periculum sui facere velint, ad tri-* Finis ludorum.

*gesimum vsq; diem ex formula prouocationis eius rei copiam futuram. neq; enim se dubitare, quin Prouocatores tantisper ibidem loci substituri essent. Quibus vicißim gratias habentes Prouocatores, quod ludos equestres à se indictos tam frequentes obijssent, responderunt; aduentum aliorum etiam quorumcunq; sibi gratißimum fore. Post quæ Anglis Caletum primum, ac mox in Angliam reuersis; Rex Galliæ quoq; cum suo Garencerio ad Reginam redijt; q̃ tum agebat Crœliæ; paucis ex intimis consciis, vbi, & qua causa per dies aliquot abfuisset. Prouocatores quoq; post trigesimum diem à se definitum, cùm nemo amplius siue Anglus, siue alterius nationis certamini se offerret; Parisios reuersi sunt, vbi à Rege, Duce Turonensi, reliquisq; proceribus excepti sunt humanißimè: vt qui Regis & regni decus ac famam fortißime propugnassent.*

## LVDI EQVESTRES EDITI MANtuæ anno clɔ.cccc.x.
## XIII.

ANno clɔ.cccc.x. *mense Ianuario extremo venit Ferrariam, ad Marchionem eius vrbis Nicolaum, Carolus Malatesta; simulq; Mantuam profecti sunt, vbi etiam erat Pandulphus regulus Brixiensis, & Malatesta regulus Cesanensis, celebraturi nuptias filiæ Malatestæ Malatesti cum Gonzaga; quarũ sane solennitatem non parum auxerunt incidentia eodem tempore Bacchanalia: confluente vndiq; Mantuam optimis dierum nobilitate vicina. vnde etiam ludi apparatu sumptuosißimo instructi sunt equestres militares; quorũ antesignani fuerunt Marchio Ferrariensis, Gonzaga, Pandulphus & Carolus Malatestæ. quorum primi colores erant cœrulei, secundi sanguinei, tertii lactei, quarti glauci.*

## LVDI EQVESTRES EDITI VENEtijs anno clɔ.cccc.xli.
## XIV.

ANno clɔ.cccc.xli. vi. *Februarii cum Venetiis celebrarentur nuptiæ Iacobi Foscari, filii Ducis Veneti, cum filia Leonardi Contareni, ad quas inuitati aderant Sfortia, & Thadeus Estensis; editi sunt equestres ludi in area D. Marci, apparatißimi & superbißimi. ad quorum spectaculum concurrisse dicuntur quadraginta & amplius hominum milia, victor autem fuit iis ludis quidam ex Thadei aulicis. iterum biduo post alii quoq; ludi hastici editi sunt, quorũ tripertitorum duces & antesignani fuere Sfortia, Thadeus & Malata.*

LVDI

## LVDI EQVESTRES EDITI NORIMbergæ anno cIↃ.CCCC.L.

### X V.

*Anno cIↃ.CCCC.L. editi sunt ludi equestres militares Norimbergæ, ea fere occasione, quod cum bellum controuersiæq; inter Albertum Marchionem Brandeburgicum & eosdem Norimbergenses interuentu Cæsareæ Maiestatis, & aliquot imperij principum, compositæ essent; mox is Albertus Marchio ad Senatum litteras dederit, cum quo sibi antea parum conuenisset; quibus litteris petierit, vt Bacchanalibus instantibus ludos equestres animi & exercitationis causa indicere vellent; professus, se cum aulico suo comitatu eosdem sua præsentia cohonestaturum; virtutemq; nobilitatis & Patriciorum Norimbergensium, in armis periclitaturum: equis, armis, hastis, reliquoq; instrumento militari more maiorum instructum. Atq; vt sciret Senatus populusq; Norimbergensis, agere se simpliciter, & cupere amicè beneuoleq;, vt inter vicinos fieri par est, cum ipsis dies aliquot consumere; affuturum se vna cum Gynæceo etiam suo vniuerso postridie eius diei, quo celebrantur ea, quæ vocantur magna Bacchanalia; propositurumq; brauij loco victori ludorum (cui etiam vxor corollam eximiam decreuisset) κειμήλιον quoddam triginta duorum florenorum. Egit Marchioni gratias de hac erga se propensa voluntate Senatus; satisfecitq; in omnibus ipsius postulatis non inuitus sanè, significans patricios suos ad diem paratos fore: q etiam honoris eius causa victori ludorum præmium de suo dare constituissent pter corollam, insigne victoriæ, viginti florenorum honorarium. Secundum hæc venit Albertus Marchio cum Gynæceo & omni nobilitate sua Norimbergam ipsis magnis Bacchanalibus, vbi cum honorificè exceptus esset; postridie ipse quoq; decucurrit, fuitq; numerus vniuersorum, q tum in certamen descenderũt, capitum galearumq; XXIV. quorum etiam insignia subijciemus. Cæterum vt finitis ludis a cœna in choreis ducendis primæ partes fuerunt Marchionis, ita primum brauium eius oeconomo, Friderico Seckẽdorffio oblatum est: q plurib. hastis dextre & viriliter comminutis ruptisq; inter cæteros omnium iudicio hoc honore dignus visus est. Secundum brauium datum est Conrado Hallero aulico item Brandeburgico, qui inter cætera virtutis specimina ter ipsum Marchionem hasta ex equo deturbauit, totiensque ipse quoq; honoris eius caussa vltro ad terram defluxit.*

*Tertium præmium abstulit Guilelmus Comes Hennenbergicus; Delato quarto ad Ioannem Comitem Vuerthemiæ.*

*Postridie quoque hastis a Comitibus nobilitateque concursum est, eiusq;*

*eiusq́ certaminis antesignani duo totidem annulis aureis, & corollis Gynæceo donati sunt.*


*Quibus ita gestis, Marchio cum suis domum inde reuertens, propensissimi erga Senatum populumq́ Norimbergensem, imprimisq́ patricium ordinem, animi significationem dedit; atque ita huius quoque ludicri felicissimus euentus fuit.*

## INSIGNIA EORVM QVI NORIMBERGAE Bacchanalibus anni cIↄ. cccc. L. decurrerunt.

Albertus Marchio Brandeburgicus.




Guilelmus Comes & Dominus Hennenbergicus.



Ioannes Comes & Dominus Vuerthemiæ.



Ioannes Com. & Dominus Castellanus.



Godofridus Comes Hohenloius.



Eberhard. Schēckius, siue Pincerna, Baro Erbacēs.



Fridericus Seckēdorffius, Eques.



Erhardus Vuallenfelsius, Eques.



Laurentius

Laurentius Vuallenrodius, Eques.



Conradus Ehenhemius, ſenior.



Conradus Luchauius.



Conradus Hallerus.



Ioannes Vuiſenthauius.



Ioan. Vualdſtromerus.



Sebaldus Rieterus.



Berchtoldus Pfintzingius.



Michael Grundherus.



Petrus Schoperus.



Antonius Ebenerus.




Stephanus Detzelius.



Ioannes Schurſtabius.



Sigiſmundus Stromerus.



Ioannes Kreſsius.





## LVDI EQVESTRES EDITI FERRAriæ anno cIↄ.cccc.lxxii.

## XVI.

ANno cIↄ.cccc.lxxii. *Hercules Dux Ferrariensis cum aulicos suos muneribus expleßet, ciuesq́ etiam beneficijs suos fecisset; vt amplius etiam eorum sibi fauorem demereretur, ludos equestres in diem Augusti mensis vigesimum indici paßim iußit, quod eo die ante annum imperium inijsset, & rei Ferrariensi admotus gubernator fuisset. qui ludi mox magnifico apparatu celebrati sunt iuxta fastorum memorias in loco publico septis clauso, & harena strato, non minore spectantium voluptate, quam certantium laude, quorum in primis maxima tum virtus, & in armis dexteritas omnibus admirationi fuit.*

## LVDI EQVESTRES EDITI VENETIIS circa annum cIↄ.cccc.xxciv.

## XVII.

P*Ace parta paßim per vrbes & oppida quæ Veneto parent imperio, nocturni ignes & alia lætitiæ signa edita sunt: indicta ad id hastarum certamina & aurigationes, quæ solenni conuentu plures dies celebrarentur: ludi ipsi post aliquot menses sub Bacchanaliorum ferias editi sunt: aureus & argenteus pannus certantib. propositus: magnus mortalium vndique ad id spectaculum concursus est factus. Affuit Æstensis Hercules, & Iulius Camertium Comes, quibus à Principe & Patribus frequenter itum est obuiam: & ex Mediolano Leo Lodouici Sfortiæ filius, cum Galeacio Seuerinate: Seuerinas senex præesse magis quam præsidere ludis voluit. Affuerunt & Rubrij Parmenses, Mirandulanus Princeps, ac plerique alij viri illustres, quorum certandi studio alii, alii spectaturi venerant: multitudo ad hæc ingens terra marique profecta, vrbem mirum in modum repleuit. Area quæ ab aurea æde ad Geminiani fanum*

*fanum longe lateq; excurrit, per id tempus instructa est. Sumptuosissimi fuerunt illorum apparatus qui in certamen venerunt. Tres Seuerinatis filij, qui diuerso tempore in medium processere, singuli vicenos quinos desultorios equos, partim auro, partim purpura instratos, p̄ se egerunt. Eadem ferme Parmensium Rubriorum pompa fuit. Julij Principis ex fratre nepos longe cōspectior processisse dicitur. Ad centum hominum milia interdum spectasse dicuntur, quibus Mocenicus Princeps cum primoribus Patrum & vrbis magistratibus præsedit: vnde Æstensis Hercules, acerrimus nuper hostis, inter alios Principes spectauit: hæ aurigationes & hastarum certamina ciuitatem plures dies occupatam tenuere. Demum tres Seuerinatis filij victores iudicati: Fracassus & Antonius Maria aureum pannum ex æquo sortiti sunt, Galeacius argenteum: Julij nepos, qui omnium iudicio strenue hasta decertarat, trecentos aureos nummos sibi publicè decretos accipere recusauit. Creditum vulgo est, indigne tulisse, quenquam eo certamine sibi prælatum. Ex Rubrijs Parmensibus Mariottus puer, quia vltra quam ætas illa præstare posset, hasta & aurigatione populo placuerat, phalerati equi precium accepit. Plures ad hæc, vt cuiusque virtus eo certamine enituit, alij alijs muneribus donati sunt: multi quoque viri fortuna & virtute insignes, ad equestrem dignitatem sunt promoti. Julius Camertium Princeps, quoniam Seuerinas Jtaliæ rebus præesset, Venetarum est copiarum Imperator declaratus.*

## LVDI HASTICI VVISMARIAE EDITI ab Alberto Rege Sueciæ. XIIX.

*Confirmatus in regno Albertus Rex Sueciæ, quū defuncto Magno nemo superesset, qui obganniret: ipse Rex solenni ac regio instructus apparatu, in Magnopolim suam enauigauit: ibiq; curiam indixit in vrbe Vuismaria cunctis Principib. Germaniæ inferioris. Confluxere quidquid erat nobilitatis ab Hercinijs montibus ad mare, Marchiones, Duces, Comites, & quidquid vbiq; erat præcipuum. Et primum quidem ratio habita est in concilio communium temporum, vt pax & tranquillitas inter omnes seruaretur. Inde cōuiuijs & solennitatibus indultum est: hastiludia, choreæ militares, domicellares ludi, feminei plausus vbiq; resonabant. Concurrerant ad festam solennitatem de longinquo plurimi, res nouas (quas nunquā antea) visuri. Non erat qui tristium rerum vllam memoriam faceret: omnia in splendoribus & magnificis apparatibus & multiplici Principum ac dominarum honore agebantur, &c.*

# LVDI EQVESTRES EDITI BVRGIS anno cIↄ.cccc.xcvii.

## XIX.

*INterea regina quæ à Laurentano portu Burgos redierat, Ximenij absentiam, cuius consilio multum se iuuari sentiebat, diutius ferre noluit, & hominem ad se accersiuit: cunctantem vero & causas moræ nectentem, tandem occasione instantium Ioannis filij nuptiarum cum Margarita Maximiliani Augusti filia omnino ad se venire iubet: negabat enim principem iuuentutis, in tot tantorumq́ regnorum spem natum, per alium quam per primatem Hispaniarum matrimonio iungi debere. Ergo magno omnium celebritate, atque ordinum frequentia, nuptiæ coniunctæ sunt* III. *nonas Aprilis, anno* cIↄ.cccc. xcvii. *quibus ipse stipulandis & sanciendis interfuit, & matrimonij solennia in conspectu regum religiose iuxta & splendide peregit. Post hæc cum discessurum se iam ad cœpta negotia arbitraretur, miserando quodam casu præter votum manere fuit coactus. Alphonsus Cardenas Gutterij Cardenæ filius, magnæ spei iuuenis, dum inter æquales in ludis nuptialibus, qui magnificentissimi ob principes facti sunt, equum incautius admittit, dorso excussus corruit, & ceruice fracta, e vestigio animam efflauit magno omnium mœrore.*

# LVDI ALII EQVESTRES PINTIAE editi non ita multo post.

## XX.

*SVb idem tempus aulica iuuentus, quo regem graui morbo affectum exhilararet, ludos militares sumptuose & splendide apparat. Qui ad huiusmodi ludos cæteros prouocant solet libellos publice affigere, quibus ludorum conditiones continentur. Hos prouocatores præsto adesse oportet cuicunq́ illos in certamina poscenti, vnde manutentores ab Hispanis vocantur, qui & armorum splendore, & ornamentorum opulentia atq́ elegantia præstare solent. Hi tunc quinq́ fuerunt, inter quos eminebat Alphonsus Mandosa Cluniensis, q partim noua antistitis affinitate Ximenij, partim Ioannæ sponsæ amore exultãs sumptuosiꝰ q̃ Ximeniꝰ vellet, se in diem ludorũ ornauit: nam septem millia nummũm aureorũ ab Alphonso feruntur impensa, q elegantis & sciti cultus p̃miũ tulisset, nisi manu multo cæteris ꝓmptior & alacrior ꝑ ludorum iudices esset iudicatꝰ. Idcirco elegãtiæ honorariũ Ioãni Velasco Bernardini comestabilis notho tributũ fuit. Acti sunt hi ludi idib. Augusti in Germanæ reginæ cõspectu,*

*loco Pintiæ celeberrimo, quē Rinconatam appellant. Ludos quoque Regi proximus Ximenius spectauit, coactus nimia Alphonsi Mendosæ Cluniensis efflagitatione. Didacus Lupus Mendoza rationū Ximenij magister, dum Ximeny chirographo pecuniam impensam ad ludos quos diximus de more signari posceret, indignum esse dixit tantum sumptum in re ludicra fecisse. Cui Ximenius: postquam, inquit, hunc generum suscepimus, ad nostram magnificentiam pertinet, vt suæ personæ splendidè subseruiat, alioqui sordes nobis obijcerentur, à quibus longè abhorremus: præsertim cum sumptus nec nimius fuerit, nec omnino perierit, Rege ita à morbo recreato.*

## LVDI EQVESTRES EDITI ANNO cIↃ.IↃ.XIX. à Galliæ & Angliæ Regibus inter Ardream & Guineas.

### XXI.

ANno cIↃ.IↃ.xix. *Amiralius Boniuetus, qui mortuo Bosio fratre præcipuam negotiorum Regni curam gerebat, cum Cardinali Yorcano (qui pari Anglicanis rebus autoritate pollebat) agit vt duo Reges conuenirent, & coram omnia rata haberent quæ à suis fieri & confirmari antea mandarant. Dies constituitur quo Rex Ardream & Anglus Guineas veniret, deinde locus in medio itinere ad occursum deligitur: ad hanc rem funalium dies dictus est. Tum Reges ambo equis Hispanicis inuehentes, comitati vtrinque maxima nobilium multitudine, quanta ante centum annos conspecta simul non fuerat, florentes ætate, omnium totius orbis terrarum pulcherrimi & ad arma omnis generis tum equestri tum pedestri certamine aptissimi sese coram conspexerunt. Quæ fuerit vtriusque regij ornatus magnificentia, dicere nihil attinet: quum tanta in ipsis comitibus esset copia, vt locus ille castra aurea dictus sit. Vbi sese ex equo complexi sunt, descendunt in tabernaculum ad eam rem comparatum, quum quidem Rex secum duntaxat Amiralium Boniuetum, cancellarium Pratensem & paucos consiliarios haberet, Anglus Cardinalem Yorcanum, Duces Northfolcum & Sothfolcum. Illuc ingressi & de priuatis rebus familiariter colloquuti, iubent ibidem fieri theatra & hippodromum, ad decursorium certamen, vt sese summa lætitia toto tempore oblectarent, quum vtrinque delecti rebus grauioribus decidendis incumberent: qui singulis diebus de ijs quæ transacta erant referebāt. Duodecim aut quindecim dierum spatio duo Principes concurrerunt, & adfuerunt magno numero viri bellica laude pstantissimi: neq; .n. verisimile est infimos ab illis adductos fuisse. Postea*

*Anglus Regem epulo excepit ad Guineas in ædibus ligneis, quæ quatuor mansionibus constabant. Has in Anglia ædificari indeq; apportari curauerat. Exterior domus circumtecta erat tela picta, quæ speciem quadrati lapidis præferebat, interior aulæis pretiosißimis circunstrata, vt nemo esset cui non videretur ædificium summa arte extructum: Fuerat autem ad formam comitii mercatorum quod visitur Caleti composita. Ea postea disiuncta in Angliam relata est, vt totum illud non pluris constiterit, quam quod in vecturam expensum est. Postridie Rex Anglum excepturus erat ad Ardream: quam ad rem Conopæum tendi iusserat sexagenos pedes quaquauersum patens, quod supernè tegebant multitia auro crispato contexta, internè holosericum erat cæruleum, inspersum lilijs ex auro Cyprio, opere Phrygionico: ad quatuor angulos singuli papiliones eodem operis genere. Funes erant serici colore glauco, auro Cyprio contorti. quæ res maximi erat pretij. Sed tanta vis venti & procellæ extitit vt disruptis omnibus funibus omnia pessum ruerent. Quamobrem Rex mutare sententiam coactus, locum ad epulum celebrandum summa celeritate fieri curauit: vbi nunc est propugnaculum quod ab illo epulo nomen habet. Non immorabor in commemoranda magnitudine ornatus & sumptus in tanto apparato: hoc enim humano iudicio æstimari non potest. Non pauci certè illic domos, syluas & prædia humeris (vt ita loquar) gestarunt.*

## LVDI EQVESTRES EDITI A CAROlo V. Imperatore Neapoli. XXII.

*CÆsar Neapoli amœnißima in vrbe, excultus procerum omnium liberalibus officijs, quod ad popularitatem pertinuit, per ocium Bacchanaliorum, Tunetanæ victoriæ lætitiam, editis equestribus ludis, magnificentißime repræsentauit, in quibus ipse Maurisiaco cultu decurrit, saltantiumque illustrium feminarum choreis, remissa ingenij seueritate personatus interfuit, eo quidem licentius, quod per eos dies Margaritam filiam, Alexandro Medici iam pridem destinatam celebratis nuptijs in matrimonio collocauit, præclara cum laude summæ probitatis, quod non secus ac viuo Clemente veteribus promißis integram fidem attulisset.*

DE LV-

DE LVDIS HASTICIS ET MILITARIBVS PEdestribus Bintzij celebratis anno cIↄ.Iↄ.xlix.xxiv. Augusti in gratiam Caroli V.Imp.inuictiss. & serenissimi filij eius Philippi Hispaniarum tum Principis.

XXIII.

*ANno cIↄ.Iↄ.xlix. in gratiam maximè Philippi, Caroli V. Imp. inuictißimi filij, qui tum recens ex Hispania in Belgicam suam venerat, multa paßim sunt edita spectacula; & in primis Bintzij, vbi pedestris ex prouocatione pugna pugnata est; cuius prouocationis hæc forma fuit. Scire licet, quibuscunque hoc studium cordi est,* Formula prouocationis. *Bintzij, postridie quam eo inuictißimus appulerit Imperator, sex ex nobilitate viros in gratiam maximè lectißimarum matronarum & pudicißimarum virginum, tum etiam exercitij caussa, ab hora prima pomeridiana ad sextam vsq;, vel si res ita tulerit diutius copiam secum depugnandi sex telorum generibus omnibus omnino cuiatescunq; illi sint facturos, in leges quæ sequuntur:*

*Tribus petitionibus punctim hastis, siue sarißis, & totidem cæsim gladijs.* Leges horum ludorum. I.

II. *Tribus petitionibus punctim gæsis, seu pilis, & totidem cæsim hastili fracto inuerso.*

*Iactu vno tragulæ, seu aclidum & septem petitionibus Xiphomacheræ.* III.

*Nouem petitionibus cestræ, siue Amazoniæ securis.* IV.

*His telis, quicunq; volet, depugnare poterit seu singulis, seu pluribus ex ordine, aut etiam omnibus.* Cętera his ludis obseruanda.

*Ita quidem, vt ante omnia vnumquemque candidatum conueniat eam plumam contingere, quam ad hoc gestabit virgo Systeltina; cui etiam nomen suum scripto comprehensum tradere tenebitur. edocendus ab eadem quid de cetero facere debeat.* I.

*Quo autem diserte sciatur, quib. quisq; depugnandi generib. vsurus sit, & quot: quatuor scuta suspendentur cum pictura, primum quidem hastæ, siue sarissæ, & gladij, siue macheræ; secundum gæsi seu pili, & fracti hastilis cuspide inuersa; tertium tragulæ, & Xiphomacheræ; quartum cestræ siue securis Amazoniæ. hæcque scuta tangentur aut singula, aut plura, omniaue à candidatis, prout quisq; pluribus paucioribusue generibus telorum periclitari vires suas volet.* II.

*Hæc autem tela præbebunt affatim ludorum editores; etiamq; post amissa priora, aut e manibus elapsa, secunda & tertia. licet ij qui iacturam talem paßi fuerint, quemadmodum & illi qui vetitas petitiones inferre conabuntur, à brauij spe in totum excludendi sint.* III.

*Et quia*

IV. *Et quia cestræ siue amazoniæ securis nullus hactenus vsus fuit, nisi in serijs pugnis; cum ludi hi animi causa suscepti sint: placet cum alijs telorum generib. omnes more simulacris bellicis vsitato tantum vti; tum inprimis cestra. qua si quis per fraudem & dolum vtetur, ad sternēdum aduersarium crura impetendo; eius e vestigio caput exarmabitur; atque ita exarmatus septis eiicietur, futurus deinceps à ludis exclusißimus.*

V. *Sed & aliæ quoque petitiones, quæ cestra fient, infra vmbilicum, non tantum nihil proderunt, sed insuper à brauio inferentes arcebunt.*

*Qui autem iudicio omnium optimè rem gerent iis brauii nomine offerentur quæ sequuntur:*

Præmia & brauia victorum. I. *Qui hasta seu sarissa dexterrimè vtetur, ei præmium erit hasta velitaris aurea, mille coronatorum.*

II. *Qui gladio, ei similiter gladius aureus dabitur, quadringentorum coronatorum.*

III. *Qui pilo integro, & fracto, inuerso; is accipiet pilum aureum, centum coronatorum.*

IV. *Qui xiphomachera; ei offeretur machera octingentorum coronatorum.*

V. *Qui tragula; brauium habebit tragulam auream quingentorum coronatorum.*

VI. *Qui cestra siue amazonia securi optime rem geret, huic præmium erit aurea perinde securis militaris, mille quingentorum coronatorum.*

VII. *Amplius, qui eandem cestram siue securim dexterrime simul & validißime librabit; is à matrona seu virgine, quam ad hoc legerit, accipiet dono adamantem auro inclusum quingentorum ducatorum.*

Promiscuæ pugnæ secūdariæ ratio. *Finitis autem certaminibus ex prouocatione, vniuersi qui depugnauerint discedent in duo agmina: atque ita rursum hastis gladiisq; promiscue pugnabitur, in qua pugna etiam, quod ad brauia, Prouocatorum ratio habebitur; contra quam factum erit in certamine singulari. Erunt autem brauia pugnæ secundariæ, & miscellaneæ hasta optime vtenti corolla aurea, gladio autem dexterrime & maxime viriliter rem gerenti, lychnites gemma quadringentorum aureorum.*

Præmia victorum pugna secundaria. Circus. *Hac formula ita vbiq; promulgata, circus pugnæ stratus est Bintzii ante palatium, tabulato inibi educto, ex quo iudices vniuscuiusque virtutem oculis notarent; septa autem erant ad morem antiquum adsimilata pictis in orbem omnis generis telis, & depugnandi rationibus veteribus vsurpatis.*

Prouocatorum nomina, arma, vestitus. *Erant autem Prouocatores sex, I. Marchio Bergensis siue Montanus, qui magnam virtutis & dexteritatis laudem tulit, quamuis admodum iuuenis adhuc. II. Dynasta Traysignius senior. III. Dynasta Seme-*

*Semerius. IV. Dynasta Liestrius. V. Dynasta Trelonius. VI. Dynasta Latilouis. Belgæ omnes, & in primo adhuc ætatis flore. armatura autem illis erat politissima; eiq; inducebantur tunicæ Attalicæ, holosericis candidis & rubris segmentis. Caligæ, vt cinctus, erant ex holoserico etiã rubro-candido, serico exundante per fenestras, quas plurimas habebant. cristæ similiter erant rubro-candidæ. hos præcedebant octodecim Patrini; ex quibus multi erant Comites, Barones've; quidámque etiam ex collegio amplissimi & augustissimi ordinis velleris Aurei: omnes tamen perinde vestiti caligis follicantibus, & thoracibus rubris; sed his sericatis, illis holosericatis: vtrisque fenestratis, & pannum argenteum euomentibus, segmentis item argenteis. iam caligis & thoraci respondebant cætera, calcei, vaginæ, pilei, baltei. colobia autem gerebant scortea candida, fenestrata quoque, & marginata auro, rubroque holoserico. hi bini sequebantur ternos tympanistas, & tibicines totidem, veste etiam rubro-candida; atque ita Prouocatores positum sibi ingressi sunt tabernaculum.* Patrini Prouocatorũ XIIX.

*Sequebantur exiguo mox interuallo, Princeps Pedemontanus, siue Sabaudus filius Ducis Sabaudiæ, & nouem alij, puta:* I. Contubernium oppugnatorũ, & ex prouocatione in certamẽ descẽdere cupientium.

*I. Petrus Ernestus, Comes Mansoueldicus, velleris aurei sodalis.*
*II. Comes Meganus.*
*III. Dynasta Vbermontius, frater Comitis Hornani,*
*IV. Dynasta Noirkermius. Belgæ hi tres.*
*V. Dynasta Corlauxius.*
*VI. Dynasta Pelonuxius, vterq; Burgundio.*
*VII. Joannes Zabada.*
*VIII. Joannes à Cuma; &*
*IX. Gasparus Roblesius: Hispani tres.*

*his erat armatura inducta nigro per omnia holoserico; conuenientibus his vaginis gladiorum, & balteis; quorum manubria, fibulæ, bullæ, auro luce [illegible]. horumq; patrini etiam holoserico, tubicines, tympanistæ, tibicines, serico nigro vestiebãtur: pugnæ genus, quo vsi sunt hi, erat hasta velitaris, & gladius, excepto Roblesio, qui, quamuis non magni corporis, magnam dexteritatis & animi generosi gloriam meruit omni armorum expositorum genere.* Roblesij laus.

*Secundo loco venere Dynastæ Tresignii, sodalis Velleris Aurei filii tres, Belgæ; dicti Dynasta Roingius, Dynasta Argenteaqueus, & Dynasta Samænius. his erant chlamydes candidæ damascenæ, marginatæ holoserico rubro, viridiq;; caligæ, cristæq; candicabant. Patrini quoque eorum duo à summo ad imum serico candido induebantur. atq; hi quoq; solis hasta & gladio depugnarunt.* II. Contubernium oppugnatorum.

*Tertio venerunt, compositi in habitum Romipetarum, siue qui religionis ergo peregrinantur, quatuor, puta, Dynasta à Marca; Dynasta* III. Contubernium oppugnatorum.

*Melisantius; Dynasta Sanct-Martinius & Dynasta Peuinus, Belgæ omnes. his vestis erat, ad quem morem diximus, ex holoserico cineritij coloris, galeri conchis aureis, argenteisq; distinguebantur: personæ autem, quibus ora velabant, barbas habebant promissas admodum. Pedum illis erat interpolatum nodis aureis: scyphus ruber. præcedebant autem adolescentes quatuor, induti sericis cineritijs tunicis muliebribus; galeris a tergo dependentibus, quintusque e numero cantorum imperialium, perinde vestitus; hique canebant simul hymnum, siue carmen solenne ijs, qui ad D. Iacobum trans mare pietatis causa visunt. tela his etiam hasta gladiusq; fuere.*

IV. Contubernium oppugnatorum. *Inde subijt Dux Adolphus Holstenius, cum iam dicto Comite Mansoueldico; & Comite Eberstenio. qui armaturæ superinduxerant chlamydes militares Germanicas, Damascenas; pictas flosculis aureis, & argenteis; limbis vero nigris ex holoserico; cuiusmodi erant etiam caligæ; sed fenestratæ, & exundantes sericum album. Hos referebant per omnia Patrini; Tympanotribæ autem tibicinesq; induebantur serico alternatim nigrante, vel albente: visi sunt ipsi candidati armis omnibus cum laude; nisi quod Eberstenius, non aduersarii virtute, sed nescio quo, casu, dum se colligere, & in gyrum breuiorem vertere conatur, impegit in maceriem siue septa, quæ media pugnantes dirimunt, & corruit.*

V. Contubernium oppugnatorum. *Successit Duci Adolpho Procurator Alcantarensis; magnum Commendatorem vocant; Gomesius à Figeroa; Comes a Castanneda; Ludouicus Zapada, quem Comes a Cyfuentes & Ludouicus Gomesius Siluius adduxerant; induti omnes colobiis holosericis vermiculatis, fenestratis, & auro limbatis. caligæ etiam erant holosericæ vermiculatæ, auro distinctæ. exundante per crebras earum rimas flauo serico. his conueniebat vestitus patrinorum examußim; & tympanistarum, tibicinumque, saltem quo ad colores.*

VI. Contubernium oppugnatorum. *Excepere hos Venatores duo; Dynasta Mingoualius, frater illegitimus Principis Sulmonensis; & Dynasta Bellefortensis, ambo Belgæ. his erant chlamydes è serico viridi, stricturis aureis; cucullique venatoriis consimiles. ferebāt autem venabula peniculamentis viridibus, præcedentibus duobus perinde vestitis, qui cornua inflabant, & totidem adolescentibus paria aliquot venaticorum omnis generis canum numellis ante se agentibus, dimißique sunt lepores, cuniculi, felesque aliquot, oblectationis caußa. Cæterum Mingoualius ad stuporem omnium depugnauit cum quolibet alio armorum genere, tum pilo siue gæso inprimis, quo & integro, & fracto verso ita vsus est, vt in eo depugnandi genere neminem eo die parem habuerit.*

Mingoualij virtus.

*Interea aduenit Princeps Ascolanus, filius Antonij Leuæ; Comes Egmon-*

*Egmondanus; Iacobus à Leyua; Ferdinandus Mendozius, filius Marchionis Montegarij; Alphonsus Pimentellus; Alphonsus Mendozius: qui armaturam texerant Attalicis tunicis, fenestratis, nigris, vndam sericam candidam vomentibus, peniculamentis argenteis nigrisq́; è bysso. respondebantque tunicis caligæ & cristæ; item Patrinorum, tympanistarumque, & tibicinum indumenta. Ex his autem Marchio Montensis Alphonsum Pimentellum hastili inuerso sopiuit, & terræ afflixit; non sine admiratione omnium, quod Hispanorum longe fortissimus (pro tali enim omniũ ore celebrabatur) a iuuene admodum Belga tam facile victus esset.*

VII. Contubernium oppugnatorum.

Marchionis Mõtensis factum strenuum.

*Post hos discrimen subiere Ioannes à Zeueda, cum germano fratre suo Carolo: Garcius ab Aiala; Comes Gelmesius; Martinus Atesius, & Petrus Rollesius. Hispanici generis omnes sex; vestiti colobijs cœruleis holosericis, fenestratis ad formam crucis; cuius medium rosa aurea decorabat: exundante circumquaq́; panno æquè aureo. atq́; ex his etiam quidam omni armorum genere decertarunt.*

VIII. Contubernium oppugnatorum.

*Sequuti sunt duo siluatici generis homines, baculos gerentes manibus singulos, & simul præterea draconem, è panno lineo scitè & fabrè admodum ad veri similitudinem effictum, flammas ore vomentem. depugnaturi autem erãt, siluaticorum quoq́; habitu, Dynasta Quirinanus, Belga, & Iacobus Croius Hispanus. atque hi quoque circumstantium ore multum laudati sunt, omni armorum genere depugnantes; in primisque celebrabatur Belga, cuius prima iuuenta tanti roboris capax vix videbatur.*

IX. Contubernium oppugnatorum.

*Extremus venit Hispaniæ Princeps, cui latus claudebat Princeps Pedemontanus, prosequente Ioanne Manrico à Lara, Cæsareæ Maiestatis Oeconomo, fratre ducis N. Comite Megano, Ioanne Benauidesio, & Rodrico Emanuele. hi ferebant sarissas suas omnes ipsi, præcedentibus duodecim Patrinis, & sex tympanotribis. induebantur autem omnes fuscis colobijs ex holoserico, fenestratis, sed ita auro pictis vndique, vt cuius alioqui generis essent dignosci non posset. caligæ autem ex flauo erant holoserico, similiter auratæ. tantusque erat splendor huius vestitus, qui communis omnibus tam Patrinis quam ludorum candidatis erat, vt trecentis aureis singula huiusmodi colobia caligæque constitisse dicerentur; quam pecuniam luit solus Hispaniarum Princeps. cuius tympanistæ etiam flauo holoserico induebantur, nigris ex holoserico perinde limbis. tela autem candidatis fuere hasta siue sarissa, & gladius.*

X. & vltimum contubernium oppugnatorum.

*His ita vti diximus peractis, vniuersi armati in diuersa abiere; cœ-*

Promiscua & secundaria pugna.

*ptumque est acriter vtrimque hastis primum, atque inde gladiis pugnari. imo tanta contentione partium, vt vero prœlio, quam simulacro belli, res similior videretur, nisi quod maceries animosius conflictantes dirimebat. inter cæteros vero Princeps Hispaniarum tam bene gladio vsus est, vt iudicio omnium lychnitem gemmam auro inclusam, brauium in eo genere armorum & pugnæ, meruerit. Cætera autem brauia a cœna in hunc modum distributa sunt:*

Philippi Principis Hispaniarũ laus.

Victores virtutis causa donati.

*Sarissæ siue hastæ præmium tulit Joannes Guixada.*

*Gladij brauium datum Dynastæ Quirinaino.*

*Pili siue gæsi tam integri, quam fracti inuersi, oblatum est Notho Mingoualio.*

*Tragulæ Dynastæ Roblesio.*

*Xiphomacheræ Dynastæ a Marca.*

*Cestræ, siue securis Amazoniæ Comiti Egmondano.*

## DE LVDIS MILITARIBVS TAM EQVESTRIbus quam pedestribus Bintzij celebratis XXV. Augusti anno cIↃ. IↃ.XLIX. in gratiam serenissimi Philippi Hispaniarum & Belgicæ Principis, quibus nomen fuit, Expeditio Arcis Tenebrosæ.

## XXIV.

Serenis. Mariæ Reginæ inuentum magni ingenij.

*PEdestribus ludis sic Bintzij concelebratis, postridie, qui erat XXV. Augusti, extra oppidum tentandam placuit fortunam Arcis Tenebrosæ. quod erat inuentum Sereniss. Mariæ reginæ, ad exemplum eorum, quæ fabulose narrantur de Anglicanis equitibus sub Arto rege; admiratione sane dignum, & quod summam ingenij iudicijq; laudem ab omnibus tulerit. erat autem huiusmodi:*

Arx tenebrosa.

*Ex tabulatis arx educta erat, per omnia veris, & ijs, quibus salutem suam opesque Principes rebus in arctis credere solent, similis; fossa, vallo, muris, propugnaculis, cæteris deniq; omnibus. hãc arcem modico interuallo fossa altera, eaq; latissima, ambibat, & insulam faciebat, in circuitu huius expansis velis, quæ nubium speciem pictura mentirentur; atque ita cincto obductoq; eo ambitu, vt arcis conspectus oculis eriperetur. quo nomine etiam arx tenebricosa nomen accepit.*

*Huic ex aduerso rursum in prato amœnissimo item ex tabulatis, pictis linteis dissimulatis, rupes ingens surgebat, habens in cacumine quadratum prægrande saxum, quod fuco marmoris veri colorem redderet.*

*cui saxo*

*cui saxo ex transuerso gladius aureus gemmato manubrio altißime infixus erat. Aditum autem ad rupis summitatem dabant gradus proinde affabre compositi, ac si ferro facti in rupe, cæsiq; fuissent. Aqua autem, quæ insulam cingebat, altißima erat, dicebaturq; ea Fortunæ insula, siue insula Periculosa. quam iuxta pilæ duæ literatæ paucis versiculis inscriptæ, cernebantur; stabatque in aqua nauis aurata, pictaq; tota, & holoserico rubro constrata; nauarcho quoque cum suis longis & talaribus holosericis palliis ornato, & pilis gæsisq; armato.* Insula Fortunæ seu Periculosa. Nauis ad traiectum.

*Cis aquam autem proxime pila alte educta stabat, ex qua pendebat scutum, cuius signum erat Leo, totus auro fulgurans. iuxtaque turris erat porta bipatente ingenti, quæ porta Terroris vocabatur. Ante hanc locus satis capax erat harena stratus, & septis vndique clausus. ad cuius extrema alia pila surgebat, pendente ex ea scuto candido, quod nigra aquila obumbraret. rursumq; iuxta pilam hanc altera turris cernebatur, portis valide munitis, qui Transitus indigetabatur Periculosus, siue Incertus. pro qua item turri septa erant altera prioribus non absimilia, atque prope hæc ipsa fossa altißima ponte instrata, qui pons obice tamquam, vbi lubitum erat, recludebatur; adhærente ad hoc ei turricula, cui vicina erat pila tertia, ex qua videre erat pendulum scutum candidum quoque, sed gryphe rubro interpolatum. Juxta erat altera quoq; pila, sed minus edita, verum quod altitudini deerat latitudine pensabat, habebatque insculptas & incisas leges, easq; trilingues, quibus subijcere se tenebantur fortunæ huius discrimen tentaturi.* I. Scutum insigne Leone aureo. Porta Terroris. II. Scutum insigne Aquila nigra. Transitus periculosus. III. Scutum insigne Gryphe rubro.

*Jn turricula autem ad pontis obicem erat pumilio, siue nanus Sereniß. reginæ Mariæ, Attalica indutus tunica talari, sed ita vt Polonico ea more substringeretur.*

*Ad primum autem aditum seruabat Eques Gryphis rubri, qui erat, aut Arenbergius Comes, aut Dynasta Brabansonius.* I. Eques Gryphis rubri.

*Ad secundum aditum seruabat Eques nigræ aquilæ, qui erat Comes Hoochstratanus.* II. Eques nigræ Aquilæ.

*Ad tertium aditum, proxime insulam, seruabat Eques aurei leonis, qui erat Comes Egmondanus.* III. Eques aurei Leonis.

*In arce autem tenebrosa erat Dynasta Corbaronius Aurasini Principis tutor; qui veluti magus illam obtinebat, dicebaturq; inuerso ordine litterarum veri sui nominis, Norabroc.*

*Ad singulas vero portas aditusq; tensa erant magnifica tabernacula, in quibus ij, quos diximus, Comites cum administris suis exspectabant aduersarios.*

*Vt autem liquidius & disertius intelligantur, tam modo à nobis memorata, quam in posterum de hac expeditione memoranda; non abs re erit sententiam libelli breuiter adscribere, ab ordine equestri inuictissimo Imperatori Carolo oblati, quæ, vt in pauca res conferatur, talis est.*

Sententia supplicis libelli ab ordine equestri inuictiss. Carolo V. Imp. oblati mense Augusto anno cIↃ. IↃ.XLIX.

*Cum fortuna tua tanta, inuictissime Imperator, quanta nullius vnquam alterius hominis in terra fuit, nihil præstabilius, quam posse; virtus vero, toto orbi bello paceque notissima, nihil habeat præclarius, quam velle cumplurimis prodesse; omnesque in vniuersum imperio tuo à Deo Opt. Max. concreditos ab iniurijs tutos præstare, nemo, credo, mirabitur; si nos quoque haud in paruis læsi, ad fontem benignitatis tuæ recurrendum nobis existimauerimus. Quod tamen quid sit, & in quo iniuriam accipere nos dicamus vt plenius intelligas, Imperator clementissime, confisi de solita tua erga supplices beneuolentia, rem omnem paucis ab initio repetemus.*

Equestris ordinis officium.

*Igitur dicimus, &, vt speramus, apud gnarum rem se ita habere dicimus; ordinem equestrem, dum ab omni tempore operam dat debellandis superbis, & iniquis alieni detentoribus; extirpandis pudicitiæ femineæ subsessoribus; monstris denique, & tyrannis è medio tollendis: orbique terrarum ab his repurgando: inter alios honores hoc etiam ob virtutem tulisse pretij, quod vbiuis gentium nostræ professionis homines cari acceptique minimis, maximis; veluti in patria ac medijs in penatibus tuti ab insidijs omnibus liberè versarentur. Iuuabat igitur vel ob hoc ipsum facere quod faciebamus; & nostri securi, in aliorum procuranda salute toti eramus: cum exortum est genus hominum teterrimum, quod cum se paria nobis facere posse desperet, vel ob insitam ignauiam, ac laboris impatientiam; vel ob corporis debilitatem, odisse cœpit in alijs, quod ex se præstare non posset. hocque odio stimulatum incautæ nostræ fortitudini laqueos ponere cœpit, ne liceret saltem (quod viris præsentissimæ virtutis maxime esset optabile) inter arma & enses vitam pro Republica profundere. Quæris quæ, & vbi sint, Imperator gloriosissime, hæc portenta naturæ, hostes publici, tamquamque tales merito in extremas terras deportandi? Sunt prô dolor, sunt, inquam, & numero passim plurimi, & artibus malis prauisque instructissimi, qui ex hoc mustaceo sibi laureolam petunt. sed mittimus nunc alios, in vnum quendam conuersi, qui, quod dici solet,* flectere cum nequeat superos Acheronta mouere *in nos parat.*

Causa offerēdi huius libelli.

*Hic enim*

*Hic enim notiſsimus maleficus, & magus perditiſsimus, nomine Norabroc, in his ipſis tuis Belgicis audet prouinciis, quod nemini vſquam in extremis Indiis, te Principe terrarum, & iuſtitiæ vindice, licere debuiſſet. Prope Bintzium enim oppidum vetitis & nefandis artibus dolum ſtruxit; & neſcio quas præſtigias excogitauit, non externis tantum, niſi huic eius ſceleratæ improbitati obuiam eatur, exitio futuras, ſed nobis, nobis inquam, deuotiſsimis clientibus tuis, atque in ſinu prope tuo educatis; quorum iſte nefarius latro numerum ſubinde inminuit, omnes quotidie equeſtris ordinis viros, qui per eas regiones conſilio aut caſu iter habent, excipiens inſidiis; & in teterrimum compingens carcerem. Habitat autem hic naturæ & humanitatis inimicus in arce ita incantata, & nubibus denſiſsimis cincta; vti conſpici nequeat, aut à quoquam adiri. quo nomine etiam Arx Tenebricoſa vocatur. in hanc ille ſpeluncam congerit non raptas ex agris prædas, quod ipſum prohibere æquitatis tuæ erat, Imperator inuictiſsime, ſed florem nobilitatis, ordiniſque equeſtris. quod ne illi liceat diutius, tuum eſt prouidere. cui ne nos conſilio defuiſſe videamur, quorum tantopere res agitur, breuiter exponemus ſecundum ea quæ ex noſtri ordinis fide digno viro accepimus, qua via malo tam innormi obuiam eundum putemus. Cum enim omnia ea, quæ maleficorum artibus exſtructa ſunt, aliquando pereant neceſſe eſt, tum inprimis huius inmaniſsimi hominis, ſi tamen homo eſt Norabroc, maliciæ frangendæ, & debilitandæ audaciæ rationem poſteris reliquit quædam, ſiue illa Dea, ſeu Sibylla, aut Nympha fuit; quæ viuens inter homines ante multa ſecula, cum pro conceſſo diuinitatis munere prouideret, quantam cladem funeſtus Norabroc aliquando nobilitati eſſet daturus, quantusque futurus honeſtatis virtutisque hoſtis, ipſa contra earum amantiſsima, opere miro gladium fabricata eſt aureum, manubrio gemmato, cui eam virtutem indidit, vt ſolus artibus Norabroc reſiſtere, & vanas eas reddere poſſet. huncque gladium (cum Deus & fortuna dediſſet vſui futurum) depoſuit vbi ſuo tempore inueniretur; inuentusque fortaſſe pridem fuiſſet, niſi hoc quoque, vt alia multa, genii mali deuotiſsimo ſuo Norabroc indicaſſent, qui ea re anxius, cum vim gladii, aut fatum ſuum vincere non poſſet; hoc ſaltem excogitauit, quo diem ſibi vitæ, & aliis infinitis miſeriæ proferret; allatum ſibi eum gladium ſummitati rupis, quæ ex aduerſo eſt Arci Tenebroſæ, ita infixit, vt non niſi à ſui æui fortiſsimo equite educi poſſit. Cui vt plus etiam negotii faceſſeret; aditum ad hanc rupem*

Narratio præ nata de malefico Norabroc.

Arx Tenebroſa à quo & quare ædificata.

Ratio expugnandi Arcem Tenebroſam.

*rupem triplici claustro, ac difficultate muniuit, cuius triplicis pericu̇li hæc est ratio.*

Pericula subeunda tentaturo fortunam arcis tenebrosę.

I. Certamen & eius leges.

*Quicunq; armatus (more equestris ordinis, dum quærimus vbi virtutem nostram bene collocemus) in eas oras venit, necesse habet intonare cornu ad hoc ex pila suspensum, si loci fortunam tentare velit; quo facto ex turricula proxima prospectat pumilio, qui viso armato, rem domino suo interius pugnæ parato renuntiat; quo ille accepto, nullius rei alius memor (ita enim artibus Norabroc facere cogitur) quam arcendi ab aditu aduentitij; equum conscendit, scutum candidum rubro Gryphe signatum, & hastam sumit, obicemq; medium remoueri iubet, & cum aduentore tribus congreßibus hasticis certat, eumq; ijs victum ad Maleficum Norabroc in vincula & fœdißimum carcerem compingendum mittit; victorem vero ex lege loci transitu impedire desinit; quod etiam perinde facit, si ante decursionem tertiam vulneratus, nudatusue armis fuerit; vt è diuerso, si aduentor vulnus acceperit, aut armis nudatus fuerit (ita vt sæpius concurrere nequeat) prima etiam aut secunda coitione, nihilominus compedes terere cogitur, & in neruum ducitur.*

II. Certamen & leges eius.

*Occupato, quo diximus pretio, primo transitu, ad secundum venitur; vbi aduentor excipitur altera equestri pugna ab Equite Nigræ Aquilæ, custode loci; sed in qua post vnicam hasticam concursionem, gladijs res geritur ad septimam vsq; vtrimque petitionem. atque hic quoq; victus aduentor in vincula abducitur, victor liberè transitu potitur. obseruatione de vulneribus, aut armorum vtrimq; amißione, eadem, quæ ante, hic quoq; locum habente.*

III. Certamen & eius leges.

*Si igitur tam feliciter aduentor rem gesserit, vt hanc quoq; secũdam difficultatem eluctetur, ad tertiam mittitur: vbi Equitem Leonis Aurei obuium habet; ad cuius conspectum equo descendere cogitur, & pedes cum eo digladiari, dum alter vulneratus exarmatusq; fuerit, aut laßitudine defecerit. quo casu rursus aduentori victo carcer hospitium est; victori via inoffensa patet ad nauem, quam impune conscendit; ibiq; prænomen & nomen suum profiteri tenetur, vt a nauarcho catalogo fortium virorum inferatur; quo facto ab eodem nauarcho eiusq; ministris ad rupem ducitur, vbi si vna luctatione & impetu gladium illum nobilem educere valeret, haberent iam finem suum artes malefici Norabroc; arxq; eius conspicua fieret, & captiui omnes libertati restituerentur. Cũ vero hoc ille præstare nequit, serto siue corolla ad virtutis eius testificationem donatur, & retro, sed impune, abit; ac pugnæ deinceps expers reuertitur. quod ipsum quoq; non Norabroc mago, sed prouidentißimæ illi Nymphæ, gladii fabricatrici, imputandum putatur.*

Victoris, qui tamen gladium educere ex rupe nequeat, merces.

*Cæterum sunt hi tres singulari certamine, quo diximus modo, vincendi,*

*cendi, præsentissimæ virtutis, inuitique (a mago alienata mente) hanc consuetudinem tuentur. quam si compotes sui essent omnibus modis impugnarent, & abolere contenderent.*

*Accepimus & illud præterea super hoc negotio, qui gladium educere poterit, ei ex nauarchi sententia et præscripto facienda omnia, quem maior vis quædam contra Norabroc semper hactenus tuetur; quo ita in Arcem Tenebricosam penetrare valeat, qui est extremus labor. quod tum virtute gladii, quem victor manu vibrabit, nubes quæ arcem cingũt in aerem se purgaturæ, ac Norabroc, artibus eius inualidis redditis, obnoxius pœnæ futurus sit, quam iam pridem meruit.*

*De reliquo nihil est quod tentare fortunam hanc vereatur quisquam, aut eo metu ne telis in aduersarios deficiatur, aut eo certe, ne vnus a pluribus opprimatur, aut etiam victori aditus denegetur; nam his quoq; rebus a prudentissima illa Sibylla consultum est; inuenturi enim sunt, qui se huius honoris candidati profitebuntur, ad singulos aditus tela recentia. neq; deerunt æquissimi vbiq; iudices, qui cuiq; suum ius tribuant, & nulli iniuriam fieri patiantur.*

*Audisti, inuictissime Imperator, quæ sit iustissimarũ nostrarum precum ratio, & quomodo opprimi possit nefarius latro, qui nos omnes tuos spe iam deuorauit, reliquos multos pridem carceribus suis colonos dedit, quod te supplices rogamus obsecramusq;, Cæsar Auguste, cures ad hanc tam nobilem expeditionem euocari quidquid est vsquam, quod virtutis amans, ordinis equestris & armorum studio ducitur. neq; enim dubitamus, quin tuis auspiciis potissimum hæc gloria debeatur. cuius compos, non differes (quod optamus & speramus) nefandum Norabroc promeritis afficere suppliciis: hocque secundiore in aliis quoque numine vteris. quod cum intelliget contemtæ maiestatis suæ à maleficis huiusmodi vindictam tibi curæ esse, omnia tua consilia in posterum quoq; fortunabit, in quo vno summa votorum consistit tuorum subditorum, inter quos deuotissimum se semper tibi fore profitetur,*

*Totus equestris ordo Belgicus.*

*Quia vero, vt supra attigimus, huius expeditionis gloria, & educti ex rupe gladii decus, fato debebatur ei, qui sub sole viueret fortissimus idem, & virtutum omni genere florentissimus. vti in comperto esset hunc esse serenissimum Philippum, Hispaniarum Principem, inuictissimi Caroli V. Imp. filium, instituit serenissima Maria, vti extremo loco, cum alios omnes ea gladii eductio frustrata esset, sereniss. Philippus fortunam tentaret, victorq; euaderet: quod & factum est, vt ex serie narrationis cognoscere licebit; quam ita continuabimus.*

*Vigesimo quinto Augusti, cum tres illi equites, quos omnium certa-* Initium horum ludorum bellicorum.

*mina sustinere debuisse diximus, tribus diuersis locis, & pugnandi generibus; armati instructiq; suum quisq; tabernaculum occupasset; ecce tibi*

I. ...es erro... ...atutus ...turā Ar... Tene... ...rosæ. Eques Tenebrosus.

*primo loco aduenientem equitem primo ætatis flore gratiosum, vnico famulo comitatum, qui illius hastam ferret. vterq; autem atricolorib. & tunicis, & equorū stratis vtebatur; ijsq; non ex subtiliore aliquo & pretiosiore, sed crassiore & viliore panno. atq; hic sese Equitem Tenebrosum dici volebat; req; ipsa tenebrarum statim compos factus est; victus enim*

...ictores ...ex.

*ad primam stationem, abducitur in vincula Norabroc à sex ad hoc designatis è nobilitate, qui flauo rubroq; holoserico amiciebantur; galeris prægrandibus Hungaricis capita obumbrantes, & dextris secures militares ferentes. horumq; erat etiam obicem pontis remouere ad cuiusque nouitii pugnatoris aduentum. cæterum Tenebrosus noster Eques erat*

Dynasta Chaumontius. Comitis Arenbergici, q & Eques Gryphis rubri, vestit°.

*Dynasta Chaumontius. Victor autem eius Eques Gryphis rubri, qui erat, vt supra quoq; dictum est, Comes Arenbergicus, indutus erat armatura aurata, cinctu & strato equestri ex panno argenteo, rosis holosericis vermiculatis sparso: quibus sericum candidum subinde interludebat: crista erat ex rubris & candidis plumis bicolor. Aderant autem ei*

Apparitores eius.

*Apparitores duo equites, amicti & ipsi tunicis rubris holosericis fenestratis, serico candido exundante. sed redeamus in viam.*

II. Tres equites erronees tēntaturi fortunam.

*Tenebroso Equite condito in carcerem aduentabāt tres simul equites, induti eodem vestitus genere, puta tunicis ex aureo panno fuscis, & fenestratis, fultura serica candida: cristis concoloribus. hos præcedebat adolescens habitu muliebri, antiquum & priscum ad morem: fusco item, & ex panno aureo. quem chlamys aurea semicooperiebat. equitabat autem tellenonem, famulo ad pedes iuxta currente. quiritabat autem, Deumque atque hominum fidem implorabat, contra quendam, à quo sibi vim illatam querebatur; quem consequi diceret. inprimis autem ad stationes singulas custodes earum & defensores obsecrabat, pœnas sumerent de eo improbo, qui haud dubie mox insulæ fortunam tentaturus esset.*

I. Eques VV. Joannes à Cunia. Arenbergius læsus.

*Primus autem trium Equitum, quos concolores simul venisse diximus, Equitem se vocabat VV. erat autem Joannes à Cunia Hispanus; isque secundo concursu Arenbergium satis grauiter læsit, & ita, vt pugna in posterum abstinere deberet, amisso vsu digiti vnius dextræ manus. concessus est igitur primus transitus equiti VV. ad secundumque qui Periculosus, siue Incertus nuncupabatur, cornu signum datum est: & egressi duo Apparitores candido & nigro serico fenestrato bicolores, alter aduentori hastam, alter gladium obtulit. sequebatur continuo Hochstratanus, quem bene instructum armatumque vehebat equus præualidus, cuius stratum, quemadmodū & cinctus domini, erat*

ex panno

*ex panno argenteo, nodis in se redeuntibus ex holoserico nigro subinde interpolatum. quorum nodorum medio rosa erumpebat. cum hoc congressus Eques VV. etsi omnia faciebat equo tamen descēdere tandem, & in neruum ire coactus est.*

*Loco autem vulnerati Arenbergij, primi aditus custodiam suscepit vnus ex tribus erronibus qui erat Dynasta Hubermontius, Cæs. Maiestatis cubicularius, cum fratre seniore Comite Hornano.* II. Hubermōtiꝰ loco Arēbergij in prima statione.

*Tertius autem eques erat Petrus Ernestus Comes Mansoueldicus qui se dicebat Equitem Albæ Mulæ. hic virtute primum & secundum aditum occupauit, & ad tertium cum Equite Leonis Aurei (qui amiciebatur holoserico rubro segmentato, peniculamentis aureis) viriliter sanè dimicauit fractis tribus gladijs, sed cum quartum nescio quo casu aut infelicitate è manib. amisisset, in carcerem ire necesse habuit. atq; hic finis certaminum eo die fuit, iam enim nox inminebat.* III. Eques Albę Mulæ Comes Mansoueldicus. Finis certaminum primo ludorū horū die.

*Postridie vero statim à prandio aderat Dynasta Pelousius Burgundio, dictus sua voluntate eques Scuti Viridis: gerebat autem cinctum, ipsiusq; equus stratum, ex panno aureo alternantibus, russo viridiq; coloribus. atque hic quoque ruptis dexterrime tribus hastis ad primam, & obtento transitu contra Dynastam Thourlonium (qui prouinciam Hochstratani, pridie in dextra vulnerati susceperat) ad secundam stationem, tertia pugna, quamuis strenue rem aliquandiu gereret, superatus, amissoq; gladio in vincula ductus est.* Initiū certaminū secūdo horū ludorū die. I. Eques Scuti Viridis, dynasta Pelousius.

*Sequutus est Rodricus Bassanus Hispanici generis, dictus Petrus Vermādesius, qui etiam ad tertiam stationem impegit, & abductus est.* II. Eques erro, dictꝰ Petrꝰ Vermadesiꝰ, re vera Rodricꝰ Bassanus.

*Hispanum Burgundio vlcisci studebat, Dynasta Courlauius, dictus Eques trium Stellarum, quod cinctum gereret, equusque illius stratum ex serico viridi, holosericis concoloribus limbis, crebris stellis aureis vtrunque illustrantibus, sed ad primam stationem equo descendere, & duci iussus est.* III. Eques Triū Stellarum Dynasta Courlauiꝰ.

*Redijt autem iterū fortunam tentaturus, pridie victus, Petrus Ernestus, Mansoueldicus Comes, edebatq; nomen Equitis Plumarij. sed altera coitione ita illi hasta impacta est in galeæ fenestellas, qua visus trāsmittitur, vt naso cōsciſſo pro mortuo elatus sit, vereq; iudicio omniū moriturus fuerit, nisi armorū bonitas ictus violentiam nonnihil infregisset.* IV. Eques Plumarius Comes Masoueldicus.

*Primus à Mansoueldico fuit, scuto cœruleo stellis sparso, qui erat Dynasta Noyellæ, Belga, & ad Terroris turrim, cum hactenus feliciter pugnasset, victus, quod alij passus est.* V. Eques erro, dynasta Noyellius.

*Venit inde Iacobus à Leyua, Hispanus, Eques Indicus appellatus. erat autem indutus tunicis atricoloribus, holosericis auro pictis, sed ad secundam stationem deditionem sui fecit.* VI. Eques Indicus, Iacob. à Leyua.

VII. Duo eqtes errones Hũgarici dicti. Princeps Ascolanus.

*Sequebantur duo rubris holosericis segmentatis oblongis vestibus, marginatis auro, fascias sericas flauas transuerso pectore gestantes, seq; equites Hungaricos nominabant. sed horum alter Princeps Ascolanus, ad secundam, alter ad primam statim stationem captus est.*

VIII. Eques erro, Iacob. à Cunia, dictus Gonartus à Stella tenebrosa.

*Neq; meliore vsus sorte Iacobus à Cunia, dictus Gonartus à Stella Tenebrosa; perinde ad primam stationem abductus in ergastulum.*

IX. Eques erro Ioãnes Guixada, dict' Guilielmus Superbus. Dynasta Bossuuius. Guixada primus in insulam traijcit.

*Primus autem qui virtute in insulam transmisit, fuit Joannes Guixada, qui ediderat nomen Guilielmi Superbi. vestiebatur hic holoserico fusco, auro marginato; itaque se gessit ad singulas stationes, vt meruerit à Dynasta Bossuuio, S. Cæsar. Maiestatis Stabuli Comite, naue excipi, & in sede collocari splendidissime strata sericis vestibus segmentatis: Remiges vero induebantur thoracibus & caligis follicantibus bicoloribus ex serico candido rubroque. expositus in insula à nauarcho, ductus est ad rupem, vbi cum eductionem gladij frustra tentasset, donata est illi virtutis causa nomine reginæ à nauarcho corolla; qua auctior per stationes omnes in equo sublimis ad suos redijt.*

X. Ludouicus Guixada, isq; secundus insulã traijcit.

*Proximus, vt sanguine, ita ordine & fortuna pugnandi fuit Joanni germanus eius frater Ludouicus Guixada; qui perinde corollam fortitudinis præmium rettulit, nequiquam cum gladio luctatus.*

11. & 12. Marchio Cieurẽsis terti', & Ferdinãdus de la Zerda quartus in insulã traijciũt.

*Par causa & euentus fuit in fratre Ducis Arscotani, Marchione Cieurensi, qui eques vocabatur scuti Rubri, tribus Æthiopum capitibus signati: vestiebaturque panno aureo atricolore; & Ferdinando de la Zerda, Hispano; equite Fortunæ, induto holoserico fusco & candido; quorum vterque superatis custodijs coronatus redijt.*

13. & 14. Eques Inopinatus, dynasta Chaumontius, & Eques Florestan', Dynasta Valusius victi.

*At Eques Inopinatus, qui erat Dynasta Chaumontius, pridie etiam victus, & Eques Florestanus, dominus vero nomine Valusius, Belgæ ambo, ad alteram stationem se dediderunt.*

15. & 16. Quintus in insulã traijcit Zapatta; sed Zeuendius capitur.

XVII. Eques Mõtis tenebrosi Dynasta Monceauius victus.

*Quintus in insulam transmisit Ludouicus Zapatta, Hispanus; vtens veste flaua holoserica. sed Joannes Zeuendius æquè Hispanus, dictus Eques Lugens, ad primam stationem equo descendere coactus, in Arcem Tenebrosam abductus est; idemq; euenit ad secundam Equiti Montis Tenebrosi, qui erat Dynasta Monceauius.*

18. & 19. Sextus traiecit Eques Solis, Comes Meganus; sed Eques Stellatus, Sampaygni' includitur carceri.

*Sexto loco virtute in insulam traijcere meruit, Comes Meganus, Eques alioqui Solis; cuius cinctus stratumque equestre erant ex fusco holoserico fenestrato, ad crucium crebrarum formam, quæ exundabant pannum argenteum: nec abfuisset fortasse ab eadem gloria socius eius armorum perinde vestitus, Dynasta Sampaygnius, Eques Stellatus, si non ad stationem alteram dum equum suum in gyrum agit, in equum aduersarij impegisset ita, vt conciderit. quo nomine carceri includendus abstractus est.*

*Septi-*

*Septimam corollam abſtulit Gaſparus Robleſius, Hiſpanus, Eques Lunæ: qui cum aditum ſecundum occupaſſet, detrectauit cum eo certamen aut quoquam alio vlterius Egmondanus, quod ſibi a iudicibus iniuriam fieri diceret, vt q multos in inſulam traijcere permitterent, qui eam gloriam virtute non meruiſſent: ſuffectus eſt ergo Egmondano, qui ad ſtuporem vſq; omnium rem gnauiter & ſtrennue hactenus geſſerat; apparitor ante eius, Dynaſta Truilerius Gallus, cum quo congreſſus Robleſius, tandem inſulam tenuit, ſolito honorario muneratus.* XX. Septimus in inſulam traijcit Robleſius, Eques Lunæ. Comit. Egmondani indignatio & virtus.

*Sed dynaſta Quirinanus, Eques Erraticus ad alterum; dynaſta autem Preuxius, Eques Roſarum, Belga, ad primum aditum manus dedit. Hinc Garna ab Ayala, Hiſpanus, Eques Mortis; atricolor totus, caluarijs albentibus in veſte intextis, prodijt in harenam; Muſicis Sereniſſ. Mariæ in equis præcedentibus et næniam funebrem modulantibus, quod illi credo omen fuiſſe, cur primo ſtatim congreſſu caperetur.* 21. & 22. Eques Erraticus & Eques Roſarum. XXIII. Eques Mortis, Garna ab Ayala.

*Comparuit exinde quidam veſtitu ex ſerico cœruleo plumis flauis & rubris obtecto, & concolore ſerico marginato, dictus Eques Baſiliſci, cum re vera eſſet nothus Mingouallius, qui ſuperiori pedeſtri certamine adeo bene rem geſſerat; isque hic quoque corollam meruiſſet indubie, gladio enim optimè vtebatur, eoque nomine Egmondanus in aduentum eius mucrones aliquòt primæ notæ ſepoſuerat; ſed ad ſtationem primam equeſtri pugna male acceptus, captiuorum numerum inuitus quamuis augere coactus eſt.* XXIV. Eques Baſiliſci, Nothus Mingoualius.

*Corollam octauam rapuit virtute Aulicus quidam Ducis Arſcotani, dominus Maleus nomine, Belga; qui ſe dicebat Equitem Temerarium; indueratque veſte ex toto candida & holoſericata.* XXV. Eques Temerarius D. Maleus.

*A Maleo proximus venit Dynaſta Zucerius Burgundio, appellatus ſua voluntate Siluaticus Guido: eiusq; cinctus ſtratumque equeſtre erant ex panno aureo. atq; hic ad primam, & iterum ad ſecundam ſtationem rem geſſit ita fortiter, vt ad tertiã tranſire impune potuerit, vbi etiam aliquot gladios fregit, ſed cum impatiens moræ exſpectare nollet dum gladij recentes afferrentur, aduerſariumq; impeteret fruſto rupti mucronis, ad carcerem & vincula eius inmodeſtiæ cauſſa damnatus eſt.* XXVI. Siluaticus Guido Dynaſta Zucerius.

*Ad extremum proceſſit Sereniſſimus Philippus Hiſpaniarum Princeps, cum comitatu ſuo, & armorum ſocijs. induebantur autem omnes holoſerico rubro vermiculato, feneſtrato ad formam floſculorum; fulturaq; exundante argentea, marginibus aureis. ſimiliaq; erant equorũ ſtrata: gladiorum quoque manubria, fibulæ, bullæque baltheorum & cingulorũ ab auro renidebant. ipſa vero cingula, balthei, vaginæ ex holoſerico rubro erant: criſtæ quoque alternabant candidos rubroſque colores.* XXVII. Princeps Hiſpaniarũ cum ſuis.

I. Eques Anonym' Marchio Piscaræ.

*Primus autem comitum & sociorum Principis erat Marchio Piscaræ, filius Marchionis Guastij, Italus: qui se dicebat Equitem Anonymū. isq; quamuis imberbis adhuc, illis animis rem gessit, vt coronatus redierit ex insula.*

II. Eques Albæ Rosæ Noirquermius.

*Secundus erat Dynasta Noirquermius, Belga, Eques Albæ Rosæ. sed qui ad primum aditum abductus sit in Arcem Tenebrosam.*

III. Eques Cœruleus Marchio Montensis.

*Tertius Marchio Montensis Eques Cœruleus à cœrulea armatura vocatus, ad secundam stationem penetrare potuit, vlterius progredi, id vero non potuit.*

IV. Dux Allobrogum.

*Quartus Princeps Pedemontanus, siue Dux Allobrogum, Sabaudos nunc vocamus, tantum virtute enituit, vt corolla honoraria vertici eius, cum insulam tenuisset, sed gladium educere non valuisset, imposita fuerit.*

V. Ipse Philippus Princeps.

*Iam quintus, qui erat Serenissimus Hispaniæ Princeps Philippus, præterquam quod ad primam stationem duas priores hastas dexterrime iactauerit, comminueritque; tertiam ita valide torsit, vt in decem & amplius frusta dissilierit. defunctus hac pugna, secundamq; aggressus, & hasta & gladio ita vsus est, vt ab omnibus miris laudibus veheretur. neque tertio in certamine minor eius animi præsentia, virtusq; fuit. quare præcipuo quodam cum honore & cærimoniarum solennitate in insulam traiecit, & ad rupem ductus est; ex qua primo statim molimento, nec eo ita magno, gladium fatalem eduxit;*

Philippus Princeps fatale gladiū educit.

*ergo ingenti gaudio ad Arcem Tenebrosam via illi monstrata est; cui cum appropinquasset gladium dextra vibrans, continuo lintea omnia, quæ nubium densissimarum speciem præbebant in circuitu, conciderunt ad terram, arcemq; prodiderunt, & omnibus conspicuam reliquerunt. In aditu tamen stabant armis omnibus instructi & ad pugnam parati tres equites, scuta sinistris, exertos gladios dextris gerentes, tanquam eo prohibituri aduentores;*

Arcē Tenebrosam Philipp' capit, & in nihilu redigit.

*sed vt quisque fatali gladio à Principe Philippo feriebatur, ita ad terram cadebat, tanquam vi gladij in mortem, aut certe soporem collocatus. Occupauit ergo aditum victor, statimque arx tota ad terram corruit. in area vero obuiam ei venit Dynasta Corbaronius, quem maleficum dicebāt, & Norabroc ordine litterarum conuerso indigetabant, veste Attalica talari, & in capite cidarim ferens, Æthiopum de more, barba autem illi erat incana, & valde promissa. hic conspecto Principe ad genua illi accidit, clementiam eius implorans, captiuosque omnes illi restituens; quorum pompa comitatus princeps in palatium redijt.*

Finis ludorum.

*Atque hic finis fuit expeditionis illius, & certaminis spectatu sane dignissimi. quippe cum sæpe eodem tempore videre esset tribus locis ardentes pugnas tanta contentione, vt de vita & sanguine dimicatio suscepta inter partes videri posset.*

SIMV-

SIMVLATA EXPVGNATIO ARCIS, TAMquam receptaculi latronum, exhibita à Regina Maria primo ab vrbe Bintzio lapide, anno cIↄ. Iↄ. XLIX. XXIX. Augusti.

XXV.

*PRæter ea autem quæ diximus curarat etiam serenissima Regina Maria ad primum fere ab vrbe Bintzio lapidem è regione amœnissimi illius secessus & fama vulgatissimi, quem ipsa quoq; ædificandum, & delitijs elegantijsque omnibus instruendum curarat, deq; suo nomine Mariæmontem dixerat: huic dico exaduersum in colliculo arcem exstrui iusserat quadratam; vallo, fossa, propugnaculisq; munitam. quorum propugnaculorum duo spectantia Mariæmontem ex coctis lateribus erant, quatuor pedum spissitudine; adiecta munitione extrinsecus alia lapidea, latitudine facile decempedali. cætera erant lignea & ex tabulatis excitata, æque tamē colorib. veros muros & muniones mētientia. In medio turris erat, tamquam specula; ex qua signum daretur, quotiens ad arma coiri oporteret. cui rei vt occasio esset proclivior, ex consilio eiusdem serenissimæ Mariæ reginæ XXVIII. Augusti, cum præsente Cæsarea Maiestate, Serenissimo Principe Hispaniarum Philippo, reginis Galliæ & Hungariæ, toto denique procerum consessu choreæ institutæ essent; adueniens Princeps Allobrox cum trib. alijs armatus totus, sed tegens armaturam tunicis ex aureo & argenteo panno, opere plumario passim condecoratis. ducensq; sic vt erat personatus, personatam mulierem manu; veste ex panno argenteo margaritis lucente vndique; galero autem oblongo, peregrino, & antiquo plane more: cœpit ipse socijque tres cum eisdem quas tenebant, quæ erant Princeps Spinensis, Comes Mansoueldica, Comes Reussia, & domina Bossuta, choros decenter ducere; in quo dum toti sunt nostri quatuor personati, ecce tibi superuenientes ex inopinato nouem alios personatos, qui perinde arma tunicis Attalicis viridibus Æthiopum ritu consarcinatis, celabant; strictisque statim gladijs in quatuor priores impressionem fecerunt, quorum etsi abiectis statim tunicis præsentissima fuerit virtus, posteriores tamen, vtpote bis tanto plures, pars illorum sustinent vim, pars ereptas eis mulieres abducunt, & parato ante palatium currui aurato, & viridi holoserico intecto (equis quoque perinde & aurigis phaleratis ornatisque) imponunt; sicque simul omnes prælucentibus crebris funalibus facibusque Mariæmontem ea ipsa nocte contēdunt. Qua dolentes iactura & iniuria, vt par erat, quatuor illi a quibus mulieres abductæ essent, Cæsarem adeunt, supplicesque ab eo petunt raptores vl-*

Descriptio Arcis.

Personata saltatio.

Pugna inter Personatos.

Raptus Principum fœminarū.

*res vlciscendi potestatem. simul orãt, dignetur postridie cum procerum comitatu ad Mariæmontẽ adesse, & in re præsenti oculis vsurpare vindictam, quam de tam nefarijs latronib. sumpturi essent. quibus ipsorum votis cum pro sua clementia & æquabilitate annuisset Imperator, ideoque postridie circa decimam horam cum sereniß. Principe filio, reginis, aulicisq; & palatinis officijs, Mariæmontẽ venisset; theatrumq; sibi ante præparatum, auleisq; splendidißime stratum conscẽdisset; ad læuum latus arcis, quæ è regione erat, & in qua raptæ detinebantur, turmæ equestres primum, quibus præerant Comites Egmondanus, & Arenbergius, quadringenti numero equites, à rebus omnib. instructißimi in acie collocantur in tumulo quodam: peditibus (qui erant omnes veterani & emeritæ prope militiæ, ex præsidijs vicinis ad hoc ipsum à regina euocati, implebantq; signa sex) ante ipsam arcem ordine perinde constitutis. Nobilitas autem aulica Cæsaris, non ad vsum tantum, sed etiam ad ostentationem armis magnifice fulgens, Belgis equitibus se coniunxerunt; qui diuisim candido atroq; coloribus in omnibus vtebantur. trecentis fere ab arce paßibus loricula ducta erat, pro qua prætenturæ obijciebantur, cratesq; viminei plurimi, terra pleni. inter quos æqualib. fere interuallis duodecim tormenta muralia disposita cernebãtur. A lateribus etiam hinc inde colubrinæ duæ locis arci verberandæ maxime oportunis collocatæ erant. In arce vero quatuor erant signa nigra, flauaq;, trecentis circiter capitibus sub his militantibus; quibus de machinulis manuariis, cæterisq; ad propugnationem munitionis necessariis, abunde prouisum cautumq; erat. Auersa autem parte ab arce Stipatores Cæsarei eodem omnes habitu in siluula se condiderant. Atque sic se habebant res extra intraq; arcem; cum missus est qui deditionem eius sibi fieri posceret. qua negata, velitationibus creberrimis & ardentißimis locis multis pugnari cœpit: & obsidentes quidem modis omnibus prohibere, ne quid vltra in arcem cõmeatus inferretur; præsidiarii contra crebro erumpere; prædas agere, armenta gregesq; in munitiones compellere; non aliter, quam si vero vultu, & ex animo lõga obsidio metueretur. multi ad hæc vtrimque captiui abducebantur: postremo omnia non aliter fiebant, quam si serio res ageretur; nisi quod tormenta tam manuaria quam maiora illa & currulia terrore duntaxat sæuirent, inania à sphæris cuiuscunq; etiam generis: donec post multas vltro citroq; vicißitudines tam equitum quam peditum, maioribus tormentis verberari cœperunt magno & vero impetu illa, quæ diximus, lateritia propugnacula; atque ita quidem, vt vndique concussa cum magna parte muri procumberent. qua ruina inuitati obsidentes pedites magno clamore impreßionem faciunt; præsidiarij contra territi ad arma quoque conclamant magno campanarum*

Oppugnatio arcis.

*boatu,*

*boatu, & tympanorum sonitu: concurritur igitur ad murum, signaq; in ipsius ruinis quoq; defiguntur; alibi igne, alibi pice, alijs alibi præsidijs hostis adscensu prohibetur. interimq; tormenta, sed innocuis fragoribus, hinc illinc iuxta suas partes agunt. sed post quartam fere horæ obsidentes retro abeunt; iteratoq; tormentis propugnacula quatiunt; quodq; integrum adhuc in eis erat, aut ruinam minans, euertunt: sicq; tantum non fossas complent; satagentibus interim intus præsidiarijs, & nouas munitiones ducere, vallumq; alterum iacere conantibus, nequiquam; dum enim in arce trepidatur, & consultatur; extra arcem vero a pedite parato ad alteram impreßionem in procinctu statur; nobilitas aulica Cæsaris palatinaq; officia ducibus Principe Pedemontano, Duce Holtstenio, & Principe Aurasino equis descendunt, sumptisq; galeis obsidionalibus, & sarißis, arcem corona inuadunt, scalisq; iniectis vndiq;, muros occupant; propugnatores ex eis deturbant, & quamuis multa ipsi quoq; inter hæc paterentur, sæpe præcipites dati, & cominus pugnare coacti, vimq; ignitorum telorum & alia huiusmodi experti, pertinaci tamē studio, infractisq; animis contendentes, tandem quod volunt vincunt, atq; arce potiuntur; raptasq; ad Cæsarem, & inde in vrbem reducunt. Eodem Cæsare multum collaudante partium duces; quod negaret visum sibi vsquam gentium belli simulacrum, quod ad verum discrimen propius in speciem acceßisset. nec tamen vlla iactura memorabilis vtrimque accepta memoratur. tantum generosus admodum equus Dynastæ Pelusii Burgundionis in velitatione nescio qua hasta confossus, sub domino defecit; multisq;, & in ijs præcipue Sampaynyio dynastæ adusta barba, vestesq;; nec pauci ex casu grauiter doluerunt, sed citra vitæ periculum tamen omnes. Interea vero dum crebris eruptionibus exercerent obsidentes arcis præsidiarij; regina Maria Cæsarem cum filio, & regina Galliarum in eodem vnde spectabat theatro lautißimo & splendidißimo excepit prandio; obeuntibus officia dapiferorum, structorum, & pocillatorum viginti quatuor virginibus primarijs, ex eiusdem reginæ Mariæ Gynæceo; ita vt nulli virorum conuiuium hoc patuerit, Albano Duce excepto, tamquam Principe Oeconomo. Ex viginti quatuor autem his virginibus octo Nymphas capitibus & brachijs nudis, octo mentiebantur pedo & galeris aduersus solem imbremque latißimis pastorum filias, greges suos seruantes; octo deniq; reliquæ Dianæ comitib. aßimilabantur; pharetris, arcubus, iaculis, & cornu venatorio armatæ. cætera vestis erat perinde omnibus ex argenteo aureoque panno; gemmis, margaritisque varie distincta adeo, vt pretium earum inire difficile cunctis videretur.*

Prandium Triumphale.

## LVDI EQVESTRES ITIDEM BINTZII CElebrati, eodem adhuc anno cIɔ.Iɔ.XLIX.

## XXVI.

ANte diem III. kal. Septembres Bintzÿ in foro rursum equestres ludi editi sunt, a sexaginta cataphractis, qui quini subinde ratißimo ordine & serie concurrebant. ad quam rem etsi locus angustus satis erat; septis nihilosecius antiquario more pictis ornabatur, simul, muniebaturque: patentibus infra supraque duabus portis, quarum aliæ ad introitum comparatæ erant, exitum aliæ dabant ÿs qui certamine defuncti erant, quod contingebat quinta quaque coitione absoluta. Hi autem sexaginta cataphracti in duo agmina æqualia diuisi inuicem oppositi erant, spectante Cæsare & Reginis ex tabulato, à latere ad hoc parato instructoque. quini autem semper eodem armorum & vestitus genere vtebantur, quorum tres præcedentes duo subinde reliqui subsequebantur, egregie cristati, hastasque præpilatas manibus singulas gestantes. eratque spectatu dignus cum splendor singulorum, tum equorum cataphracta species mire oculos ad se trahebat, conspectuque sui pascebat: cæterum ordo quem tenuerunt hic fere fuit:

I. Contubernium Cataphractoru. Primo loco incedebant sereniſsimus Hispaniarum Princeps Philippus; Dynasta à Riuo, sodalis Velleris Aurei, Burgundio; Antonius Toletanus, Ludouicus Gomesius Siluius, & Comes Cyfuentius, Hispani tres. quibus omnibus erant vestes strataque ex panno aureo, sed fenestrata, & rosis, opere Phrygiano elaboratis, magnifice sparsa.

II. Contubernium. Secundi ibant Dynasta Bossutus, Sacræ Cæsareæ Maiestatis Comes Stabuli, & sodalis Velleris Aurei: Hanonius patria; Dynasta à Kalg, Burgundio, Ferdinandus de la Cerda, Ludouicus Guixada, & Joannes Manricquius à Lara, Sacræ Cæsareæ Maiestatis Oeconomus, cuius equus in concursu confossus est; Hispani rursum tres; quibus vestes erãt nigræ damascenæ, fenestratæ, exundante perinde damascena fultura, sed candida.

III. Contubernium. Tertÿ erant holosericati toti, colore eo, qui imitatur aurum; sed marginatis tunicis holoserico item atro fenestrato; Comes Egmondanus, Dynasta Freeneus, Dynasta Herbosius, Burgundio, cui in certamine brachium ruptum est, Princeps Ascolanus, Hispanus; & Dynasta Noyellius Belga.

IV. Contubernium. Quarti fuere veste ex fusco holoserico, limbis aureis, Comes Arenbergicus, qui tamen ob vulnus decurrere non valebat, Dux Holtstenius,

*nius, Dynasta Louorius, dynasta Lauacalzius, & dynasta Capellanus; hi omnes Belgæ.*

*Quincti incedebant fului & holosericati ex toto, Princeps Pedemontanus, Dynasta Frossartus, Vespasianus Gonzaga, Jtalus, Ioannes a Cunia, Hispanus, & dynasta Sampaygnyius, frater Atrebatensis Episcopi.* V. Contubernium.

*Sexti erant tunicis ex holoserico cineritij coloris, limbis ex holoserico item, sed atro, Dynasta Hoochstratanus, sodalis augustissimi ordinis Velleris Aurei; Dynasta Molembacensis, sodalis etiam Aurei Velleris; Dynasta Ballæus; Dynasta Monceauius, & Dynasta Irsonius; Belgæ omnes.* VI. Contubernium.

*Manipulum septimum conficiebant induti veste ex holoserico rubro segmentato, inscripta literis aureis, & aureis perinde peniculamentis; Comes Fockenbergius senior, dynasta Laufortius, Noyellius cognomento Paruus, dynasta Vattunius, cui hasta crus alterum perfossum est in certamine, & Dynasta Chaumontius, Belgæ.* VII. Contubernium.

*Octaui erant cærulei & sericati, marginibus argento splendentibus, Marchio Montensis; dynasta Santonæus, frater alter episcopi Atrebatensis: Dynasta Barmsalius, dynasta Trelonius, & Dynasta Vennigius, Belgæ.* VIII. Contubernium.

*Sequebantur noni induti holoserico per omnia candido, Comes Meganus, dynasta Sanct-Martinius, Belgæ vterq; Baro Corlaulius Burgundio, Dynasta Lambertus Allobrox, & Ludouicus Zapata Hispanus.* IX. Contubernium.

*Decimi erant veste ex fusco holoserico; Comes Hornanus; Dynasta Noircarmius; nothus Mingoualius; Belgæ; Gasparus Roblesius Hispanus, & N.N.* X. Contubernium.

*Vndecimi ibant Princeps Antoniensis, Marchio Cieuriæ, dynasta Preussius, dynasta Carebius, & dynasta Semeryius. induti omnes tunicis ipsi, equiq; eorum stratis, ex holoserico viridi.* XI. Contubernium.

*Claudebant agmen vltimi nomine Mansoueldici, cui nasus perscissus erat, decertaturus, dominus Lockingensis, dynasta Trenschantius, dynasta Maubeccius, dynasta Varluzeius & N.N. quibus omnib. vestis erat ex holoserico, colore inter nigrum & cineritium medio, fenestrato.* XII. Contubernium.

*Vniuersorum autem cristæ, cinctus, strata, balthei, vaginæ gladiorum, vestibus respondebant. Atq; hi cum multas inter se hastas, ita vt dictum est, quini inter se miscuissent; tandem triceni altrinsecus pugnam gladiatoriam cœperunt; spectaculum rei militaris studioso amœnissimum; nisi quòd pluuia, vel imber potius, qui illud nonnihil fœdauit, cum maximè ferueret hinc inde certamen, forte incidit. Erant*

 autem

*autem singulis partibus tubicines duodeni, alij flauo, candido alij holoserico ex toto vestiti. His omnibus ita ex ordine gestis Regina Maria apparatu regio nō Imperatorem tantum, eiusque serenißimum filium, & Reginam Galliarum, sed vniuersum comitatum quoque Cæsaris excepit in cœna; qua sumpta, ductisque in aliquantam iam noctis partem choreis; eadem serenißima Regina Imperatorem reliquosque abduxit in cœnationem aliam, in qua parte vna fons ex rupe scaturiebat, corallo magnifice condecoratus; qui quatuor venis vinum saccatum, siue decoctum ex cynnamomo, saccaro, alijsque abundantißime eiaculabatur. cælum autem siue tabulatum superius eius cœnationis, ad veri similitudinem, multis crebrisque luminibus odoriferis distinguebatur illustrabaturque. quæ scintillando sidera imitabantur. vna tantum parte in nubem cogi videbatur aer, tamquam tonitru & fulmina minitans, postque fulgurationes crebras, imbresque & grandines (quæ erant ex saccaro concreto, aquisque odoriferis) decidit supernè, veluti è cælo, mensa pilis quatuor fulta, siue quadripes, delitiis omnis generis referta. quas statim adstantes diripuere; modico inde interuallo post secundam fulminum tempestatem decidit alia quoque mensa tragematis plena; quæ cristallinis in phialis decentißime erant instructa; facta & ipsa statim præda eorum, qui proximi aderant, vt locus esset tertio casui; quo mensa decidit inter saccarea signa statuasque arbusculis virgultisque consita, inter quæ auicularum & animalculorum variæ species latitantes, cœnationem mox plausu alarum, & sonitu pedum, dum fugam capessere student, impleuerunt, dum reliqua ex saccaro aurato, vt alia præcedentia, in prædam quoque cedunt. in quo finis fuit triumphorum Bintzii concelebratorum.*

Conuiuiū triūphale.

## DE LVDIS EQVESTRIBVS CELEBRATIS in Italia inter Cæsareanos & Gallos, anno cIɔ. Iɔ. LV. XXVII.

*CVm exercitus regius in Italia, capta vrbe & arce Montecaluensi, feriaretur; neque otium pati possent Gallici proceres; periclitandæ virtutis gratia Cæsareanos, qui tum Atestæ erant, prouocarunt ad concursionem equestrem, non ludicram illam quidem, sed in qua singuli cum singulis armati more militiæ de vita simul & gloria certarent hastis præpilatis. Acceperunt libenter cōditionem prouocati, dataq́; fide publica venire iusserunt quib. laudis studium tantopere cordi esset. sed Galli veriti ne Cæsareani, qui locorū oportunitatibus superiores erāt, per fraudem tam facile assensionem præbuerint, mittunt ductu Dynastæ Thermei quingentos equites, & ducentos sclopetarios:*

*petarios, eosq́ clanculum subsidere iubent prope locum certamini destinatum: vsuri eorum opera, si res ita tulisset. Inde venitur ad condictum, concurrendique initium fecerunt; ex Gallis Dux Nemorosius, princeps iuxta animi & corporis dotibus clarus; ex Cæsareanis Marchio Pescariæ, æque magnanimus & expertæ virtutis: Exitus fuit, quod magna vterque dexteritate hastam suam comminuerit, sed sine noxa. quare conuersis equis, galeisque à summa fronte & ea parte qua fenestratæ sunt, & oculorum lumen transmittunt reseratis, amicè inuicem complexi sunt; alter in alterius admiratione defixi primum, mox familiariter sermonem conferentes, dum alij concurrunt. inter quos primi mox fuere Dynasta Classicus, Gallus, filius natu maximus Dynastæ Vasei, sodalis summi ordinis regij, & magister quinquaginta equitum cataphractorum; & Marchio Malespinæ Cæsareanus, sed fortuna non eadem hic quoque vtrique fuit; nam Marchio viriliter quidem hastam torsit, rupitque, sed aduersarij telo exceptus grauiter in collo vulneratus est; atque adeo quidem, vt iuuenis admodum adhuc hic princeps in paucis diebus vitam cum morte commutarit. Tertij processere Ductor ordinum Manezius, legatus siue optio Dynastæ Rupeposæi, & alter ordinum ductor Hispanus, Albus nomine, vbi, mutata sorte, Cæsareanus Albus regium Manezium ita adacto per collum ferro tractauit, vt die quarto extinctus ad plures abierit. Vltimo loco obtulit se ex Gallis Dynasta Monchanus, flammulam gestare solitus Piuarsij Dynastæ, præfecti quinquaginta cataphractorum; cui commissus est suo magno malo Comes Caraffa, Neapolitanus, nepos pontificius; quippe ferrum hostile per medium pectus ita admisit, vt à tergo semivlnæ lõgitudine extaret; vnde etiam ex equo defluens in vestigio exspirauit. qui ludus sane nimis serius videri poterat, nisi inter hostes & inimicitias professos cum maxime hæc euenissent. quibus ita gestis, vtraque pars, vbi honorifice prius inuicem appellassent, & valefecissent dixissentque, se ad sua recepit, neutra aut laudis, aut infortunij expers.*

I. Concursus Ducis Nemorosi Galli, & Marchionis Pescariæ Cęsareani.

II. Concursus Dynastæ Classici Galli, & Marchionis Malespinę Cęsareani.

III. Cõgressus Manezij Galli & Albi Cęsareani.

IV. Cõgressus Monchani Galli & Comitis Caraffæ Cęsareani.

## LVDI EQVESTRES PARISIIS CELEBRATI, in quibus letale vulnus accepit Henricus II. Rex Galliarum anno cIↃ.IↃ.LVIIII.

## XXVIII.



*Cum celebrarentur Lutetiæ Parisiorum nuptiæ Philippi Regis Hispaniæ, & Elisabethæ maioris Henrici II. Galliarum Regis filiæ, cum ingens apparatus, ornatusque visendus, tum vero summa totius aulæ vrbisque lætitia fuit: ad quas frequentissimi*

*mortales ex omnibus finitimis nationibus conuenerant, maximè Hispaniæque & Belgicæ primores. Præterea indicti erant more nobilitatis Francicæ ludi militares publici: quorum antesignani Rex ipse, & Duces Ferrariensis, Guisius, Nemorosus, qui sustinerent omnes paratos in certamen equorũ hastarumq; descendere, haud secus instructi armis, quam si serio dimicandum esset. Locum vero ad currendum in via Antoniana dimensi erant, proximè ædes regias, de nomine Turrium dictas: vbi reliqua celebritas erat peragenda. Ibi magna multitudo hominum cum liberis & coniugibus studio spectandi effusa, in theatris vtrinque structis, & vicinarum domorum tectis consederat. Vno & altero die iam certatum erat, non sine Regis gloria. Tamen interiores amici veriti, ne nimia defatigatio propter æstum, qui id temporis ardentissimus erat, valetudini incommodaret, orare atque obsecrare, vt modum faceret labori, lassitudinem vitaret, quisque pro sua virili à certamine reuocare. Iam factum satis vel amori in filiam, vel celebritati præsenti, vel fortitudini suæ; non decere Regem sine causa periclitari. Ille tamen tamquam lege fatali teneretur, nullis potuit eorum precibus flecti. Sed ludorum tertio die iam in postmeridianum tempus inclinato, redeuntibus equitum agminibus, sese conspicuum in equo, fulgentemque in armis ostendit, & cum tria quatuorve curricula strenue fecisset, deditis huic spectaculo omnium mentibus cum oculis, ludicrum repente deformatum est, & luctu misti hymenæi: vt sæpe finitimus est gaudio mœror, & dolor voluptati. Nam magno fortunæ casu euenit, vt Rex incidens in aduersarium valentem, cum ambo inter se multa vi hastas miscuissent, easque fregissent: in ipso concursu casside illisa, vulnus graue secundum tempora acceperit. Quo ictu tenebris ob oculos offusis, non parum est turbatus. Atque illum media inter talia collabentem adspicientes, obstupuere. Proximi tamen extemplo accurrere, recreare attonitum, erigere perculsum, detrahere arma, indidem chariores cruentatum & fere exanimem in cubiculum humeris deferre. Cæteri animis consternati discedere, vt oculos à tam acerbo miseroque spectaculo auerterent. Tum equites alij aliò sine ordine dilabi, hastas manibus deponere, ludicrum periculosum damnare. Adhoc mulieres, præsertim aulicæ, quibus vehementior dolor incesserat, affligtare sese, atque lamentari delitys omissis. Continuo etiam re cognita vrbis facies inmutata est in tristitiam ex summa lætitia, atque lasciuia, quam & pax recens & præsens celebritas pepererat: Ciues miserari regnum & regios liberos, si moreretur, manus supplices ad cælum tendere, templa adire, & pro eius salute vota nuncupare, omnia pauere, perinde ac si in eius diei casu, suarum fortunarum euentus consisteret.*

*ſiſteret. Confeſtim ſubſecuti ſunt medici & chirurgi, nec ita longo interuallo aduenerunt alij Bruxellis, miſſi à Rege Hiſpaniæ, quem conſtat clade hac ſoceri ſui vehementer doluiſſe. Atque omnes quam par erat operam & diligentiam ei curando nauauerunt. Sed quoniam plaga grauior erat inflicta, & minutæ quædam ligni particulæ in imo oculo dextro ſubſederant, quæ præ ſua tenuitate videri, & partis affectæ difficultate euelli non poterant, concuſſo quoque vehementer cerebro: cum alieniſſimo anni tempore laboraret, incidit in febrim, cuius vi, vndecimo die, quam caput vulneratus fuerat, conſumptus eſt. Nec in eo caſu quis ingemiſcentem audiuit, aut edentem vllam vocem indignam anteacta vita. Tantum dolebat cum in armis moriendum eſſet, in ludicro certamine, ac non potius in iuſta acie decertantem cum hoſtibus mortem oppetere. Certè exemplum præbuit cæteris Regibus, vt ſemper meminerint perſonæ quam ſuſtinent, & vt ei tuendæ maiorem cautionem adhibeant: præſertim cum intelligant ex ſua vita pendere tot hominum ſalutem.*

## DE LVDIS PEDESTRIBVS VIENNAE E-ditis in gratiam Imperatoris inuictiſsimi Ferdinandi, &c.

## XXIX.

*ANte publicationem ludorum certatim Viennæ, quibus id negotium demandatum erat, pro ſe quiſque prouidebat, & operam dabat ijs rebus comparandis, quibus in tam celebri pompa & feſto conuentu aliquo modo opus futurum videbatur. nominatim, quod ſpatium ante Palatium imperiale (Burgum oppidani vocant) interiacet, diligenter æquatum ſtratumque eſt; media fere parte eius exſtructo, opere ſubitario, atrio, ex tabulatis, ducendis ſolennibus choreis: cælo huius atrij inducto linteis cœrulei & cineritij coloris; ſcitè pictis, ad veriſimilitudinem. Innitebatur autem hoc quatuordecim columnis, æquali interuallo diſtantibus, e ligno illis quidem, ſed ita appoſite pictorum arte interpolatis, vt pro marmoreis in oculos incurrerent: capitellis & baſibus earum columnarum deauratis. medias autem quatuor occupabat ſuggeſtum excreſcentium ita trium tabulatorum, vti modica altitudine, vt primum à ſecundo, ſic ſecundum à tertio ſuperaretur. quo ex loco Cæſarea maieſtas cum ſereniſſimis liberis ſpectaculorum oblectatione frueretur: ad quam etiam rem paſſim*

Nymphæū exſtructū.

*roſis*

*rosis auratis distinctus erat. E regione autem huius tabulati aliud eductum est, sed quinque graduum; unde pro dignitate Proceres, Comites, Palatinaq́ officia, & Gentium, Regumq́ legati spectarẽt. tertium quoque ædificatum erat, ex quo Musicorum omne genus, æneatores, tubicines, cornicines, fidicines & id genus alij modulatis concentib. aures mulcerent; aut signum in pugna rem gerentib. darent. in atrio autem vtrimque scamna posita sunt, pretiosißimisq́ tapetis, & stragula veste instrata, in quibus matronæ virginesq́ primariæ considerent. Cæterum patebat hoc atrium in longitudinem passus admodum sexaginta; in latitudinem, quà erat arctißimum, viginti; quà amplißimi interualli triginta: ita in orbem & quaqua versum instructum, adornatumq́, vt pareret esse illud, quod dominis rerum oculis, & magnificis pompis adsuetis, specie sua posse placere consideret. auleis Attalicis, Turcicis, Phrygijs, gemmis, auro, argento late fulgorem iacientibus.*

Clasis deducta. *Ante diem vero IX. Kalendas Iunias Triremes nauesq́ aliæ è textrina in Danubium deductæ sunt. Ac prima quidem fuit ingentis magnitudinis Biremis (Columbinam vocabant) quæ vtrimq́ transtra habebat nouemdecim; atq́ ita in vniuersum trigintaocto: singulis duobus remigibus deputatis; prora autem eius prætexebatur tormentis maioribus mediocribusq́ septendecim; puppis quatuor; latera tribus, sed eximijs plane. Ex mali summitate duo signa prægrandia Damascena coloris rubri vento sinuabãtur. Præter q̄ multa eiusdẽ coloris & materiæ signa minora ex corbe, siue galea nauis, item à prora, à puppi, à laterib. paßim vndabant. ita deniq́ instructa, armataq́ erat eadem biremis omni nauali, bellicoque instrumento, vt vero etiam discrimini suffectura fuerit; etiam nauarchos, militemq́, cum præfectis eos vehens, quorum fortitudo industriaq́ non imaginarijs, sed serijs pugnis innotuisset.*

*Proximæ fuerunt vt mole, quippe trigintasex transtrorum singulæ, ita & armatura, duæ aliæ biremes; quarum tutelares diui erãt, Paulus, & Ioannes. nihilo fere minus & à munitione bellica, & ab instrumento nauali, socijsq́ naualibus instructæ, quam prima.*

*Sequebantur sex Liburnicæ; duodecim, tredecimve transtrorum singulæ; & quatuordecim perinde æqualiter machinis bellicis armatæ. velis, remis, telis, virisq́, præter aplustrium magnificentiam, ad quamuis fortunam paratißimæ.*

*Post has deductæ sunt aliæ Liburnicæ quoq́ tres, superioribus paulo minores; vtpote decem singulæ transtrorum; & ad omnem vsum expeditiores; ideoq́ tria tantũ tormenta vehentes: sed in reliquo nauali instrumento nihiliis, de quibus ante dictum est, debentes.*

*Inde quatuor diuersi generis naues agebantur paulo depreßiores, &*

Hippagi-

*Hippagini forma non admodum dissimiles, decem etiam transtrorum; hoc est remigum viginti singulæ. præter quos habebant nauicularios perinde singulæ tres, & præfectos militares quinque, armabanturq; a propra singulis, a puppi binis tormentis eius generis, quæ per deminutionem a Falconibus nomen habent. latera autem harum nauium, & ad ornamentum, & ad præsidium sui, scutis vtrimq; consertis apte præcingebantur; vtpote quæ militem veherent ex genere Hussarorum; quibus singulis arma, scutum huiusmodi valde habile, hasta flammulis coloris partim rubei, partim candidi, insignis, Gladius Turcicus, claua, siue sclopus.*

*Porro videre erat scapham textam ad eam formam Venetarum, quas illi populari lingua Gundulas vocant; quæ quidem constrata erat & ipsa vmbella lintea, rubro candidoq; distincta; non aliter his quoque minoribus nauigijs à rebus omnibus ad pugnam necessarijs instructis, quod ad arma, virosq; pertinet, quam si aduersus hostem hæreditarium Turcam educerentur.*

*Ante diem quintū kal. Iunias hora quarta fere pomeridiana, à Serenissimo Carolo, Archiduce Austriæ, præsentibus Stephano Demoures cognomento Himnaultio rege armorum Romano, & Guilelmo Pullenstrassio armorum rege Boemico, collegis eius, leges seruandæ ludis proxime edendis datæ sunt Ioanni Francolino, Regi armorū Vngarico; cum mandato easdem è vestigio publicandi ex loco solito, qui est in Palatio e regione Gynæcei. quod & factum est, solemni hac pompa:* Indictio pedestrium horum ludorum.

*Primum is, quem dixi, Joannes Francolinus sublimis in equo cum collegis contendit ad aulam Serenissimi Caroli Archiducis, qui tum hospitabatur Viennæ apud Illustrem Baronem ab Eyntzigen; ibiq; acceptis litteris publicandis, præeuntibus decem, duodecim tympanistis, tibicinibusq;, siue aulœdis, per viam Mœnianam, & forum carbonarium ad Palatium imperiale perrexit; ibiq;, quo dictum est loco, in veteri ambitu è regione Gynæcei, post signū tertiò iam de more datum tympanorū pulsu, & tibiarum concentu, medius inter collegas litteras datas a Serenissimo Archiduce publicauit, in hanc fere sentētiam, atq; adeo verba:* Modus indicendi ludos.

*Palam est, in diesq; & horas magis magisq; vsu ipso cognoscere licet, quæ sit ingratitudo multarum erga amatores suos, quamq; inmeritissimo hi ab illis inhumaniter, &, si dicendū est, duriter habeantur: Quod cum secum reputarent quatuor equestris ordinis viri, quibus perinde in amore omnia hactenus aduersa contigere, stupentes ad hanc tantam, & tam alijs seculis inauditam suarum dominarum in ingratitudine constantiam, in eam tandem sentētiam venerunt, vt parem caussam totius feminei sexus credant; qui in eodem ludo edoctus ad malitiam, mi-* Formula prouocationis.

*ſerorum virorum ſuſpirijs & lacrimis, tamquam gratiſsimo cibo, & potu victitet. Quam peruicaciam cum ſibi vlterius ferendam, & tam inſignes iniurias in ſe accipiendas non arbitrentur; neque tamen aliter eas vltum ire poßint, ſtatuerunt in conuentu hoc tam celebri matronarum, virginumque (præter frequentiſsimam nobilitatem ordinis equeſtris) in ſolatium ſaltem ſui aßidui doloris (ſi fortè in his talibus pauliſper acquieſcat) pedeſtri pugna in area ante Palatium hoc Imperiale ipſo Sacratiſsimæ Trinitatis, id eſt nono Iunij menſis proximi, à meridie ad ſolis vſque occaſum contendere, contra quoſcumque in contrarium animatos, à ſua de ſexu ingratiſsimo opinione: idque ſolitis nobilitati armis. puta tribus concurſionibus haſticis; & quinque coitionibus gladiatorijs: pro more pugnarum pedeſtrium a maioribus accepto. Quorum quidem diuerſæ à ſua opinionis ſectatorum ſi forte tanta fuerit frequentia, vt depugnare omnes eo die non poßint; profitentur Prouocatores, & auctores certaminis, poſtridie ſe itidem a meridie ad ſolis occaſum ad pugnam cuicumque volenti copiam ſui facturos. Denuntiatum itaque omnibus volunt, qui ſtulta credulitate nihil non ab amaſiis ſuis ſperant, & ibi fidem quærunt, vbi nulla eſt; inſtructi, paratiq; in eum diem ſint, ad ſuam, dominarumq; æſtimationem, famam, decus deniq; propugnandum; memores, hæc præterea capita ea in pugna obſeruanda; quæ ſummatim ſequuntur:*

Leges ſeruandæ.

*Primo, quiſqs nõ legitimæ nobilitatis à ſtirpe eſt, ab hac pugna exeſto.*

II. *A ſtirpe nobilis, & pugnæ cupidus, eo ordine quisque depugnato, quo in harenam deſcenderis.*

III. *Ne quis haſta, ſariſſaue; ne quis gladio in pugna alio vtitor, quam à Iudicibus anteprobato, & permiſſo.*

IV. *Quisquis ſepta corpore, aut haſta contigerit; infraque cincturam ipſe cæſim, punctimue tactus fuerit; is omnis a brauij ſpe excluſiſsimus eſto.*

V. *Quisquis gladium e manu amiſerit; aut eius adiumento (ſeptis eo innitens forte) a caſu ſe ſuſtinuerit; perinde a brauii ſpe excluſum ſe ſcito.*

VI. *Quisquis parte aliqua armorum nudatus fuerit ab aduerſario, cæſim, punctimue feriente; ab omni laude, niſi ſi quæ eſt Foliorum, & præmio alienus eſto.*

VII. *Petitiones omnes ſiue haſtarum, ſiue gladiorum vltra eas, quæ legitimæ, & definitæ ſunt, ſiue exeantur corpore, ſiue non exeantur, pro non factis ſunto.*

VIII. *In veſtitu & paludamentis vſus panni aurei, argenteiue, fili aurei, argenteiue, auri facti, & malleo deducti, item byßi byſſo, aut ſerici ſerico, phrygio, vel quocumque opere intertexti, aut inſuti, aſſutiue,*

*assutiue, nullus esto; ius fasq; tantum sit in eis argento facto, seu malleo deducto, auroue, aut argento factitio, & adulterino vtendi.*

*IX. Si cui aut homini, aut rei, his capitibus non satis cautum videbitur, eius, quidquid erit, æstimatio Judicum arbitrij esto.*

*X. Si res ita tulerit quocunq; casu, vt etiam Judicum sententia Prouocantibus auxilio & subsidio opus esse pronuntietur; ius fas eisdem Prouocatoribus vnum, pluresue ex castris aduersariorum ad eam rem legere esto.*

*Primum brauium eius esto, qui paludamento, armis, instrumento omni ad pugnam, apparatu deniq;, & comitatu splendidißimo in harenam descendet; comprehensis etiam Prouocatoribus. cuius rei iudicium cum penes Iudices ipsos, tum inprimis penes Gynæceum sit.* Brauia.

*II. Qui tribus legitimis petitionibus hastarum plures lacertorum iactatione dextrè contra aduersarium comminuerit, is Iudicum arbitrio brauium secundum habeto.*

*III. Qui quinq; legitimis petitionibus gladiorum optimè rem gesserit, is brauio tertio condecoratus abito.*

*IV. Qui Foliorũ solenni (a quo etiam Prouocatores non excluduntur) plures hastas fortiter fregerit, quarto brauio auctior celebrator.*

*V. Qui foliorum solenni gladijs rem dexterrimè & felicißimè gesserit, quintum, & vltimum brauium honoris caussa ferto.*

*Facta publicatione hac; eadem pompa & ordine ad Serenißimum Carolum Archiducem Austriæ reditum est, nuntiatumq; a Regibus armorum; factum esse, quod iußisset. post quæ ad sua quisq; decessit.*

*Postridie Kalendas Junias, hora item pomeridiana fere quarta, ante quam Cæsarea Maiestas ad vespertinas preces conuenisset, traditum est eidem Joanni Francolino, Regi armorum Vngarico, & collegæ eius Regi Bohemico armorum, ab Jllustri Joanne Alphonso Gastaldo, nomine Serenißimi Boemiæ Regis, aliud scriptum, de publicandis ludis equestribus quoque; quo ille accepto, conscenso rursus cum collega & Gastaldo equo, præcedentibus duodecim tubicinibus per Equiria, viam mœnianam, & forum carbonarium, ad Palatium imperiale contendit, ibique loco solenni post tertium tubarum signum publicationem peregit, in ea capita, & verba; quæ alibi commodius referemus; atq; ita facta publicatione, cum qua venerat pompa in Gastaldi hospitium redijt.* Indictio ludorum equestrium, de quibus capite proximo agemus.

*Iunij mensis die octauo Illustrißimus Bauariæ Dux cum vxore, & sex virginibus Imperialibus nauigio Viennam appulit, splendidißimo cũ comitatu. nauis autem Principis ædificata erat, & picturis emblematibusq; ornata, ad instar domus amplißimæ, & amœnißimæ,* Aduentus Illustrißimi Bauariæ Ducis &c.

*tantaq́ erat in eadem Musicorum omnis generis, tubicinum, tibicinum, cornicinum, fidicinum, aulœdorum, citharœdorum, copia; vt Sirenum veluti cantu modulatißimo, & Tritonum clangore iucundißimo, late flumen, ripæ, vicinaque illis. omnia personarent; tanto audientium stupore, vt in hoc sensu homines toti essent: cum interea conuenere in textrina, siue nauali, ad excipiendos hos cœtus Principum, Rex Boemiæ &c. Archidux Austriæ Carolus &c. & legati gentium, populorumq́; nominatim,*

Rex & Principes, proceresq́; occurrentes Bauaro & Imperialibus puellis.

*Reuerendiß. Stanislaus Hosius, Episcopus, Legatus suæ Sanctitatis.*

*Illustris Claudius Ferdinandus Quiuonius, Comes Lunensis, Potentißimi Regis Hispaniarum Catholici Legatus.*

*Reuerendißimus & Illustrißimus Ioannes Prezerenskius, Archiepiscopus Gnesnensis, & Regni Polonici Gubernator.*

*Reuerendus Martinus Cromerus, I.V. Doctor, Administrator Vuislensis, Sacri Collegij Cracouiensis Sodalis, Potentißimi Sigismundi Augusti Poloniæ Regis legatus.*

*Illustris & splendidiß. Iacobus Ransso, Eques, florentißimæ Venetæ reipub. legatus.*

*Illustris & Splendidiß. Ludouicus Corticius, Eques, Sodalis ordinis D. Ioannis, Equitum Melitensium legatus.*

*Illustris & splendidiß. Laurentius Mediceus, Eques Dominici Sepulchri, Illustriß. Cosmi Medicei, Ducis Florentini, & Senensis legatus.*

*Illustris Comes Iulius Rangomius Illustriß. Alphonsi Ducis Ferrariensis legatus.*

*Illustris & splendidiß. Hannibal Caprianus, Eques, Illustriß. Guilelmi Gonzagæ, Ducis Mantuani, & Marchionis Montferratensis legatus.*

*Clariß. Octauianus Nigrinus, ampliß. Reip. Genuensis legatus; cum alijs, quos dicere sigillatim longum foret.*

*Illustriß. autem Bauariæ Dux, cum, præteruectus nauale, in quo deuotißimis animis cum comitatu suo expectabatur, ad turrim, Salariam quam vocant, peruenisset; animaduerso eo Rex Boëmiæ, Archidux Austriæ Carolus, reliquiq́ proceres nauali egreßi, recta prætoriam nauim Bauaricam petiuerunt, dataque & accepta salute, quibus par credere est animis, & complexibus; Principes viri omnes equos conscendere, feminæ currum triumphalem ad hoc magnifico apparatu instructum, paratumque; atque ita iuncto agmine portæ rubræ succedentes, recta imperiale Palatium petierunt, vbi à Cæsarea Maiestate, & Sereniß. Maria Boemiæ Regina gratanter, & auidi accepti sunt. indeq́ Imperator, & regina hospitia sibi solita repetiuerunt; virgines vero Cæsareæ*

in vico

*in vico Palatino, vbi perfoßis parietibus medijs ædium trium, Harrachij, Doctoris Iacobi Ionæ, & Vuolffgangi Helleri deuersorium illis paratum erat, quod exitus in aulã imperialem certos, & sine arbitris commeabiles habebat, exceptæ sunt; vti & Dux Bauariæ cum vxore in aula Comitis Salmensis.*

*Dominica nona Iunij prandentib. in imperiali Palatio cum Cæs. sua Maiestate, Rege Boemiæ, Archiduce Carolo, virginibus imperialibus, Duce deniq; Bauariæ, cunctis improuisus superuenit sereniß. Archidux Austriæ Ferdinandus, cuius aduentu festa hilaritas non paruam sensit accessionem. deuertit autem serenis. Ferdinandus ad D. Andreã Pogl, consiliarium ministrum suæ Cæs. Maiest.* Aduentus serenis. Ferdinãdi Austriæ Archiducis.

*Eodem die statim à meridie initium habuere iuxta formulam publicationis ludi pedestres; sed ita, vt fœda tempestate diremti, & in diem tertium dilati sint.* Dilatio ludorũ ob fœdam tẽpestatem.

*Iunij mensis die vndecimo simul item prandium sumserunt, et in venationem prodierunt Cæs. sua M. & Illustris. Bauariæ Dux.* Itur venatum.



*Area ante palatium patens in longitudinem passus plus minus centum quadraginta, in latitudinem centum, æquata, strataq; erat; & septis, vallisq; (vt supra paulo ex pictura videre est) in orbẽ ex disciplina ludorũ cincta: extructis paulo editiorib. etiã quaquà tabulatis, in quibus cõsidentes primariæ feminæ, virginesq; & reliqui, quib. is honos debetur, spectaculorũ voluptate oculos pascerẽt. Media vero area latere dextro suggestũ suũ peculiarẽ habuerũt Iudices, siue arbitri certaminis, et Reges* Apparatus Circi.

 armo-

*armorum. Parte alia, dextra item, positum est tabernaculum exquisiti operis & pretij Prouocatoribus, & iuxta illud alterum secũdarium ijs, quorum ministerio ijs ludis erant vsuri.*

Nomina Prouocatorum.

*Erant autem Prouocatores I. Illustrißimus Archidux Carolus, Illustresq; II. Marcus Antonius Spinola, Comes TartZerolæ, Stipatorum Regis Boemiæ Præfectus; III. Carolus Ludouicus Baro Zeltingius, & Dynasta Zierendorffius, Structor Regis Catholici; & IV. Ioannes Pannouitius, Dynasta Mechautius, Cæsareæ Maiest. structor.*

Nomina Iudicum.

*Iudices autem consederunt I. Illustris Franciscus Comes & Baro à Thurn, & Creutz; Sac. Cæs. Maiest. à consiliis; Præfectus insignis Comitatus GortZiensis, & sereniß. Archiducis Ferdinandi primus Oeconomus.*

*II. Illustris Bernardus Manesisius, Baro SchuuartZeneccius, S. C. M. à consilijs, Archimagirus; & Præfectus Adelsbergi.*

*III. Generosus Eberhardus Freybergius, Illustrißimi Alberti Bauariæ Ducis Aulicus Marescallus.*

*Pompa autem, qua Prouocatores in harenam descenderunt, talis fere fuit:*

Pōpa qua Prouocatores in harenam deducti sunt.

*Primo loco incedebant duo tympanistæ, duo aulœdi, & duo buccularij fuscis sericis thoracibus, & campestribus siue braccis laciniatis, & ita conscißis, vt fultura bombycina flaua & candida per scissuras late exundaret: fuscis item tibialibus, pileis sericis fuscis, qui plumis æqualiter etiam fuscis, flauis, & candidis decorarentur. vaginis quoque gladiorum & cingulis fuscus color fuit.*

Signiferi. Christophorus Liechtestenius, &

*Hos sequebantur signiferi duo; nominatim, Illustris Christophorus Liechtestenius à Nibelsburgo, Dynasta DurnholtZius; cuius signum parte dimidia superiore e seta bombycina erat coloris fusci, alba cruce Burgundica interpolatum: pars altera dimidiata e seta item bombycina, sed neque continua, neque coloris eiusdem: verum e sex limbis æqualibus, alternantibus fusco et candido coloribus. Alterum autem signum,*

Guilelmus Rogendorffius.

*quod ferebat Guilelmus Rogendorffius, similiter ex sex limbis æqualibus setæ bombycinæ erat, sed coloris candidi, fusci, & flaui: singulis bis repetitis. Ipsi autem signiferi vtebantur item veste quaqua fusca ex holoserico; sed quod scissum transmitteret fulturam sericam candidam; quæ rursum, vt se penitius exereret, et in oculos inferret, fusco panno suffulciebatur. atque his præter thoraces etiam tunicæ fuscæ holosericæ erant manuleatæ, similiter per omnia scissæ, prodēte se fultura serica per eas scissuras, hic quidem alternatim flaua candidaque. distinguebantur vero eædem scissuræ admodum scite equuleis argenteis. pilei etiam fuerunt ex holoserico fusco; itemque vaginæ gladiorum, & cincturæ: vt pileos tamen*

perinde

*perinde pluma mixtim candida, flaua, fusca obumbraret; & cingula auratis fibulis splenderent. atque hos cothurnatos sequebantur duo caculæ, dominorum galeas & hastilia ferentes. ipsi quoque vestitu non contemnendo superbi.*

*Tertio loco ingrediebantur sedecim Patrini; terni per seriem harenæ se inmittentes; vestitu plane eodem cum signiferis, de quibus iam quod satis est diximus. Ex his autem Patrinis quatuor, qui Sereniss. Archiduci Carolo daturi operas erant, fuere;* Patrini XVI.

*I. Jllustris Franciscus Lassus à Castella, Serenissimæ Mariæ Boemiæ Reginæ primus Oeconomus.* Patrini IV. Serenifs. Archiducis Caroli.

*II. Illustris Gasparus Baro Felsensis, & Dynasta Schenckenbergius, S.C.M. à consilijs, & Præfectus Stipatorum.*

*III. Jllustris Gasparus Baro Herberstenius, Neobergius, & Guttenhagius. Sereniß. Archiducis Caroli Cubiculariorum Decurio.*

*IV. Iacobus ab Atmiß. item Sereniß. Archiducis Caroli Cubicularius, & præfectus stabuli.*

*Qui vero Dynastæ Zeltingio apparuere erant;*

*I. Generosus Vuolfgangus Buchemius; Dynasta Gellersdorffius, Austriacus hæreditarius Dapifer.* Patrini IV. Dynastę Zeltingij.

*II. Guilelmus Rogendorffius.*

*III. Georgius Baro Thanhusinus, S.C.M. à cõsilijs militaribus, & à Poculis.*

*IV. Christophorus Gretzius.*

*Comiti autem Spinolensi idem præstiterunt officium:*

*I. Illustris Georgius Proscouscius a Proscauia: Commendator Grebniccius; Sereniß. Maximiliani Boëmiæ Regis Cubicularius.* Patrini IV. Comitis Spinolę.

*II. Ioannes Petteus, Baro Gresseus; S.C.M. à Cyathis & Præfectus Oedenburgensis.*

*III. Ioannes Alphonsus Gastaldus aulicus Serenißimi Boemiæ Regis Maximiliani.*

*IV. Georgius Vueltzerus Dynasta Spiegelfeldius Sereniß. Maximiliani Boemiæ Regis dapifer.*

*Post hos Dynastæ Pannouitzij patrini incedebant; nominatim;* Patrini IV. Dynastę Pannouitzij.

*I. Generosus Christophorus Liechtenstenius à Nicolsburg; Toparcha Durholtzius.*

*II. Adamus Creigius.*

*III. Vitus Albertus Buchemius, Toparcha Horensis. dapifer Austriacus hæreditarius.*

*IV. Volckarthus Auersbergius S.C.M. Structor, & Stabuli Præfectus.*

*Post*

Ingressus IV. Prouocatorum. Archidux Carolus.

*Post patrinos primus, vt debuit, & solus incessit Sereniss. Archidux Carolus, armatura aurata; cui inducebatur paludamentum ex fusco holoserico, equis argenteis ductilibus interpolatum: scissumq; per interualla, vt splendorem armorum transmitteret; cono galeæ quassabat eximiæ magnitudinis cristã, mixtim fusci, candidi, & flaui coloris; vtrimq; decenter propendulam. Suras quoque fuscei holoserici cothurni vinciebant; at manu gestabat pilum Hispanicum ferro aurato, et holoserico fusco vestitum, aureis argenteisq; funiculis altrinsecus duobus dependentibus, & totidem bullis insignis magnitudinis, auro, argẽto, & seta bombycina fusca intextis. lateri cautum erat gladio manubrij aurati, & cuius vagina perinde atque cinctura quoq; ex fusco erat holoserico.*

*Serenissimum Archiducem sequebatur puer è nobilitate ferens sarissam eius, præpilamento aurato, & galeam Burgundicam.*

*Inde ingrediebantur tres reliqui Prouocatores vna serie, & æquis gressibus, armatura, vestitu, ornatu, comitatu, nihil tantillum à Sereniss. Archiduce differentes.*

*Cum ita ad portam septorum ventum esset, deflexo ad læuam itinere septa semper tenuere, donec ad Judicum subsellia ventum est, a quibus data & accepta prius solennibus cum cerimonijs salute, petiuerunt fieri sibi potestatem secundum leges publicationis iussu suo factæ ludos pedestres committendi; quo obtento, post gratiarum actionem cum honoris vltro citroq; exhibitione in positum & præparatum sibi tabernaculum Prouocatores concessere: dum signiferi signa sua (quod tamen ad Reges armorum proprie pertinet, quorum est & figere signa, & refixa inde signiferis reddere) in ipsis septis defigunt.*

## De primo contubernio oppugnatorum, rubro vestitu, quod fuit XLII. capitum.

I. Contubernium oppugnatorum.

*Vix Prouocatores tabernaculo suo successerant, cum ecce contubernium primum oppugnatorum hac pompa circum intrat: Præcedebant sex tympanistæ, & tres aulœdi vestitu rubro: ita vt in calciamentis, vaginis gladiorum, & cingulis idem color esset. hos sequebatur modico interuallo in equo instrato rubro holoserico filis aureis elaborato, phaleris & cingulis omnibus eiusdem coloris & operis, Sereniss. Archidux Ferdinandus, toto corpore armatus capite excepto; quod galerus similiter ruber obumbrabat dextra baculum ferens perinde rubrum.*

Archidux Ferdinandus.

*Post Archiducem ibant terna serie milites sclopetarij, & corporis Principalis stipatores ad quinquagintaquatuor; vestitu omnes rubro, galeaq; cristis eiusdem tinctus insigni.*

*Pone hos rursum sex tympanistæ ingrediebantur primis per omnia similes,*

ſimiles, ſequẽte ſignifero, Henrico Iuniore Sacri Romani Imperij Burggrauio Miſniæ, Comite Hartenſtenio, Dynaſta Blauio & Gerauio; qui ferebat ſignum ampliſsimum pedeſtre ex ſeta bombycina; coloris rubri quidem illud, ſed ita interpolatum, emblematicoque opere aureo diſtinctum vtrimq;, vt ex pictura ſubiecta oculis vſurpare datur: Henricus Miſniæ Burggrauius ſignifer.



Signiferum hunc ſequebatur veſte rubra indutus puer, prægrandem catenam auream collo baiulans, & ſiniſtra haſtile gerens. Ipſe autem Princeps ſignifer nihilo ſecius etiam depugnauit eo die; quippe fixo inter ſepta ſigno, in tabernaculo parata ſibi arma induit, ſuoq; ordine & loco rem ſtrenue & non ſine laude geſsit.

Cæterum ſignum hoc, quod diximus & repræſentauimus, ſequebantur fortunam pugnæ tentaturi quadraginta fere de nobilitate, armatura ſolita pedeſtri ſariſſophero: quæ veſtitu rubro feneſtrato integebatur. horum autem terna ſerie incedentium nomina ſunt: Nomina xl. oppugnatorũ qui cũ Archiduce Ferdinãdo in harenam deſcenderunt.

Andreas Teuffelius, Toparcha Entzeſdorffius, ſereniſs. Ferdinandi Archiducis Conſiliarius, & Magiſter Stabuli.

II. Fridericus Ludouicus MalouitZius, ſereniſs. eiuſdem Archiducis Archimagirus.

 III. Geor-

*III. Georgius Comes & Baro à Thurn & Creutz.*
*IV. Iulius à Riua Sereniſs. Archiducis Cubicularius.*
*V. Martinus Mammingerus S. A. Archimagirus.*
*VI. Nicolaus Miltitzius S. A. a cyathis.*
*VII. Venceſlaus Aulitzkius S. A. Dapifer.*
*VIII. Henricus Steinbachius S. A. Structor.*
*IX. Iaroſlaus Leibſtainskius Toparcha Kollenbrotius.*
*X. Ioannes Sternbergius S. A. Dapifer.*
*XI. Hercules à Riua S. A. Aulicus miniſter.*
*XII. Henricus iunior Burggrauius Miſniæ, Comes Hartenſtenius, Dynaſta Blauius, & Gerauius.*
*XIII. Gulielmus Mirſcouſcius S. A. Dapifer.*
*XIV. Georgius Jablonſcius à Iablauia S. A. Dapifer.*
*XV. Henricus ſenior Burggrauius Miſniæ, Comes Hartenſtenius, Dynaſta Blauius & Gerauius.*
*XVI. Bernardus Comes Hardegius, Glatzius, & Machlandius, Hæreditarius Pincerna Auſtriæ & Stiriæ.*
*XVII. Gindrzichus à Thona S. A. Cubicularius.*
*XVIII. Ferdinandus Luchſſanus S. A. a cyathis.*
*XIX. Fabianus Gevuaſtius Principis Blauij Aulicus.*
*XX. Ladiſlaus Borinus A. S. Structor.*
*XXI. Fridericus Baro Caſtellobarcius & Agreſtius S. A. à cyathis.*
*XXII. Chriſtophorus Schuuambergius S. A. Aulicus.*
*XXIII. Gulielmus Oppersdorffius, Baro Aichius.*
XXIV. *Ioannes Poſadouſcius S. A. Aulicus.*
XXV. Ioannes *Ambroſius Baro à Thurn, S. A. Aulicus.*
XXVI. Ioannes *Albertus Toparcha Eylemburgius, Sereniſs. Archiducis Aulicus.*
XXVII. *Petrus Berchius Ser. Arch. Aulicus.*
XXIIX. *Hieronymus Roſchius S. A. Aulicus.*
XXIX. *Henricus Comes Gutenſtenius S. A. Aulicus.*
XXX. *Fridericus Tſchirnhuſius S. A. Aulicus.*
XXXI. *Maximilianus Khnoblsdorffius S. A. Aulicus.*
XXXII. *Petrus Vvieſchinus S. A. Aulicus.*
XXXIII. *Gaſparus Pannouitzius, Toparcha Mechauitzius Ser. Arch. Dapifer.*
XXXIV. *Bernardus Miltitzius, S. A. Aulicus.*
XXXV. *Fridericus Toparcha Kytlitzius, Sereniſs. Archiduci a cyathis.*

XXXVI. *Pe-*

XXXVI. *Petrus Kaplerus S.A. Aulicus.*

XXXVII. *D. Haßius.*

XXXVIII. *Albertus Paßius.*

XXXVIIII. *Sigismundus Vuarlichius.*

XL. *Theodoricus Dechuuitzius Ser. Arch. Dapifer.*

Secundum Contubernium vestitu russo & albo, sex capitum.

*Præcedebant quatuor tympanistæ & duo tibicines, vestitu russo & albo è serico. nominatim thoraces & braccæ ex albo serico erant; colobia ad hæc gerebant scortea alba, russo serico exundante per scissuras subinde repetitas. fasciæ crurules etiam russeæ erant; vt & pilei, plumæ, vaginæ, & cincturæ. Hos sequebatur ordinum militarium ductor eiusdem vestitus; nisi quod galerum eius russeum alba pluma obumbrabat. hic nomine Rodrigius ab Heuuia dextra vibrabat pilum Hispanicum, vesti suæ concolor; trahebatque post se caculam militarem perinde albatũ russatumq́, caßidem domini ferentem. Cuius pueri vestigia premebant terna serie quinquaginta sclopetarij, & horum rursus duo tympanistæ duoq́ tibicines, primis omnes veste & colore pares.* II. Contubernium oppugnatorum. Rodrigius ab Heuuia.

*Inde subibant ordine tres Patrini, qui fuere:*

I. *Illustris Gasparus Comes Lodronius, Sereniß. Maximiliani Boemiæ Regis Primus Præfectus cerimoniarum.* Patrini tres.

II. *Illustris Comes Iulius Salmensis Sac. Cæs. Mai. a cyathis.*

III. *Illustris Ludouicus Ungnadius, Baro * Steineccius, Sereniß. Boemiæ Regis cubicularius.* * al. Suneccius.

*Horum caligæ follicantes erant ex panno linteo subtilißimo, serico russo & argento intertexto promiscuè; thoraces erant ex serico rubro vermiculato, argenteis limbulis per interualla decenter cõsarcinati; colobia quoq́ perinde alba scortea, sed delicatißima & pretiosißima gestabant fenestrata. pilei erant rutuli, plumis albis russeisque. tesseræ vero quas à collo transuerso pectore gestabant, rubræ erant ex bombycina seta, vt & baculi quoq́ quos manibus ferebant, rubri fuere.*

*Atq́ hos pugnæ candidati continuo vrgebant pedibus; nominatim:*

I. *Illustris Ludouicus Begilius, à Quiuones, Comitis Lunensis, Catholici Regis Legati, filius, armatura aurata.* Pugnæ candidati.

II. *Illustris Eccius Comes Salmensis, Sac. Cæs. Mai. Cubicularius, & Præfectus primarius Raabij.*

III. *Adamus Baro Dietrichstenius, Sereniß. Mariæ Boemiæ Reginæ Comes Stabuli.*

IV. *Claudius Triuultius, Comes Meltzius, Sereniß. Mariæ Reginæ Boemiæ Structor.*

*V. Martinus Niuius a Cuna.*

*VI. Gabriel Strenius, Dynasta Schuuartzenauius Sac. Cæs. M. à cyathis.*

*Hi omnes vestitu referebant Patrinos suos: infra vmbilicum autem cinctibus vtebantur mixtim ex serico russeo & argento intextis: hisq; respondebat color vaginarum, cingulorum, plumarum, fimbriarum in sarißis, & si qua sunt similia.*

Tertium contubernium oppugnatorum, vestitu flauatrocandido, XVII. capitum.

III. Contubernium oppugnatorum. *Quatuor tympanistas & duos tibicines tunicis & caligis alternantibus flauo, atro, & albo coloribus ex serico indutos, quibus cetera quoque omnia perinde essent variegata, sequebantur viginti, triginta Patrini, eandem in veste rationem sequentes, & baculis, quos manibus gerebant. post quos incedebant ordine Martis aleam subituri:*

*I. Sebastianus Vuindischgretzius, Baro Vualdenstenius & Vallensis.*

*II. Pācratius Vuindischgretzius, Baro Vualdēstenius, et Vallēsis.*

*III. Philippus Preynerus, Baro Steubingius, Fladnitzius, & Rabestenius Sac. Cæs. Mai. Structor.*

*IV. Achates Baro Herberstenius, Neobergius, & Gutenhagius.*

*V. Gulielmus Gresuuinus a Vueier, Eques.*

*VI. Seruatius Teuffenbachius a Vueyerhofen.*

*VII. Ernestus Pranccius.*

*VIII. Otho Ratmansdorffius a Stumberg.*

*IX. Michael Rindsmalius a Frauunheym.*

*X. Christophorus Rembertus Vueltzerus a Spiegelfeld.*

*XI. Joachimus Trautmansdorffius a Trauttenberg.*

XII. *Rembertus Glenitzerus a Leystett.*

XIII. *Bernardus Stadlerus a Stadel.*

XIIII. *Guilelmus Glaisbachius.*

XV. *Ferdinandus Rindscheidius a Fridberg.*

XVI. *Mattheus Schranckelius.*

*Qui & ipsi omnes more solenni Patrinorū vestem coloresq; referebāt.*

Quartum contubernium oppugnatorum, vestitu ex fuluo, candido, & russo coloribus vario, octo capitum.

IV. Contubernium oppugnatorum. *Quarto processerunt duo tympanistæ, & totidem tibicines, quibus caligæ russæ fenestratæ transmittebant vndantem fulturam sericam; limbosque habebant ex serico flauo, commissuris fenestrarum interpolatis equulis & stellis argenteis opere Babylonico, seu segmentatis potius: caligis conueniebant per omnia thorax & colobium, nisi quod hoc etiam crebriorib.*

*crebriorib. stellis spargebatur. galerus triquetrus ex serico russo, argenteo & russeo item limbo prætexebatur, passim alioqui equulis argenteis & tricolore, hoc est, russea, alba, flaua pluma exornatus.*

*Sequebatur Patrini habitu plane simili, nisi quod ex holoserico ipsis vestis erat, quodque baculos hi perinde tricolores gestabant; erant aut nominatim:*

I. *Ioannes Ruberus à Pichsendorff.*

II. *Gasparus Melchior Romerus, seren. Archiduc. Caroli Structor.* Patrini

III. *Balthasar⁹ Christoph. Tumraderus, Ser. Arch. Caroli Dapifer.* VIII.

IV. *Georgius Segifridus Kolnitschius à Pruchschleinitz, Sereniss. Bohemiæ Regis Aulicus.*

V. *Ferdinandus Starckius, Sac. Cæs. Maiest. Stipator.*

VI. *Melchior Vuelsbergius.*

VII. *Thomanus ab Hudriom, Sac. Cæs. Maiest. Spiculator.*

VIII. *Ernestus Pranccius.*

*Depugnaturi erant:*

I. *Iacobus Zachius, Sereniss. Archiducis Caroli Cubicularius.* Pugnę candidati.

II. *Georgius Collausius, cognomento Vualtzerus, Ser. Arch. Caroli Cubicularius.*

III. *Henricus Brandisius à Leonburg, S. A. Structor.*

IIII. *Gabriel Kolnitschius à Pruckschleinitz, A. S. Structor.*

V. *Iosephus Reinachius, Ser. Arch. à caliculis.*

VI. *Carolus Serendtinius, S. Arch. Dapifer.*

VII. *Daniel Khuen ab Auer, Ser. A. Dapifer.*

VIII. *Antonius Iacobus à Thum, Ser. A. Aulicus.*

*Hi vestiti more patrinorum (sic tamen vt per fenestrata vestimenta armorum splendor se exereret) & cristas tricolores quatientes; baltheis, vaginis gladiorum, cæterisque russatis, terni primo, inde bini, ac tum rursus terni septis successerunt.*

Quintum contubernium oppugnatorum vestitu albo, XIX. capitum.

*Quinto tympanistas sex & tibicines duos, quib. caligæ follicantes ex panno candido transmittebant vndantem fulturam eiusdem coloris ex seta bombycina (è qua etiam thorax erat, cui colobium perinde candidum scorteum inducebatur) pileo, pluma, cinctu, breuiter à capite ad calcem candidatos sequebantur Patrini triginta; cætera superiorib. similes, nisi quod holoserıcati aut certe sericati toti erant, & candidos bacillos dextra gerebant. dabantque hanc operam, D. Petro Rosenbergio quidem* V. Contubernium oppugnatorum.

I. *Ioannes Spannoscius à Lissa.* Patrini.

II. *Paulus Pouinscius à Pusitz.*

III. *Christophorus Rappachius, pluresque alij; perinde ac reliquis re-*

*liqui sese addixerant; qui omnes armaturam candidam aut auratam veste fenestrata holoserica cooperuerãt. cristaq́, cinctu, baltheo, cothurnis candidis, hoc ordine censebantur:*

Pugnę candidati.

I. *Illustris Vuolffgangus Comes Eberstenius, Dynasta Vueingartensis, ex officijs Palatinis Sereniss. Regis Boemiæ.*

II. *Illustris Petrus Rosenbergius, Ser. Regis Boëmiæ, perinde Aulicus familiaris.*

III. *Illustris Alexius Truschius à Betlensdorff, Baro Bonitzius, Ser. Boëmiæ Regis Aulicus.*

IV. *Christophorus Zuuickhl.*

V. *Ioannes Kreigius.*

VI. *Bernardus VueltZerus à Spiegelfeld.*

VII. *Andreas Buchemius, Austriacus Dapifer hæreditarius; sed perinde atq; duo supra proximi Sereniss. Regi Boëmiæ à caliculis.*

VIII. *Adamus Hochemvuarterus, &*

IX. *Vuolffgangus Stubenbergius, vterque S.B.R. Structor.*

X. *Illustris Vuolffgangus Vualaschius, Baro Sonneccius.*

XI. *Ioannes Geraltouscius à Gerstorff.*

XII. *Ioannes Keuenhullerus.*

XIII. *Venceslaus à Dona.*

XIV. *Ioannes Vuartemburgius.*

XV. *Henricus Schleinitzius.*

XVI. *Ioannes Henricus Schenckius à Schenckenstein.*

XVII. *Ferdinandus Ruberus, omnes octo sereniss. Boë. Regis Dapiferi.*

XIIX. *Ioannes Schmedzanscius iunior, &*

XIX. *Gunterus Bynauius, vterq; Ser. Boëmiæ Regis Aulicus.*

Sextum Contubernium oppugnatorum vestitu russocandido.

VI. Contubernium oppugnatorum.

*Quatuor tympanotribas & aulœdos duos indutos albis caligis follicantibus, & thoracibus ex tramoserico eius generis, quod Brugense vocatur, transuersoq́; pectore pro tessera fasciam sericã albam & ex æquo russeam gestantes, pileo albo, cuius pluma perinde bicolor esset, cæteraq́; albatos, sequebatur Bartholomeus, spiculator Italus (cuius verum nomen erat Bonus à Riua Tridentinus) monstrosæ proceritatis; quippe qui æquaret corporis sui longitudine duodecies hanc ductam ad oram lineã. hic habitu siluatici manu gestabat pedi vice arbusculam cum radice decem plus minus vlnarum; quam subinde quatiens dum septa subit, stentorea voce de via sibi cedi, vt qui de reliquijs gigantum esset, à populo iubebat. atq; hunc quidem pusionem rursum quatuor tympanistæ & duo tibicines omnia superioribus similes insequebantur; vt hos item holosericati & albati toti Patrini quinque; nominibus,*

I. *Illustris*

*I. Illustris Franciscus Lassus à Castella Ser. Boëmiæ Regis primus Oeconomus.*

*II. Illustris Uratislaus Dynasta Pernstenius, ad Dobischauiam, Aurei Velleris Eques, Ser. Boëmiæ Regis Cubiculariorum Decurio.*

*III. Petrus Comes ab Arch Ser. Boëmiæ Reg. Aulicus familiaris.*

*IV. Bartholdus Baro Lippiæ, Marescallus hæreditarius Boëmiæ, Ser. Boëmiæ Regis Cubicularius.*

*V. Adamus Schmeckouitzius, Ser. Boemiæ Reg. Cubicularius.*

*Post quos incedebat sereniss. Archidux Austriæ Ernestus, sereniss. Maximiliani Boemiæ Regis filius septuennis, veste, pluma, reliquoq; ornatu Patrinis similis; sequente porro sereniss. Archiduce Rodolpho, sereniss. Maximiliani filio natu maximo, vt qui tum esset octuennis, armatura candida induto, cristamq; partim candidam partim russeam decentissimè succutiente. quem honoris & officij caussa ponè prosequebantur cubicularij aliquot ad iudicum seu Brabeutarum vsq; subsellia; à quibus sereniss. Princeps Rodolphus depugnandi facultatem cum petiuisset, obtinuissetq;, ruptis viriliter & magna dexteritate cum sereniss. Archiduce Carolo duabus hastis velitaribus, gladiatoriaq; inde pugna ex lege ludorum defunctus, relecto itinere quo venerat, in Palatiū Imperiale denuo se recepit.*

Serenis. Archidux Ernestus Maximiliani F. Serenis. Archidux Rodolph⁹. Maximiliani Regis filius natu maximus.

Septimum contubernium oppugnatorum vestitu cœrulealbo, VII. capitum.

*Tres tympanistas & quartum tibicinem, quorum caligæ follicantes ex panno cæruleo ostentarent per fenestras quibus plenæ erant lacinias candidas ex seta bombycina; thoraces contra Gossypini albi transmitterent fulturam bombycinam cæruleam, sequebantur Patrini:*

VII. Contubernium oppugnatorum.

*I. Andreas Kielmannus, Sac. Cæs. Maiest. Designator hospitiorum.* Patrini.

*II. Christophorus Postouitzius, Sac. Cæs. M. Aulicus minister.*

*III. Vencestlaus Schierius, Cæs. M. Subpræfectus argenti mensalis.*

*IV. Ioannes Liechtestenius iunior, Baro Herbestenius, Neoburgius, & Gutenhagius.*

*V. Ioannes Peelhemius.*

*VI. Christophorus Neuhauerus, Cæs. Maiest. speculator.*

*VII. Ioannes Fieringerus.*

*Hi reliqua tympanistis similes erant, nisi quod thoraces serici fuere, galerisq; vsi sunt & plumis, in quib. candidus cæruleusq; colores bis inuicem succederent, baculis quoq; quos ferebant eodem tinctu infectis.*

*Depugnaturi erant:*

*I. Franciscus Keuenhullerus ab Aichelberg, Sacræ Cæs. Maiest. Architriclinus.* Pugnæ candidati.

*II. Theo-*

*II. Theodoricus Baro Herbeſtenius, Neoburgius, & Gutenhagius.*

*III. Adamus Neidegius, S.C.M. Dapifer.*

*IV. Georgius Collauſius, cognomento Vvatzlerus; Sereniſs. Archiducis Caroli Cubicularius.*

*V. Vvolfgangus Jergerus à Tollat, & Kreuſpach; Sereniſs. Boemiæ Regis Aulicus.*

*VI. Ioannes Fridericus à Langdegk, Ser. Boëmiæ Regis Aulicus.*

*VII. Iacobus Ramingerus, Ser. Reg. Boëmiæ; Aulicus. Quorũ omnium veſtis, cinctus, baltheus, criſtæ, fimbriæ haſtarum, omnia denique alternis cœrulea erant alternis candicabant.*

Octauum Contubernium oppugnatorum veſtitu fuluocandido, IV. capitum.

VIII. Contubernium oppugnatorum. *Tympaniſtas duos & tibicinem vnum, quibus caligæ eſſent ex flauo panno concolorem bombycinam fulturam rimis ſubinde prodentes, argento ſegmentatæ, & eiusdem metalli mannulis, præcipuè ad rimarum comiſſuras, interpolatæ, thoracibus goſsypinis item flauis, vt & pileis, quos flauæ perinde albæque plumæ obumbrarent, conſequebantur Patrini octo:*

Patrini. *I. Illuſtris Comes Georgius Nagerolius, Sacræ Cæſareæ Maieſtatis Architriclinus.*

*II. Franciſcus Revuay, S.C.M. Aulicus.*

*III. Ioannes Revuay, Sereniſs. Boë. Regis Aulicus.*

*IV. Gabriel Strenius Toparcha Schuuartzenauius.*

*V. Gaſparus Herbeſtenius.*

*VI. Sigiſmundus Puechemius, Baro à Rabs & Krumbach, Architriclinus hæreditarius Auſtriæ, & Sacræ Cæſ. Maieſtatis Dapifer.*

*VII. & IIX. Vvolfgangus & Albertus Botſchij, Ser. Reg. Boë. Aulici. quorum item flauæ holoſericæ follicantes caligæ flauum ſericum exundabant; cuius etiam coloris & materiæ erant thoraces, quibus inducebantur colobia ſcortea candida, flauis teſſeris bombycinis tranſuerſo pectore dependulis. galeros autem ex flauo ſerico ſilua plumea flauocandida obumbrabat, baculis, quos officij inſigne geſtabant, eodem colore varijs.*

Depugnaturi erant:

Pugnæ candidati. *I. Ioannes Heuſenſtenius, Sac. Cæſ. Maieſt. Cubicularius.*

*II. Iacobus Khuenius, S.C.M. Structor.*

*III. Rodolphus Khuen, Ser. Boë. Reg. Cubicularius.*

*IV. Petrus Keglevitſchius à Buſin, Sac. Cæſ. M. Structor. his erant*

*holoſericæ*

*holosericæ caligæ; & tunicæ armis inductæ flauæ sericæ fenestratæ, vt armorum fulgore oculos furtim perstringerent; fenestris his argento segmẽtatis, ipsisq́ue tunicis tam a pectore quam a tergo crebris mannulis pictis. gladiorum vaginæ, balthei, cingula flaua erant; sed capulus, fibulæ, bullæ, ceteraq́ue argentata, cothurnis etiam eorum candidis.*

## Nonum Contubernium Oppugnatorum vestitu fuscalboflauo.

*Quatuor tympanistas & duos tibicines indutos caligis fuscis fenestratis, sic vt fenestrarum extrema hinc limbus candidus inde flauus ex serico præcingeret, & per eas fultura Coa partim candida, fusca partim late exundaret; thoracibus item fuscis gossypinis caligarum more prætextatis, galeris vero & plumis tricoloribus, subsequebantur Patrini:* IX. Contubernium oppugnatorum.

I. *Illustris Georgius Proßkhouscius à Proßkauia; Procurator siue Commendator Grebnichsius, Sereniß. Maximiliani Boëmiæ Regis Cubiculariorum Decurio.* Patrini.

II. *Illustris Christophorus Sigismũdus Romerus à Maratsch, Commendator Melbergensis.*

III. *Christophorus Thaxius,* Sac. *Cæs. M. Protopræfectus Veredariorum.*

*Horum tibialia erant fusca; braccæ ex panno argenteo holosericis flosculis colorisq́ue byßini opere Babylonico intertextis; quarum braccarum fenestræ vomerent vndam Coam flauam argenteis stricturis arte magna variegatam. thoraces flaui serici picti erant paßim mæandri in morem candidis & fuscis coloribus, quibus respondebant per omnia galeri, ex quibus altrinsecus dependebant cristæ ex Ardeæ plumis tricolores. balthei, vaginæ, cinctus erant ex candido holoserico; manubria, bullæ, fibulæ gladiorum & cingulorum auratæ. hos sequebatur depugnaturus Laslaus Poppelius, Toparcha Locouitzius, Sac. Cæs. M. Cubicularius. qui supra armaturam politißimam infra vmbilicum præcingebatur subligaculo holoserico fusco virgato, flauam & albam fulturam sericam alternis extrudente. cono galeæ gestabat, præter plumeam cristam variam, manicam virgineæ tunicæ ex fusco holoserico, auro argentoq́ue Phrygiano opere egregiè elaboratam, & perinde exundationibus flaui & albi serici per crebras fenestellas proludentibus tamquam distinctam. Ibat pone puer armiger, ac rursus post eum tres alij famulaturi domino, vestitu per omnia tympanistis similes.* Pugnæ Cãdidatus vnus.

## Decimum contubernium oppugnatorum flauocœruleum.

*Decimi contubernij oppugnatorum pompam & ordinem ante quam describamus,* X. Contubernium oppugnatorum.

*describamus, scire licet, publicationem ludorum pedestrium, quorum caussam & formulam breuiter commemorauimus, fama indice, quæ de Prouocatorum siue magnanimitate, siue temeritate variè loquebatur; vt solet, ad longinqua etiam peruenisse; atque inter reliquos in extremis orbis angulis notæ virtutis nobilitatisq; virum, cum de ea inaudisset, ingratitudinemq; sexui femineo opprobrari intellexisset, stimulatum generosa quadam audacia, simul quod iniuriam fieri existimaret illis, a quibus ipse, amore secundo vtens, nihil quod nollet retulisset, caussam eam suscipere decreuisse, nec nisi cum vita deponere: vno hoc interim anxium quod decidenda illa armis ex prouocationis lege in diebus paucis loco remotißimo foret, & a quo ipse multarum septimanarum itinere abesset. Veluti tamen nihil magnis animis & ausis impoßibile habetur, in viam se dedit; a fortuna exspectans, quod aliunde sperare vetabatur. nec defuit illa cœptis, casu inuenta dea quadam, cui cum causam itineris sui & votorum summam explicuisset; conuenit, vti tam diu libertati suæ nuntium remitteret, dum campo sisteretur ab ea; & armis inustam muliebri generi notam deleret. atq; ita ab illa, siue Nympha, siue dea erat, ergastulo inclusus ad locum certaminis hoc modo delatus est:*

Pompa X. Contubernij oppugnatorum. *Primo ibant duo tympanotribæ & totidem tibicines, induti veste serica flaua, quæ transmitteret subdititiam setam bombycinam cœruleam; pileis, plumis, reliquis deniq; eandem varietatem referentibus.*

*Proximi erant Patrini quinq; nominatim:*

Patrini. *I. Illustris Erasmus Puchemius, Baro Rabßius, & Krumbachius, Dapifer hæreditarius Austriæ.*

*II. Vuolfgangus Toparcha Liechtenstenius & Nicolsburgius ad Vuillersdorffiam.*

*III. Christophorus Knorrius Ser. Boë. Regis Familiaris.*

*IV. Jacobus Dessasseuius Hispanus Sacræ Cæsareæ Maiestatis Familiaris.*

*V. N. Tarquinius Oeconomus Domini Vvolfgangi Liechtensteny, & præfectus eius Nicolsburgi.*

*His similiter vestis erat flaua, sed holoserica; serico cœruleo exundante. collo autem catenas aureas omnes gerebant, non parui ponderis. pilei ipsorum forma erant galeata. agmen vero hoc claudebat puer, galeam & hastam velitarem ferens; sequente sensim ea, quam diximus, siue Nympha, siue Dea, cum Vindice caussæ femineæ;* Pugnæ Cādidatus *qui erat Jllustris Ernestus Comes Ortenburgicus, Baro Freyenstenius, & Carlsbachius, Dynasta Hericurtius, Insulensis &c. quem illa catenatum & ergastulo conclusum ducebat. erat autem carcer ille mobilis pedum duodecim longitudine, nouem altitudine,*

*pictis*

*pictis linteis ita aptatis, vt rupem abscisam & prominentem referret. arbusculis etiam ad assimilationem subinde consitus, opacusq; intus erat depugnaturus; & cum eo vna omne genus auium, Musicorumque chorus, qui perpetua & non intermissa modulatione personabant quamdiu cancellis illis Comes contineretur. Ratio autem mobilis huius rupis siue ergastuli mira fuit in eo, quod qua arte quibusue molitionibus procederet deprehendi non pot rat: cum non exiguum spatium æquabili semper incessu conficere cerneretur.*

*Dea autem inducta erat tunica Coa flaua, flauis item & cæruleis plumulis sparsa. capite gerebat Attalici operis galerum prælatum, eius generis, qualibus Sibyllæ pingi & fingi solent; funibus quibus adstringi posset a summo vtrimq; dependentibus aureis. hæc cum eo quo diximus apparatu & comitatu propius subsellia Iudicum accedens, libellum eis porrexit, cuius hæc fere erat sententia:*

*Illustres viri, incorruptißimi iudices; cum nescio qua temeritate nuper quidam conuitijs laudatißimum sexum femineum impetere cœperint, etiam ingratitudinis, si dis placet, eundem accusantes: neque id in quotidianis suis circulis, (quod fortasse ferri poterat) sed, ne quos non infrenatæ audaciæ suæ & animi in genus nostrum placidißimum, modestißimum, simplicißimum denique parum æqui testes faciant, per clarigationem, & ad tubæ signum; ita vt non paruum periculum ex eo æstimatio famaq; nostra incurrat vbique gentium: Faciundum putaui, vt, quod possem, contra irem; neq; tam insignem iniuriam impune illis abire permitterem. non mea caussa, non; cuius personæ dignitas nullis rumusculis subuerti, aut conuerti potest; sed in gratiam omnium quot vbiq; sunt virginum, puellarumq;, quarum vindicem do hunc ergastulo meo clausum; qui cum hactenus nulla iniuria, multis & magnis beneficijs a domina sua affectum se fateatur, armis hanc causam disceptare paratus est; modo vos, æquißimi Iudices, solui eum hic a me patiamini, vt, quo nomine viæ longißimæ & difficillimæ tædia deuorauimus, assertor innocentiæ femineæ liberè ex prouocationis formula depugnare poßit. Quod quia à vobis, Iudices, ius ipsum, cuius patroni sedetis, postulare videtur, neque vereri debeo, quod vel meus Vindex extraneus sit, vel aduersarij eius patriæ, sanguinisq; fortasse vobis communione coniuncti, ne quid bonitati caussæ femineæ noceat; finem facio in eo, vt, si hic non tam mihi quam ipsi æquo & bono gratificati fueritis, vicißim vobis beniuolentiam omnem deferam.* Libelli Iudicibus oblati sententia.

Isabella Carthaginensis Phrygia.

*Facta autem à Iudicibus potestate soluendi ex ergastulo depugnatu-*

 *rum;*

*rum; illa argenteo baculo percussa rupe mobili compagines eius excussit, ita vt vndiq; hians auiculis primum euolandi viam dederit, quæ plurimæ a circumstantibus captæ sunt; procedente tandem Vindice decoris feminei, qui induebatur armatura politissima, quatiens galea præter cristam solennem, draconem ex serico flauo, ita de cætero notis depictum, vt viuo simillimus videretur: cum etiam caput subinde motaret & exereret, sinuantibus reliqua eius ventis.*

Vndecimum Contubernium oppugnatorum vestitu fuscocandido.

XI. Contubernium oppugnatorum. *Sex tympanistas & duos tibicines indutos vestitu russeo serico fultura serica candida, cui cætera conuenienter responderent, sequebantur Patrini:*

Patrini. *I. Christophorus Teuffelius.*

*II. Ioannes Funffkircherus, Toparcha Steinerbrunnius ad Falckesteinam, Sac. Cæs. M a consilijs.*

*III. Baro Christophorus Kuennaccius.*

*IV. Ioannes Rothalius, Sac. Cæs. M. Præfectus Scharischæ.*

*V. Vuenceslaus Sonneccius a Vuangesenitz.*

*VI. N. Pollatzscius ex nobilitate Polonica.*

*Quibus cum item vestitus esset ex serico russo fenestratus, fultura tralucens erat candida, linea simul & argentea; fenestrarum item peniculamentis argenteis. colobia quoq; habebant scortea candida rimis crebris hiantia; tibialibus russis cothurni etiam candidi inducebantur; & crus sinistrum fascia russea segmentis argenteis obligatum erat:*

*Depugnaturi prosequebantur hos:*

Pugnæ candidati. *I. Sigefridus Preinerus, Baro siue Dynasta Stubingensis, Fladnitzius, & Rabestenius, Sac. Cæs. M. Structor.*

*II. Ioannes Vuelsbergius, &*

*III. Ioannes Kintskius, vterq; S. C. M. Dapifer.*

*Hi, præter paludamenta Patrinis similia colore, gerebant singuli cono galeæ cordis effigiem, purpurissi tinctu ex serico assimilatam; quam mediam argentea sagitta penetrabat, ignita, eo artificio, vt simul atque in pugna cum Prouocatoribus ad gladios ventum esset, accensa corda crebris fulminibus micuerint, & bombis sclopi instar resonuerint, eiaculata in aduersos flamma & fumo, ita vt conspectum aliquamdiu pugnantib eripuerint, itaque ipsos inuoluerint, vt videri ab adstantibus non potuerint.*

Ordo quē tenuerunt oppugnatores. *Hi autem omnes quos diximus, cum suo quiq; loco & tempore septorum portas ingrediebantur, pompa sua de more eadem lustrico ambitu decora-*

*decorabant; honoreque iudicibus exhibito, & nomina professi cum depugnandi potestatem obtinuissent, ad designatum sibi locum se receperunt, neq; inde se mouerunt, donec vices pugnæ ad eos venissent; quæ sane pugna magnis animis vtrimq; commissa est, Prouocatoribus nihil ad summam virtutem reliqui facientibus, adeo, vt multos vnico ictu sopierint vel ad terram alliserint: hastas velitares multas dexterrimè ruperint: gladijs summa industria & ipsi alios petierint, & illatos ictus exierint; sic tamen, vt nec aduersariorum vulgaris laus fuerit, qui adeo animosè decertarunt, vt morituri citius, quam cessuri ijs omnes viderentur.*


*Certamine vero cum Prouocatoribus finito, diuisis omnibus qui depugnarant in duo agmina, quorũ vnumquodq; esset capitum quinquaginta trium, signo à Iudicib. dato pugna Folij, vt vocant, initiũ habuit; in qua ruptis infinitis vltro citroq; hastis velitarib. cum strictis gladijs res geri cœpisset, tantus fuit fragor, clamor, strepitus, crepitus, sclopetarijs subinde manuaria sua tormenta explodentibus, vt vero discrimini res simillima esset: donec signo item receptui dato, quo quiq; venerant ordine & pompa ad sua reuersi sunt.* Pugna Folij.

*Interim medio tempore, ne quid ab oblectamento vacuum esset, inductus est in harenam Asinus, sine strato quidem, sed caligatus more sarissophori tam anterius quam posterius; caligis eis varijs ex flauo & cœruleo. isque Asinus capite cristam ingentem ferebat ex plumis galli gallinacei, sessoremq; habebat Marcolphum non minus magnificè adornatũ, quam iumẽtum esset quo vehebatur; vestis enim eius alternis virebat, rubebatq;; lana tamen sic suffulta vndique, vt si excuteretur à fero vectore suo bonus planus, ne quam partem corporis lædere aut frangere posset. capite ferebat pileum rubrum patulum ad Heluetiorum morem: ac ne quid deesset ad risum mouendum, tergo obuerso ad caput asini, fronte ad posteriora, cauda eius pro freno cursus suos moderabatur; subinde ad terram corruens.* Asinus caligatus.

*Decimatertia Iunij, in quem diem tum incidit festum corporis Christi, Imperator mane statim ab audita septima cum Sereniß. & Illustriß. Duce Bauariæ & Archiducibus filijs suis Ferdinando & Carolo templum metropolitanum Sancti Stephani eques adijt; auditoque de more sacro, cum ijsdem Principibus, legatisq; Regum, & Populorum, totoq; aulico comitatu & vniuerso ordine ecclesiastico pompa siue supplicatione solenni ter interius, ob cælum pluuium, idem templum lustrica consuetudine circuiuit; dum interea ciues & collegia mechanicorum, artificumque exterius plateatim hoc ordine & vicatim vrbis loca omnia obeunt:*

Pompa supplicationis Viennæ.

*Primo loco ibat collegium fabrorum lignariorum ferens inusitatæ magnitudinis adeo signa, ( candelas vulgo vocant ) vt altissimas etetiam ædes longe superarent & trigintasex vlnarum longitudinem æquarent. lignea illa quidem, sed cereis circumdata; ita vt ægre à viginti viris à casu, quem subinde minabantur, sustinerentur. Sequebantur Pectinarij, Fabri ferrary ( pluma, quam pileo affixam gestabant ad certum modum, a cæteris discreti ) Fabri murary, Lanarij, Carbonarij, Figuli, Toreutæ, Restones, Chirotecarij, Stannarij, Cultrarii, Politores, Piscatores, Calcearii, Claustrarii, Arcuarii, Textores, Pictores, Cæmentarii, Molitores, Pistores, Sartores, Laneones, Linearii, &c. singulis autem peculiare signum præferebatur, antecedentibus aliquot tibicinibus aut cytharœdis, qui ore aut manu modulabantur. quorum quidem tantatum in ea vrbe fuit copia, vt monstri simile esset vnde tot eodem confluxerint. Musicos illos sequebantur diui tutelares cuiusque collegii, siue sodalitatis; quos baiuli ei rei destinati ferebant. prosequentibus deinde corporis eius sodalibus: quæ pompa cum vix sero explicata*



Prandium triũphale.

*& traducta esset* Imperator *ad Palatium reuersus quo ordine templum adierat, post datam aquam manibus mensæ paratæ accubuit; summo vt decebat loco, habens sinistra Serenissimam Mariam Boëmiæ Reginam; inde Jllustrissimum Bauariæ Ducem, cui ex aduerso consedit vxor, dextrà nempe à Cæsarea sua Maiest. prima, vt Serenissimus Boëmiæ Rex Maximilianus secundus fuit, opposita illi Serenissima Archiduce*

Mensa Imperialis.

*chiduce*

*chiduce Magdalena. rata deinde serie eidem mensæ adhibiti sunt Serenissimi Archiduces Austriæ, liberi omnes Imperatoris, Carolus, Leonora, Margaretha, & Barbara. sic tamen, vt ad latus Serenissimi Boëmiæ Regis Maximiliani vacuum spatium relictum sit, vbi staret Jacobus Kuenius, Sacræ Cæs. Maiestatis Structor. post quod rursum considebant filiæ eius Archiduces, Helena & Joanna. quarum latus claudebat stans item Sigefridus Preinerus, Baro Stubingius, & Fladnitzius; alter Sacræ Cæs. Maiestatis Structor. fruente hic sua Maiestate iucundissimo illo adspectu liberorum suorum coniunctorum & simul considentium, quo à multis annis oculos non pauerat.*

*Jn cœna, quam in Nympheo Archidux Carolus omnibus præbuit, idem ordo seruatus est; nisi quod eidem Jmperator non interfuit, quodque duodecim mensæ stratæ parat æque fuerunt, ad quas accubuere ad centum quinquaginta quatuor primariæ matronæ, virginesque; nobilitate omni virilis sexus ad munia sua stante, & stipatoribus Serenissimi Boëmiæ Regis dapibus mensas onerantibus.* Cœna triumphalis.

*Sumpta cœna Imperator cum filiarum cœtu in Nympheum venit* Imperatoris cõsessus post cœnã.



*aulæis Attalicis magnifice ornatũ, ea præcipue parte, qua erat vmbella Cæsarea præparata. sub qua cum Imperator resedisset; gradu vno depressius consedere item in puluinis holosericis, quib. erant peniculamenta aurea,*

*aurea, dextrà quidem Illustriß. Dux Bauariæ, Sereniß. Rex Boemiæ, & Sereniß. Archiduces Ferdinandus & Carolus; sinistrà, Serenißima Regina Boemiæ Maria, Serenißimæq́ Principes, Dux Bauariæ, & sex Archiduces, imperiales virgines.*

Choreæ. *Postquam ita consedisset Cæs. sua Maiest. choreæ instituí cœperunt, in quibus primæ partes datæ Illustriß. Alberto Bauariæ Duci, cum sereniß. Magdalena filia virgine Imperatoris: sequentibus reliquis Principibus suo quoque ordine & serie.*

Indictio ludorū equestrium. *Eodem fere tempore per interualla, quæ à saltationibus subinde dabantur, Illustris Claudius Ferdinandus à Quinones, Comes Lunensis, & sereniß. Hispaniarum Regis legatus, impetrata ad hoc ante venia ab Imperatore, per Regem armorum Vngaricum indutum candido paludamento, in quo à fronte & à tergo insignia Lunensia intexta essent, paludamenti ora prætexta peniculamentis partim aureis, partim byßinis insignis candoris, publicari iußit ludos equestres, edendos Dominica proxima ante D. Ioannis festum; quæ esset futura Iunij mensis die* XXIII. *de quibus ludis dicetur suo loco quod videbitur; nunc redeo ad interpolationes chorearum, inter quas illa fuit palmaria, de qua ordine commemorabo. Non ita multo post publicationem ludorum nouorum equestrium ingressus est Nympheum planus quidam, nomine Gretzlerus, caligis, ad talos vsq́ follicantibus, & thorace fenestrato ita, vt seta bombycina candida, atraflaua late exerraret. hicque traxit Comitem*

Cupido vinctus. *aurea catena magni ponderis vinctum Cupidinem, quem ita oneratum per infamiam vinculis ante Gynæceum constituit, coram quo eius nomine vulgari lingua verba fecit in hanc sententiam Silentiarius quidam:*

Oratio pro Cupidine. *Duo omnium hominum ingratißimi inmanißimiq́, matronæ lectißimæ, virginesq́ formosißimæ, vt auctorē omnium eorum malorum quæ in amore parum secundo perpetiuntur, quibusq́ quotidie ab amasiis suis afficiuntur, me inmeritißimo ad hunc quem videtis modum catenis onerauerunt, minitantes insuper crucem. Quod etsi ita deprecatus sim, vt feras rupesq́ fuerim iustis lacrimis questibusq́ meis flexurus; illi tamen, adamante ipso duriores, in sententia perstant, & aßidue morte illa infami, vt ne simplici quidem fato defungi liceat, miserum territant. Quando igitur hoc solum reliquum fit, cui spes omnis aliunde præclusa est, alieni, quodcunq́ hic est, criminis inuidiā sustinenti, vt ad vestram, nulli claudi solitam, misericordiam confugiam; supplex ecce ad pedes vestros me abijcio, matronæ virginesq́ humanißimæ, vosq́ obtestor, si qua est adhuc apud vos pietas, si qua veterum benefactorum Cupidinis tangit gratia, deniq́ si qua matris Veneris cura est tot eius beneficijs affectis,*

per eos

*per eos quos frequentes ſemper vobis ſubegi, & dicto audientes dedi, me manibus crudeliſsimorum hominum eripiatis & vt vobis dignum eſt in priſtinam dignitatem reponatis. Vos etiam generoſi heroës, (iam enim ad vos mea conuertetur oratio;) ſi quid feci vmquam quod factum gauderetis; ſi dura dominarum veſtrarum pectora molliui, frigida inflammaui; idq; dum fieret neq; pharetræ meæ, neque faculis peperci; ſi denique tantillum in vobis animoſæ virtutis adhuc ſcintillat, nolite pati per ignominiam extremam perire eum, qui vitæ veſtræ toties conſuluit. ſed ite obuiam conatibus eorum, qui per meum latus vos ipſos petunt. quib. quid tandē me ſublato dulce, quid iucundum eſſe poterit? odij plena erunt quàquà omnia: non amabit, non amabitur quiſquam. quique hactenus res omnes tenuit nexus diſſoluetur: ſimul & in chaos illud priſtinum cuncta reuoluentur. Rectè facitis quod vultu ipſo hæc abominamini; ſed tamen euenient, niſi prouidetis. quare dum licet, dum fas eſt, dum ſpiritum adhuc, quãquam miſer, duco; vindices dextras armate, inque mea vita veſtra commoda oblectamentaque conſeruate. & faxo propediem intellegatis ex dominarum veſtrarum obſequio, quid ſit Cupidinem ſibi demeruiſſe.*

*Abſoluta peroratione non abs re videtur dicere quis fuerit ornatus huius Cupidinis; Erat igitur puellus decem, duodecim annorum, membris omnibus abſolutiſsimus. qui indutus Coa veſte, ruſſei coloris, nuditatem ita apte mentiebatur, vt nemo aliter ſe rem habere deprehendere potuerit. Oculi ei obuincti ſiue obnupti erant faſcia candida; candidasq; alas tergo aptatas habebat, auro ſubinde interpolatas. dextra ſagittas aliquot, ſiniſtra arcum ferebat. hoc habitu & vt diximus vinculis impeditum miſerum Amorem planus ille concuſsione catenarum territabat; crucem iam iam minitans, niſi inueniret in cœtu matronarum virginumque, quarum precibus periculo eximeretur. quod cum facere omnes abnuerent, ſubmiſſi ſunt a Sereniſſ. Rege Maximiliano duo adoleſcentes forma plane egregia, qui ſexum alterum habitu ſimulantes, coronæ femineæ ſe inmiſcuerunt, & nunc his, nunc illis ſe applicuerunt, blanditijs admotis, ne tam miſero ſpectaculo ſe contaminare vellent; vt ſub oculis potiſſimum ſuis amori, rei vni omnium ſacratiſsimæ & ſanctiſsimæ, præſidentem Deum crudeliter interfici paterentur. quid quæris? ita apte verbis omnes ductabant, vt nulla iam amplius quin ſui ſexus eſſent dubitaret: cum conuerſo ſermone inter minas plani (qui abripere in malam crucem Cupidinem obnitentem ſimulabat) ad circumſiſtentem virorum multitudinem; At vos ſaltem, inquiunt, generoſæ animæ, in Amoris caſtris merentes, indignum facinus prohibete, & Imperatorem veſtrum dominum, regem, deum, non ſua culpa miſerum* Ornatus Cupidinis.

 *eripite*

*eripite præsentibus malis. & vestro vobis beneficio emite neutiquam ingratum futurum; sed voti vos aliquando vicißim compotes facturum. Adhuc loquebantur, cum ecce complures progreßi extra turbam, sublatis manibus iurarunt suæ quisque dominæ, idque conceptis verbis, sese non commissuros, vt deo deorum Amori se præsente vis inferretur impunè; quo dicto Cupido è medio abijt. adolescentes vero illi cum virginibus considentes a multis etiam è nobilitate primaria viris puellæ existimatæ sunt; & pro talibus saltatum ducti ad numeros, donec furtim cum se subduxissent admiratio omnes subijt, quid factum illis foret, nemine tamen quod erat suspicante.*

*Cum vero inibi iam esset res vt Imperator cubitum discederet, & conuiuæ ad sua redirent, interpellati sunt aduentu personatorum aliquot, qui præcedentibus aliquammultis cytharœdis hoc habitu Nympheum ingreßi sunt: Galeros habebant Attalicos ad eam formam, qua pingi solent Sibyllæ; oris marginibusq́; quaquà argento pictis, aureisque & byßinis peniculamentis exornatis. in argento autem mannuli aliquot sparsim cernebantur. vniuersique galeri paßim etiam argenteis nodis interpolabantur. Tunicæ item erant Attalicæ, extensæ ita filo ferreo vt rugare planè non possent. hæ inferiore & interiore parte subdititium habebant pannum argenteum, qui semi vlnæ fere longitudine conspicuus dependebat; adeo vt tunicæ secundæ & interioris etiam speciem præberet. porro tunicis manicæ erant fenestratæ; vndante item ex eis fenestris panno argenteo, & dependentibus vndique aureis byßinisque, atque his coloris fusci peniculamentis. Pallia tunicis inducebantur holoserica rubra vermiculata, longitudine vlnarum quinque Viennensium, latitudine, quanta bis esse solet ipsius holosericæ telæ. Nomina autem horum personatorum fuere:*

Pompa Personatorū.

Qui fuerint hi personati.

*I. & II. Serenißimi Ferdinandus & Carolus Austriæ Archiduces.*

*III. Illustris Vratislaus Pernstenius a Tobischauia, collegij Aurei Velleris sodalis.*

*IV. Illustris Spinola, Comes Tercerolię.*

*V. Illustris Carolus Ludouicus, Baro Zeltingius.*

*VI. Ioannes Panouitzius a Mechauitz.*

*Hi cum serenißima Regina Maria & Archiducibus puellis deposito pignore aleæ fortunam periclitabantur, nutu digitisq́; loquentes: donec inter illa nocte iam concubia visum est virtutem eorum qui optimè rem in pugna geßissent muneribus honorare. etsi enim nemo non strennuam operam nauasset, non poterat tamen fieri, quin vt inter sidera quædam eminent facile, & nullo negotio enoscuntur, tametsi ex æquo omnia clara lucidaque sint, sic inter fortes quoque viros*

eximij

*eximij tamen quidam reperirentur; quorum bene facta Reip. intereſt gloria condecorari.*



*Brauiorum autem diſtribuendorum hic ordo fuit. primi incedebant octo tubicines; hos tres Reges armorum, Romanus puta, Hungaricus, & Boemicus ſequebantur; ſuo quiſque ſolenni paludamento indutus: poſt quos ibant Iudices, ſiue Brabeutæ, formæ egregie puellam, T[illegible]minam Hungaricam vocabant, ex Gynæceo ſereniſſimæ Boemiæ Reginæ mediam ducentes; qua pompa cum Nympheum luſtraſſent, tubæque ter concinuiſſent, citatus eſt voce Præconis Adamus Neideccius, qui cum ad nomen reſpondiſſet, Iudicibusque ſe ſtitiſſet; conuerſus ad eum Illuſtris Comes à Thurn; Cum inter principes & illuſtres ſplendidiſſimosque, inquit, Neidecci fortiſſime, viros, quorum omnium ludis pedeſtribus proxime editis inſignis virtus enituit, tua tamen dexteritas in quatienda comminuendaque ex formula prouocationis haſta velitari, cæterorum, iudicum ſententia laudem ſupergreſſa ſit, decreuerunt ijdem iudices, te eo nomine haſta hac pura aurea remunerandum; quam tibi pudiciſſima hæc virgo puris manibus offert. ad quæ rurſum Neideccius: Illuſtris Comes, ait, vosque alij ſplendidiſſimi viri, quando hoc honore me ante alios dignum deputaſtis, quem magis beneficii veſtri, quã mei meriti fateor, ingentes vobis ago habeoq́ gratias, daturus operam, vt ſi in hoc exercitii genere parum hactenus laudandam operam poſui, id in poſterum cum Deo diligentia compenſem.*

Donati virtutis cauſa.

I. Adamus Neideccius donat⁹ haſta aurea.

*Reuerſi inde cum ſua pompa Iudices in Gynæceum Sereniſſimæ*

II. Princeps Blauius Henricus donatus ense aureo. *Boemiæ reginæ, eduxerunt confestim ex eodem Illustrem virginem N. Comitem à Thurn, quæ Illustrißimo Principi Blauio Henrico Iuniori aureum ensem obtulit; argumentum promeritæ gladiatoria pugna palmæ. quo princeps cum gratiarum actione, & virtutis suæ extenuatione accepto, virginem Comitem saltatum duxit.*

III. Dynasta Zeltingius donatus corolla aurea. *Tertio loco virgo ex familia Flitzingerorum, Gynæceo vero Sereniß. Bauariæ Ducis, corollam auream muneri datura fuit Illustri Carolo Ludouico Dynastæ Zeltingio, sed cum is forte abesset; Sereniß. Archidux Ferdinandus, eius, tamquam qui Folij quæ dicitur in pugna plures hastas comminuisset, vices impleuit, acceptamque eo nomine corollam virgini reddidit, propriam illam habituræ; eamque ad choros inuitatam manu ipse ductauit.*

IV. Serenis. Archidux Ferdinandus donat' corolla magni pretij. *Quarto progressa est præcedente pompa tubicinum, Regum armorum, & Iudicum, Serenißima Austriæ Princeps Magdalena, quæ pretiosißimam item corollam Serenißimo Archiduci Ferdinando obtulit; præmium pugnæ gladiatoriæ eius, quæ Foly vocatur, quam Serenißimus Archidux gratanter quoque acceptam mox Principi puellæ reddidit, institutis cum ea etiam gratiarum referendarum nomine choreis.*

V. Iacob. Zaichius donatus corolla aurea. *Postremo alia virgo ex Gynæceo Serenißimarum Principum Austriacarum nomine Elisabetha Vuatzlera, corollam perinde auream donauit Iacobo Zaichio, Serenißimi Archiducis Caroli cubiculario; vt qui cum suis, ex sententia Iudicum & suffragijs Gynæcei vniuersi, apparatu splendidißimo in harenam descendisset. Et corollam quidem, honoris caussa, suo suorumque nomine lætus suscepit Zaichius; sed eam quoque, dum virginem ad numeros in orbem ducit, Vuatzleræ is esse voluit; futuram apud illam perpetuum magnificentiæ suæ monimentum.*

*Brauijs hoc pacto distributis, Imperator tertia iam noctis vigilia ineunte ex Nympheo in Palatium se & cubiculum recepit; omnibus perinde reliquis conuiuis deuersoria sua repetentibus, & memoriam iucundißimam eius diei secum ferentibus, cuius credibile est ne quietem quidem & somnum mox ipsorum expertem fuisse, si modo non falsum est illud poëtæ;*

Omnia quæ sensu voluuntur vota diurno,
Tempore nocturno reddit amica quies.

## DE LVDIS MAGNIFICIS EQVESTRIbus itidem Viennæ editis, eodem quo superiores pedestres mense.

### XXX.

*M*ENsis Iunij XIIII. *Imperator cum toto aulico comitatu vtriusque sexus venationi operam dedit. Eiusdem mensis* XV. & XVI. *area ante Palatium sterni, parari, interseptimentis, vallis, suggestis, subsellijsque muniri & exædificari cœpit, hoc ordine. Primum theatrum (quid ni enim ita quoque appellemus?) Iudicibus & Regibus armorum positum est. Iuxtaque illud sinistrà aliud editius longè, puta orgyarum quinque, ad quod ascensus fiebat per gradus qui binos à fronte commeantes facile paterentur. excitato in summo eius patibulo, quod virgultis vndique & flexipide herba ambiretur vestireturque. Harena ipsa septis ex roboreis truncis firmißime claudebatur, spatio in medio ad cursum patente, quod esset passuum plus minus octoginta.* Theatra iuxta septa.

*Ac nunc quidem res postulare videtur, vt formula ludorum equestrium, quos indici curasse D. Ioannem Alphonsum Gastaldum supra memorauimus, explicetur; prout postridie Kal. Iunij à Rege armorum pro Palatio Imperiali publicata fuit, cuius scire licet hæc fuisse summa capita.*

*Quæ sit feminei laudatißimi sexus fides & cõstantia in amore, etiam erga eos sæpe, quorum versatile mutabileq; ingeniũ nihil tale merebatur, nulli ignotum esse arbitror. Et si fuit fortasse aliquando illud tempus, aut hodieq; eueniat, vt quis merito de dominæ suæ duricie leuitatéve queri posse videatur, nõ hoc placidißimo sexui & simplicißimo imputari debet tamen, sed totum ad crimen cæci impuriq; Cupidinis pertinet, instigatoris machinatorisque malorum omnium eorum, ob quæ miseri amantes, peius pereuntes quotidie, quam si saxo saliant, sacrilegis sæpe vocibus in inmerentes virgines & matronas natura mollißimas debacchantur. Quod ne fiat diutius, sed suis quisq; factis meritisq; in vtramq; partem censeatur, Generosi quidam animi & omnis iniuriæ impatientis Heros, captum, catenisq;, vt meretur, oneratum eundem Cupidinem ex peregrina vsq; gente in hanc florentißimam aulã imperialem, feracißimã ab omni tempore fortium & clarorum virorũ, adduxit, vt sub oculis potissimum Imperialibus, serenißimorumq; Regum & Principũ iuris et æqui amantißimorum sceleris b. coopertus Cupido infami ea morte luat. quem idẽ ille Iustitiæ vindex in ante diem* XVII. *mensis Iunii in crucẽ sustollendum videri ex animi sui sententia pronuntiat. Sic tamen, vt ne quem* Formula prouocationis.

 inaudi-

*inauditum indicta caussa per vim & iniuriam oppreßisse videatur, potestatem omnibus faciat Cupidinem armis & equestri pugna purgandi; quatuor ex ordine commißionibus siue concursibus intermedia de more macerie: futuro iudicio ita de re controuersa, cuius status est, morte infami dignus sit Cupido, an absolui potius debeat; penes eos, quos ad hoc quosuis etiam admittere paratus est; iuxta leges tantum quæ sequuntur.*

Leges horum ludorum.

*Primum, vt ante commißionem, sic commißis iam ludis libertatem sibi eligendi socios armorum & laborum Prouocator se reseruare profitetur.*

II. *Qui armatura, instrumentoq; omni, & paludamento, phaleris, reliquoq; apparatu splendidißimo in campum descendet, magnificentiæ destinatum brauium ferat.*

III. *Qui primam hastam fortißimè & dexterrimè comminuet, singulare a Gynæceo donum eo nomine accipiat.*

IV. *Qui omnibus hastis rem optimè geret, brauio decoretur, in eiusq; gratiam Cupido gradu vno scalarum a cruce remotior sit.*

V. *Si omnibus ordine quaternis concursionibus aduersarius Prouocatore superior fuerit, Cupidini gradu vno perinde descendendi ius esto.*

VI. *Vice versa, si continuis quatuor concursionibus Prouocator eundem aduersarium vicerit, gradu vno idem Cupido pœnæ propius adhibeatur.*

VII. *Qui hastam vltimam contra maceriem comminuerit, reliquarum quoq; bene collocatarum beneficium amittat.*

VIII. *Qui hasta maceriem tetigerit eius hastæ vsu mulctetur.*

IX. *Si Prouocator aduersarium parte aliqua armorum denudauerit, is coniectionibus omnium hastarum spolietur; & contra si Prouocator denudetur aduersario ex integro decurrendi ius sit, & Cupido gradu descendens, tanto interuallo a morte etiam absit longius.*

X. *Quo quisque ordine & tempore in campum descendet, eodem ei decurrendi ius sit.*

XI. *Nulli decurrendi potestas sit, cui non ea iam ante ab equestri ordine permissa cognoscatur.*

XII. *A vestibus absit aurum purum, tela argentea, aurum argentumque netum, aurum ductile, opus sericum Phrygianum segmentatum & peniculamentatum: insit si lubet argentum ductile, aurumq; & argentum adulterinum.*

XIII. *Qui plures hastas in pugna Folij ruperit, brauio decoretur.*

XIV. *Si tanta erit Cupidinis caussam propugnare volentium copia, vt vno die pugnandi omnibus locus non sit; postridie, aut etiam tertio,*

quarto-

*quartoq́ die Prouocator eandem secum depugnandi quam primo conditionem fert; vno eo excepto, quod sæpius eodem in harenam vestitus genere descendere nulli permittet.*

*Iuxta hæc capita iudicaturi Iunij mensis die* XVII. *meridiem circa subsellia sibi posita occupauerunt; puta:*

*I. Illustris Franciscus Comes & Dynasta a Thurn, & Creutz, Sacræ Cæsareæ Maiestatis consiliarius, & Præfectus Principalis Comitiuæ Gortzensis, Sereniss. Ferdinandi Archiducis Oeconomus Primus.* Iudices his ludis.

*II. Illustris Franciscus Lassus a Castella, Serenissimæ Mariæ Boëmiæ reginæ Oeconomus item primus.*

*III. Adamus Schmeckouitzius, Serenissimi Boëmiæ Regis Cubicularius.*

*Quos sequebantur deinde Reges armorum: hastis innumeris in vsum eorum qui depugnaturi erant ad latera subselliorum erectis, quæ aberant à macerie passus plus minus quindecim.*

*Post Iudices descenderunt in campum Prouocatores, hoc fere comitatu: Primi equitabant decem tubicines, & cornicen vnus; quibus erant curtæ breuesq́ admodum tunicæ oblongis manicis, tricolores ex flauo, candido, & atro serico: eadem varietate in pileis, plumis, flammulisq́ tubarum apparente. hos sequebantur perinde in equis signiferi duo; quibus tunicæ essent flauæ fenestratæ ex holoserico fultura serica atra; manicisq́ prælõgis. manubria vero gladiorum, fibulæ, bullæq́ in baltheis hinc auro, inde radiabant argento. galeri erant extrinsecus flaui & holoserici, intrinsecus atri & serici: spira siue funiculus eorum argenteus; plumæ tricolores. atque horum vterque varium quoque perinde signum equestre ferebat; erant autem ipsi Georgius Baro siue Dynasta Thannhusius, Sacræ Cæsareæ Maiestati à cyathis, & consilijs militaribus & Christophorus Vngnadius, Baro Sonneccius. Signa vero quæ gerebant, etsi Regum armorum hoc erat ex officio, ipsi, quia & maturius quam exspectabantur aduenerant, & in equis erant, defixerunt, alterum ea parte, quæ spectat domum Sigismundi Baronis Herbenstenij, Neoburgij, & Gutenhagij, Sacræ Cæsareæ Maiest. Consiliarij, & Præsidis Prouinciæ Austriacæ infernatis; alterum è regione aditus imperialis palatij. post signiferos equitabant duo adolescentes è nobilitate, eodem cum signiferis vestitu, galeam capite, manibusque hastas præpilatas singulas gerentes. horum autem equi phalerati in primis erant, & à capite caudaq́ mire cristati. porro sequentibus Patrinis, qui erant, Ludouici Vngnadij quidem:*

Pompa & Comitatus Prouocatorum in harenam descendentiũ.

Signiferi.

*I. & II. Eccius & Iulius Comites Salmenses, fratres.* Patrini Vngnadij.

*III. Christophorus Vngnadius, Baro.*

*IV. Vuolf-*

*IV. Vuolffgangus Gillius sereniß. Boe. Regis. Aulicus.*

*Ioannis Alphonsi Gastaldi vero:*

Patrini Gastaldi. *I. Claudius Triuultius, Comes Meldensis, Ser. Boë. Regis structor.*

*II. Marcus Antonius Spinola, Comes Tercerolæ; Præfectus stipatorum sereniß. Boemiæ Regis.*

*III. Georgius Thannhusius Baro, &*

*IV. Georgius Vueltzerus, vterque S. c. Cæs. Maiest. à consilijs bellicis.*

*Hi omnes signiferos vestitu referebant; trahebantq; post se famulos ad pedes octo; quibus ex caligis follicantibus candidis holosericis serica fultura atra late exundabat; & thoracibus candidis e serico flaua holoserica colobia fenestrata inducebantur; vndantia & ipsa atricolore serico. galeri quoq; erant ex flauo holoserico, atris & candidis segmentis; obumbrante ea tricolore pluma.*

*Prosequebantur famulos suos à pedibus Prouocatores:*

Prouocatores. *I. Ludouicus Ungnadius, Dynasta Sonneccius, serenißimi Boemiæ Regis Cubicularius, &*

*II. Ioannes Alphonsus Gastaldus, sereniß. Boemiæ Regis Aulicus. quorum armatura fuit mire candida & polita; cinctusq; infra vmbilicum sericus atricolor fenestratus vomebat aurei & argentei lintei fulturam. Equi erant à capite & cauda eximie vtrimq; cristati; strati integumentis holosericis atris, argenteis paßim rosis & segmentis opere Phrygiano elaboratis. rimæ quoque crebræ in ijsdem integumentis aureum linteum prodebant, ora autem omnis tricoloribus peniculamentis prætexebatur. Inter vtrumque Cupido ducebatur Coa veste purpurissum referente ita amictus, vt nudus crederetur; catenaq; vinctus, quam regebat Gretzlerus, planus Illustris Comitis Lunensis, lictoris munia gerens. indutusq; thorace & caligis follicantibus, ad talos dimißis, tricoloribus sericis. Qui cum se ita simul Iudicibus stitissent; Lictor confestim* Cupido ducitur ad crucem. *Cupidinem abstractum sex scalarum, quibus ad crucem ascensus erat, quam vicino in theatro fuisse extructam diximus, gradus inscēdere coegit; erant autem eædem scalæ graduum in vniuersum vigintiquatuor; interimq; Prouocatores in imperiale armamentarium se receperunt, pugnæ se paraturi.*

## De primo contubernio aduocatorum Cupidinis vestitu flaualbofusco. VI. capitum.

I. Contubernium aduocatorum Cupidinis. *Duodecim tubicines & cornicinem vnū in equis, indutos candidis tunicis sericis manuleatis, quibus essent peniculamenta in orbem fusca, candida, flaua; & galeris galeatis quas plumæ tricolores vt & flammulas quoq;*

*las quoq; tubarum, variabant; sequebantur Patrini Illustres & splendidi viri:*

*I. Gasparus Baro Herbenstenius, Neoburgius, & Gutenhagius, serenis. Archiducis Caroli primus Oeconomus, & Cubicularius.* Patrini.

*II. Jacobus Atmisius Ser. Arch. Caroli Cubicularius, & Praefectus stabuli.*

*III. Christophorus Greisius.*

*IV. Andreas Puchemius, Toparcha Haydenreichstenius, haereditarius Dapifer Austriacus.*

*V. Eustatius Branccius.*

*VI. Christophorus Kainachius, Baro.*

*VII. Bartholomeus Bengerus, Ser. Boë. Regis Aucupij Praefectus.*

*VIII. Joannes Ruberus, Toparcha Puchsendorffius, & Sunebergius, Eques, Sac. Caes. Maiestatis Aulicus.*

*IX. Ferdinandus Ruberus, Ioannis germanus frater.*

*X. Christophorus Sigismundus Romerus à Maratschia, Commendator Melbergius.*

*XI. Gasparus Melchior Romerus à Maratschia, Serenis. Arch. Caroli structor.*

*XII. Ferdinandus Collausius, cognomento Vuatzlerus.*

*His omnibus erant sollicantes holosericae caligae candidae fenestratae, limbo flauo ex serico, et fultura eiusdem generis, sed fusci coloris, vndante: commissurasq; fenestrarum iungebant aurei mannuli. thoraces erant è candido serico, galeri ex holoserico, plumis concoloribus.*

*Sequebantur duodecim famuli à pedibus, induti tunicis holosericis manuleatis tricoloribus, segmentatis, & fenestratis, fusco panno & candida gossypina tela exundantibus. pilei erant holoserici candidi plumis tricoloribus. cinctus, vaginae, calcei, ceteraq; candicabant omnia. & post hos decenter incedentes equitabant pugnae fortunam subituri:*

*I. Serenis. Archidux Carolus solus, armatus armatura politissima & candidissima; nisi quod puncturis & stricturis aureis subinde mordebatur. equus vero quo vehebatur, eximiae altitudinis, phaleris etiam pretiosissimis comtus erat: pone sequentibus quinq; alijs illustrib. & fortibus viris, qui fuere:* Pugnae Candidati.

*II. Gasparus Preinerus, Baro Stubingius, Fladnitzius, & Rabenstenius, Serenis. Archiducis Cubicularius.*

*III. Carolus Ludouicus, Baro Zeltingius, Toparcha Zierendorffius, Serenis. Hispaniarum Regis Structor.*

*IV. Proscouscius à Proscauia iunior, Sac. Caes. Maiest. Praefectus Trentschinius, & Serenis. Boë. Regi à cyathis.*

*V. Georgius Collausius, cognomento Vuatzlerus, Sereniss. Archiducis Caroli Cubicularius.*

*VI. Jacobus Zachius, item Ser. Arch. Caroli Cubicularius.*

*His erant perinde arma polita; cristæ tricolores; cinctus vero infra umbilicum erãt ex holoserico candido, picto mannulis aureis. & sic stratum equorum erat etiam è candido holoserico, limbo serico flauo; fultura Coa fusca: quæ per rimas, flosculorum & rosarum ad instar arte factas, follicabat. ipsa de reliquo strata crebris mannulis aureis interpolabantur, peniculamentis tricoloribus quaquà dependentibus.*

Secundum contubernium aduocatorum Cupidinis, vestitu candidocœruleo, duorum capitum.

II. Contuberniũ aduocatorum Cupidinis. *Equitabant primi quatuor tubicines tunicis candidocœruleis sericis; pileis & plumis perinde varijs, quemadmodum & tubarum flammulis. hos sequebantur quatuor famuli ad pedes, induti braccis ex panno laneo fenestrato, follicante per eũ fusca bombycina seta. quibus braccis thoraces, pilei, plumæ, reliqua deniq; respondebant. post illos ibant Patrini.*

Patrini. *I. Gasparus Comes Lodronius Serenissimi Boë. Regis præfectus aulicus.*

*II. Nicolaus Comes Salmensis, Toparcha Ortius, & Sac. Cæsar. Maiest. Architriclinus.*

*III. Berchtoldus Baro Leippius, Marescallus Boëmiæ.*

*IV. Maximilianus Baro Polhemius, & Vuartenburgius, præfectus stipatorum Sereniss. Boë. Regis.*

*His erant tunicæ candidofuscæ holosericæ; gerebantque transuerso pectore, tesseræ instar militaris, fasciam ex seta bombycina.*

*Depugnaturi autem erant:*

Pugnæ candidati. *I. Vratislaus Bernstenius à Tobischauia; sodalis collegij Aurei Velleris, & sereniss. Boë. Regis Cubicularius, &*

*II. Adamus Dietrichstenius, Sereniss. Boëmiæ Reginæ Mariæ Comes stabuli. Erant autem vterque armatura, cinctu, vestibus, stratis, phaleris, cristis Patrinorum suorum more & modo varius.*

Tertium contubernium aduocatorum Cupidinis, vestitu nigrocandido.

III. Contuberniũ aduocatorum Cupidinis. *Duos tubicines in equis, indutos tunicis atris è seta bombycina, limbo eiusdem generis candido; utentesq; tubarum velis varijs è serico, pileisq; atris, quos stringeret funiculus candidus, sequebantur Patrini totidem; puta,*

*I. Joannes*

I. *Ioannes Fridericus Hofmannus, Baro Grunbuchelius & Strechauerus, Oeconomus hæreditarius Stiriæ, & Archimarescallus eiusdē Stiriæ & Austriæ. &* Patrini.

II. *Vlricus Scherffenbergius.*

*Quibus erant tunicæ holosericæ atricolores manuleatæ, limbo argenteo; pilei item atri; gerebantq́ manibus hastas singulas præpilatas: prosequente depugnaturo, qui erat illustris Sebastianus Vuindisgretzius, Baro Vualdenstius, & Vallensis. Vtebatur autem is armatura candida, cinctu atro, quem limbus ambibat argenteus. dextrà baculum candidum gerebat; habebatq́ à tergo quoque ministros duos hastas singulas ferentes.* Pugnæ candidatus.

Quartum contubernium aduocatorum Cupidinis vestitu atroflauo.

*Præcedentes in equis tubicines quatuor vestitos tunicis manicatis atroflauis, pileis, plumis, flammulisq́ tubarum perinde bicoloribus; sequebantur patrini duo atricoloribus holosericis tunicis, quibus inducebantur fasciæ bombycinæ flauæ ex transuerso; thoraces erant quoque ex flauo serico; pileos holosericos atros funiculi flaui serici ambibant. hos hastas singulas concolores portantes modico interuallo sequebatur Bernardus Stadlerus a Stadel, ex Stiriæ proceribus vnus; armatus cristatusq́ eximiè. stratum cinctusq́ eius erat atricolor, segmentis aureis flauisque, byssinis peniculamentis.* IV. Contuberniū aduocatorum Cupidinis. Pugnæ candidatus.

Quintum contubernium aduocatorum Cupidinis, vestitu fuscalboflauo, trium capitum.

*Equites tubicines sex tunicis, pileis, plumis, flammulis tubarum varios, patrini totidem sequebantur induti thoracibus ex serico flauo, tunicis ex fusco holoserico, geminis limbis, quorum flauus alter, alter candidus esset; pilei erant fusci & holoserici, plumæ flauæ, candidæ, fuscæ. atque hi quoq́ pictas hastas singulas portabant, prosequentibus depugnaturis:* V. Contuberniū aduocatorum Cupidinis.

I. *Michaele Rindsmaulio Fravvenhemio.* Pugnæ candidati.

II. *Guilelmo Gleisbachio, &*

III. *Ferdinando Rindschittio Fridbergio.*

*Quorum cinctus strataq́ erant ex holoserico fusco, stricturis flauocandidis; peniculamentis fuscis byssinis. equi autem & antica & postica parte cristati erant, colorum ratione vbiq́ seruata.*

Sextum contubernium aduocatorum Cupidinis, vestitu flauatrocandido, sex capitum.

*Primi equitabant tubicines octo induti xylinis tunicis atricoloribus, se-*

VI. Contubernium aduocatorum Cupidinis. *bus, serico Brugensi flauo candidoq; limbatis; thoracibus flauis tramosericis, pileis varijs ad tunicarum modum; quos obumbrabāt plumæ similiter atræ, flauæ, candidæ; flammulis tubarum concoloribus. post hos ibant Patrini duodecim in tunicis holosericis atris fenestratis, & candidam flauamque setam bombycinam exundantibus; pileis holosericis nigris, plumis tricolorib. quibus hastarum, quas gerebant dextris, pictura respondebat. hinc depugnaturi veniebant terni; puta,*

Pugnæ candidati. *I. Guilelmus Gresuuinus à Vueier, Equestris ordinis.*

*II. Gasparus Premerus, Baro Stubingius, Fladnitzius, & Rabenstenius, Serenissimi Archiducis Caroli Cubicularius.*

*III. Achates Barò Herbenstenius, Neobergius, & Gutenhagius.*

*IV. Otho Ratsmandorffius à Sturmberg.*

*V. Ioachimus Trautmansdorffius à Trautenberg & Kirchberg.*

*VI. Leonarthus Steigerus.*

*Quorum armatura partim ex toto candida erat, partim auro distincta; strata equorum & cinctus quibus vtebantur infra vmbilicum erant ex holoserico atricolore, picto mannulis aureis candidisq; segmentis; equis quoq; magnificè vtrimq; cristatis & phaleratis.*

Septimum contubernium aduocatorum Cupidinis, vestitu atroflauo, duorum capitum.

VII. Contubernium aduocatorum Cupidinis. *Septimo ingressi sunt septa equites tubicines sex induti tunicis atricoloribus ijsque oblongis, & vndique peniculamentis aureis prætextis; pilei partim flaui erant, partim atri, vt & plumæ. hos sequebantur Patrini:*

Patrini. *I. Ernestus Comes Ortenburgicus, Dynasta Carlsbachius, Horicortius, & Insulanus.*

*II. Christophorus Liechtenstenius, Nicolsburgius Toparcha & Durnholtius.*

*III. Vvolfgangus Liechtenstenius Nicolsburgius Toparcha & Vvillfferßdorffius.*

*IV. Ioannes Funffkircherus, Steinbrunnius à Falckenstein, Sacræ Cæsareæ maiestati a consilijs.*

*V. Vitus Albertus Puchemius, Toparcha Horensis, Architriclinus Austriacus, Sereniss. Boëmiæ regis dapifer.*

*His erant tunicæ nigræ holosericæ, peniculamentis aureis & byßinis. quibus responderent pilei, plumæ, cincturæ, balthei, cetera, atq; hos quoq; hastas singulas gestantes sequebantur sex pueri a pedibus terna serie, vestiti caligis follicantibus ex panno nigro, fultura bombycina flaua: tunicis seri-*

*cis ſericis nigris, quemadmodum & pileis; quos tamen funiculi flaui bombycini ambirent, obumbratos pluma bicolore. Depugnaturi autem erant:*

*I. Volckardus Auenſbergius, Sac. Cæſ. Mai. Structor, & Comes Stabuli, &* Pugnæ candidati.

*II. Vuolffartus Strenius, Toparcha Schuuartzenauius, veſte, cinctu, phaleris patrinis ſuis ſimiles.*

Octauum contubernium aduocatorum Cupidinis, veſtitu candido.

VIII. Contuberniũ aduocatorum Cupidinis.

*Tubicines duos in veſte candida bombycina a ſummo ad imum ſequebantur patrini duo ex Stiriæ nobilitate, perinde toti candidi; poſt eosq; equitabat pugnæ diſcrimen ſubiturus, Seruatius Duffenbachius à Mayrhof; indutus armatura candida, & cinctu holoſerico, ſtratoq; etiam candicantibus, cono autem criſtam candidam quatiebat.* Pugnæ Cãdidatus.

Nonum contubernium aduocatorum Cupidinis, veſtitu rubralboflauo, ſeptem capitum.

IX. Contuberniũ aduocatorum Cupidinis.

*Tubicines quatuor veſtitos tunicis rubris tramoſericis, ſimilibusq; pileis, quos opacabant plumæ flauæ, rubræ, & candidæ. veſtem tramoſericam interpolantibus paſſim ſolibus aureis, & ſtellis argenteis; ſequebantur Patrini decem, duodecim, induti rubris tunicis bombycinis, ſimiliter ſtellatis & ſolibus illuſtratis; rubrisq; pileis; è quibus pendebant ternæ criſtæ plumeæ. hiq; manibus haſtas ſingulas portabant in vſum depugnare cupientium, qui erant:*

Pugnæ candidati.

*I. Ioannes Sternbergius, Sereniſſ. Archiducis Ferdinandi Dapifer.*

*II. Idiſſa Borinus, Ser. Arch. Ferdinandi Structor.*

*III. Gaſparus Pannouitzius a Mechauitz.*

*IV. Theodoricus Deccouitzius, Ser. Arch. Ferdinandi Dapifer.*

*V. Ioannes Albertus Dynaſta Eylembergius, Ser. Arch. Ferdinandi Aulicus.*

*VI. Maximilianus Knobelſdorffius, item Ser. Arch. Aulicus.*

*VII. Petrus Vvieſchinus.*

*Ipſi quoq; vtentes rubro cinctu Coo, rubrisq; ſtratis, quæ crebri ſoles aurei ſtellæq; argenteæ condecorabant.*

Decimum Contubernium aduocatorum Cupidinis, veſtitu etiam rubralboflauo.

X. Contuberniũ aduocatorum Cupidinis.

*Tubicines duos in candidis bombycinis tunicis, flauis caligis follicantibus, palliolis rutilantibus, ceterum flammulis tubarum flauis & galeris acuminatis more Romanorũ antiquo, obumbratisq; plumis cœruleis & ſanguineis, ſequebantur Patrini duo, puta,*

I. *Ioannes Peteyus Baro Gersius, Sacræ Cæsareæ Maiestati a cyathis, & præfectus* Odenburgicus, &

II. *Vuolfgang. Puchemius Gellersdorffius, Architriclin. Austriacus.*

*His erant similiter caligæ tunicæq; Coæ candidæ, flauæq;, & palliolum rutilum ad collum fibula adstringebat. in pileis gerebant de tribus ijsdem coloribus plumas; in cruribus ocreas candidas; in manibus denique clauas. equi quoq; ad magnificam speciem phalerati, & stratis holosericis candidis erant intecti. pone hos ibant duo adolescentes vestitu tubicinibus per omnia similes, galeas hastasq; singulas gerentes, perinde cristis peniculamentisq; tricoloribus. strata autem equorum quibus vehebantur erant e serico candido, aureo argenteoque panno prætexta: passimq; mannulis aureis picta.*

Mercurius caducifer. *Sequebatur Ioannes Henricus Schenckius a Schenckenstein, Sac. Cæs. Maiestatis præfectus aulicus; habitu Mercurium mentiens. ad quem magis graphicè adsimulandum, indutus erat armatura papyracea picta, argentataq; ita, vt veræ fidem faceret. eiq; iniecta erat tunica è serico rutilante: similisq; erat galerus, cui affixæ erant altrinsecus alæ columbinæ candidæ. dextra caduceum ferebat. equus eius a postica parte vtrimq; rutilãte panno è seta bombycina integebatur, interpolato nexibus crebris in se recurrentibus è bysso flaua opere Phrygiano depictis, sella equestris cingulaq; atra erant; sed antilena rursum & antepectorale rutilabant, crebris perinde omnia nexibus flauis distincta. Hic ducebat comitem deam tali fere vestitu; tunica illi erat rutili coloris serica, segmentata, & ad talos demissa, instita aurea, quæ palmæ latitudinem æquaret, subsuta. galerus erat etiam Attalici operis, forma ea, qua fingi & pingi illi solent quibus Sibyllæ vsæ, depẽdentibus ex apice summo funibus candidis vtrimq;, quibus adstringi posset.*

*Horum vestigia premebant duo tibicines Valachi, tunicati caligatiq; perinde vt tubicines fuisse diximus. hisque erant plumæ gallo gallinaceo detractæ rutilæ cæruleæque. Sequebatur Gasparus Baro Felsius,* Pugnæ Cãdidatus. *siue a rupe, & Dynasta Schenckenbergius. Sacræ Cæsareæ Maiest. Consiliarius aulicus, & stipatorum præfectus. isque equitabat sub vmbella rupem vndique referente. ad quod magis simulandum arbusculis virgultisque crebris vestiebatur; arce in summo ædificata, iuxta cuius aditum quatuor sarissophori omnibus armis instructi stationem habere cernebantur. atque hæc quidem rupes stupentibus spectatoribus ex ædibus Felsii ad circum vsque sponte sua ingrediebatur, automatariique operis fidem faciebat, quando contrarium deprehendi non potuit. simul autem hæc pompa in harenam descendit, Mercurius cum dea, quæ erat Ioannes Kinskyus, Sacræ Cæsareæ Maiest. Dapifer; armaturam*

qua

*qua probe instructus erat veste celans, propius ad Iudicum subsellia accessit, ijsq; de manu in manum litteras dedit; quarum hæc erat sententia:*

*Cum ad me Deam illam magnam, quam mortales Cybelen vocant, Cæli Terræq; filiam, omniumque reliquorum deorum matrem, in cõcilio Iouis & Veneris delatum esset, in hac imperiali aula latam sententiam, de tabellaq; recitatam, qua Cupido morti per infamiam addicatur: prouidentia mea longe ante prospiciens quantorum malorum caussam interitus eius daturus sit, cuius è vita omnia pendent, obuiam eundum existimaui proiectæ istorum malitiæ simul atque audaciæ; qui si pergent, &, quod hactenus, etiam armis factum suum defendere profitebuntur, en me quæ hodierno die, faciente Ioue filio, & Amorem periculo eximere, & temerarios ausus pœna merita punire satagam.* Sententia libelli ludicibus oblati.

*Lectis litteris, dea cum Mercurio ad rupem reuersa, impegit ei clauam argenteam; & ecce vndiq; se illa aperit, Baroque Felsius armatus in equo ex ea prosilit; machinæ vero in propugnaculis arcis eius exoneratæ sunt, crebraque tela ignita ex ipsa arce emicuerunt: reliquis partibus eius aquas contra magna copia eiaculantibus, & sarissis etiam militum, quos in statione fuisse diximus, a summo & imo in ignita missilia mira metamorphosi conuersis. Quibus monstris superuenit grallator Hungarus, indutus follicantibus caligis candidis, & barba fictitia aurum colore imitante, personaque prorsus ridicula, simul & admiratione digna.*

## Vndecimum Contubernium aduocatorum Cupidinis fuluatrofusco vestitu, trium capitum.

*Quatuor tubicines indutos veste varia è serico candido, fusco, & flauo, vexillis tubarum etiam tricoloribus similiter, insequebantur Patrini:* XI. Contuberniũ aduocatorum Cupidinis.

Patrini.

*I. Joannes Kuenius a Vuelasy, Liechtenbergicus.*

*II. Bernardus Vveltzerus a Spiegelfeld, Serenissimi Boëmiæ Regis Structor.*

*III. Adamus Hohenvuarterus Ser. Boë. regis item Structor.*

*IV. Jacobus Kuenius à Vvelasy, Liechtenbergicus, Sac. Cæs. Maiestatis Structor.*

*V. Guilelmus Hofkirchius, &*

*VI. Iacobus Dasseueus, Ser. Boë. regis Aulicus.*

*His erant tunicæ Coæ candidæ segmentis aureis; quibus per interualla mannuli byssini fusci interiungebantur. plumæ erant tricolores. manibus hastas portabant vsui futuras quibus eam operam dabant, qui erant:*

*I. Rodol-*

Pugnæ candidati.

*I. Rodolphus Kuenius à Vuelasy, Liechtenbergicus, Ser. Boëmiæ Regis Cubicularius.*

*II. Joannes Baro Kreigius, Archicubicularius, & Architriclinus Carinthiæ, Ser. Boëmiæ Regi à cyathis, &*

*III. Paulus Guilelmus Baro Zeltingius, Dynasta Zierendorffius, Ser. Boë. Reg. Cubicularius.*

*Atque hos aurata primum armatura à capite ad calces muniebat; quibus cinctus inducebatur è serico candido, respōdentibus ei equorum integumētis, auro segmentatis, & mannulis crebro distinctis. antecedentes autem habebant proximos sex famulos à pedibus eodem cum tubicinibus vestitu.*

Duodecimum contubernium aduocatorum Cupidinis, flaualbocœruleo vestitu, decem capitum.

XII. Contuberniū aduocatorum Cupidinis.

*Decem tubicines & cornicinem vnum, indutos tunicis flauis manuleatis è serico; galerisq; candidis, quos obumbrabant variè flauæ, cœruleæ, candidæq; plumæ, vexillis tubarum perinde tricoloribus, sequebantur complures patrini in tunicis candidis holosericis, limbis e serico partim cœruleo, partim candido; galeris holosericis flauis, plumis tricoloribus, manubrijs gladiorum, fibulis, bullisq;, alternis auro argentoq; fulgurantibus.*

Pugnæ candidati. Serenis. Archidux Ferdinandus.

*I. Post hos equitabat solus Serenis. Archidux Ferdinandus aurata munitus armatura; quem comitabantur altrinsecus quinque famuli ad pedes, vestiti caligis thoracibusq; e serico, colobijs candidis scorteis; galeris flauis, obumbratis plumis tricoloribus, cuius generis erant etiam baculi, quos manibus singulos singuli gestabant. sequebantur autem serenis. Archiducem socia arma iuncturi:*

*II. Andreas Teuffelius, Serenis. Archiducis Consiliarius, & primus stabuli præfectus.*

*III. Fridericus Ludouicus à Malouitz, Ser. Arch. aulæ præfectus.*

*IIII. Jarouslaus Leibstanskius, Toparcha Kollembratius.*

*V. Fridericus Baro Castelbarchensis, & Agrestensis, Ser. Archiducis structor.*

*VI. Julius à Riua, Ser. Arch. Cubicularius.*

*VII. Hercules à Riua, Ser. Arch. Aulicus.*

*VIII. Nicolaus Miltitzius.*

*IX. Georgius Jablanskyus, Ser. Arch. Dapifer.*

*X. Henricus Steinbachius, Ser. Arch. structor.*

*Horum arma erant partim aurata, partim mire polita, & fulgentia. quibus inducebatur infra vmbilicum cinctus ex auro, argento, serico aque*

*cœrulea bombycina elaboratus. stratum equorum erat flauum e serico, peniculamentis aureis, argenteis, & bombycinis cœruleis. ipsi autem equiq; cristis in primis insignibus notabiles erant.*

Decimumtertium Contubernium aduocatorum Cupidinis, rubrocandido vestitu, duorum capitum.

*Duos tibicines veste plumaq; alternis rubentes, albatos alternis, sequebantur quatuor patrini induti tunicis albis e serico, pictis crucibus transuerso pectore & tergo rubris Burgundicis. galeri erant quoq; albi, pluma partim rubente, partim candicante. depugnaturi autem erant:* XIII. Contubernium Cupidinis aduocatorum.

*I. Andreas Kaendorffius à Vuolffsdorff, &* Pugnæ candidati.

*II. Matthias Schrenckelius.*

*Habebant hi armaturam politissimam, cristas bicolores, cinctus & strata equorum candida, crebris crucibus Burgundicis rubris sparsa. eademque etiam varietas erat in baculis, quos manibus pictos gestabant.*

Decimumquartum & vltimum contubernium aduocatorum Cupidinis, vestitu atrocandido, duorum capitum.

*Vltimo loco ingressi sunt portas septorum tubicines duo in vestitu bombycino atrocandido, prosequentibus patrinis duobus tunicis holosericis atricoloribus, prætexta serica candida; pileis etiam nigris, sed plumis bicoloribus, depugnaturi autem, qui erant:* XIV. Contubernium aduocatorum Cupidinis.

*I. Fridericus Kitlitzius, Sereniss. Archiduci Ferdinando a caliculis, &* Pugnæ candidati.

*II. Michael Tscirnausius, Ser. eiusdem Arch. Aulicus. cinctus gerebant sericos atrocādidos; sed strata equorum erant sanguinea, aureis mannulis subinde interpolata, cristis nihilominus atrum candidumq; colorem retinentibus.*

*Atq; hi omnes ita per contubernia diuisi vt diximus caussam Cupidinis tanta suo quisque loco & ordine animi corporisque virtute egerunt, vt interdum ad imos vsque gradus descendere ei fas fuerit, iam periculi sui penè securo, nisi, vt sunt incerta belli, tandem Prouocatores resumptis fortè an ex indignatione viribus, ita aduersarijs institissent, vt Patroni Cupidinei, quamuis omnia sedulo facietes, sub oculis suis videre coacti fuerint eundem Cupidinem ex formula prouocationis ad summos vsque gradus & cruci proximos rapi: vbi miser destitutus inter sacrum & saxum finem pugnæ, quam Folij vocant, expectare adigebatur, ad quam depugnandam in duo agmina discessum est, ac tunc videre erat animosas lacertorum iactationes, crebrasque hastarum comminutiones. ita singulis pro se adlaborantibus vt mortem etiam pro* De ordine & modo pugnæ. Pugna Folij.

*laude pacisci nemo non velle videretur. sed vt ad Cupidinem reuertamur, quē sub cultro reliquimus, habente iam finem suum certamine Folij, Prouocatores acriter apud Iudices instare cœperunt, vti Cupido in crucem ageretur; mandantes ad hoc alta voce lictori, officium suum vti faceret. quibus cum reclamarent pertinacißimè Patroni Cupidinei, lictor, quibus potius pareret incertus, cum subinde iterarent Prouocatores vocem eam; tolle, tolle in crucem scelus; tandem ex loco superiore; vos quidem, inquit, tolle, tolle strennuè personatis; sed ego multo audire mauelim; bibe, bibe: iam enim miser siti enecor. quod dictum cum risus sequeretur, interea Patroni Amoris missa ad Gynæceum legatione postularunt vti a Prouocatoribus donari sibi reum peterent. quod cum per internuntium factum esset, negarunt Prouocatores aliam vllam esse conseruandi eius viam, quam si vniuersi Gynæcei precibus redimeretur. misit ergo secundo Sereniß. Maria Boemiæ Regina qui ita facturas omnes nuntiarent. quibus Cupido ad Gynæceum deducendus traditus est. quo digresso, quidam tormentarius pegma in quo erecta crux erat conscendit, ibique præparatum arte mira ignitum opus in formam turricularum duarum incendit; tanto fragore coruscantibus vndique fulminibus vt mille & amplius bombis omnia circumquaque resonarent, ardereque singula viderentur; donec paullatim euanescente crepitu, flamma, fumo, quo quiq; ordine in harenam descenderant, domum suam quoq; & deuersoria repetiuerunt.*

Cupidinis periculū.

Spectaculū igniti operis.

*Eo die cœnam omnibus dedit Sereniß. Boemiæ Rex Maximilianus, eamque, vt in pauca rem conferam, omnino regiam. consederuntque in Nympheo vt aliàs quoq; matronæ virginesq; magna frequentia; proceribus diuersis muneribus & functionibus distentis; quo recte atq; ordine omnia fierent, nihilq; ad summam magnificentiam reliqui esset.*

Cœna Regia.

*Sumpta autem iam cœna Sereniß. idem Boëmiæ rex cum coniuge, & toto Gynæceo, Duce Bauariæ, & Archiducibus Austriæ prodijt in occursum Cæsareæ suæ Maiestatis, quæ inde simul cum vniuersis ex Palatio imperiali progressa est, solemnemque locum in Nympheo occupauit; personantibus Musicis, tubicinibus, cornicinibus, tibicinibus, cytharoedis, pro se vnoquoque. ad quorum numeros in multam noctem saltatum est, cum tandem inchoans tertia vigilia admonuit honores promissos habendos ijs, qui eo die optime rem in armis gesßissent. quod tali fere ordine & ratione factum accepimus:*

Choreæ.

Donati virtutis causa.

*Iudices per Præconem primo loco citari iusserunt Fridericum Baronem Castellanum, Barchensem & Agrestium, Sereniß. Archiduci Ferdinando a cyathis; qui cum ad nomen respondißet, ei pudicißima, & ex primaria nobilitate virgo Margaretha ex Lassorū à Castella familia obtulit*

I. Fridericus Baro Castellanus &c. donatus aurea corolla.

*obtulit corollam auream, faciente pro ea ita verba vulgari Italico ſermone, (neq; enim callebat Teutonicum Baro Caſtellanus) Illuſtri Franciſco Comite a Thurn; hanc, tibi vir fortiſsime, coronam ex auro puro offert hæc modeſtiſsima virgo, præſentiſsimum egregiæ virtutis argumentum; quod omnium iudicio primas haſtas tuas optime collocaueris, dexterrimeq; illis vſus ſis. Cui viciſsim Caſtellanus; magnas merito ago habeoq; gratias vobis, Iudices optimi, quod nihil tale ſperantẽ honore hoc dignũ deputaſtis; profiteorq; adniſurum me diligenter in poſterum, vt quod iam a me factum eſt minus induſtria compenſetur. Cumq; hoc dicto corollam accepit, & virginem ſaltatum duxit.*

*Producta inde alia virgine ex Gynæceo Bauarico, quæ erat gentis Konigsfelderorum, citatus eſt iuſſu Iudicum Ioannes Kinskius, Sacræ Cæſ. Mai. Dapifer: cui illa annulum aureum donauit, quod omnes ſuas haſtas dexterrime cõminuere viſus eſſet; quo ille honore contentus, annulum virgini reddidit, inuitata ea ad choreas, quas ſimul inde duxerunt.* II. Ioan. Kinskius donatus aureo anulo.

*Tertio Eliſabetha Vuatzlera, ex Gynæceo Sereniſsimarum Archiducum Auſtriæ, obtulit ſimiliter annulum aureum, quod in certamine Folij plures haſtas q̃ alius quiſquã rupiſſet, Carolo Ludouico Baroni Zeltingio, Toparchæ Sierendorffio, Ser. Hiſpaniarũ regis Dapifero, qui itẽ annulum eũ virgini donauit, eãq; in orbẽ ad numeros ſaltatũ duxit.* III. Carol9 Ludouic9 Zeltingius Baro donatus item aureo anulo.

*Vltimo loco a neſcio qua ex Gynæceo datus eſt perinde brauij loco annulus aureus Illuſtri Vratiſlao Bernſtenio a Thobiſcauia, Aurei Velleris ſodali, & Sereniſ. Boemiæ regis Cubiculario: quod comitatu & apparatu ſplendidiſsimo in harenam deſcendiſſet. qui cum alios imitatus eſſet liberalitate erga virginem, a qua honos illi habitus erat, choreasq; cum ea duxiſſet, Imperator palatium, ceteri ſuum quiq; deuerſorium repetiuerunt, tertia vigilia iam pene finita.* IV. Vratiſlaus Bernſteni9, donatus ipſe quoq; anulo aureo.

## INSIGNIA ET NOMINA EORVM PRINCIpum, Comitum, Baronum, nobiliumque virorum reliquorum qui proximè præcedentibus ludis equeſtribus Viennenſibus depugnarunt.

Ferdinandus Archidux Auſtriæ.



Carolus Archidux Auſtriæ.



D. Claudius Comes Lunenſis.



D. Ludouicus Comes Lunensis.



Ge. Froskouusky.



Don M. de Acuna.



Ge à Tanhausen.



Leon. Steiger.



Fer. Rindscheit.



Eras. Stadlerus.



Io. Geraltouusky.




Se. à Vuindischgratz.




Clau. Comes à Meltz.



Ladis Popel.



Vuolfg. Streinius.



Io. Panouuitzius.



Iac. Ramingerus.



Fran. Keuenhullerus.



Ad. à Neydeck.



Vuil. Grasuuein.



Ach. Ba. in Herberstein.



Iac. Zachius.



Mich. Rindsmaulius.



Vuil. à Glaisbach.



Car. Lud. à Zelting.



In. Rueberus.



Ot. Hen. à Puecheim.



Sige. Preinerus.



Io. Rinsky.



Alf. Gastaldus.



Ge. à Colaus.



Bern. Stadlerus.



And. Teufel.



Frid. Bar. in Agreſt.



Her. Steinbock.



Ge. Iablansky.



Iul. à Riua.



Vuil. Mirskouusky.



Herc. à Riua.



Fri. Lu. à Malouuitz.



Nic. à Miltitz.



Iar. Leibſtansky.



Frid. à Kitlitz.



Caſ. à Panouuitz.



Frid. à Schirnhaus.



## DE PVGNAE TAM EQVESTRIS QVAM PEDESTRIS ſimulacris Viennæ extra vrbem ab eodem Sereniſs. Rege Maximiliano editis.

## XXXI.

*IVnij menſis die vigeſimo equeſtri pedeſtriq́; prœlio certatum eſt ita acriter extra vrbem, vt res vero diſcrimini quam imaginariæ pugnæ & belli ſimulacro longè ſimilior videretur. patebat autem locus certaminis orgyis in lõgitudinem centum ſeptuaginta, in latitudinem quinquaginta plus minus ſupra centum; qui omnis in orbem val-*

bem vallo septisq; clausus erat. iuxta hunc tabulatum alte eductū erat gradatim surgens, et superne aduersus cæli iniuriam constratum; ex quo Cæsarea Maiestas, Regina Boemiæ, vniuersumq; Gynæceum, & legati



Regum gentiumq; cōmodè spectaculo fruerentur. erant aūt fori hi auleis magnificè, vt par erat, instrati. loco pugnæ futuræ pene medio dumetum horrebat, vtrimq; vero ex aduerso currules aliquot machinæ productæ collocatæq; in præsidium sunt. puta in partibus sereniss. Archiducis Ferdinandi quatuor eius generis quæ Falcones minores vocantur, adhibitis tormentarijs & omnib. ad vsum eorum necessarijs: in partib. vero Archiducis Caroli octo Falcones maiores, decemq; minores. his autem machinis vniuersis præfectus erat Michael Rindsmaulius à Frauuheim. Et in castris quidem sereniss. Archiducis Caroli multa erant eaq; pretiosissima tabernacula posita; in quibus proceres conquiescerent, dum pugnæ tempus adesset. præsidio autem erant huic loco signa septem ciuium Viennensium, armis optime instructa, ducentibus ordines:

Partes Archiducis Ferdinādi.

Partes Archiducis Caroli.

Michael Rindsmaulius præfectus machinis bellicis.

Ductores ordinum.

I. Nicolao Chrysostomo Spieshamero.
II. Reimundo Straubio.
III. Joanne Thauio.
IV. Bernardo Haslingero.
V. Colmano Egrero.
VI. Joanne Schelharto, &
VII. Joanne Kratuuolio.

Signiferi.

Signa autem ferebant; Primi agminis quidem duo Leopoldus Huttendorfferus Bauaricū, qđ erat candidocœruleū, Ludouicus Vueißius

Sereniſsi-

*Serenißimi Boëmiæ Regis, quod flauo, atro, candidoq́; coloribus variegatum erat: Medij agminis primum, quod erat Vngaricum, quatuor candidis & totidem rubris interuallis distinctum, ferebat N. Stentzelblauius; alterum imperiale flauum, aquila nigra bicipite insignitum, Ioannes Mayſtetterus; tertium Boemicum rubrum, pictum leone candido, Dauid Langius: Postremi denique agminis signiferi erãt, Regis Boemiæ quidem vti diximus varium Thomanus Bamptius, Austriaci autem veteris, quod constat, quinque galeritis auratis in campo cœruleo, Franciscus Vuildbrettius. his omnib. erant vestes concolores suis signis. & caligæ quidem follicantes ex holoserico, thoraces è serico. manubria autem gladiorum argentata erant; habebantq́; singuli optiones suos, eodem plane modo vestitos, quorum nomina fuere:*

Optiones siue legati signiferorum.

| | |
|---|---|
| *I. Georgius Aignerus.* | *V. Michael Kamielius.* |
| *II. Jacobus Seyerlius.* | *VI. Christophorus Pfliegerius.* |
| *III. Sebastianus Vuulffingius.* | *VII. Laurentius Huttẽdorfferus iunior.* |
| *IV. Georgius Engelhartus.* | |

*Sub signis autem his militantes censebantur ad tria milia, emeritæ fere omnes militiæ, & compertæ virtutis. atque hi gradu militari ipso diluculo ex vrbe ad locum pugnæ contenderunt: quos mox secutus est Sereniß. Archidux Ferdinandus cum clientela sua & comitatu aulico, qui insulam vicinam occupauit, eamq́; cõtinenti ponte e nauibus strato iunxit, aditu stationibus machinisque bellicis firmato. post hæc castra posuit exspectans equites centum, & pedites sclopetarios totidem, quorum præcipue opera eo die vsurus erat. Post Ferdinandum etiam sereniß. Archidux Carolus cum manu equestri suorum aulicorum in castra sua fraternis castris collata venit; exspectans perinde equitum turmam centenariam, cohortemq́; sclopetariorum. qui dum mox cibo sumendo cum suis operam dat, Marcus Antonius Spinola Comes Tercerolensis præfectus sereniß. Boemiæ Regis stipatorum, ac tum quidem sereniß. Archiducis Ferdinandi sclopetariorum ductor, ex insidijs insula egressus cum viginti admodum de suis, præsentißimi in discrimine animi, furtim in castra eius venit, animaduersaq́; securitate hostium, vt qui nec stationib. nec excubijs se munire dignarentur, currule tormentum nemine sentiente in castra sua pertraxit.*

Comitis Tercerolẽsis astus.

*Sub hac hora vna fere ante meridiem sereniß. Maximilianus Boemiæ Rex exercitus vtriusque Imperator, ex palatio imperiali cum suis processit in equo leuiter armatus armatura aurata, cui induxerat sericam tunicam militarem; caput simili pileo tectus, & manu baculum gerens. prosequebatur autem eum proximus puer ex nobilitate vehens signum equestre quadratum non magnum; apparebant autem eidem:*

*I. Dux*

Apparitores Regis Maximiliani.

I. Dux Carolus Munsterbergius.
II. Comes Petrus Archensis.
III. Comes Gaspar. Lodronius, serenitatis eius primus præfectus aulicus.
IV. Berchtoldus Leyptius, Marescallus Boemiæ.
V. Ludouicus Vngnadius, Baro.
VI. Petrus Mollartus, Eques.
VII. Adam. Schmeckouitsius, oẽs tres serenitatis ei⁹ Cubicularij.

Præcedebant item, & à latere tergoq; claudebant Regem famuli ad pedes stipatoresq́; atq; ita ordine decentissimo ad locum pugnæ venit: primumq; serenissimi Archiducis Caroli castra ingressus, munia cuiq; sua descripsit, rationemq́; futuri certaminis edocuit; & aciẽ instruxit, equitibus centum in alas quinque partitis. atq; ita, cum tormentarijs etiam quæ fieri vellet mandasset, castra serenissimi Ferdinandi insulana similiter adijt; ibiq; etiam prouiso quo recte & ordine rato singula administrarentur, locum pugnæ destinatum patẽtem esse iussit, expulsis, qui spectandi caussa in eum irruperant. statimq; apparuit Cæsarea maiestas, quæ locum sibi præparatum in edito theatro cum occupasset, indeq; serenissima Maria Boemiæ Regina, vxor Ducis Bauariæ, Archiduces virgines, vniuersumque Gynæceum, legati Regum gentiumq́;, proceres deniq; ætatis deuexioris, cõsedissent, hoc fere modo ad certamen animi partium irritati sunt.

Consessus Imperatoris, &c.

Homo rusticus curru in castra Serenissimi Archiducis Caroli properabat, frumentum aliaq; vitæ necessaria subuehens, vnius sclopetarij fretus præsidio; quem conspicati quidam è castris serenis. Ferdinandi, oblatam occasionem rati prædæ, & auertendi commeatus eius, aliquam multi manuarijs machinulis instructi cursim rusticum consequuntur, quod ernens præsidiarius ille sclopetarius, arreptis ipse habenis currum in locum illum, quem medio fere campo horridum dumis fuisse diximus, quam potest celeritate maxima pertrahit; eumq́; mox conscendit, speculaturus aduentum hostium. sed illi eo animaduerso ad terram se abijciunt, sensimq; adrepunt, sclopos suos per humum trahentes. atque ita decepto speculatori superueniunt, magnoq; edito clamore cõsurgunt, & inuolant in currum, sclopetariumq; præsidiarium cum rustico capiunt, conuersisq; habenis ad sua castra perducere prædam satagunt: sed illi in aduersis castris cognito periculo commilitonis, & damno coloni, simul audacia hostili irritati, qui sub oculis potissimum ipsorum prædas agerent, auxilio accurrunt; pugnatur vtrimq; acriter, & clamore magno, fragoreq́;, & crepitu, ac strepitu ingenti res geritur; superuenientibus subinde pluribus, ac crescente proinde pugna turbaq;. tandem à tympanistis ad arma vniuersis castris conclamatur; iustiq; prœlij signum proponitur. inter quæ cum equus vnus ex iugalibus rustici profugisset, maior etiam

Inuitamentũ pugnę.

*rixa coorta est; ijs qui erant partium serenißimi Ferdinandi rusticum male multantibus, & vi cogentibus viam in castra sua capessere; aduersarijs contra nitentibus: rustico vero Deum hominumq́ fidem obtestante, & alte iubilante, furesq́, abigeos, latrones aßidue inclamante; donec totis viribus sclopetariorum iam permistis, Serenis. Ferdinandus suis pedestribus copijs submisit turmam triginta circiter equitum, & Falcones tormentarios minores tres. quibus contra quoq́ Serenis. Carolus equites totidem opposuit, qui tanta vi inuecti sunt, vt vniuersas hostiles copias in castra reiecerint.*

Pugna acris tam equestris q̃ pedestris.

*Quo facto tubicines canere cœperunt, equestreq́ prœlium initium habuit; procurrentib. vtrinq́ primũ quinis, inde denis, tũ vicenis equitib. ac mox recurrentib. postq́ suos succedentes se recipientibus, quod sane spectaculum visu dignißimũ fuit; præsertim cum ad singulas fere coitiones machinæ aliquot detonarent, & defulminarent; adeo vero terrore; vt multorum animos tanquam in re seria, vbiq́ de vita atq́, vt ille ait, de diuinis simul & humanis cernitur, mire consternarent. atq́ interea inter pedites quoq́ restaurata pugna est; sicq́ æquato labore animis pertinacißimis vbique pugnabatur; nec pauci vtrinq́ capiebantur; qui inde more militari permutatione liberi abibant. Tandẽ Folij certamen committi cœpit, in quo cum equites triceni hinc inde pcurrerent, præter verbera quibus pugnantes contusi sunt, etiam equi duo elisi leguntur, saluis tamen, industria eorum qui ad pedes seruiebant, sessoribus, qui erant Gabriel Maylartus ex nobilitate Vngarica, & Sac. Cæs. Maiest. Aulicus; itemq́ Georgius Veichtius Belga, Ser. Boë. Regis stipatorum designator. quamdiu autem depugnatum est, Serenis. Maximilianus circuibat ordines, feßisque recentes submittebat; nihilque non faciebat, quod boni duces in seria pugna solent. vt autem ordo quo in vrbem inde reditum est plenius intelligatur, lubet breuiter vniuersum eum hoc modo describere accuratius paulo:*

Põpa qua in vrbẽ reditum est. Dux & legatus primæ turmę Carolinę.

*Equites igitur numero centum partium Serenißimi Archiducis Caroli distributi erant in turmulas quinq́; quarum primam ducebat ipse serenis. Carolus, prosequente ipsius Legato, qui erat Georgius Baro Thannhusius. turmales autem eorum fuerunt:*

Turmę Carolinę turmales.

*I. Volckhardus Auersbergius, Sac. Cæs. M. structor.*
*II. Christophorus Rappachius.*
*III. Gasparus PannouitZius.*
*IIII. Guilelmus Hofkirchius.*
*V. Georgius Ehrenrichius à Rogendorff.*
*VI. Vuolfgangus Liechtenstenius.*
*VII. Gasparus & Melchior Romerus.*
*VIII. Gabriel Strenius.*
*IX. Vuolffartus Strenius.*
*X. Georgius Braunius.*
*XI. Georgius Com. Nagerolius.*

XII. Joannes Juleius.
XIII. Adamus Neideccius.
XIV. Franciscus Keuuenhullerus.
XV. Petrus Regeluuitzius.
XVI. Prisneccius Prusinouskius, à Vitscoua.
XVII. Petrus Eyskirchius.
XVIII. Felix Sattelbelgerus, vterque Sac. Caes. M. stipator.

Secundam turmam ductabat Ludouicus Comes Leonstenius, Dynasta Scharpffeneccius, Sacrae Caes. Maiest. concilij aulici Praeses. cuius turmales erant: Secũdę turmę Carolinę ductor.

II. Turmę Carolinę turmales.

I. Guilelmus Grasuuinus à Vueier, Eques.
II. Pãcratius Vuindisgratius, Baro Vualdenstenius & Vallẽsis.
III. Andreas Kaendorffius.
IV. Otho Ratsmãsdorff. à Stũberg.
V. Ferdinandus Rindschedius à Fridberg.
VI. Philipp. Preinerus, Baro Stubingius, Fladnitzius, & Rabenstenius.
VII. Sebast. Vuindischgreßius, Baro Vualdenstenius & Vallẽsis.
VIII. Christophorus Rembertus Vueltzerus à Spiegelfeld.
IX. Joachimus Trautmansdorffius a Trauttemberg.
X. Rembertus Gleinitzerus à Leystetten.
XI. Bernard. Stadlerus a Stadel.
XII. Erasmus Stadlerus a Krottendorff.
XIII. Michael Rindsmaulius, a Frauuheym.
XIV. Seruatius Teuffenbachius a Mayrhofen.
XV. Leonarthus Steigerus.
XVI. Guilelmus Hesenderus a Bischoffheim.
XVII. Vatzelius Potzius.
XVIII. Sigismũdus Meylingerus.
XIX. Christophorus Einhornius, qui quatuor postremi Sac. Caes. M. stipatores erant.

Tertiam turmam ducebat Bernardus Comes Hardeccius, Glatzius, & Machlandius, Archipincerna Austriacus, & Archidapifer Striae: turmales eius erant: Tertię turmę Carolinę ductor.

III. Turmę Carolinę turmales.

I. Sigismundus Reigetskius.
II. Lascus Meseritschius.
III. Joannes Spannoskyus a Lintschauia.
IV. Udalricus Minschanus, Toparcha Klincstenius.
V. Sigismundus Puchemius, Baro a Rabs & Krumbach.
VI. Archidapifer Austriacus.
VII. Sigismundus Karichkius.
VIII. Vuolffgang. Baro Fytsingius.
IX. Venceslaus Kunskyus.
X. N. Zintzendorffius.
XI. Georgius Vualetzkyus.
XII. Marcardus Reigetzkyus.
XIII. Dauid Rebidzius.
XIV. Ernestus Danckius.
XV. Joannes Schellerus, Sac. Caes. Maiest. stipator.
XVI. N. Vuagitschius.
XVII. Joannes Stibitzius.
XVIII. Balthasarus Sauerus.
XIX. Balthasa. Kalchreuterus, ex ordine tres S. C. M. stipatores.

Quartę turmę Carolinę ductor.

*Quartam turmam ducebat Gasparus Baro a Felß, Dynasta Schenckenbergius, Sac. Cæs. M. Consiliarius Aulicus, & Stipatorum Præfectus. turmales erant:*

IV. Turmę Carolinę turmales.

I. *Ernestus Comes Ortenbergicus.*
II. *Gasparus Preinerus, Baro Stubingius, Fladnitzius, & Rabenstenius.*
III. *Fridericus Baro Agrestius.*
IIII. *N. Zeitlitzius.*
V. *Vuolfgangus Puchemius a Gellersdorff.*
VI. *Antonius Iacobus a Thunn.*
XII. *Ioannes Fridericus Landecius.*
IIX. *Ioannes Henricus Schenckius.*
IX. *Ioannes Vvelsbergius.*
X. *N. Herberstenius.*
XI. *Ferdinandus Starckius.*
XII. *Fridericus Vuildenstenius.*
XIII. *Bernardus Kreiderus.*
XIV. *Ambrosius Staffius. qui postremi quatuor Sacræ Cæs. M. Stipatores erant.*

Quintę turmę Carolinę ductor.

*Quintam vltimamque harum partium turmam ducebat Ioannes Ruberus, Toparcha Puchsendorffius, & Sonnebergius, equestri baltheo donatus. turmales eius erant:*

V. Turmę Carolinę turmales.

I. *Othenricus Puchemius Dynasta Heydenteichstenius, Archidapifer Austriacus.*
II. *Iacobus Zachius, Sereniß. Archiducis Caroli Cubicularius.*
III. *Christophorus Nostitzius Sac. Cæs. M. Dapifer.*
IIII. *Georgius Collausius, cognomento Vuatzlerus, Ser. Archiducis Cubicularius.*
V. *Georgius Kranschalius.*
VI. *N. Ratzendorfferus.*
VII. *Gabriel Mailartus Hungaricus nobilis.*
IIX. *Leopoldus Ruschius.*
IX. *N. Reinacherus.*
X. *N. Dotzyus.*
XI. *N. Kleus.*
XII. *N. Marackschius.*
XIII. *Gabriel Colnitzius a Bruckschleinitz.*
XIV. *Erasmus Praunius.*
XV. *N. Terguuinus.*
XVI. *Georgius Prantius.*
XVII. *Michael Schrannellius.*
XIIX. *Achates ab Holtshausen.*
XIX. *N. N.*

Turmę primę Ferdinādinę ductor & legatus.

*Similiter equites centum partium Sereniſsimi Ferdinandi Archiducis in turmas quinq; diuisi ibant ducente primam eodem sereniſsimo Archiduce, cuius legatus erat Andreas Teuffelius Sereniß. Arch. consiliarius & primus aulæ præfectus. turmales erant:*

I. Turmę Ferdinandinę turmales.

I. *Iulius a Riua, Ser. Arch. Cubicularius.*
II. *Fridericus Baro Castellanus, Barchinus, & Agrestius, Ser. Arch. a poculis.*
III. *Fridericus Ludouicus a Malouitz, Ser. Arch. Præfectus aulæ.*
IV. *Henric. Steinbachius a Steinbach, Ser. Arch. Structor.*

V. Georgius

*V. Georgius Jablanskius à Jablauia, Ser. Arch. Dapifer.*
*VI. Guilelmus Mirskourskyus à Stropschitz; item Ser. Archid. Dapifer.*
*VII. Hercules à Riua, Ser. Arch. Aulicus.*
*VIII. Martinus Memingerus, Ser. Arch. Archimagirus.*
*IX. Christophorus Rabenhauptius, Ser. Arch. Dapifer.*
*X. Fridericus Kitlitzius, Seren. Arch. à cyathis.*
*XI. Venceslaus Auliskius, Seren. Arch. Dapifer.*
*XII. Comes Henricus Guttenstenius.*
*XIII. Joannes Rensbergerus.*
*XIV. Christophorus Preissius, S. Arch. Aulicus.*
*XV. Petrus Varckius.*
*XVI. Hieronymus Retschius, S. Arch. Aulicus.*
*XVII. Carolus Puchtauius.*

*Secundæ turmæ ductores fuerunt Illustriß. Duces Henricus maior, et Henricus minor fratres, S. Rom. Imperij Burggrauij Misnenses; Comites Hartenstenij, Dynastæ Blauij, & Gerauy; & Maximilianus Baro Polhemius & Vuartenburgicus, Ser. Boë. Reg. stipatorum præfectus.* Secūdę turmę Ferdinā dinæ ductores.

*Sub Blauijs Principibus autem militabant:* II. Turmę Ferdinandinę turmales.

*I. Georgius Comes & Baro à Thurn, & Creutz; Ser. Arch. Cubicularius.*
*II. Jdislaus Borinus, Ser. A. structor.*
*III. Joannes Sternbergius, S. A. Dapifer.*
*IV. Joannes Albertus Dynasta Eylembergius, S. A. Aulicus.*
*V. Nicolaus Miltitzius.*
*VI. Gaspar. Pannouitzius à Mechauitz, S. A. Dapifer.*
*VII. Petrus Vuieschinus, S. A. Aulicus.*
*VIII. Theodoricus Teckauitzius, S. A. Dapifer.*
*IX. Ferdinandus Luxamius.*

*Sub Dynasta Polhemio militabant:*

*X. Erasmus Puchemius Baro à Rabs & Krumbach.*
*XI. Vuolffgangus Stubenbergius.*
*XII. Erasmus Stadlerus a Krotendorff.*
*XIII. Joannes Gasparus Preinerus, Serenißimi Boë. Regis stipator, quemadmodū & quinquesequentes:*
*XIV. Augustinus Puhelius.*
*XV. Joannes Schmettius.*
*XVI. Joannes Stuberus.*
*XVII. Josua Eybestallerus.*
*XVIII. Christophorus Rapischius.*

*Tertiam turmam ductabat Sereniß. Maximiliani Boëmiæ Regis Cubicularius, Vratislaus Dynasta Pernstenius ad Tobischauiam, Aurei Velleris sodalis. turmales erant:* Tertię Ferdinandinę turmę ductor.

*I. Comes Iulius Salmensis.* III. Turmę Ferdinandinę turmales.
*II. Claudius Triuultius, Comes Meldensis.*

 *III. Petrus*

III. *Petrus Vogtius, Dynasta Rosenbergius.*

IIII. *Laslaus Popelius a Lobkouuitz, Sac. Cæs. M. Cubicularius.*

V. *Christophorus Carolus Baro Zeltingius.*

VI. *Iacobus Kunius, Sac. Cæs. M. Structor.*

VII. *Ioannes Alphonsus Gastaldus.*

VIII. *Paul. Backitschius à Lacky.*

VIIII. *Guntherus Pinauius.*

X. *Ioannes Toparcha Uvartenbergicus.*

XI. *Ferdinandus Ruberus a Puchsendorff.*

XII. *Georgius Sigefridus Kolnitschius à Bruckschleinitz.*

XIII. *Bogscauius Drachoncuskyus.*

XIV. *Ioannes Neigitschius senior à Landeck.*

XV. *Frenhartus Neigitschius iunior a Landeck.*

XVI. *Ioannes Kapaunius à Schuuoykoco.*

XVII. *Idenco Hoditzkyus ab Hoditz.*

XIIX. *Ioannes Holensteinerus ab Holenstein.*

XIX. *Joannes Furstensteinerus.*

Quartę turmæ Ferdinandinę ductor.

*Quartam turmam ducebat Georgius Proscouscius a Proscauia, Commendator Grebniccius, Sereniss. Boëmiæ regis Cubicularius.* eius *turmales erant.*

IV. Turmę Ferdinandinę turmales.

I. *Comes Ernestus Ortenburgicus, Baro Freystenius, & Carlsbachius, Dynasta Hericortius, & Insulanus.*

II. *Comes Sigismundus Hardeccius.*

III. *Andreas Puchemius, Dynasta Heydenreichstenius, Archidapifer Austriacus.*

IV. *Rudolphus Kuenius a Vuelaschin.*

V. *Sigefridus Preinerus, Baro Stubingius, Fladnitzius, & Rabenstenius, Sac. Cæs. M. Structor.*

VI. *Bernardus Vueltzerus à Spiegelfeld.*

VII. *Paulus à Zelting.*

VIII. *Albertus Peßius, cognomento Vuerchlenskyus.*

IX. *Ioannes Kinskyus, Sac. Cæs. M. Dapifer.*

X. *Ioannes Gillius, Sac. Cæs. M. Aulicus.*

XI. *Ioannes Proskouscius.*

XII. *Maximilianus* Knobeidorffius.

XIII. *Uvolffgangus Jergerus, Toparcha Tolleti, &* Kreuzbachij *Ser. Boëmiæ Regis Aulicus.*

XIV. *Christophor. Schvuambergius.*

XV. *Petrus Vuischinus.*

XVI. *Petrus Rousselius, Aulicus Arscotani Ducis.*

XVII. *Daniel Recklingerus, Augustanus.*

XVIII. *Christophorus Zuuickelius.*

XIX. *Elias Heidenrichius.*

*Quintam*

*Quintam vltimamque turmam ducebat: Ioannes Geraldouscius a Gersdorff, Sereniss. Boemiæ regis Architriclinus, & Structor. turmales eius erant:* Quintæ & vltimæ turmę Ferdinandinę ductor.

V. Turmę Ferdinandinę turmales.

I. *Com. Vuolfgangus Eberstenius.*
II. *Ioannes Hauuitzius, Ser. Boë. regis Structor.*
III. *Vuolfgangus Vuallaschius, Ser. Boe. regis Dapifer.*
IIII. *Iacobus Ramingerus.*
V. *Vuolfgangus Georgius Gillius, Ser. Boe. regis Aulicus.*
VI. *Vuolfgãgus Rũffius à Bulroß.*
VII. *Henricus Schleinitzius, Ser. B.R. Dapifer.*
VIII. *Fridericus Sitzendorffius.*
VIIII. *Ioannes Schmitzanskyus iunior.*
X. *Adamus Hohenuuarterus, Ser. Boe. reg. Structor.*
XI. *Alexius Turschius a Betlensdorff, Comes Zypßius.*
XII. *Baro Boenitzius, S.B.R. Aulicus.*
XIII. *Ioannes Guilelmus Prasbergius.*
XIV. *Venceslaus Sonneccius à Vuangeseinitz.*
XV. *Antonius Blandeccius.*
XVI. *Conradus a Pappenheim, Sacri Romani Imperij Marescallus hæreditarius.*
XVII. *Raphael Lechsnoskyus.*
XVIII. *Georgius Veichtius Belga, Ser. Boe. reg. Stipatorum designator.*
XIX. *Ioannes Guilelmus Linckius, &*
XX. *Ioannes Bergerus, duo stipatores regij.*

*Primus ergo erat reuertens in vrbem pompa tantum non triumphali Serenißimus Archidux Carolus in equo generosißimo; ipse manu pictum baculum ferebat, armatura qua erat indutus auro vndiq; fulgurante. cinctus erat ex serico candido, crebris crucibus Burgundicis sanguineis & flammulis virgatis pictus. ceterum crista, quam eximiam gerebat, magnam decoris sui partem in pugna reliquerat. stratum equi cinctui per omnia respondebat. præcedebant autem Serenißimum Carolum tubicines duodecim, quibus accedebat cornicen vnus; induti ipsi, tubæque, candidorubris vestibus vexillisq́;: item famuli ad pedes octo, & Stipatores vigintiquatuor; omnes eodem cum tubicinib. habitu. post hos demum Serenisimus ille princeps tamquam partis alterius caput & Dux equitabat, prosequente eum puero nobili, qui ferebat equestre signum quadratum, rubrocandidum: duobusque qui apparitorum quasi munere fungerentur aut certe Patrinorum, puta; Gasparo Barone Herbenstenio, & Iacobo Atnisio, Serenis. Archiducis alioqui Cubicularior um Decurione, & Stabuli præfecto. hi erant toti holosericati & atricolores. eosq́; sequebantur demum terni centum earundem partium equites, quorum nomina commemorauimus. omnes rubrocandidi in vestitu, quo arma obumbrabantur, & equestribus stratis.*

Habitus Caroli Archiducis.

Apparitores Archiducis Caroli.

*Serenisi-*

*Sereniſsimum Carolum cum ſuis mox ſecutus eſt Sereniſsimus Rex Boemiæ Maximilianus; poſt quem medium cum clientelari manu rurſum ibant tubicines duodecim, vno cornicine comitati; veſtiti ipſi tubæq; ſerico candidocœruleo; ac poſt hos quoque octo curſores, & viginti quatuor ſtipatores; inter quos partim æquè candidos, partim cœruleos equitabat ſereniſsimus Archidux Ferdinandus, Dux & ipſe partium. atque huius quoq; armatura aurea erat: cinctus ex ſerico candidocœruleo, cui ſimile erat equi ſtratum. eumq; adoleſcens ex nobilitate ſequebatur in equo, ſignum ferens quadratum equeſtre cœruleocandidum. & hunc rurſus equites centum terna ſerie omnes cinctu, ſtratis, criſtis, candidum & cœruleum colorem referentes. Claudebat deinde agmen Cæſarea Maieſtas cum ſereniſsima Regina Maria, Archiducibus virginibus filiabus ſuis, Duce Bauariæ, legatis gentium, toto deniq; reliquo ſexus vtriuſque comitatu. Quo ordine cum ad palatium imperiale ventum eſſet, ſtabãt altrinſecus in equis partium duces cum ſuis Cæſareæ maieſtati, & Gynæceo, ceterisq; honoris cauſſa media via cedentes; moxq; præſente ſua maieſtate paucis collocuti, nouiſsimam pugnam capeſſunt, admiſsisq; equis animosè concurrunt, ruptisq; & comminutis haſtis, ſuas quiſque copias reducit, & dimittit exercitum.*

Archiducis Ferdinandi habitus.

*Quæ dum gerũtur ab equitibus, adueniunt ſclopetarij pedites, occupantq; locum ab iiſdem modo vacuefactum. primi quidem, qui ſteterant in partibus Archiducis Caroli Italici & Burgundici generis; ab armatura cultuq; corporis ſplendidiſsimi, omnesq; rubrocandidi; ſignum autem quod ſequebantur erat Auſtriacum; præfectus erat Hieronymus Tabarellus Tridentinus, ſignifer N. N. Debelintzonius, holoſerico candido rubroq; veſtiti, quod feneſtratum tranſmittebat fulturam eorundem colorum è ſerico. tranſuerſo pectore geſtabant teſſerarum vice faſcias Coas.*

Pedites partium Carolinarum.

*Hos non multo poſt ſecuti ſunt illi item centum, qui ſereniſsimo Archiduci Ferdinando militabant; quorum ſignum ex alternantibus cœruleo & candido; præfectus erat Marcus Antonius Spinola, Comes Tercerolenſis; præfectus alioqui ſtipatorum ſereniſ. Boemiæ Regis. isq; habebat legatum Martium, Equeſtris ordinis virum; ſignifer erat Ioſephus à Taxis, qui omnes ex holoſerico perinde candido & cœruleo variegata veſte inſignes conſpiciebantur. Vltimo loco erectis etiam ſignis redierunt tormenta ante ſe molientes ciuium cohortes ſeptem, ſicq; tandem ad ſua quiſque abijt.*

Pedites partium Ferdinandinarũ.

DE LV-

## DE LVDIS EQVESTRIBVS CELEBRATIS in campis Viennæ subiectis, auctore Comite Lunensi; eodem quo superiores tempore.

## XXXII.

*Formula prouocationis horum ludorum, exhibita inuictissimo Imperatori Ferdinando, huius fere fertur fuisse sententiæ: Peruagatissima virtutum tuarum maximarum & plurimarum fama, inuictissime Imperator, simulq; decantata per vniuersum terrarum orbem laus Sereniss. regis reginæq; Boemiæ, vt plurimos vndiq; exciuit sæpe, qui quæ aurib. hauserant oculis quoq; vsurpare, deuotissimisq; animis obsequia & officia vobis sua deferre cuperent, ita nunc ex extrema Europa equestris ordinis virum huc contendere coegit, quo frequentissimæ sexus vtriusq; nobilitatis, quæ nunc vnà esse ferebatur, conspectu frui posset. simul vt, quod in se esset, præsente Cæsarea tua maiestate vires suas periclitãdo equestri certamine, aliqd eidẽ tuæ maiestati, Seren. Boemiæ regi et reginæ, lectissimoq; matronarũ & virginũ primariarũ cœtui oblectamẽti afferret. Non quo notissimam Procerum tuorum in armis fortitudinem ignoret, aut post suas virtutes ponat; non: sed ea potissimum qua diximus caussa festæ oblectationis, testandique amoris sui erga eam, quam mortalium feminarum formosissimam, castissimam, moratissimam, sanctissima & certissima fide colit & veneratur. Quod etiam orat & obsecrat vt per tuam maiestatem sibi liceat, inuictissime Imperator, cum tribus alijs quos huius pulcherrimi cœpti socios & adiutores legit, in eo quoque sibi quam simillimos, quod dominam quisque suam perdite amat perinde, & omnium quæ viuunt amore dignissimam deputat; vti, inquam, cum his sibi ius fas sit per te, Imperator gloriosissime, hastico equestri concursu gladiatoriaq; pugna has dominarum suarum dotes asserere; ceu quibus formæ simul & morum inter omnes, quæ vbiq; sunt gentium matronæ virginesque, principatus debeatur; contra quoscumq; aliter animatos, & suis amoribus fieri iniuriam existimantes. legi pugnæ hoc etiam adiecto; neminem hodie viuere equestris ordinis virum, qui ardentius amet, quam ipsi Veneres suas, quas depictas in tabella oculis omnium subiecturi sunt, pereant; quamq; his ex animi sententia factum velint. certaminis autem huius conditiones sint sanè q̃ sequuntur.* Formula prouocationis.

*I. A primo & ante omnia, quando par non videtur viliores fieri humanarum virium imbecillitate, quas Deus optimus maximus forma supra humanam beauit; quicumque futurus sit pugnæ euentus, vincant, vincantur certaminis auctores; fraudi hoc esse dominarum suarũ laudi, extra omnem fortunam & aleam positæ, nolunt.* Leges his ludis obseruandæ.

*II. Deinde quia peregrini atque extranei sunt futuri Iudices pugnæ, quibusque de multorum statu parum constet; placet neminem admittendum ad certamen, qui nõ ante nomen suum professus decurrendi facultatem ab eisdem iudicibus impetrauerit. Cui autem hoc concessum erit, is acceptam ab ea cuius formam propugnaturus est corollam deponere tenebitur, atque ita ei demum, postquam scutum ex arbore ad hoc suspendendum percusserit, ex auctoribus ludorum vnus copiam sui faciet, qui si in eo certamine victus fuerit, reddi aduersario corollam suam depositam curabit, adiecta pluma in victoriæ monimentum; sin victor euaserit corollam eam præmium habebit, neq; patietur victum pontem traijcere, imperuium ijs omnibus, quorum caput victrice pluma nõ obumbrabitur. Ac quia sæpe fit vt æquatis studijs viribusq; vter superior dici debeat non satis liqueat, sed in ambiguo relinquatur, liberum erit hoc casu ex prouocatione pugnanti corollam depositam reprehendere, & alteri locum dare.*

*III. Interea qui splendidißimo & magnificentißimo apparatu comitatuq; in campum descendet, is hoc nomine honorarium accipiet.*

*IV. Item qui hastam suam dexterrime iactauerit, comminueritque.*

*V. Deinde qui gladiatoria in pugna quinque petitionibus optime rem gesserit; cuius vtriusque etiam in ea pugna, quæ Folij dicitur, ratio habebitur.*

*VI. Tum qui ingenij laudem feret, & dignißimo iucundißimoque visu spectaculo campo personatus sese inmittet.*

*VII. Postremo corona ex lauro, Apollinis arbore, condecorabitur, cuius symbolum elegantia & argutia symbola cæterorum vincere iudicabitur.*

*VIII. Hastas gladiosque vtrique parti cãpus ipse præbebit ex ante congestorum copia.*

*IX. Qui ita aut imperitus, aut infelix erit, vt vel hastam amittat è manibus, aut ea aduersarij equum incurrat: is equo descendere, aut eius culpæ errorisue gratiam a commonstrata sibi virgine petere suppliciter tenebitur.*

*X. Similiter cui gladius exciderit, excussusue fuerit; is brauij quoque omnis spe simul excidisse se cognouerit. sciantque omnes ne hoc quidem impune futurum, si quis quinque legitimas petitiones excesserit.*

*XI. Brauiorum pugnæ, quæ Folij vocatur, itemque eius quod dabitur qui splendidißimo apparatu pugnæ se sistent, Auctores ludorum participes esse volunt, si quod eis horum fortuna annuerit; reliquis cedunt aduersarijs.*

*XII. Quorum*

XII. *Quorum aduersariorum si tanta fuerit copia, vt omnium eodem die cœptorum ludorum ratio haberi nequeat, profitentur eorum auctores seu Prouocatores, se consequentibus diebus ijs esse satisfacturos.*

XIII. *Dies pugnæ erit is, quem tu inuictißime Imperator esse iusseris.*

XIV. *Locus sit ad Colosseum Martis & Veneris, vbi à prima post meridiem ad sextam vsque horam Prouocatores instructi paratiq; omnibus pugnandi copiam facient.*

XV. *Sic tamen vt depugnare volentes sciant scutum sibi in quo depicta sint gentilitia ipsorum insignia in rem præsentem afferendum, quod iuxta illud suspendatur, cuius ex parte sua erigendi Prouocatori similiter cum suis insignibus ius erit.*

*Atque hæ sunt leges illorum ludorum quos præsente Cæsarea maiestate frequentißimoq; procerum & nobilium vtriusque sexus conuentu, in Nympheo publicatos diximus a Joanne Francolino, Rege armorum Cæsareo, nocte intempesta mensis Iunij decimotertio; quo etiam loco & tempore dies eis dictus est eiusdem mensis vigesimustertius. præparatio autem loci ad pugnam, theatrorumq; circumquaque eum hoc maxime modo processit.*

*In patenti prato Viennæ subiacenti, arboribus pulchrè per circuitum consito, (campum Colossei Martis & Veneris auctores ludorum vocant) Prouocatores Claudius Ferdinandus a Quinones, Comes Lunensis, Serenißimi Hispaniarum Regis legatus, tresque eius collegæ occuparunt orgyas in latitudinem admodum viginti sex, in longitudinem vero plus minus sexaginta; septisque ac vallis grandioribus eum locum clauserunt: arboribus per interuallum octaui pedis cuiusque insertis, ex quibus singulis insignia Comitis Lunensis dependebant, linteis depicta, scutisque ligneis conglutinata. summitatibus earundem arbuscularum bracteis coronarij æris refulgentibus simul, & ad quamuis minimam auram velut sibilantibus, & murmur nescio quod edentibus. Atque hoc spatium sic conclusum diligenter complanari æquarique curarunt, exscißis, si quæ erant in medio arboribus stirpibusque; vti ne quid impedimentum hominibus equisque afferre, aut obstaculo esse, posset.*

Colossorũ Martis & Veneris, lociq; vbi hi ludi concelebrati si[illegible] typus [illegible] scri[illegible]

*Huius areæ in medio iuxta septa subsellia Iudicum exædificata sunt; tabulatumque ingentis magnitudinis & molis, cuius pars Colosseum spectans designata & descripta est consessui Cæsareæ Maie-*

 *statis,*

*ſtatis, cum Regum procerumque turba; medium gradibus ſubinde ſurgens creſcensque ſpectaculo item præparatum erat; pars vero ea, quæ vrbem verſus patebat cœnationis, regijque triclinij inſtar adornata inſtructaque fuit, non minus quam Nympheum fuiſſe diximus, pretioſis auleis, ſtragulisque; atque omni inſtrumento ſplendido, inſignique apparatu prouiſo. Huic tabulato ſiue theatro prætexebantur, media quidem inſignia, vt par erat, Cæſarea, dextra regia Hiſpanica & Boëmica, ſiniſtra vero Bauarica & Lunenſia.*

Coloſſi Martis & Veneris. *E regione coloſſi duo ingentis magnitudinis erecti erant, vtpote octodecim pedes alti, adiutique ad hoc baſibus ſuis quadratis octopedalibus. Hi erant Mars & Venus antiquarij operis; ſuſtinentes ſimul manibus cor rubrum imperiali corona condecoratum. ita quidem, vt Mars partem eam qua Imperator conſeſſurus erat, Venus Theatrum femineum reſpiceret. capita autem eorum laureis ſertis obumbrabantur; ſupraque ea arcus erat erectus ex virgultis arborumque folijs artificio magno alternantibus: fueruntque munitæ hæ ſtatuæ ab iniuria & curioſitate tam hominum quam cæli; & iuxta illas erat tabulatum non altum, quod auctores ludorum Pontem dixerunt Amantium: aliis quoque editioribus circum circa præparatis, vnde ſpectarent ſeorſum Regum gentiumque legati, aliique primarij; complente inferiora omnia tanta turba, quantam nemo credat tum Viennæ fuiſſe.*

Pons Amãtium.

*His ita prouiſis procuratisque, cum ad diem & horam ludorum Imperator cum Gynæceo, totoque aulico comitatu, legatisque gentium, magna ſtipãte caterua equis carpentisq; vrbem egreſſus in rem præſentem veniſſet, ac ſuo quiſq; loco conſediſſet, ita fere ſuperbi magnificiq; eidem ludi initium habuerunt.*

Põpa qua Prouocatorũ inſignia in campũ & circũ delata ſunt. *Primi ingrediebantur in equis tredecim, qui ritu Hiſpanico lituis, buccinis, cornibusque modulabantur; induti omnes veſtibus candidis damaſcenis; ſequebantur plani duo, candidi item, ſed holoſericati toti. quorum alteri qui Boëmiæ Regis erat, Hiſpanus natione, nomen erat Franciſcus, alterum Germanum, Lunenſis Comitis, Gretzlerum vocabant. horum tunicæ holoſericæ, peniculamentis aureis, byſſinisque candidis vndique marginabantur. poſt eos ibat ex Procerum Hiſpanicorum numero Rudrigus ab Heſia, ferens in equo candidum ſignum damaſcenum, inſignibus Lunenſibus pictum. eiq; in ordine proximi erant famuli ad pedes viginti, & ſtipatores quinque; omnes holoſerico, damaſcenoq; candido conſpicui. quos moderabatur præfectus totus ho-*

Signifer.

*tus holosericatus, dextra baculum officij insigne gerens; consequentibus inde patrinis, qui erant:*

*I. Eccius Comes Salmensis, Sacræ Cæsareæ Maiestatis Cubicularius, & Præfectus Rabi in Vngaria.* Patrini.

*II. Gasparus Comes Lodronius, Serenissimi Boemiæ Regis magister domus.*

*III. Adamus Dietrichstenius Baro, Sereniss. Boemiæ Reginæ Magister stabuli.*

*IV. Ludouicus Vngnadius Baro, Serenissimi Boemiæ Regis Cubicularius.*

*V. Marcus Antonius Spinola, Comes Tercerolensis, Ser. Boe. Regis stipatorum præfectus.*

*Atque hi quoque holoserico sericoque albo vestiebantur, candidosque cothurnos induxerant pedibus, singulaq; singuli Prouocatorum insignia præseferebant.*

*Inde vehebatur candidissimo equo, eius generis quos tellenones vocamus, virguncula Belgica formosissima, decem aut vndecim forte annorum, tunica vestita candida damascena, peniculamentis ex auro & bysso candida: strato equestri holoserico concolore: quodque perinde limbi aurei byssinique candidi marginabant. phaleræ, hoc est, antilenæ, postilenæque, freni, cingulaque fibulis argenteis nitebant. hanc dextra leuaque Reges armorum duo adequitabant; solitis sibi & solennibus tunicis induti; damascenis tamen æquè, & candidis, peniculamentisque byssinis & aureis prætextis; quibusque & à fronte & à tergo Lunensia insignia intexta essent. hi dextris candidos baculos singulos, virgo vero ferebat manibus tabellam, in qua depicta erat Hispanica virgo, velata vultum candido flammeo; ludente ante eam in pictura Cupidine. tabellam autem tegebat inuolucrum Coum rubrum, limbis aureis, & peniculamentorum loco catenulis auratis hamatim dependentibus pulcherrime ornatum. in cuius medio litteris argenteis scriptum erat lingua Hispanica;* Sub hoc inuolucro cubat virgo, virginum quæ sub sole sunt, pulcherrima formosissimaque: *infra autem erat;* Ponite, ponite quæso arma viri; huius enim fauore faciente quem non vicero? *Hispanica & gentili lingua;* Lamas perfecta hermosura que ay de baxo del cielo, cubre el velo: *& iterum,* Rindeos las armas de grado.

*Hac pompa cum in campum ventum, e regioneq; theatri honor Cæsareæ Maiestati totique consessui exhibitus solitis cum cerimonijs esset, lustrato inde de more pugnæ loco, vbi ad Iudices est accessum, insi-*

*gni.a eisdem Patrini Prouocantium, & effigiem, quam gestabat obtulit virgo; quæ mox ad foros virgineos transiit. illi autem omnia Regibus armorum tradiderunt, locis quæque suis figenda. quod & factum est religione magna; ex arbore Dianæ quæ vicina erat sub Attalica vmbella pictura ea ita collocata, vt dextra haberet duorum Lunensium Comitum insignia, sinistra duorum reliquorum Prouocatorum; quæ quidem insignia ne quid curiosis ingenijs subtrahatur erant huiusmodi:*

I. Insignia & symbolum senioris Lunensis Comitis. *Primum ea quæ Comes Eccius Salmensis tulerat, tale quid referebant: Montem ea altitudine vt cacumine suo ipsas nubes tangeret, mare vndique ambibat ponte parte media rescisso & rupto stratum, in quo consistebat armatus gladium strictum vibrans, & ad montem accelerans, a quo scalæ perinde fractæ ad cœlum viam facere videbantur, cum hoc dicto:*

Nulla via est; tamen ire iuuat, quo me rapit ardor.

*parte vero inferiore insignia Lunensis comitatus picta erant.*

II. Insignia & symbolum Lunensis Comitis iunioris. *Quæ vero loco secundo Adamus Dietrichstenius Baro præ se tulerat, vt erant Ludouici à Quinones, Comitis etiam Lunensis; ita in ceteris superioribus respondebant, nisi quod superna parte e nubibus manus prominebat in sphæras duas inminens, quæ iuxta albi nigrique coloris pictæ erant, cum hoc item dicto;* Optimam partem elegi. *cui subiungebatur deinde in hæc verba alterum;* Quamuis in amore tuo vna reliqua mihi salus sit nullam sperare salutem, non tamen quin optimam partem elegerim negari propterea potest.

III. Insignia & symbolum Georgij Proscouscij. *Tertio loco lata a Ludouico Vngnadio Barone insignia, erant Georgij Proscouscij a Proscauia, Serenissimi Boemiæ regis Cubicularij: symbolum partim numerorum notis, partim aliter perscriptum, eam sententiam habebat, vt significaret fidem suam ab amica non assis fieri.*

IV. Insignia & symbolum Martini de Acuna. *Quarta insignia quæ tulerat Marcus Antonius Spinola, Comes Tercerolensis; erant Illustris Martini de Acuna, habebantq; hoc eximium, quod supra illa mons ingens pictus spectabatur, in cuius summitate magnitudinis pcipuæ margaritũ expressum erat, cũ subiecta voce,* Preciosa. *symbolum eius vento sparsum erat sententiæ eius, vt se pro amica, cui vllam omnino mortalium vel comparandam negabat, mori paratum profiteretur*

*Fixis autẽ scutis cum his insignib. Patrini, Reges armorum, ceteriq; ad accersendos ludorum auctores redierunt; intereaque, ne quod tempus a spectaculo insigni vacuum esset, venit in harenam equorum domitor* Equi mirũ spectaculum. *moderatorque insignis, quem vehebat equus generosissimus, qui ad nutum etiam sessoris se in genua submitteret, multaque alia faceret, vnde non desti-*

*non destitui memoria & ingenio hoc genus animalia videre esset. Erat autem is equus Serenissimi Archiducis Ferdinandi.*

*Sed vt ad Prouocatores reuertamur, descenderunt illi in campum hoc ordine: Planos duos, de quibus iam memorauimus supra, sequebantur duodecim tubicines cum Æneatore vno, atque hos rursum stipatores, famuliq́; à pedibus, nisi quod inter vtrosque medij erant, in equis item, quemadmodum & præcedentes omnes equorum, non suis pedibus ingrediebantur; duodecim adolescentes nobiles holosericati, & candidi toti, peniculamentis aureis argenteisque, conuenientibus cum vestitu sessorum equorum quoque stratis; excepto, quod præter peniculamenta aurea argenteaque, sphærulis crebris item aureis argenteisque picta erant: quæ singulæ singulas rosas complectebantur assimilatas veris ex lineo panno aureo. quibus minores deinde sphærulæ innectebantur candidas perinde rosas minores ambientes, ita vt illæ ex aureo quoque panno ad longitudinem fere pollicis iusti propenderent. antilenæ, postilenæ, habenæ, cetera ex holoserico candido erant omnia. Prouocatores autem proximi præcedebant Patrini, ferentes ipsorum hastas candidas auratasque. ipsique vna serie quaterni campum ingressi sunt, ac cum ad diuerticulum quod ducebat ad Pontem Amantium, hoc est, ad portam colosseam, quam faciebant iuncti Mars & Venus, ventum esset; Cæsareæ Maiestati totique consessui honorem debitum exhibuerunt primum, indeque equis dexterrime in gyros actis, artis hic suæ specimen omnibus præclarum ediderunt; atque ita lustratis septis cum se iudicibus obtulissent, aduersarios suos exspectare cœperunt.* Põpa, quã ipsi prouocatores in harenã descenderũt.

1\. Eques erro vn^o, pugnæ cãdidatus.

*Nec mora cum summa festinatione, quod videre erat, venit solus eques quidã, nomine Georgius, Baro Thanhusius, Sacræ Cæsareæ Maiestati à cyathis, & consilijs bellicis: is armatura fulgurabat aurata; cristaque insignis erat; ipse quidem vna, equus vero eius etiam à parte postica altera, præter priorem, qua comebatur caput: cinctus eius erat ex serico flauo, picto rubris subinde rosis, siue puniceis potius. Qui cum ad Pontem peruenisset, obuiam ei progreßi Georgius Vueltzerus, & Erasmus Scherffenbergius, sacræ Cæs. Maiestati a consilijs militaribus vterque, ademtum scutum Iudicibus exhibuerunt. quibus ipse mox Thanhusius corollam, quam brachio gerebat, item obtulit. indeq́; virtute insigni Pontis traiectum ex lege ludorum obtinuit; atq́; vt ita faceret a Prouocatoribus rogatus, ex aduersario socius armorum ipsis factus est; moxq́; alijs quinque, quorum coronas vi & viribus sui iuris fecit, transitum Pontis Amatorij præclusit. habebat autem pro symbolo ipse hos characteres, AL.M.G.HL.*

De con-

De contubernio duorum pugnæ candidatorum qui secundo loco in certamen descenderunt.

II. Contubernium duorū pugnæ candidatorū.

*Tubicines quatuor, quorum duo gerebant vestem partim cādidam partim sanguineam, duo ex atro & candido mistam, sequebantur quatuor patrini, qui depugnare cupientium scutum corollasq́ gestabant. Erant autem illi Leonarthus Steigerus, cuius cinctus equestreq́ stratum speculis vndiq́ pellucebat; symbolumq́ erat præter G.L. litteras insignibus adscriptas* Consilium facto prius est; *& Ferdinandus Rindtscheidius à Fridberg, cuius cinctus stratumq́ ex serico candido paßim crucibus spargebantur.*

De candidato pugnæ singulari qui tertio loco depugnauit.

III. Cādidatus vn⁹ pugnę.

*Duos tubicines vestitu rubrocandidos sequebantur totidem Patrini induti tunicis candidis è serico, quas cruces crebræ perinde è serico, sed rubro, & vermiculato, flammulæq́ aureæ item non paucæ distinguerent. horum alter scutum, alter ferebat corollam pugnæ discrimē subituri, qui erat Erasmus Stadlerus à* Krotendorff, *cinctu stratoq́ ex holoserico candido, crucib. flammulisq́, vti de Patrinorum veste diximus, picto. characteres autem insignib. symboli vice appingebantur V V. G. V V.*

De alio candidato pugnæ singulari qui quarto loco in harenam venit.

IV. Cādidatus vn⁹ pugnę.

*Tubicinem in variegata è flauo, atro, et candido veste bombycina sequebatur depugnaturus Joannes Geraldshouscius à Gerstorff, sereniß. Boë. Regis Dapifer. cuius cinctus etiam erat tricolor in modum squammarum, ita vt singulæ squammæ singulis plumis ornarentur; sed flauæ nigris, nigræ flauis, et albæ rursum nigris. huic cinctui respōdebat equi stratum. in scuto, quod ipse ferebat, scriptum erat,* Patientia & Spe; *corollam capiti equi quo vehebatur imposuerat; quam inde demtam Iudicib. per se potißimum obtulit.*

De tertio pugnæ candidato singulari, qui quinto loco depugnauit.

V. Cādidatus vn⁹ adhuc.

*Duos tubicines versicolores, & duos Patrinos in veste Turcica Attalica, cidariq́ velatos, quorum alter depugnaturi scutum, alter hastā corollamq́ ferebat; hos, inquam, personatos sequebatur Sebastianus Vuindisch-Gretzius, Baro Vuildenstenius, & Vallensis; qui armis superinduerat tunicam talarem Attalicam, qualibus hodie Turcarum proceres vtuntur. eiusq́ etiam caput cidaris tegebat; pictis in scuti margine his litteris: I. H. Z. G.*

De quar-

## De quarto pugnæ candidato singulari, qui sextus in pugnam descendit.

*Primo loco ingrediebantur tubicines duo induti tunicis flauis manuleatis bombycinis; pileis & plumis concoloribus. post hos ibant quatuor strictis femoralibus phryxianis & villosis, similibusque tunicis; thoraces autem eorum erant lintei picti ita, vt hominem siluaticum referrent. capite gerebant exuuias cornutas, vt erant eæ animalibus detractæ; nisi quod cornua erant aurata. hi personati gestabant manibus surculos aut termites, habebantque a tergo sex, sed pedites perinde, siluaticorum hominum ad morem vestitos; quorum primus ferebat scutum, in quo, præter insignia eius, cuius erat, symboli loco erant depictæ quinque M. secundus gestabat corollam; tertius galeam; quartus chirotecas militares; quintus gladium; sextus hastam. hique ingressi septa ingentem, sed absonum, clamorem sustulerunt; tamquam vere essent, quod mentiebantur. consequebatur hos siluaticos Adamus Hochenuuarterus, Serenissimi Boëmiæ Regis structor, qui, vt deam simularet, ferebat capite ingens aureum tegumentum, cui dependebant longitudine duarum vlnarum aurea item carbasa. facies autem personata erat; tunicamque habebat ex serico fusco opere antiquario. cui suberat interula partim ex panno aureo, è serico flauo partim, limbo fusco. hanc deam siue Sibyllam manibus signatas tabulas præferētem comitabatur pone Claudius Triuultius, Comes Meldensis, cupidus pugnæ, et si arma simili qua dea amicta erat tunica tegebat, celabatque. cum ad iudices ventum esset, dea oblatas ijs litteras reddi voluit nobilissimæ & pudicissimæ virgini Margarethæ Lasiæ Castellanæ. earumque resignatarum sententia hæc erat:* VI. Cādidatus vnus.

*Cum fama publicati in his oris certaminis, vbi de formæ femineæ laudibus dotibusq́, reliquis sexui nostro peculiaribus decerneretur, ad aures amatoris mei accidisset; faciundum sibi omnino putauit, vt huc profectus formæ, qua nulli cedo, bonitatē armis tueretur. Ad quā rem cum se mecum in viam dedisset, quæ sane longissima & difficillima pariter superanda nobis erat; incidimus nescio quo malo genio ducente in hæc siue monstra, siue siluatica & agrestia numina (qualia Satyri, Panes, Fauni memorantur) sunt; quæ amasium meum vix viuum a se amiserunt, ereptis illi per vim armis, omniq́ pugnæ instrumento. Quod te rogo & obsecro, generosa virgo, miserere virginis; daq́ operam, vti ablata meo amatori reddantur, ne cogar, quādo extraneorum nemo temere caussam meam acturus est, ipsa alienum a sexu meo quidquam facere, et probare armata manu per me potissimum, nullam vsquam me formosiorem matronam, virginem, viduam, viuere.* Litterarū iudicibus oblatarum sententia.

*Lectis his litteris castissima Margaretha Iudices orauit, vti æquitatis assertores erepta ab agrestibus siue hominibus, siue numinibus arma peregrino amatori restitui curarent. quod & è vestigio factum est; illeq; receptum scutum regib. armorum tradidit, quod suo loco & ordine fixum est.*

De quinto pugnæ candidato singulari qui septimo loco depugnauit.

VII. Cādidatus pugnæ vnus.

*Duodecim tubicines equitabant primi sequente æneatore, toti linteati rubricatiq;, limbis plurib. stramineis margines omnes ambientibus, pileis, flammulisq; tubarum concoloribus & simili opere consarcinatis. Quos tubicines cum æneatore æquabant numero Patrini, qui fuere:*

Patrini eius.

*I. Carolus Dux Munsterbergius, Sereniß. Boemiæ regis aulicus.*

*II Petrus Rosenbergius, Ser. Boe. regis aulicus.*

*III. Vuolfgangus Stubenbergius, Ser. Boe. regis Structor.*

*IV. Venceslaus Suneccius a Vuangesenitz, S. B. R. aulicus.*

*V. Vitus Albertus Puchaimius, Toparcha Hornius, Architriclinus Austriæ.*

*VI. Rudolphus Kuenius, Ser. Boe. regis Cubicularius.*

*VII. Joannes Henricus Schenckius, a Schenckenstein S. B. R. dapifer.*

*VIII. Ioannes Vuallaschius S. B. R. Dapifer.*

*IX. Joannes Kraigius S. B. R. a cyathis.*

*X. Joannes Petteyus, Baro Gersius, Sacræ Cæsareæ Maiestati a poculis: eiusdemq; Præfectus Oedenburgicus.*

*XI. Christophorus Liechtenstenius a Nicolsburg S. B. R. Aulicus.*

*XII. Christophorus a Taxis, veredariorum aulicus præfectus.*

*XIII. Jacobus Dasseuas Hispanus.*

*Hi omnes etiam lineo panno rubro amicti erant, ternis limbis stramineis marginato. sic vt palmæ post interuallum totidem subinde limbi consurgerent; spatio medio vbiq; limbis item tribus transuersis interpolato, pilei quoq; tales erant; sed auersa vt aduersa parte acuminata, spatijsq; vacantibus rosis stramineis sparsa. atq; ex his tres, prægreßi reliquos, iudicibus se obtulerunt cum corolla eius cui apparebant, scutoq; & symbolo: ijsq; ita fere locuti sunt: Æquißimi & incorruptißimi Iudices, venimus ad vos missu fortißimi cuiusdam Herois, qui in gratiam eius, quam amat, à qua se amari cupit; simul vt insistat vestigijs maiorum suorum, huius generis exercitationibus, vt maxime viris dignis, ab omni tempore deditißimorum, a quibus degenerare turpe duceret, pugnæ hodierno die discrimen iuxta publicatam formulam propositasque leges subire cupit. ad quā si minus splendido & magnifico cultu apparatuq; descensurus est, q̄ vestra spectatorūq; dignitas requirere & postulare*

Patrinorū ad Iudices oratio.

*videba-*

*videbatur, petit sibi huius rei gratiam fieri, quando in hoc quidem tempore aliter ei faciendi copia non fuit. his dictis scidas eidem in vulgus sparserunt, quibus continebatur, Non sibi tam ægre esse quod inglorio & contemptibili adeo apparatu in campum descendere cogeretur, quam quod ita faciendi nimis hercle iustas caussas haberet.*

*Cæterum Patrinos sequebantur duo adolescentes e nobilitate; ipsi quidem eodem cum Patrinis vestitu; sed strata equorum quibus vehebantur erant ex rubro flauoque holoserico, limbis peniculamentisque aureis. horumque alter depugnaturi galeam, peltam cetræ in morem gerebat alter. erat autem aleam certaminis periclitaturus Laslaus Popelius à Lobkouitz, Sacræ Cæsareæ Maiestatis Cubicularius. atque huius quoque cinctus armis, quæ politissima gestabat, inductus erat ex lineo panno rubro stramine marginato; locisque vacantibus eius, vt in antilena, postilena, habenis, strato equestri, littera* K. *straminea intexta visebatur. baltheus tamen erat ex holoserico rubro, bullis, fibulisq; auratis. altrinsecus autem incedebant seni stipatores vestiti more patrinorum, plumis mistim flauis rubrisque. claudebant agmen decem nobiles pueri in equis generosissimis; ipsi vestiti vt Patrini, equi ipsorum strato, cingulis omnibus hoc est antilena, postilena, habenis, ex rubro holoserico, fibulis bullisque auratis. Ratio autem cur illustris Popelius tam vili vestitu suos incedere voluerit, in quam tamen rem minimum thalerorum millia duo expendisse eum constat, creditur a multis hæc fuisse, quod cum ante ludis pedestribus sumptuosissimo & splendidissimo apparatu prodijsset, neque paruum virtutis suæ in armis specimen dedisset, inhonoratus tamen & indonatus abijsset.*

## De sexto pugnæ candidato singulari qui octauus certamen subijt.

*Tubicen ex seta bombycina flaua russa candida varie vestitus, habebat proximum Patrinum holosericatum totum, & torque aureo prægrandi oneratum; Guilelmus Hofkirchius, Baro Colnitzius esse dicebatur. hunc corollam ferentem fortunam tentaturi, tres alij Patrini sequebantur: quorum is qui dextra equitabat, Joannes Spanouscius à Litschauia, in veste ex holoserico candida, concoloribus pileo, phalerisque, hastam gestabat; Medius Georgius Ehrenrichius à Regendorff indutus tunicis ex holoserico coloris purpurissi, respondentibus eidem colori pileis, plumis, phaleris, strato, cingulis, portabat scutum; in quo legebatur symbolum hoc:* Fatalia etiam dormientibus largiuntur dij: *Sinistro latere equitans Ioannes Gillius Sac. Cæs M. Aulicus amictus vestitu ex holoserico flauo, hastam & ipse ferebat: prosequente ludorum candidato, q erat Vuolffartus Streinius, Toparcha Schuuartzenauius. armatura*

VIII. Vnus candidatus pugnæ.

Patrini.

*ant... huius longe erat splendidissima, politissimaque; cinctusque laneus fenestratus russi coloris exudabat sericam fulturam flauam, crebrisque mannulis argenteis interpolabatur peniculamentis byssinis russis; cui respondebat per omnia equi integumentum.*

De septimo pugnæ candidato singulari qui nonus depugnauit.

IX Vnus candidatus Patrini.

*Duos tubicines in veste serica atricolore sequebantur Patrini Christophorus Nostitzius Sac. Cæs. Maiestatis Dapifer, et Henricus Pobmschitsius, Ser. Arch. Ferdinandi Aulicus, induti tunicis holosericis atricoloribus, respondentibus his pileis plumisque, alterque horum hastam atricolorem, & corollam, alter ferebat etiam hastam & scutum cum hoc symbolo* Consilium ante factum. *seu,* Opus est ante quam incipias consulto. *pone equitabat Ioannes Pannouitzius à Mechauitz, S. Cæs. Mai. structor, armatura autem vtebatur atricolore aurata; eminebatque cono galeæ cor iustæ magnitudinis ex seta bombycina nigra, cum inscriptione hac:* Non caret hic ratione dolor. *iuxta obumbrabat galeam crista ingens atricolor. cinctu, stratoque equestri, & cristis quib. antica & postica æque parte maximis equus ornabatur, atratis omnibus; vsque eo, vt etiam baculus, quem manu idem Pannouitzius ferebat, eum colorem referret.*

De contubernio trium pugnæ candidatorum, qui decimi ex ordine affuere.

X. Contubernium trium candidatorum. Patrini.

*Præcedentem in equo vnum Tibia Polonica modulantem, & alterum æneatorem, sequebantur tres Patrini, nominibus Theodoricus & Sigismundus Puchemij, germani fratres, Barones à Rabs & Krumbach, Archidapiferi Austriaci; & Georgius Eytzingius; in veste omnes muliebri ex holoserico nigro, & personis perinde muliebribus dissimulati. sella equestri feminea quoque vtebantur, & cothurnos candidos eiusdem sexus pedibus induxerant. tunicæ autem eorum obumbrabantur velis candidis; cuius coloris erant etiam pilei; ex quorum apicib. fasciæ candidæ bombycinæ propendebant. hos corollas & scuta candidatorum suorum portantes subsequebantur tres pueri e nobilitate, holosericati, atricoloresque toti, & prægrandibus torquibus aureis onusti. præter quos tamen etiam dominorum galeas, hastasque ferebant. sequentibus ijsdem dominis armatura satis polita, cui induxerant tunicas muliebres ex atro etiam holoserico; Hispanico ritu velis candidis leuiter intectas. capita patrinorum quoque more velabantur. erantque ipsi, primus quidem Franciscus Keuenhullerus ab Aichelberg Sac. Cæs. Maiestatis Dapifer, cuius symbolum ex his litteris diuinandum proponebatur* V.I.VV.VV.I.VV.D.S.E.D.Z.

*Secundus Adamus Neideccius, cuius hoc Symbolo designabatur; nasos*

*nasos acutos & voces tinnulas merum domicilium esse ingenij mali praui que.*

*Tertius vocabatur Iacobus Reimingerus, Sereniß. Boe. regis Aulicus, cuius erat hoc symbolum:* Si meditando dolor hic meus leniri vllo modo posset, nullum à meditatione tempus vacuum relinquerem.

De contubernio duorum pugnæ candidatorum qui loco vndecimo discrimen subierunt.

*Duos tubicines in veste pulla bombycina sequebantur bis totidem Patrini, pulli itẽ, holosericatiq; toti. quorum duo singulas hastas, duo corollas, scutaq; singula portabant. pone equitabant, priore quidem loco Achates Baro Herbenstenius, Neobergius, & Gutenhagius, ipse equusque pullatus totus, cum symbolo;* Soli deo eiusque gloriæ. *posteriore vero, Gulielmus Grasuuinus a Vveyer, equestri baltheo donatus, per omnia veste, armatura, ceterisque socio suo similis, nisi quod hastam manu iactabat. symbolum eius erat;* Euenit non raro. XI. Contubernium duorum candidatorum.

De singulari candidato pugnæ, qui duodecimus depugnauit.

*Tubicines duos ornatos veste, pileo, pluma, distinctim candidis rubrisque, sequebatur Patrinus, Gasparus Preinerus, Baro Stubingius, FladnitZius, & Rabenstenius, Ser. Arch. Caroli Cubicularius, indutus tunica atricolore holoserica, beneq; & magnifice catenatus. isq; ferebat candidati sui corollam, hastam, scutum. claudebat autem candidatus idem illi latus, nomine Iacobus Zachius, Ser. Arch. Caroli item Cubicularius, armatus armatura candida & politißima; cinctu ex holoserico rubro vermiculato, aureis & byßinis rubris peniculamentis. cristæ eius erant bipartitæ e rubro, candidoq; similibusq; coloribus tinctam vestem bombycinam gerebat famulus a pedibus, qui iuxta currebat. symbolum eius erat:* Vela ventis committo. XII. Cãdidatus pugnæ vnus. Patrinus vnus.

De contubernio duorum qui XIII. affuerunt.

*Equitabant primi tubicines quatuor toti albati; ac post hos totidem Patrini in tunicis albis manuleatis, quibus concolores erant pilei, quæq; opacabant pileos plumæ. horum duo hastas singulas, duo eorum quibus dabant eam operam corollas, scutaq; gestabant: sequentibus ipsis ex toto albatis, etiam quod ad phaleras, stratumq; equestre pertinet: nominib. Michael Rindsmaulius à Frauuheim, cuius symbolum erat;* Deus viderit. *siue,* Deo omnia committo: *& Gulielmus Gleisbachius, qui habebat symboli vice* Omnia cum deo. XIII. Contubernium duorum candidatorum.

De contubernio trium candidatorum qui ex ordine XIV. depugnarunt.

*Magna festinatione accelerabant veredarij sex, chlamyde, galero,*

 *ocreis,*

XIV. Contubernium triũ candidatorum.

*ocreis, calcaribus, cornibus, veris veredarijs similes: & ad huius rei maiorem fidem faciendam vidulis a tergo onusti; ceterum manibus corollas suorum candidatorum gestabant; qui erant:*

*I. Carolus Ludouicus, Baro Zeltingius, Toparcha Zierendorffius. Serenisś. Hispaniarum Regis Dapifer, cuius symbolum erat* Expecto fortunam.

*II. Otho Henricus Puchemius, Toparcha Heydenreichstenius, Archidapifer Austriacus; cum symbolo* Defende te, defende.

*III. Ioannes Ruberus, Toparcha Puchsendorffius, & Sonnenbergius, q vice symboli habebat* Vni deo honor. *atq; hi quoq; armis chlamydes candidas iniecerant, cornuaq; gestabãt tergo; à fronte personati.*

## De contubernio duorum qui XV. aduenere.

XV. Contubernium duorũ pugnæ candidatorum.

*Tres tubicines in tunicis bombycinis partim candidis, atris partim, pileisque galeatis eiusdem generis, & cristis eodem quoque modo varijs, quemadmodum & tubarum velis; sequebatur pumilio, siue nanus, ex Pygmeorum reliquijs vnus; tunica indutus holoserica atricolore, peniculamentis argenteis, & paßim mannulis eiusdem metalli picta. hic ferebat in equo scutum cum symbolo,* Deus bene fortunet. *claudebat autem ei latus eiusdem staturæ gigas; perinde vestitus, & scutum ferens in quo scriptum erat* Quamquam inmeritisśimo eius mihi rei copia negatur, quæ mihi iure summo debebatur: nihilominus sic quoque tamen pro ea proijcere vitam paratus sum. *Erat autem scutum prius Sigefridi Preineri, Baronis Stubingij, Fladnitzij, & Rabensteinj, Sacræ Cæsareæ Maiestatis Structoris: cuius cinctus erat ex holoserico atricolore sparso paßim mannulis argenteis, similibusq; peniculamentis marginato. cui cinctui stratum equestre consimile plane erat. & ipse Preinerus præter hastam corollam etiam suam manu gestabat. Scutum vero posterius erat Ioannis Kynskyi, Sac. Cæs. Mai. Dapiferi; qui armatura, paludamento, strato equestri, ceteris, socio suo Preinero per omnia similis erat.*

## De candidato rursum pugnæ singulari, qui decimus-sextus depugnauit.

XVI. Cãdidatus vnus.

*Puerum e nobilitate in tunica rubra holoserica vermiculata, equitantem equum generosisśimum, ferentemq; leuo brachio Scutum, galeã & hastam domini, sequebatur dominus idem, Ioannes Alphonsus Gastaldus, Serenißimi Boemiæ regis familiaris, qui armaturæ, quam longè magnificentisśimam gestabat, induxerat colobium fenestratum ex holoserico rubro segmentato, fultura lintea aurea; cinctus erat ex panno argenteo, limbis holosericis rubris vermiculatis. quibus omnibus superiniecerat*

*inieceratt unicam muliebrem, cuius generis mos est Italicis puellis primarijs gestare ex argenteo panno, limbis holosericis rubris segmentatis. hiabat autem tota paßim, vomebatque per crebras fenestellas vndans sericum flauum. capiti capillos femineos quoq; aptauerat reticulo collectos ex parte; vultumque etiam persona virginea texerat. fronte autem præferebat plumam non magnam cœruleam acuminatam, loco corollæ. vehebatur autem tellenone pretiosißimo, sella equestri feminea, stratoq; rubro ex holoserico vermiculato sumtuosißimo. symbolum eius erat.* Nec aer, nec mare, horridæque tempestates me mouere poterunt. *atque hic cum manibus armisque vtendum esset, abiecta depositaque persona feminea, cum cultu eius sexus proprio; strennue rem gerendo facile ipse facti sui fuit proditor, & virum se esse, ac quidem fortißimum probauit.*

De candidato alio singulari pugnæ, qui decimusseptimus fortunam tentauit certaminis.

*Tres tubicines rubris bombycinis tunicis indutos, quibus limbi essent scortei aurati; vexillis tubarum similiter rubris & e seta bombycina, sequebantur quatuor Patrini, puta,* XVII. Cādidatus vnus.

*I. Ferdinandus Collausius, cognomento Vuatzlerus.* Patrini.

*II. Balthasarus Christophorus Thanradelius Sereniß. Archiducis Caroli Dapifer.*

*III. Gasparus Melchior Romerus, Ser. eiusdem Arch. structor.*

*IV. Andreas Vuallaschius Ser. Arch. Caroli Dapifer.*

*Hi ferebant hastam, scutum, corollamq; eius, cui apparebant. erantq; toti rubri, rutiliq; floribus scorteis auratis vndiq; picti. sequebatur pone Georgius Collausius, cognomento VVatzlerus, Sereniß. Archiducis Caroli Cubicularius; veste, cristis, strato equestri Patrinis similis. altrinsecus autē habebat famulos ad pedes in tunicis rubris, flosculis scorteis aureis pictis.*

De candidato pugnæ adhuc singulari, qui decimus octauus septa subijt.

*Duos tubicines in veste atra bombycina, sequebantur duo patrini atris etiam induti holosericis tunicis: ferente altero corollam, altero scutū, cui pro symbolo hæ litteræ inerant:* P.G.F.A.M.A.I.F.D. *pone equitabat Bernardus Stadlerus a Stadel, vtens armatura atricolore; cinctu ex holoserico; strato equestri Damasceno: manuq; nigram hastam quatiens.* XIIX. Cādidatus vnus.

De contubernio XV. pugnæ candidatorum qui XIX. & vltimo loco depugnarunt.

*Vltimo loco prodijt in campum hæc pompa. duodecim tubicines vestitu, (cui*

XIX. Contubernium XV. candidatorũ pugnæ. *stitu, (cui respondebãt pilei, plumæ, vexilla tubarum) ex seta bombycina flaua & cærulea; sequebantur viginti Patrini in cæruleis tunicis bombycinis; plumis in pileo flauis: fibulis & bullis baltheorum cingulorumq; item manubrijs gladiorum auratis. hi patrini eorum quibus apparebant corollas, scutaq; ferebant; prosequentibus cum tredecim ex nobilitate serenißimis Archiducibus Austriæ, germanis fratribus, Ferdinando & Carolo, qui armaturæ cæruleas bombycinas tunicas induxerant; pictas aureis solibus, & stellis. cristæ, quas omnino prægrandes & plane elegantißimas portabant, erant ex parte cæruleæ, ex parte flauæ. strata equorum holoserica, cærulea quoq; erant; solibus stellisque aureis paßim ornata. vtrimque autem a latere incedebant duodecim famuli à pedibus induti tunicis alternatim cæruleis, flauisq;.* Symbolum *serenißimi Archiducis Ferdinandi erat* Quoniam, Attamen. *serenißimi vero Caroli;* Audaces fortuna iuuat timidosque repellit. *Nobiles autem tredecim quibus comitatos venisse diximus, erant;*

*I. Andreas Teuffelius, Serenißimi Archiducis Ferdinandi Consiliarius, & Stabuli magister, cui pro symbolo erant hæ notæ, literæq;* I.S.M. 60.H.G.VV.H.H.

*II. Fridericus Baro Castellanus, Barchensis, & Agrestius, serenißi. Arch. Ferdinando a cyathis. eius symbolum erat:* Inuiolabilis Cæsaris iustitia.

*III. Henricus Steinbachius à Steinbock, Ser. Arch. Ferdinandi Structor, cui vice symboli erant literæ* B.B.B.

*IV. Georgius Jablansicius à Jablauia Ser. Arc. Ferdinandi Dapifer; cuius symbolum erat:* Faueat cum deo bona fortuna.

*V. Julius à Riua, Ser. Arch. Ferdinandi Cubicularius; cum litteris pro symbolo* L.P.V.L.P.

*VI. Guilelmus Mirscouscius à Stropitz; Ser. Arch. Ferdinandi Dapifer. eius symbolum erat:* Viderint superi.

*VII. Hercules à Riua, Ser. Arch. Ferdinandi aulicus, cum litteris pro symbolo* P.V.O.

*VIII. Fridericus Ludouicus Vallouitzius; Ser. Arch. Ferdinandi præfectus domus, cum litteris symbolicis* G.O.G.

*IX. Nicolaus Miltitzius, Ser. Arch. Ferdinandi Aulicus, cum litteris symbolicis* G.S.G.

*X. Jarouslaus Leibscanscius, Toparcha Kollempratius, Ser. Arc. Ferdinandi Aulicus, cum litteris symboli vice* K.G.M.F.

*XI. Fridericus Kitlitzius, Ser. Arch. Ferdinando a cyathis; cum litteris loco symboli* V.H.I.G.N.

*XII. Gasparus Pannouitzius à Mechauitz, Ser. Arch. Ferdinandi*

*Dapifer*

*Dapifer; ei erant litteræ symbolicæ* L.VV.VV.

*XIII. Fridericus Thirnhusius, Ser. Arch. Ferdinandi Aulicus, cum characteribus symbolicis* T.S.V.

*Pugnatum est autem ab omnibus magna contentione animi corporisq; inter cæteros tamen visi sunt vt dignitate natalibusq; ita virtute quoq; militari & dexteritate esse ante alios Ser. Archiduces, Ferdinandus & Carolus, fratres. quorum præsentißimam fortitudinem non sine lætitia & voluptate maxima mirabantur spectatores vniuersi.* Qui visi in pugna rem ante alios strennue gerere.

*Sed neq; in pugna quæ Folij dicitur minor fuit horum principum laus. vtpote qui cum suis, siue hastis, siue gladijs, rem omnium iudicio optime gesserint, victoresque euaserint: cuius rei significationem etiam dabant sublatis manibus Pontem amoris traijcientes, cuius aditus non nisi optimo & fortißimo cuiq; manu atq; armis apertus est.* Pugna Folij.

*Finitis ludis Imperator cum rege Boemiæ, filiabusq; Archiducibus, regina Maria, Duce Bauariæ Alberto, & Claudio comite Lunensi mensæ, cœnaturus, accubuit: personantibus magno clangore tubicinibus, æneatoribus, cornicinibus, & id genus alijs. cœna autem erat exquisitissima, transmarinis, & ex extremis vsq; orbis partibus petitis delitijs luxurians. qua sumpta, in vrbem reditum est, institutisque in Nympheo choris promissus victoribus honos habitus est, hoc modo & ordine:* Cœna triũphalis.

*Produxerunt ex Gynæceo reginæ Boemiæ Iudices, siue Brabeutæ, præcedentibus octo tubicinibus & duob. armorum Regib. cum insignib. Lunensib. formosißimam virginem, nomine Tschuranam Hungaricam, lustratoq; hac pompa Nympheo, ter signum tubis datum est, ter alter Regum armorum citauit alta voce Serenißimum Archiducem Carolum; cui, cum se stitisset, ita loqui insit Comes a Thurn, Ser. & Illustrißime Princeps, cum iudicio vniuersorum iuxta formulam prouocationis hastam tuam dexterrime iactaueris, comminuerisq; Brabeutæ per hanc castißimam virginem eo nomine qualicumq; munere celsitudinem tuam honorandam decreuerunt; orantes, vti quidquid illud est eadem tua celsitudo boni consulere velit. quæ cum dixisset, acceptum serenißimus Carolus a virgine annulum aureum cum gratiarum actione, Tschuranæ reddidit, sibiq; habere iußit; institutis mox cum eadem choreis.* Donati virtutis causa. I. Donatus ob virtutẽ Archidux Carolus.

*Secundo loco produxerunt eidem Iudices ex Gynæceo Ducis Bauariæ aliam insigni forma virginem, quæ Andreæ Teuffelio ab Ensesdorff Ser. Archiducis Ferdinandi consiliario, & stabuli magistro, annulum quoq; aureum obtulit; vt qui pugna gladiatoria optime defunctus esset. qui Serenißs. Archiducis Caroli exemplum secutus, & ipse eum annulum virgini a qua eam acceperat reddidit.* II. Donatus virtutis ergo annulo aureo Andreas Teuffelius.

*Tertium brauium virgo ex eodem Bauarico Gynæceo attulit Ja-*

III. Donat° brauio Iacob. Ramingerus. *cobo Ramingero Ser. Boemiæ Regis aulico, qui item gladio optimè vsus iudicatus erat in pugna Folij quæ vocatur.*

IV. Donat° ob magnificentiã Laslaus Popelius. *Quartum brauium rursum oblatum est per Tschuranam Hungaricam Laslao Popelio à Lobkouuits; quod is apparatu maxime sumtuoso & splendido in campum descendisset.*

V. Donat° ob ingeniũ Lunẽsis Com. *Quintum honorarium accepit à virgine Aldenide Lassa Castellana Hispana; illustris Comes Lunensis, quod ingenio debebatur eius, qui spectatu iucundissimo apparatu septa subijsset.*

VI. Donat° ob ingeniosũ item dictũ filius Com. Lunensis. *Sextum brauium virgo ex Gynæceo Austriacarum Archiducum, Lambergerorũ ex familia, obtulit Ludouico à Quinones, Comitis Lunensis filio, corollam nempe lauream, præmium eius, cuius symbolum argutissimum iudicatum esset. Quo facto Imperator conuentum eius diei soluit, & ad sua quisq; discessit, in somnos iturus.*

## OBSIDIO ET EXPVGNATIO SIMVLATA oppidi ad Danubium exædificati Viennæ extra vrbem, sub idem tempus.

XXXIII.



*Oppidulum ædificatum erat longitudine quadraginta, latitudine vero plus minus viginti orgyarum. cuius muri in circuitu ex tabulis veros & lateritios inducto colore mentiebantur. intra muros templa quatuor, arcemque habebat, præfectorum receptaculum: turribus seu piramidibus eorum templorum operis scandula-*

*scandularij fidem eminus facientibus, aquas versus vtrimq; firmißimis propugnaculis muniebatur; porta spectabat Taberũ, quam iuxta magna moles iacta erat tuitionis caussa. Huius oppidi præfectus erat Gasparus Baro Felßius, Toparcha Schenckenbergius, Sacræ Cæs. Maiest. à consilijs aulicis, & stipatorum præfectus. legatus vero eius fuit Vuolfgangus Puchemius à Gellersdorff, Architriclinus Austriacus. Ductores ordinum militarium, qui oppido præsidio erant, fuerunt, Georgius VueltZerus, & Erasmus Scharffenbergius, vterq; Cæsareæ maiestati à consilijs bellicis. atq; his singulæ cohortes erant, armis animisq; instructissimæ, & ad quoduis discrimen subeundum paratißimæ. capita in vniuersum, (præter trecentos admodũ Burgundiones & Italici generis notißimæ virtutis) sexcenta. quibus omnib. vestitus splendidus erat, peculiaribus fere è rubro & candido coloribus. Signum etiam militare primum ex seta bombycina candida rubraq; alternis constabat; idq; fixum est in eo propugnaculo, quod iuxta patibulum erat. Alterum signum candidũ totum mediam habebat crucem rubram Andreanam, siue Burgundicã; quod in altero etiam propugnaculo defixum erat. Sed & tertium ex summa arce expositum sinuabant auræ, perinde distinctum colore sanguineo, candidoq;. Præter hunc aũt peditatum erant etiã in oppido equites quinquaginta grauis armaturæ, quibus item omnib. cinctus fuit bombycinus rubrocandidus; stratis equorum ex serico perinde bicolore factis. horum equitum magister siue turmarius erat Ioãnes Rueberus à Puchsendorff, equestris ordinis, et Sac. Cæs. M. aulicus. Armamentarij præfectus erat Andreas Kielmanus, Sacræ Cæs. Maiest. exdesignatore. habebatq; sub se legatum Christophorum Knorium, sereniß. Boemiæ Reg. aulicum, cum quo præerat tormentarijs collimatoribus quadragintaquatuor; quibus omnib. diuisæ erant machinæ currules omnis generis, ad centum octuaginta quatuor, præter infinitas minores et tractabiliores; vt sunt Falconetæ, Falcodertæ, aliæq; consimiles. commeatus erat in oppido qui longæ obsidioni satis videretur; inprimisq; panis, vini, cereuisiæ, pulueris tormentarij magna erat in eo copia. è regione tabularium amplißimũ surgebat, vbi cõsideret Imperator, Principesq; tam viri quam feminæ, cum legatis gentium, nationumq;, spectandi caussa, & iuxta hoc siue tabularium siue theatrum fixa erant tentoria, siue tabernacula quatuor eximij operis, & sumptus. In fluuio autem Danubio stabant armatæ quas diximus cap. XXIX. biremes, triremesq; cum Liburnicis aliquot, aliisq; tam constratis quam intectis nauibus omnis generis.*

Præfectus oppidi.
Legatus eius.
Ductores ordinũ præsidiariorũ.
Signum I.
Signum II.
Signũ III.
Magister equitũ præsidiariorũ.
Armamentarij præfectus.
Classis in procinctu.

*A latere castra sua habebant cohortes illæ septẽ ciuium Viennensium, de quib. item supra memoratũ est, cap. XXXI. pugnaturæ duce & præfecto Georgio Thanhusio, cuius legatus erat Sebastianus VuindischgretZius.*

Imperator Viennensium eiusq; legatus.

*hiita cratibus, corbibusq́ & prætenturis muniebantur, vt securi oppidanorum tonitrua riderent, & contemnerent. habebant autem centum etiam secum equites, armatura telisq́ instructißimos, perindeq́ Tanhusio dicto audientes.*

Seren. Rex Maximilianus auctor huius spectaculi.

*Hæc autem omnia ita descripserat ordinaueratq́ per se serenißimus Rex Boemiæ Maximilianus; qui diluculo vrbe egressus, in oppido, in castris diligenter suum cuique munus distribuerat, & quæ fieri vellet edocuerat; sumpto mox prandio in eo siue tabulato, siue theatro, quod spectaculo præparatum Imperator hora fere à meridie prima cum toto aulico comitatu sexus vtriusque occupauit. neq; multo post signum, quod conuenerat, à serenis. Rege Maximiliano datum est, impreßionem faciendi; in qua hic fere modus seruatus est:*

Oppidi oppugnationis præparatio.

*Thanhusius cum suos pro castris instruxisset, in aciemque eduxisset, decem admodum equites speculatum emisit, qui comperta de propugnaculis oppidi, & qua parte iniuriæ maxime obnoxium esset, referrent.*

Exploratores emissi.

*qui nihil ad summam diligẽtiam reliqui facientes, vitamq́ flocci facientes, quam furori tormentorum satis temerariè obiectabãt, dum ducis sui mandatis parere satagunt, in viginti admodum oppidanos portis erumpentes impetum faciũt, vnumq́ ex ijs, suos pugnandi studio prauectum, quod volunt, capiunt. quem statim, cum ex eo mortis metu proposito de munitionib. animisq́ oppidanorum multa cognouissent, ad Imperatorẽ suum Tanhusium pertrahunt; iam de ipsis solicitum, paratumq́ ad succurrendum, suppetiasq́ ferendum si quid illis durius accidisset. quos cum reuersos cũ gaudio ac gratulatione acciperet, multumq́ collaudaret, referunt illi q̄d compererint, expedireq́ sibi videri ostendunt, oppidum tormentis verberari ex biremibus, quæ in fluuio deductæ starent. quod hac parte oportunum maxime machinarum violentiæ videretur; desidente iam nunc muri terreno iuxta portam proximo, quod non magno molimine plane disiici posse putarent: impreßione etiã facili hàc futura, quod interius nullo aut vallo aut munitione p̃texeretur: vt quidẽ ex eo, quem captiuum illi sistebant, intellexissent. Quib. auditis Imperator Tanhusius, etsi factu facile videbatur quod eqtes suadebant, præsertim cum mißi clanculum in diuersa speculatores eadem fere retulissent; memor tamen cum hominib. rẽ esse, quorum vitæ & sanguini parcere humanitatis esset; itemq́ illud in memoria habens, omnia prius verbis q̄ armis experiri sapientem decere; Regem armorum, Heroldum vocant vulgo, mittit ad oppidanos, ꝗ deditionem eos facere iubeat. It ille comitatus quatuor tubicinibus, qui cum sub muris oppidi ter more militari tubis occinuissent; rex armorum alta voce infit dicere, missum se, ꝗ deditionem citra vllam conditionem facere, aut in posterum hostilia & extrema omnia ab Imperatore*

Oppidi deditio exigitur.

peratore suo exspectare oppidanos iubeat. Cui Præfectus Baro Felsius renidens; Bone, inquit, Præco, magnæ sunt quæ minaris; nec tamen facere commodo nostro possumus quæ petis. quare licet ad tuos re infecta redeas, magnificoque tuo Imperatori meis verbis renunties; nihil me latuisse de ipsius siue aduentu, siue consilio: quare si ita animatus fuissem, vt ipse videtur existimare, obuiam illi venturum, & claues oppidi eius potestati permissurum fuisse. sed longe aliter se res habet; neque ille vmquam vlterius in hoc oppidum procedet, quam vi & viribus viam sibi faciet; & veniat sane, exsperiaturque quid inter virtutem veram, & minatias intersit; tuque adeo, ne tibi non prædictum dicas, quam mox hinc facesse, ne quid forte quod nolis patiaris. hoc responso ad Imperatorem Thanhusium relato, duæ peditum cohortes, totidemque equestres turmæ oppido propius succedere, & omnem ad illud viam præcludere iubentur. quæ copiæ imperata facientes, rustica prædia duo obuia prope oppidum succendunt, & igni corrumpunt: missaque ab Imperatore tormenta suis locis collocant, & verberare oppidum qua conuenerat magno fragore occipiunt: exoneratis alternatim vna displosione nunc duodecim muralibus machinis, nunc totidem semimuralibus eius generis, quas Serpentinas duplices, ac maiores, vocant tormentarij. Qua tonitruum assidua violentia etsi initio muri non admodũ quati, aut iniuriã in se admittere videbantur; præsidiarij tamen in propugnaculis versari prohibebantur; & in mœnibus consistere à grandine densa sphærarum vetabantur: tandemque etiam tormentarijs magistris in locum eundem sæpius collimantib. murorum firmitas cessit pertinaci furori machinarum: magnaq; eius pars plane corruit: cum interea temporis obuersæ etiam huc biremes, Liburnicaq; & stratæ naues, duplicarunt terrorem, fragoremq;: tanto quidem strepitu, vt fulgurib. crebris omnia coruscarent, tonitribusq; horrendis flumen, ripa, vicinaq; omnia late resonarent: fumo tanto coorto, vt neq; oppidum neq; triremes nauesq; conspici diu potuerint. eoq; in articulo rerum qui erant in quatuor constratis Liburnicis, prædæ studio, oppido remis q̃ proxime poterant succedebant, tanto sublato clamore, (barrhitum vocant rei militaris periti) quantus terrendis miseris præsidiariis vel solus satis esset. consequebantur classiarij reliqui; conuersoq; subinde cursu, nunc secundo ferebãtur, nunc aduerso flumine vi nitebantur. & dum cessabatur terra tantillum ab exoneratione & explosione tormentorum, inter se decurrerunt iucundissimo spectaculo, naualisq; prœlij simulacrũ exhibuerunt. inde machinarũ vtrimq; furor restauratus est, tã crebris rursum micationibus ignium, vt flamma oculorum, fragor aurium vsum eriperent.

Responsum præfecti eius.

Verberatur oppidum.

*Nec cessabatur hoc in discrimine intra muros; sed strenue & alacriter fiebant omnia sine vlla trepidatione, quæ in periculis fieri debent. præsidiariique tam equites quam pedites assidue portis effusi, & procurrentes, hosti velitationis copiam faciebant; & nunc victi, nunc victores in vrbem, pro re nata affecti, se denuo recipiebant. multi etiam vtrimque capiebantur; quos omnes oppidani patibulo in propugnaculo erecto, obsidentes in eo, quod loco ab vrbe conspicuo vndique anteprætenturas excitarant, in oppidanorum contemptum simul & ignominiam suffigebant, binos semper. Quæ iniuriæ ita irritarunt animos partium, vt duæ cohortes ex iis quæ obsidionem vrgebant, impatientes moræ eius quæ intercessura videbatur dum iusta pars murorum deiiceretur tormentis; qua impressio inde facilior redderetur; sublatis signis, cum scalis, reliquisq; necessariis ad oppidum cursim tetenderunt; oppugnationemq; maxima celeritate & impetu tentarunt: sed parum felice successu. magno enim cum damno & dedecore recipere se coacti sunt à præsidiariis oppidi, ita toti sanguine tincti, vt recentem ferinam tulisse videri possent. habebant enim qui in oppido erant, præter alia, a quib. omnibus paratissimi instructissimiq;, secundum ea quæ initio retulimus, erant; ad milia aliquot aularum figulinarum (quarum terra fingi & duci adhuc recens poterat) sanguine pecorum plenarum, sed admixtis gratissimis odoribus. has aulas in subeuntes illi coniiciebant; quibus comminutis, qui tacti erant non aliter sanguine conspersi adspiciebantur, quam si letalibus vulneribus affecti fuissent. quo viso territi reliqui obsidentes, cum vere commilitones vulneratos existimarent; vicissim serio rem agere in oppidanos decreuerunt, scloposque suos glandibus plumbeis, stanneisque onerarunt: ita vt cædes non vna subsecutura fuerit, ni subito ductores milites suos de errore docuissent, hosq; animorum motus sedassent. Interea qui male pugnarant stillantem cruorem Danubio abluebant. Oppidani autem ordinem ad se rediisse rati, strenue ex propugnaculis suis fulminabant, tonabantq;. nihilominus tamen parabant se obsidentes ad iustam impressionem; eamq; ad rem classis tota militem suum expositura terræ se applicare conabatur; sed cũ ad exscensionẽ cõmoditas nulla se offerret, Liburnicæ, strataq; naues ad angulum ꝓpugnaculi alterum se applicant, ibiq; suos exponunt: q alius alibi vallum vellunt, muros conscendunt, õnia deniq; faciunt; deturbantib. ex ꝓpugnaculo p̃sidiarios assiduis ictib. tormentorum iis, qui in biremibus erant. Parte alia terrestres quoq; copiæ iam partem murorum ad terram strauerant, quæ etsi tanta nõ esset vt per ruinã suam aditũ obsidentibus daret; impressio tamen fortiter facta est, sed irrito conatu. neque defuere, dum hi muros subeunt, hi præcipites ex illis deturbantur, alibi sarissis, pilis, contis, alibi*

Eruptiones & velitationes.

Impetus primus in oppidum; sed frustraneus.

Error obsidentium.

II. Oppugnatio vrgetur vndiq; irrito item conatu.

*gladijs res geritur, vtrimq; tormentarij; sed tanto strepitu, quanto non ante, personant; & oppidum, pugnantes, cælum, & diem ipsum denique fumo inuoluunt. Duces autem obsidentium, oppugnantiumq́; vidētes frustra se niti; conuersis vexillis receptui signum dari iubent: cui tamen dum paretur, multi ab oppidanis porta effusis capiuntur, & in vrbem abducuntur. Diuersa erat naualium sociorum fortuna; qui si scalis reliquisq; ad expugnationem necessarijs instructi fuissent, citra ruinam vllam murorum oppido potiti fuissent: nunc pauci, & imparati ab equitib. præsidiarijs, dum pedites alibi distinentur, facile reiecti sunt, ita quidem, vt plures hostilem iram vitantes in flumen se abijcerent, cuius tamen rapiditati à suis qui prope erant exempti sunt. Depulso hoste oppidani tubarum cantu & tympanorum boatu victoriam suam celebrant: & quanquam nonnihil dolerent, quod nihil pene fictilium ollarum sanguine et odoribus conditarum reliqui haberent; dissimulata tamen strennue hac cura, hostibus insultabant, & scopis ad sarissas suas deligatis, propugnacula euerrebant, ludibrii caussa; simul scommata iaciebant in multitudinem, ostensisq; clauibus quas manibus gestabant, petere illas iubebant. amplius cadauera etiam hostilia aut in præterfluentem Danubium proijciebant, aut carrobalistis imposita eiaculabantur. erant autem ea corpora composita ex stramine, thorace caligisq; follicantibus inducto: facie personata. adeo fabrè quidem hæc adornata, vt verorum cadauerum speciem præberent. huiusmodi autem corpora qui in classe erant scaphis piscabantur, etsi oppidani impedire hoc crebris tormentorum fulminibus conarentur. qui toto hoc etiam tempore muris restaurandis, vallis figendis, fossis ducendis operam dabant: haud ambigentes, quin hostis extrema esset tentaturus & oppidum ex integro aggressurus. ad quam rem etiam crates per interualla ponebant; picemque sulphure mixtam, atque ita ardentem in subeuntes iaciendam præparabant: annulos quoque tortos ex funibus pice litis, aliaque ignita tela disponebant, nihil minus quam animum sibi deficere ad defensionem sui ostendentes. Hanc autem oppidanorum industriam qui in obsidione erant machinarum violentia, quod poterant, impedire conabantur. qui etiam mox signo ab Imperatore Tanhusio dato, à terra, & flumine oppidum rursum magnis animis inuadunt; hinc quidem cohortes septem per murorum ruinas de nouo factas impressionem facientes; inde qui in classe erant qua ante quoque superare propugnaculi altitudinem, & in oppidum euadere conantes. quod spectaculum erat inprimis iucundum; Liburnicas videre modo secundo, modo aduerso flumine, prout res postulabat, decurrētes: dexterrimeq; in omnes sese partes obuertētes: subindeq; colubrinarum machinarum fragore detonātes.*

[Margin: Capti oppugnantes multi.]

[Margin: Oppidanorū re bene gesta lætitia.]

[Margin: Cadauera simulata.]

[Margin: III. Oppugnatio oppidi eiusdemq; Expugnatio.]

*pugnaba-*

*pugnabatur autem cominus ita pertinaciter, vt ducum præcipua cura fuerit, ne ex ludicro certamine res euaderet in seriam pugnam. clamor, vlulatus, quiritatio tanta etiam erat; vt qui spectabant mille & amplius verè procubuisse, & cecidisse crederent. Talis denique fuit hæc vltima impreßio, vt oppugnantes muros propugnaculaq; oppidi superarint, refixisq; signis militaribus hostium, & conceptis, sua pro ijs supposuerint; quæ erant Cæsarea, Andreanis siue Burgundicis crucibus insignita. & quamquam præsidiarij tam equites quam pedites confertis agminibus starent, neque fugerent omnino, aut vllam timoris significationem darent, tamen qui muros tenebant clamore ingenti partam de hoste victoriam concelebrabant: quem excipiebant nauales socij, qui etiam mox modulatione variorum Musicorum instrumentorum lætitiam suam ex re bene gesta fatentes, aquas, ripas, homines concentu trahebant.*



# PANDECTARVM TRIVMPHALIVM TOMI SECVNDI LIBER TERTIVS, QVI EST DE duellis & singularibus ex prouocatione certaminibus.

## DVELLVM VNDE SIC SIT DICTVM. I.



Ingulare certamẽ veteris Græci monomachiã dixere, nostrates Iuriscõsulti duellum: ita dictum existimãtes, quasi duorum bellũ sit: cùm apud antiquos duellum transmutatione literarum simpliciter diceretur, quod nunc bellum est. Vnde & perduellionis crimen in legib. XII. tab. appellatur; cum hostile aliquid aduersus rempub. eiúsve securitatem gestum sit. Nos tamen recentiorum consuetudinem approbabimus, haud indignum rati, autoritatem vsus eo vsq; pollere, vt vocabulis significationem & mutare & auferre possit.

## DE INVENTORIBVS DVELLI. II.



Velli vsum à Mantineis in Græcia repertum, eruditorũ quorundam consensu fere receptum est, eo potissimũ argumento, quod bellicum sagum, veteresq; armaturas mantineas appellant: quo nomine & ephestridem, quam vulgò suprauestem vocamus, & conos, & pennas, & emblemata, huiusmodiq; pugnantium ornamenta dici in præsentia possunt. Ego Stygij tyranni bella mũdo inuehere meditantis rudimentum, & idcirco vetustissimum huiusce digladiationis vsum fuisse, satis & super scio: cum & Homerus non vno in loco eius meminerit, nuncq; Menelaum cum Paride pro Helena singulari certamine coram vtroque exercitu certantem inducat, nunc Aeneam cum Diomede, Hectorem cum Aiace: Vergiliusq; maximus Poetarum Aeneida suam Turni nece concluserit, qui pro vxore Lauinia cum Aenea Phrygio manum conseruerat.

## AN DVELLVM IVRE PERMISSVM SIT. III.



Ontificum Romanorum legib. monomachiam omnẽ prohiberi cõstat: videtur enim iudicium diuinũ tentari: & quam plurimi quorum causa iure & æquitate optima erat, stolidissimi deorum omnium Martis arbitrio pugnantes, occubuere. Qua-

propter & iure ciuili reprobari huiusmodi certamina in confesso est. Non tamē ambigo, si quisquam armis strenuus vt ferro decertet prouocetur, honoris sui tuendi causa impunè eum in sequestrem agrum fide publica prodire, armisq; rem gerere posse: is enim iure gentium quodammodo se defendit. Intra verò principis sui territorium iure nō liceret, cùm alia decus suum tueri ratione possit, & in agro populi Rom. inconsulto principe ferro decerni lex vetet. Inter eos quoq; quibus cum ius est belli, singularis congressus permittitur, dū tamen miles non nisi ex indulgentia Imperatoris sui pugnet. Sic Valerium Coruinum, sic M. Torquatum, compluresq; alios certasse apud rerum gestarum autores legitur. Principes quoq; ipsos de regno ambigentes, contentiones suas hoc modo finire ius fasq; est. Cum enim bellum non nisi maxima humani generis calamitate inuehatur, quid iustius excogitari potest, quàm vt tanta noxa de medio sublata, hi potissimū soli armis decernant, ad quos ea res pertinet, victoremq; res sequatur? Extant apud veteres & huiusce rei exempla, quorum Caroli Andegauensis, & Petri Tarraconensis illud potissimum est, qui cum de insula Sicilia bellum diu gessissent, Martini pontif. Rom. collegijq; Cardinalium autoritate, Burdegalę in Aquitanis, armis concurrere pacti sunt: iureq; iurando sanxerunt vter victus esset insula decedere, nec amplius de ea re controuersiam facere.

## *DVELLORVM VSVM CONSVETVdine & de facto inductum esse.*

## *IV.*

QVamuis igitur iure ciuili & pōtificio duellum prohibeatur, quibusdam tamen gentium moribus receptum fuit. Ex quibus vetustissimi Longobardi, quoties coram iudice integra probatione defectus quisquam esset, aliquidq; ad plenam intētionis fidem prætori faciendam deesset, duellum multis casibus concedebant, dum tamen qui rem pugna decidi petebat, iureiurando sanxisset non dolo malo, nec calumniæ causa se eò confugere, sed quia aliter quàm diuino iudicio rei gestę veritas erui non posset. sunt autem hi ferè casus: Si lęsę maiestatis reus quisquam delatus est. si homicidiū quis intra induciarum tempus fecisse, vel parricidium causa hæreditatis adipiscendæ arguatur. si incēdiarium te, vel periurum, vel depositi, quod non minus xx. aureis censeatur, abnegatorem, vel falsi documenti cōfectorem, violentúmve compulsorem, vel rei à seruo tuo surreptæ receptatorem dixero. Si parentis, cuius hęres extitisti, æs alienum dissoluere nolueris. si cuculum me, aut adulterū, aut vxoris tuæ attrectatorem, prædicaueris. in mulieres quoq; huiusmodi prouocationi

tioni eo iure locus est, certamenq; pro eis propinquiores suscipiunt, aut quos ipsæ in hac re sibi aduocatos, honorisque propugnatores constituunt. Si enim maritus adulteram vxorem dixerit, pugnandum est, quod & ad quemlibet extraneum porrigitur. Idem si necem mariti eam procurasse asseueretur. Contra seruum quoque qui in libertatem prouocauerit, assertionis iudicium arbitratu domini per duellum definitur. sed & si malæ fidei possessorem te dixero, licebit tibi si quinquennio possederis, vel sacramento tuam causam tueri, vel duello. Quod si de dominio possessionisque acquisitione ambigatur, & vterque priora iura prætendat, tum quoque singulari certamini locus est. Idem cum vtrinque testes in iudicio producti, contraria confusaque asseuerant. Nec omnino barbaræ, irrationabilesque huiusmodi constitutiones sunt. Cùm enim Longobardorum duello scutis solùm & fustibus res gereretur, raroque accideret quenquam occidi, non multum à pancratio vel colluctatione certamen id abfuisse existimādum est. Fuerunt veteribus Græcis instituti pugiles, qui plumbo onustis cestibus inuicem longe periculosiore conatu decertarent: Nec tamen Ledæos fratres, aut Herculem, Ericem, Entellum, qui his præcelluêre, idcirco barbaros quisquam dixit. Cæterum neq; à Longobardorum legibus Gallorum consuetudo multum dissidet. Apud eos enim hæc Philippi Pulchri constitutio etiamnum extat: *si quis occulti criminis capitalisque reus sit, atque ita de eo constet, vt quæstioni subijci possit, condemnari nō possit, is arbitratu accusatoris duello experiatur.* quę lex summa ratione nititur. Nam cum iure ciuili existentibus solum indicijs torqueri, equuleoq; alligari reus debeat, si accusator cui alioquin talionis pœna subeunda esset, malitque per duelli quæstionem rei veritatem patefieri, audiendus est. Nō solet autem in Gallia aliter ius monomachiæ à rege vel his qui illi à consilio sunt permitti, quàm ex Philippi constitutione. Quod si quis temerè alium prouocauerit, eum malè mulctant. Qua in re amplissimi ordinis seueritatem laudo, regulosque quosdam Italiæ detestor, qui passim & sine delectu campum securitatemque territorij omnibus petentibus concedunt. In Italia verò cùm de controuersia aliqua verbo inter homines litigatur, qui alterum mentiri dixerit, prouocari ad duellum potest. Censetur enim atrox iniuria, quæ si aliter quàm ferro aboleatur, de honore suo actum homines arbitrantur: hincque frequens est prouocationis exordium.

## *PROVOCATORIS AN PROVOCATI conditio in duello melior sit.*

## *V.*

MVltum referre arbitror vter prouocator, vter prouocatus censeatur; quoniã licet æqualitas inter hosce pugnatores seruanda sit, quibusdam tamen casibus prouocatoris conditio deterior est. Et inprimis in re dubia aduersus eum pronunciandum erit; tum quia non dicetur probasse nisi vicerit, aduersario verò satis est se tueri: tum quia is verè delinquit, & Deum tẽtat, aduersarius quodam defensionis colore obtegitur. sed & Federici Imp. quadam constitutione ei, qui prouocatus fuerit, electio loci, temporis, armorum, iudicisque permittitur: quoniam, vt ille inquit, fauorabilior est rei causa, qui præter spem ad pugnam compellitur: alioquin facilè actori esset præparatis dolis illum in insidias trahere. Contrà videtur Longobarda lege cautum. Nam cùm duellum iudicialis probationis eo iure instar sit, factum est vt iudex ipse locum & tempus decernat. Arma verò ea lege generaliter constituta sunt, vt excepto cùm de lęsa maiestate agitur, clypeo & fuste certetur. Putauerim igitur suo quanq; casu constitutionem seruãdam, vt si probationis iudicialis ergò dimicetur, Longobardorum iuri adhæreamus. Si verò de eo qui ad pugnam inuitus compellitur sit aliqua quęstio, Aenobarbi legem imitemur. Alioquin generalem consuetudinem obseruemus, vt prouocator diem, campum, stadijque limites bona fide eligat, & consequenter territorij iudicem: qui verò prouocatus est, in ipso stadio quo genere armorum certandum sit, arbitratu suo decernat. Quæ res vt hactenus apud nos semper obseruata est, ita etiã iure Romano sane quam improbabilis est. Nam & actor ipse locũ iudicemq;, cũ aliqua actione experiri vult, eligit: reus verò arbitratu suo præscribit, quasq; exceptiones maluerit, in cognitionem deducit. Meritò igitur prouocator armis à perduelle suo electis pugnare compellitur, ne alioqui inter eos vlla sit imparitas. Rursus ne prouocatus suspecti iudicis aut sibi periculosi loci prætextu diutius tergiuersetur, actor triplicem, tutumq; nominatim campum illi describet, liberumq; reo erit è tribus optare, vbi potissimum concurrere cum hoste velit, tenebiturque actor ei copiam autoritatis misso diplomate facere; ne frustra in agrũ alienæ iurisdictionis venire necessum habeat. sed an aliquibus antequam decernant diebus, prouocanti denunciandum censebimus, qua armorũ specie congredi prouocatus velit, debeatq; is illum suæ electionis certiorem facere? Et moribus receptum est, satis esse, si ipso in stadio certior fiat prouocator: cui tamen non erit denegandum si suis se armis, quorum plura

genera in id præparauerit, vsurum contendat, dum eiusdem sint paritatis, tametsi personæ suæ conuenientius adhæreant. Fuere tamen, qui existimarent ei, qui hac fiducia alium manifesta iniuria affecerit, quòd si eo nomine prouocatus fuisset, armorum electionē ad se pertinere præuidebat, non esse hoc indulgendum: sed ante cōgressum in id adigendum, vt tanto tempore prouocatorem præmoneat, quantum satis illi esse possit in eo armorum ludo vsum aliquem comparandi, quæ sententia ratione non caret. sicut enim decretum est, eum qui spe ad ædē sacram cōfugiendi deliquerit, iure asyli non adiuuari, quia patratum facinus preuiso commodo indignum reum reddit: ita hoc casu dicendum videtur, vt qui manifestam iniuriam intulit, libere huiusmodi optionis fauore priuetur. Interestque publicè id obseruari, cùm ad inferendam contumeliam quosdam eo prætextu facillimos videamus, quod si prouocati sunt, electionem armorū ad se pertinere sciant. sed tamen vix est vt à consuetudine discedendum ego arbitrer, quod qui iniuriam sibi factam prouocatione vlcisci maluerit, omnibus prouocationis legib. subijci debeat. Cur enim iure potius, vel talione in eum non intendit?

## *QVIBVS EXCEPTIONIBVS REfellantur prouocatores.*

## *VI.*

EX persona sua refellitur prouocator, quando perduellis eum allegat scelestum esse, vel infamem. Qui enim huiusmodi criminibus notatus est, aduersus eum qui integræ famæ sit, admitti nō debet, tum quia impar, tum quia tales ab armata militia repelluntur. Adde quòd etiam iure nostro sicarij, peculatores, fures, idque genus improbi viri ius quenquam accusandi non habent. Quis enim admittat quenquam de iniuria sibi facta conquerētem, qui ipse alios soleat hisdē malis inquietare? *Nec enim lex iustior vlla est, Quàm necis artifices* (vt inquit Ouid.) *arte perire sua*. si quis item crimina militaria commiserit, iustè (vt arbitror) confutabitur. Quid enim si transfuga quis fuerit, vel seditiosus, vel proditor, vel ignominia missus, vel desertor, vel periurus, sacramentique militaris contemptor? Item qui dominum in prœlio deseruerit, qui cum conmanipularib. in aliquod delictum conspirauerit, qui in exploratione collusit, qui lenocinium exercuerit, vel negociationem militibus iure prohibitam, & si qua similia: is enim tanquam non integræ famæ sit, non est admittendus vt alium prouocet.

## *QVID DICENDVM SIT SI INFErior dignitate superiorem prouocet.*
## *VII.*

DE æqualitate quoq; dignitatis frequẽtissima altercatio est, cũ prouocatus idcirco in pugna tergiuersari se posse arbitratur, q̃ a prouocator gradu dignitatis inferior sit. quam excusationem fuerunt pleriq; qui non admitterent. Cuius sententię vir militaris disciplinæ prudentissimus Ioannes Iacobus Triuultius fuit, q cùm magister militum Francisci Regis esset, exceptionem hãc in quodam vexillifero cataphractorum reiecit, cui gregarius pedes, vt secũ armis congrederetur, diem dixerat: Cùm enim & ille in albo militum nomen dedisset, nobilis existimandus erat: quoniam ex militia oritur nobilitas. Pone in prœlio manu captum aliquẽ ab eo Regem, nónne iure belli eius militis tametsi mercenarij Rex dedititius erit? Qui igitur cum Rege pugnare potest, & cum præfecto inferiore pugnabit. Adde, quòd cùm duellum probationis sit species, qua quis causam suã suorúmve nititur probare iustam esse, sicut à iudicio ciuili prętextu huius inæqualitatis nõ repelleretur, ita nec ab hoc certamine, cui Deus pręsidet, repellendus est: apud Deum enim pari iure omnes agunt. Nam & si vulgò præscriptionem hanc admitteremus, raró singulari certamini locus esset, cum reperiantur pauci omnino æquales. siquidẽ hominum alij sunt honesti, qui honoribus & dignitatibus à principibus collatis præcellũt: alij generosi, quos patris, aui, progenitorumq; suorum stemmata & imagines insigniores faciunt: alij sunt nobiles, quos fama virtutis illustres per ora hominũ effecit: vnde quòd cognoscantur, nobiles dicti. Apud Plautum enim, cæterosq; antiquiores, pro noto nobilis accipitur. Igitur vix erit aliquem reperire, qui omnino triplici hac nobilitate riuali suo respondeat. Quod cum ita sit, satius est odiosam hanc & scrupulosam exceptionem reijcere, & in armorum iudicio eum nobilissimum ducere, qui maiores spiritus in perduellẽ sumpserit. Quid enim ad pugnatorẽ Plancus faciet, tumens (vt ille inquit) alto Drusorũ sanguine? Nã & in iudicio clypei Achillei, Vlysses

*Et genus* (inquit) *et proauos, et quæ nõ fecimus ipsi, Vix ea nostra voco.* Iuuenalis quoq;, *Nobilitas vera est atq; vnica virtus.* Arbitror itaq; veram Triuultij sententiã, quæ tamen in quibusdã casib. temperãda sit.

## *DE EADEM ADHVC RE.*
## *VIII.*

HIc enim videndum, si maior aliquis ab inferioris subsellij viro, vt si Dux à Comite prouocatus fuerit, an iure pugnam detrectaturus sit. Qua in controuersia videntur nobis

quot

quot capita, tot esse sententiæ. Qui vulgari Lemouicũ sermone, rhytmisq; de monomachia conscripsit, non posse certamen detrectari asserit. Quam in sententiam accessisse videtur Triuultius. contra qui Longobardorum cõstitutiones interpretati sunt, existimauere: quoniam ea lege æqualitas requiritur; cautumq; diserte in ea est, vt ab inferiore prouocatus Comes, per optionem pugnare possit: quod quid attinebat facere, nisi lex huiusmodi nobiliorum prouocatores arceret? Paris Neapolitanus distinguit, vt si quis à quatuor progenitorum serie, hoc est, ab abauo vsque sit nobilis, quemcunque etiam Ducem prouocare possit, dum sibi illatam iniuriam vltum eat: quoniam is propter contumeliam inferentis delictum ab eo pro legitimo pugnatore approbatus, habilisque factus censetur, alioquin cum eo congredi non possit. Verum hæc sententia iure nostro probabilis omnino non est, cum offensor non magis argui possit in duello prouocatum contumelia approbasse, quam in iudicio: præsertim cum illustres personæ iure nostro in criminali iudicio per procuartorem causam suscipere possint. His accedit, quòd duellum pro veaitate eruenda loco cuiusdam quæstionis & torturæ inuentum est. At rduersus illustres cæterosque etiam clarissimos, nullus quæstioni est locus: meritò igitur ego aliter pronunciandum arbitror. Cùm enim inter ipsos dignitatum gradus, etiam aliquis sit ordo, eum qui in gradu eodem sit, licet inferioris ordinis, arbitror repelli à duello nõ posse. Quapropter Comes à Marchione vel Duce nõ refutabitur. omnes enim spectabiles sunt. si verò inferiore gradu sit, propter imparitatem putarem posse recusari. Nec enim Valuasori vel Baroni negociũ magnis Marchionibus facere concedendum videtur. Ei verò qui abusq; abauis sit nobilis, & in armis ætatem egerit, satis putarem permittendum vt cum clarissimis congredi posset. Cùm enim illorum vltimus sit gradus, & modica sit inæqualitas, hæc exceptio non omnino locũ sibi vendicat. hacque in re Paridem sequor.

## *DE ELECTIONE ARMORVM, ET qualia ea esse oporteat.*

## *IX.*

DE electione autẽ armorum frequentissima est altercatio: sed scuta & fustes ex lege Longobardica vt plurimum præstari debere supra à nobis dictum est. Verùm ea lex quę probationis iudicialis causa duellum concessit, non adeò extendenda est, vt etiam cùm de honore & vita certatur, locum sibi vendicet. Rectior itaque est communis omniũ consuetudo, vt ex omni armorũ genere optio

optio fieri possit, quæ iustis militib. in acie vsui sunt: quo nomine sunt pugiones, gladij, enses, spathæ, clauæ ferreæ, rompheę, pila, lanceæ, fuscinæ. sed an arcus & sagittæ? Et antiquissimus poëtarũ Homerus prouocatos ad singulare certamẽ ab Alexandro Paride Græcos, autor est, qui *pardi humeris ferret pellemq́, arcusq́, recuruos, Et gladium.* sed cùm ipse prouocator esset, non fuisset iusta Græcorum excusatio, qui iam præuiderant quo teli genere certaturus erat. Tametsi in contrariã sententiam nos id vrgeat, quod cum ad manus cum Menelao vẽtum est, nullum illi sagittarum vsum, sed solius hastę, idem autor adscribit. Vnde apud nos existimarem id teli genus eligi nõ posse. Cum enim Pontificum Romanorum constitutionibus, sagittariorum balistariorumque ars sub anathematis pœna exerceri prohibita sit, non videtur iusta huius teli esse electio. Quod multò magis in sulfurarijs hisce sclopis dicendum est, fusilibusq; machinis, quas mali dæmones in perniciem humani generis inuenere. Nam & ita sensisse P. Vergilium credibile est. Cùm hac (vt quidam existimant) de causa, pœnam apud inferos luere Salmoneum scripsit:

*Vidit & crudeles dantem Salmonea pœnas,*
*Dum flammas Jouis & sonitus imitatur Olympi.*
*Demens, qui nymbos & non imitabile fulmen,*
*Aere & cornipedum cursu simulârat equorum.*

Lapidibus verò decertare permissum est. Nam in exercitu antiquorum & funditores erant, & balearici: teliq; appellatione etiam lapides contineri Iureconsulti arbitrantur. sed an Pittaci Mitylenæi, qui vnus ex septem sapientibus fuit (ne caligatos tantummodo in monomachiam prodire arbitremur) exemplum approbabimus? Is cum Phrynone Atheniensium duce certaturus, cui in casside piscis imaguncula erat, rete in stadium detulit, & exclamãs se piscem petere, eum reti inuoluit, sicq; se extricare nescientem confecit. Et sanè putarem id concedẽdum: licet enim hosti quoquo modo, etiam arte & ingenio, hostem superare. Vocanturq; hæc stratagemata, de quibus apud Græcos difusissimè, Polyænus Macedo scripsit, apud nos Iulianus Frontinus: extantq; vtriusq; opera. Si tamen de hoc dubitans aduersarius, aliud quoq; sibi rete à principio pręstari petierit, audiendum puto, vt ęqualitas armorum seruetur: nec enim dubium hoc casu armorum appellatione, posse rete ipsum cõtineri. quid si inermis, solo ense accinctus, in campum prouocatus descendat, velitq; hoc potissimum modo ferro decernere? Et iure non putarim congressum hũc posse recusari: sed principes, qui campi securitatem promiserũt, rectè facturos arbitror, si eos hoc modo decertare non permittant, & securitatem aboleant. Extantq; prudentium exempla, qui hunc habitum ceu lenonib. magis quàm

gis quàm ſtrenuis militibus cõuenientem reprobarunt. ſi qui tamen ſciamachiæ peritiſſimi, artis ęmulatione hac forma in ſtadium deſcenderint, non cenſerem ſummouendos, quòd hi potiſſimum de corporis agilitate certent, peritiamq; artis ſic oſtentent. Illud omnium opinione receptum eſt, nobili & generoſo viro magis cõuenire vt eques, & quidem loricatus congrediatur, quàm mercenariorum peditum more prodeat, cùm equeſtris militia noſtris moribus dignior ſit, & in nobilium vſu frequentior. ſolent autem (ſi aliter conuentum non ſit) in campum omnia geminata arma prouocati deferre, vt eorum quæ ipſi in procinctu elegerint, paria aduerſarijs per magiſtros ſeu aduocatos dari poſſint.

## *DE LEGITIMO OLIM IN GERmania duello.*

## *X.*

DEſignatus fuit olim locus in Salinis Sueuicis pro iudicio eorum, qui diſſidio aliquo & ſimultate laborabant, cupiebantque certamine publico & victoria ipſa tueri & probare integritatem ſuam. Nam qui victor euadebat, ille iudicio hominum inſons declarabatur. Permittebatur autem huiuſmodi conflictus & duellum nobilibus, & his qui equeſtri erant præditi dignitate, ſi quando notam infamiæ inuſtam diluere cuperent, id fieret manifeſto victorię indicio. Et ad huiuſmodi rei executionem, ſenatus Hallenſis ſua olim ab Imperatoribus & Regibus accepit priuilegia & leges. Obſeruatur autem in eo experimento talis proceſſus:

Quando duo nobiles inter ſe diſſidentes, gladio volunt probare innocentiam ſuam, ſollicitant inprimis Senatũ Hallenſem pro theatro & loco certaminis dando, atq; pro publica dimicationis defenſione. Tum Senatus ſolet reſpondere in hunc modum: *Accepimus litteras veſtras, & dolentes perpendimus animorum veſtrorum motum, conceptamq; altrinſecus ſimultatem: quare obſecramus, ſi fieri poteſt, vt ab hoc inſtituto veſtro deſiſtatis, aliaq; cõmodiore via diſſenſionem veſtram componatis, à cruento duello abſtineatis, petitionemq; noſtram in hac re minimè refutetis.* Illis aũt in ſuo propoſito perſeuerãtibus, & rurſum Senatum pro monomachiæ publico loco interpellantibus, reſcribere ſolet Senatus ſub tali forma: *Quoniam obſtinati perſeueratis in veſtro propoſito, En conſtituimus vobis illum vel illum diem, quo coram nobis comp areatis: parati enim ſumus audire cauſam veſtram æquis auribus.* Comparentibus autem illis cõſtituto die coram Senatu, Senatus auditis querelis eorum, nullum non mouet lapidem, quo illos diſſentientes ad vnionem redigat. Quod ſi noluerint acquieſcere ſaniori cõſilio, per-

Ooo ſtiterintq;

ſtiterintq; in primo propoſito, indicit illis Senatus certum diem, quo conueniant, exhibet theatrum, polliceturq; defenſionem. Venientib. ergo partibus, & adhuc monomachiam expetentibus: primo adigun tur ad iuramẽtum, quo ſe obſtringunt certo die ſtare legibus monomachiæ, & ne quis plures perſonas aut maiorem comitatum ſecum in ciuitatem introducat, quã Senatus eis præſcripſerit. Deputatur certa deinde intra ciuitatem planicies, puta forum aut alius commodus & amplus locus, qui & arena ſternitur, atq; peribolo circumſepitur, & vtriq; dimicaturo ſua erigitur caſa, in qua maneant cum his, qui ſtipãt eos. Ponitur etiam ad vtriuſq; caſam feretrum cum cereis, pannus funebris, & alia ad funus requiſita. Permittitur denique cuique eorum ſacerdos, qui magis arriſerit, cui ſua confiteatur peccata; permittuntur duo cuſtodes ſiue ſtipatores; permittuntur æqualia arma, ſecundũ quod inter illos equites aut pedites conuenerit, ipſique ſcriptis antea fidem dederint, ſecluſa omni fraude. His omnibus ritè peractis, præſentibusque illis qui ad certandum parati ſunt, promittitur vtrique ęquale patrocinium, & æqualis defenſio. Promulgatur etiam à Senatu voce præconis tale edictum; *ne quis acclamet, nutum aut indicium aut quodcunque ſignum det vni eorum.* Et qui id præuaricatur, iuſſu Senatus ilico per lictorem, qui præſens adſtat, punitur. Nam irremiſſibiliter talis præuaricator truncatur manu dextra, & pede ſiniſtro. Clauduntur interim omnes portæ, turreſque & mœnia præſidijs muniuntur: plateæ ciuitatis ferreis catenis & repagulis clauduntur. Prohibetur etiam ne mulieres aut puellæ, aut etiam maſculi infra duodecimum annum ad tale admittantur ſpectaculum. Poſt hæc ad præſtitutam à Senatu horam, veniunt certatores armis muniti, cum confeſſoribus & ſtipatoribus ſuis, quiſque ad caſam ſuam, & priuſquam committantur fit permutatio ſtipatorum, qui in alterius caſa omnia diligenter luſtrent, ne quis eorum vlla vtatur fraude aut dolo; aut diſparia habeantur arma. Quo prouiſo permittuntur certaturi egredi è caſis ſuis ad monomachiam; emiſſaque trina voce præconis clamantis *Primo, Secundo, Tertio,* ad tertiam vocem congrediuntur: qui vulneratur & ſeſe æmulo dedit, is infamis habetur cunctis diebus vitæ ſuæ; nullumque permittitur conſcendere equum, aut barbam radere, aut arma geſtare: ſed nec ad vllos vnquam ſuſcipitur honores. Qui verò in theatro illo neci datur victus, is honorificè ſepelitur, & victor ſatis ſuperque honori ſuo conſuluit: poteritque deinceps ad officia honorabilia recipi. Anno Domini cIↄ. v. in fine Aprilis Iodocus à Burgavv & Georgius Hail Hallę duellum inierunt, in foro vbi pecora venduntur, victusque Iacobus à Burgavv poſt ſextum diem mortuus eſt. Poſtea monomachiam exercuerunt duo nobiles induti tunicis

nicis viridis coloris absq; indumentis ferreis, victusque victori se dedidit. Deinde rursum duo nobiles cõgressi sunt, vnus Greuter dictus, & alius Bavvstetter; euasitque Greuter victor, & à theatri loco poplitibus suis incessit, vt potuit, ad sacellum beatæ virginis, situm iuxta capellę portam, poplitibus etiam sanguinem stillantibus. Postea iterum duo nobiles, vnus à Munchingen, & alter à Rappenburg instituerunt descẽdere in arenam, sed persuasi à Senatu Hallensi destiterunt à proposito suo, concordiamque inierunt. Fuit & Herbipolis ciuitas Franconiæ olim monomachiæ iudicio celebrando & experimento quærendo deputata, sed quod longè alijs ritibus, quam Hallense fuit, executioni mandatum est.

## *DE MONOMACHIA DAVIDIS & Goliathi Philistæi.*

## *X I.*

NOn multo post Philistæi rebellarunt, ingentique armorum apparatu Israëlitarum fines inuaserunt. Nec rex multum in mora fuit, sed impigre primis hostium motibus cum valido exercitu occurrit. Fecerant illi castra inter Sochonem & Azecham, Israelitæ iugum montis occupant, hostium capitibus imminens. Philistæi situs iniquitate animaduersa castra in tutiorẽ locum haud procul inde transferunt. Dirimebat bina castra tumulus quidam, hunc Philistæi generis vir quidam immani statura ( Goliathi fuit illi nomẽ) insigni armorum habitu, cum pluribus occupat. Iosephus, nisi parum integrè id in eo legitur, autor est, septenũ pedum Philistęũ quadrante minus fuisse, quæ proceritas ne nostra quidẽ tempestate sit in aliquo conspicua. Veriora itaq; mihi videntur, quæ in Bibliacis libris traduntur, senum cubitorum & palmi fuisse eius staturam, quæ denos quadrante minus habuerit pedes, quũ aliquanto proceriore Orestes fuerit, si vera sunt, quæ Herodotus de eo memoriæ prodidit. Sed quæcunque fuit hominis magnitudo ( fuit enim omnino eximia ) loricã quinum milium siclorum induit. Ferrum quod fuit hastæ præfixum, Siclos appendisse traditur sexcentos, id est, drachmas mille & ducentas. Conspicuo igitur ille loco constitutus, horrende inclamat, Israelitarum fortissimum sibi occurrere postulat. Parum prudenter Philistæos Iudæosque facturos, si cum duorum prœlio periculo defungi possint, de summa rerum totis viribus, non sine alterius partis pernicie malint dimicare. Paratum se esse ea conditione in pugnam descendere, vt si victus sit, cedant perpetuo Philistęi Israelitis de regno. Sin contra qui secum congressus esset, eum vinci contigisset, seruitutis iugum

(si quando alias)Iudæi acciperent. Tenuit ea prouocatio plures dies, non sine Hebræorum rubore,qui tacita confessione se eo genere pugnæ victos fatebantur. Dauid interim tribus fratribus circa regem commorantibus,ex militiæ vacatione dabat apud patrem rei pecuariæ operam. Quum igitur bellum vna prouocatione staret, ita forte accidit,vt iussu patris ille cibaria fratribus in castra tulerit. Qui quum inter suos ibi versaretur,ecce interim Goliathus ex solita statione conspectus Israelitarum fortissimum de more prouocat. Ad cuius vocem quum mœstum silentium teneretur, Dauid eam gentis cõtumeliam haud ferendam ratus, apud fratres primo fassus est, cepisse se impetũ aduersus monstrum illud hominis dimicandi,qua voce à suis grauiter increpita,cæterum quum nihil familiari illa prædicatione præter stultitiæ & temeritatis notam lucrifaceret, palam inter æquales iactare ausus est,quid animo agitaret. Quæ audax professio ad regem delata, etsi ætas, quæ adhuc infirma erat, nihil de se arduum sperari sinebat, adolescentem tamen ad se Saulus accersit. Erat enim, vt dixi, iam antea ei notus.Hic laudata ab eo indole,quum videretur rex nolle tanti discriminis certamẽ infirmæ adhuc ætati permittere, multa Dauid de diuina prouidentia prius locutus,quæ quo libitum esset, suo victoriã nutu inclinaret, periculosa dein certamina, quæ pene puer cum violentissimis bestijs obiuisset,ordine explicat.Leonem,inquit,rex inclyte adhuc pene puer,quia agnum ex illius ore eripuissem, in me sæuientem cauda arreptum, humi primo afflixi, inde multa vi compressum ac debilitatum extinxi.Pari periculo vrsum ineuitabili occursu, haud minore animo quam leonem prostraui.In quibus monstris cõficiendis,haud ambigo,nisi cœli numen propitium habuissem, tam arduis certaminibus me imparem futurum fuisse. Cæterũ tam bestia est hic, qui nos prouocat,quàm illæ quas ego domui,fuere. In quo præter effigiem nihil cerno,quod hominis dici possit.Pietatis expers, veriq; numinis contemptor. Ad quem perdendum non solum me ratio hortatur,quod nolim hanc detrectatæ pugnæ notam nostræ gẽti perpetuo inustam,sed etiã religionis vltio, quæ iam dudum animo succlamat, tollendam esse impiam ex terris beluam, quæ ne cœlum quidem,cui conuicium facit,mereatur intueri. Miratus rex adolescẽtis ferociam, simulque præmaturam in eo osculatus prudentiam, omnia ad diuinam ꝓuidentiam referens,facit illi dimicandi potestatẽ. Dauid repudiatis armis,q̃ rex ad certamen exeunti obtulit, funda & sparo instructus,in hostẽ vadit. Conuerterat id certamen duorũ exercituum in se oculos.Qui quo minus æquis inter se virib. cõgressuri videbantur,eo minus bona spe Israelitæ erant.Dispar inde animorũ affectus. Exultabant lætitia Philistæi, certamq; recuperandi regni vulgo spẽ fouebãt.

Ibat

Ibat Goliathus in pugnam magna mole corporis robur ſpirãs, armis inſigniter inſtructus, tã certaminum cupidus q̃ peritus. Contra tyrunculus & infirmo adhuc corpore rei bellicæ ignarus, & quod p̃ter cætera Iudęos exanimabat, inermis, nihil in pugnam niſi ferociam ferens, vt temeritas verius appellari poſſet, q̃ audacia. Et iam ambo in cõſpectu erant, Goliathus venientem hoſtẽ intuitus, velut ad canis abiegatum fuſte duntaxat inſtructum horrẽdè intonat. Nec Dauid immane corpus clamorémve exhorruit, ſed futuræ dimicationi intẽtus, ſubita fundæ excuſſione lapidem in aduerſum hoſtem immittit, q in mediã frontem violenter incidens, Goliathi caput ad cerebrum vſq; aperuit. Ad quem ictum, quũ ille magno corporis & armorum fragore concidiſſet, ingẽs lætitia ex metu, q nuper omnium animos defixerat Iſraeliticis caſtris oritur. Cõtra trepidatio ingens Philiſtæos cepit, q pactorum immemores ſine imperio, ſine ſignis effuſa fuga paſſim diffugiunt. In hoſtẽ ſua ſponte turbatum Saulus ſuos ex ſupiore loco demittit. Quem aptis campis Hebræus victor aſſecutus, cum fœda ſtrage ad Aſcalonis vſq; mœnia p̃cipitem egit, triginta Philiſtęorũ milia eo die cæſa traduntur, ac pene totidem vulnerata. Dauid Goliathi caput haſtæ affixum in trophæi ſpeciem ante ſacram aram ſtatuit.

## *DE MONOMACHIA ROMVLI ROMAnorum & Acronis Cæninenſium Regis.* *XII.*

CVm in conſpectum veniſſent mutuũ, alter alterũ vt ſingulari certamine rẽ decerneret quieſcentib. in armis exercitib. prouocauit. Ibi Romulus Ioui vouit, ſi victoriam deiecto Acrone obtinuiſſet, arma ſe eius ipſi dono laturum, cõſecraturumq;: itaq; ſtrauit Acronẽ victor, & eius exercitum pugna cõmiſſa fudit, vrbemq; cepit. Neq; verò vllum maleficium ijs quos ibi depręhẽderat intulit: ſed iuſſit, vt domib. ſuis dirutis Romam cum ipſo irent, ibiq; ciues æquali cum alijs iure eſſent. Atq; nulla quidẽ alia magis, q̃ hac ratione Romã auxit. q̃d ſubinde quos ſuperaſſet, eos ſibi adiungeret. Romulus, quo votum ita ſolueret, vt & Ioui q̃ maximè gratũ & ſpectatu iucũdum id populo eſſet in caſtris deliberans: quercum prægrandem incidit, ac in formam trophæi dolauit, Acronis arma ſuo ſingula ordine appendit & adaptauit: tum veſtem ipſe p̃cinctus, cæſariemq; lauro coronatus, trophęũ erectũ ac dextro ſuo humero ſuffultũ portãs, triumphalemq; pæana p̃cinẽs iuit: ſequẽte in armis exercitu, excipientib. eũ cũ gaudio & admiratione ciuib⁹. Hęc ſane põpa initiũ exẽplumq; triũphis poſteriorũ tẽporũ exhibuit. Trophæũ porrò donariũ Iouis Feretrij cognominatũ fuit: nã à feriẽdo is dicitur. atq; vouerat hoc Romulus, ſi ferijſ-

ſet & ſtrauiſſet Acronem, Opimá ſpolia Varro ab opibus dicta ait. Veri tamen ſimilius videtur, ab opere ea nomen habere, quòd earũ conſecratio, vt virtutis præmiũ conceditur Imperatori, qui ſua manu Imperatorem hoſtium obtruncauerit. Id tribus modò Romanorum Imperatoribus contigit: Romulo primùm cùm Acronem Cæninenſem deieciſſet: deinde Cornelio Coſſo propter occiſum ab eo Tolumniũ Etruſcum. Poſtremò Claudio Marcello, ob deuictum Britomartum Gallorum regem. Sed Coſſus quidẽ, ac Marcellus quadrigis in vrbem inuecti ſunt, trophæa ipſi ferẽtes. Dionyſius autem errat, cum Romulum dicit curru ea in re vſum: ſiquidem ſcriptum eſt, à Tarquinio Demarati filio, primo inter reges triumphum ad id faſtus ac ſplendoris perductum: alij Publicolam aiunt primum curru triumphum duxiſſe. Quin & Romæ videre eſt ſtatuas Romuli trophæum ferentes, pedeſtres omnes.

## *DE MONOMACHIA MARCELLI ET Gallorum Regis Virdumari. XIII.*

IAm ad conſerendum prœlium ſe Marcellus vertebat: cum equus hoſtium ferocia conſternatus, conuertit ſe, atq; retrò vi aufert Marcellum. Qui veritus, ne caſus iſte ſuperſtitionẽ terroremq; ſuis inijceret; celeriter equum fræno correpto hoſtib. aduerſum conſtituit, Solemq; adorauit, vt non fortuitò, ſed ob hoc ipſum circumegiſſe equum videretur: (moris enim Romanis erat, vt adorantes ſeſe circumuerterent) iamq; ad hoſtes accedens, Ioui Feretrio ſpoliorum de hoſtib. pulcherrima vouit. Ibi eum Gallorum Rex cõſpicatus, conijciensq; de ſignis imperatorẽ eſſe; equo ante alios longe prouectus occurrit, ſimul terribili vociferatione prouocãs ad pugnam & haſtam quaſſans, vir magnitudine corporis inter Gallos primus, armisq; argento, auro, & colorib. ita inſignibus, vt præ reliquis quaſi fulgur ipſe emicaret. Marcellus oculis in aciem hoſtium cõiectis, vt hæc arma ſenſit omnium pulcherrima, deque his Deo ſe votum feciſſe, impetu facto Virdumari loricam haſta traiecit, & equi impetu nixus, viuum proſtrauit: vnoque & altero inſuper ictu illato, ſtatim interfecit. Tum equo deſiliens, manibusque arma cæſi tangens, ad cœlum ita eſt locutus: *Iupiter Feretrie, qui ducum egregia in bello ac prœlijs facinora regis atque inſpicis, te teſtor, me, qui tertius Romanorum imperator ducem regemq; hoſtium hunc mea ipſa manu confeci, prima hæc tibi atq; pulcherrima conſecrare ſpolia. Tu verò nobis ad reliquã belli partem conuerſis, eandem fortunam concede.* Inde equitum pugna facta, qui Gallorum non equites modò, ſed & pedites ijs permixtos adorti, victoriam

riam rari exempli, ac modo ipſo mirabilem pepererunt: non enim vel ante vel poſt eam pugnam tãtus equitum peditumq; numerus à tam paucis equitibus victus legitur.

## DE CERTAMINE TRIGEMINORVM *Romanorum & Albanorum de imperio.* XIIII.

FOEdere icto, trigemini, ſicut cõuenerat, arma capiunt. Cum ſui vtroſq; adhortarentur, Deos patrios, patriam ac parentes, quicquid ciuium domi, quicquid in exercitu ſit, illorum tũc arma, illorũ intueri manus: feroces & ſuopte ingenio, & pleni adhortantium vocibus in medium inter duas acies procedunt. Conſederãt vtrinq; pro caſtris duo exercitus, periculi magis præſentis, quàm curæ expertes. Quippe imperium agebatur, in tam paucorum virtute atq; fortuna poſitum. Itaque ergo erecti ſuſpenſique in minimè gratum ſpectaculum animo intenduntur. Datur ſignum: infeſtiſq; armis, velut acies, terni iuuenes magnorum exercituum animos gerentes concurrunt: nec his nec illis periculum ſuum, ſed publicum imperium ſeruitiumq; obſeruatur animo, futuraq; ea deinde patriæ fortuna, quam ipſi feciſſent. Vt primo ſtatim concurſu increpuere arma, micanteſq; fulſere gladij, horror ingens ſpectantes perſtringit: & neutro inclinata ſpe, torpebat vox, ſpiritusque. Conſertis deinde manibus, cùm iam non motus tantum corporum, agitatioq; anceps telorum armorumque, ſed vulnera quoq; & ſanguis ſpectaculo eſſent: duo Romani, ſuper alium alius, vulneratis trib. Albanis, expirantes corruerũt. ad quorum caſum cùm cõclamaſſet gaudio Albanus exercitus, Romanas legiones iam ſpes tota, nondũ tamen cura deſeruerat, exanimes vice vnius, quẽ tres Curiatij circunſteterant. Fortè is integer fuit, vt vniuerſis ſolus nequaquã par, ſic aduerſus ſingulos ferox: ergo, vt ſegregaret pugnam eorum, capeſſit fugã, ita ratus ſecuturos, vt quemq; vulnere affectum corpus ſineret. Iam aliquãtum ſpatij ex eo loco, vbi pugnatum eſt aufugerat: cum reſpiciens videt magnis interuallis ſequentes, vnum haud procul ab ſeſe abeſſe: in eũ magno impetu redijt. Et dum Albanus exercitus inclamat Curiatijs, vti opem ferant fratri, iam Horatius cæſo hoſte victor ſecũdam pugnã petebat. tũ clamore qualis ex inſperato pauentum ſolet, Romani adiuuant militẽ ſuũ: & ille defungi prœlio feſtinat. prius itaq; ꝗ alter ꝗ nec procul aberat, conſequi poſſet, & alterũ Curiatium conficit. Iamq; æquãto Marte ſinguli ſupererãt, ſed nec ſpe, nec virib. pares. alterũ intactũ ferro corpus, & geminata victoria ferocẽ in certamẽ tertiũ dabãt. alter feſſum vulnere, feſſum

cursu trahens corpus, victusq; fratrum ante se strage, victori obijcitur hosti: nec illud prœlium fuit. Romanus exultans: *Duos*, inquit, *fratrū Manib. dedi, tertium, causam belli huiusce, vt Romanus Albano imperet, dabo*: Male sustinenti arma, gladium supernè iugulo defigit: iacentem spoliat. Romani ouantes ac gratulantes Horatium accipiunt, eo maiore cum gaudio, quo propius metum res fuerat. Ad sepulturam inde suorum nequaquam paribus animis vertuntur: quippe imperio alteri aucti, alteri ditionis alienæ facti.

## *DE MONOMACHIA SATIBARZANIS & Erigyi, Alexandri Magni Ducis. XV.*

TRansfuga Satibarzanes Barbaris præerat, qui cum pugnam segnem vtrimq; æquis viribus stare vidisset, in primos ordines adequitauit, demtaq; galea, inhibitis qui tela iaciebant, si quis viritim dimicare vellet, prouocauit ad pugnā, nudum se caput in certamine habiturum. Non tulit ferociam Barbari dux exercitus Erigyus, grauis quidem ætate, sed & animi & corporis robore nulli iuuenum postferendus. Is galea demta canitiem ostētans, *Venit*, inquit, *dies quo aut victoria, aut morte honestißima, quales amicos & milites Alexander habeat, ostendam.* nec plura elocutus, equum in hostem agit. Crederes imperatum vt acies vtræque tela cohiberent. Protinus certè recesserunt dato libero spatio, intenti in euentum non duorū modo, sed etiam suæ sortis: quippe alienum discrimen secuturi. Prior Barbarus emisit hastam, quam Erigyus modica capitis declinatione vitauit. At ipse infestam sarissam equo calcaribus concito in medio Barbari gutture ita fixit, vt per ceruicem emineret. Præcipitatus ex equo Barbarus, adhuc tamen repugnabat: sed ille extractam ex vulnere hastam rursus in os dirigit. Satibarzanes hastam manu complexus, quo matu rius interiret, ictum hostis adiuuit: & Barbari duce amisso, quem magis necessitate quam sponte secuti erant, haud immemores meritorum Alexandri arma Erigyo tradunt.

## *DE MONOMACHIA HORRATÆ Macedonis & Dioxippi Pugilis nobilis. XVI.*

INuitatis deinde ad epulas legatis gentium regulisq;, exornari conuiuium iussit. Centū aurei lecti modicis interuallis positi erant. Lectis circūdederant aulæa purpura auroq; fulgentia; quidquid aut apud Persas vetere luxu, aut apud Macedonas noua immutatione corruptū erat, confusis vtriusq; gentis vitijs, in illo conuiuio

uiuio ostendens. Intererat epulis Dioxippus Atheniēsis pugil nobilis, & ob eximiam virtutem virium regi pernotus & gratus. Inuidi malignique increpabant per seria & ludum, saginati corporis sequi inutilem beluam. Cum ipsi prœlium inirent, oleo madentem præparare ventrem epulis. Eadem igitur in conuiuio Horratas Macedo iam temulētus exprobrare ei cœpit, & postulare vt si vir esset, postero die secum ferro decerneret: regem tandem vel de sua temeritate, vel de illius ignauia iudicaturum. Et à Dioxippo contemtim militarem eludente ferociam accepta conditio est. Ac postero die rex, cum etiam acrius certamen exposcerent, quia deterrere non poterat, destinata exsequi passus est. Ingens hic militum, inter quos erant Græci qui Dioxippo studebant, conuenerat multitudo. Macedo iusta arma sumserat, æreum clypeum, hastam quam Sarissam vocāt, læua tenens, dextra lanceam, gladioque cinctus velut cum pluribus simul dimicaturus. Dioxippus oleo nitens & coronatus, læua puniceum amiculum, dextra validum nodosumq; stipitem præferebat. Ea ipsa res omnium animos expectatione suspenderat: quippe armato congredi nudum, dementia non temeritas videbatur. Igitur Macedo haud dubius eminus interfici posse lanceam emisit, quàm Dioxippus cum exigua corporis declinatione vitasset, antequam ille hastam transferret in dextrā assiluit, & stipite mediā eam fregit. Amisso vtroq; telo Macedo gladiū cœperat stringere, quem occupatum cōplexu pedib. repente subductis Dioxippus arietauit in terram: ereptoq; gladio, pedem super ceruicem iacentis imposuit, stipitem intentans, elisurusque eo victum, ni prohibitus esset à Rege. Tristis spectaculi euentus non Macedonibus modo, sed etiam Alexandro fuit, maximè quia Barbari affuerant: quippe celebratam Macedonum fortitudinem ad ludibrium recidisse. Hinc ad criminationem inuidorum adapertæ sunt Regis aures. Et post paucos dies inter epulas aureum poculum ex composito subducitur: ministrique quasi amisissent quod amouerant, regem adeūt. Sæpe minus est constantiæ in rubore, quam in culpa. Coniectum oculorum, quibus vt fur destinabatur, Dioxippus ferre non potuit. Et cum excessisset conuiuio, literis conscriptis quæ regi redderentur, ferro se interemit. Grauiter mortem eius tulit Rex, existimans indignationis esse non pœnitentiæ testem, vtique postquam falso insimulatum eum, nimium inuidorum gaudium ostendit.

## *DE MONOMACHIA MAGNI ALEXANdri & Pori Indorum Regis.*

## *XVII.*

Vnus ex Regibus Indorum fuit Porus nomine, viribus corporis & animi magnitudine pariter insignis, qui bellum iam pridem, audita Alexandri opinione, in aduentum eius parabat Commisso itaque prœlio, exercitum suum inuadere Macedonas iubet: sibi regem eorum priuatum hostem deposcit. Nec Alexander moram pugnæ fecit, sed prima congressione vulnerato equo cũ præceps ad terram decidisset, concursu satellitum seruatus est. Porus multis vulneribus obrutus capitur: qui victum se adeo doluit, vt cum veniam ab hoste inuenisset, neque cibum sumere voluerit, neque vulnera curari passus sit: ægreq; sit ab eo obtentum, vt vellet viuere, quem Alexander ob honorem virtutis incolumem in regnum remisit.

## *DE MONOMACHIA T. MANLII & Galli cuiusdam.*

## *XVIII.*

Dictator, cum tumultus Gallici causa iustitium edixisset, omnes iuniores sacramento adegit, ingentique exercitu ab vrbe profectus, in citeriore ripa Anienis castra posuit. pons in medio erat, neutris eum rumpẽtibus, ne timoris indicium esset. prœlia de occupando ponte crebra erant: nec qui potirentur incertis viribus satis discerni poterat, tum eximia corporis magnitudine in vacuũ pontem Gallus processit: & quantum maxima voce potuit. *Quem nunc*, inquit, *Roma fortissimum virum habet, procedat agedum ad pugnam, vt noster duorum euentus ostendat vtra gens bello sit melior*. Diu inter Primores iuuenum Romanorum silentium fuit, cum & abnuere certamen vererentur, & præcipuam sortem periculi petere nollent. Tum T. Manlius L. filius, qui patrem à vexatione tribunitia vindicauerat, ex statione ad dictatorem pergit. *Iniussu tuo*, inquit, *Imperator, extra ordinem nunquam pugnauerim, non si certam victoriam videam. si tu permittis, volo ego illi belluæ ostendere, quando adeo ferox præsultat hostium signis, me ex ea familia ortum: quæ Gallorum agmen ex rupe Tarpeia deiecit*. Tum Dictator. *Macte, virtute, inquit, hac pietate in patriam T. Manli esto: perge, & nomen Romanum inuictum iuuantibus dijs præsta*. Armant inde iuuenem æquales, pedestre scutum capit, Hispano cingitur gladio, ad propiorem habili pugnam, armatum adornatumque aduersus Gallum stolide lætum, & (quoniam id quoque memoria dignum antiquis visum est) linguam etiam ab irrisu exerentem, producunt.

cunt. Recipiunt inde se ad stationē cæteri, & duo in medio armati spectaculi magis more, quàm lege belli destituũtur. nequaquam visu ac specie ęstimantibus pares. corpus alteri magnitudine eximium, versicolori veste, pictisq; & auro cęlatis refulgēs armis: media in altero militaris statura, modicaq; in armis habilib. magis q̃ decoris species: non cantus, non exultatio, armorumq; agitatio vana, sed pectus animorũ iræq; tacitæ plenum, omnem ferociam in discrimē ipsum certaminis distulerat. Vbi constitere inter duas acies tot circa mortalium animis spe metuq; pendentibus: Gallus velut moles supernè imminens, proiecto læua scuto in aduenientis arma hostis, vanum cæsim cum ingēti sonitu ensem deiecit, Romanus mucrone surrecto, cum scutum scuto imum perculisset, totoq; corpore interior periculo vulneris factus, insinuasset se inter corpus armaq; vno alteroq; subinde ictu ventrem atq; inguina hausit, & in spatium ingens ruētem porrexit hostem. iacentis inde corpus ab omni alia vexatione intactum, vno torque spoliauit, quem respersum cruore, collo circundedit suo. Defixerat pauor cum admiratione Gallos, Romani alacres ab statione obuiam militi suo progressi, laudantes gratulantesq; ad dictatorē pducunt: inter carminũ propemodũ incondita quædā militariter ioculantes, Torquati cognomen auditum, celebratum deinde posteris etiā, familiæq; honori fuit, dictator coronam aureā addidit donũ, mirisq; ꝓ concione eā pugnam laudib. tulit. Et hercle, tāti ea ad vniuersi belli euentũ momenti dimicatio fuit, vt Gallorũ exercitus proxima nocte, relictis trepidè castris, in Tyburtem agrum, atq; inde societate belli facta, commeatuq; benignè ab Tyburtib. adiutus, mox in Campaniā transierit.

### *DE MONOMACHIA M. VALERII & alterius Galli. XIX.*



Onsul duabus legionib. vrbi præpositis, octo cum L. Pinario prætore diuisis, memor paternæ virtutis, Gallicum sibi bellũ extra sortem sumit: prætorem maritimam oram tutari, Græcosq; arcere littorib. iussit. & cum in agrum Pomptinum descēdisset, quia neq; in campis congredi nulla cogente re volebat, & prohibēdo populationib⁹, quos rapto viuere necessitas cogeret, satis domari credebat hostem: locum idoneum statiuis delegit. Vbi cũ stationib. quieti tempus tererent, Gallus processit magnitudine atq; armis insignis: quatiensq; scutum hasta, cum silentium fecisset, ꝓuocat per interpretem vnum ex Romanis, q secũ ferro decertet. Marcus erat Valerius tribunus militum adolescens, qui haud indigniorem eo decore se q̃ T. Manlium ratus, prius sciscitatus cōsulis voluntatē, in mediũ armatus

 processit.

processit. Minus insigne certamen humanũ numine interposito deorum factum. nanq; conferenti iam manũ Romano coruus repentè in galea cõsedit in hostẽ versus. quod primò vt augurium cœlo missum, lætus accepit tribunus: precatus deinde, si diuus, si diuua esset, qui sibi præpetem misisset, volens propitius adesset; dictu mirabile: tenuit nõ solum ales captam semel sedem, sed quotiescunq; certamen initũ est, leuans se alis, os oculosq; hostis rostro & vnguib. appetijt: donec territum prodigij talis visu, oculisq; simul ac mẽte turbatum, Valerius obtruncat; coruus è conspectu elatus, orientẽ petit. Hactenus quietæ vtrinq; stationes fuere. Postq̃ spoliare corpus cæsi hostis tribunus cœpit, nec Galli se statione tenuerunt, & Romanorum cursus ad victorẽ etiam ocyor fuit. ibi circa iacentis Galli corpus contracto certamine, pugna atrox concitatur. Iam non manipulis proximarum stationum, sed legionib. vtrinq; effusis res geritur. Camillus lætum militẽ victoria tribuni lætum tam præsentibus ac secundis dijs in prœlium ire iubet, ostentansq; insignẽ spolijs tribunum, hunc imitare miles, aiebat: & circa iacentem ducem sterne Gallorum cateruas. Dij hominesq; illi affuere pugnę: depugnatumq; haud quaquam certamine ambiguo cum Gallis est: adeo duorum militum euẽtum, inter quos pugnatum erat, vtraque acies animis præceperat.

### *DE MONOMACHIA GEMINII METIJ & Titi Manlij.* *X X.*

FOrtè inter cæteros turmarum præfectos, qui exploratum in omnes partes dimissi erant, T. Manlius cos. filius super castra hostium cũ suis turmalib. euasit, vt vix teli iactu ab statione proxima abesset: ibi Thusculani erant equites, præerat Geminius Metius, vir tum genere inter suos, tum factis clarus. is vbi Romanos equites, insignemq; inter eos p̃cedentem consulis filiũ (nam omnes inter se vtiq; illustres viri noti erant) cognouit: *Vnane*, ait, *turma Romani cũ Latinis socijsq; bellum gesturi estis? quid interea consules, quid duo exercitus consulares agent? Aderunt in tẽpore, Manlius inquit, & cum illis aderit Iupiter ipse fœderum à vobis violatorum testis, q̃ plus potest polletq;. Si ad Regillum Lacum, ad satietatem vestrã pugnauimus, hic quoq; efficiemus profectò, ne quid minus q̃ acies vobis, & collata signa nobiscum cordi sint.* Ad ea Geminius paululum ab suis equo p̃uectus: *Visne igitur dũ dies ista venit, qua magno conatu exercitus moueatis, interea tu ipse cõgredi mecum, vt nostro duorum iam hinc euentu cernatur, quantũ eques Latinus Romano præstet?* Mouet ferocẽ animũ iuuenis seu ira, seu detrectandi certaminis pudor, seu inexuperabilis vis fati. Oblitus itaq; imperij

perij patrij, consulumq; edicti, præceps ad id certamẽ agitur, quo vinceret an vinceretur, haud multum interesset. equitib. cæteris velut ad spectaculũ summotis, spatio quod vacui interiacebat cãpi, aduersos concitant equos: & cum infestis cuspidib. concurrissent, Manlij cuspis super galeam hostis, Metij trans ceruicem equi elapsa est. circumactis deinde equis cum prior ad iterandum ictum Manlius consurrexisset, spiculum inter aures equi fixit, ad cuius vulneris sensum cum equus priorib. pedib. erectis, magna vi caput quateret, excussit equitẽ: quem cuspide parmaq; innixum, attollentem se à graui casu, Manlius ab iugulo ita vt per costas ferrum emineret, terræ affixit, spolijsq; lectis ad suos reuectus, cum ouãte gaudio turma in castra, atq; inde ad prætorium ad patrẽ tendit: ignarus fati futuriq;, laus an pœna merita esset. *Vt me omnes*, inquit, *pater tuo sanguine ortum verè ferrent, prouocatus equestria hæc spolia capta ex hoste cæso porto.* Quod vbi audiuit cõsul, extemplo filium auersatus, concionem classico aduocari iussit. quæ vbi frequens conuenit: *Quandoquidem*, inquit, *tu T. Manli neq; imperium cõsulare, neq; maiestatem patriam veritus, aduersus edictum nostrum extra ordinem in hostem pugnasti: & quantum in te fuit, disciplinam militarem, qua stetit ad hanc diem Romana res, soluisti: meq; in eam necessitatem adduxisti, vt aut Reipublicæ mihi, aut mei meorumq; obliuiscendum sit: nos potius nostro delicto plectemur, quam Respub. tanto suo damno nostra peccata luat. triste exemplum, sed in posterum salubre iuuentuti erimus. Me quidem cum ingenita charitas liberûm, tum specimen istud virtutis deceptum vana imagine decoris in te mouet: sed cum aut morte tua sancienda sint consulum imperia, aut impunitate in perpetuum abrogãda: nec te quidem, si quid in te nostri sanguinis est, recusare censeam, quin disciplinam militarem culpa tua prolapsam pœna restituas. I, lictor deliga ad palum.* Exanimati omnes tam atroci imperio: nec aliter quàm in se quisq; districtam cernentes securim, metu magis quàm modestia quieuere. Itaq; velut emerso ab admiratione animo, cum silentio defixi stetissent: repentè postquã ceruice cæsa fusus est cruor, tum libero conquestu coortæ voces sunt, vt neq; lamẽtis, neq; execrationibus parceretur: spolijsq; contectum iuuenis corpus, quantum militaribus studijs funus vllum concelebrari potest, structo extra vallum rogo cremauerunt.

## *DE MONOMACHIA T. QVINTII Crispini & Badij Campani.* *XXI.*


Onsules agrum Campanum ingressi, cùm passim popularentur, eruptione oppidanorum & Magonis cum equitatu territi, ac trepidi ad signa milites palatos passim reuoca-

runt;& vixdum instructa acie fusi, supra mille quingẽtos milites amiserunt. Inde ingens ferocia superbæ suopte ingenio genti creuit: multisq; prœlijs lacessebant Romanos: sed intentiores ad cauendum consules vna pugna fecerat, incautè atq; inconsultè inita. Restituit tamen his animos, & illis minuit audaciam parua vna res. Sed in bello nihil tam leue est, quod non magnæ interdum rei momentum faciat. T. Quintio Crispino Badius Campanus hospes erat perfamiliari hospitio iunctus. creuerat consuetudo, quod æger Romæ apud Crispinum Badius ante defectionem Campanam liberaliter comiterq; curatus fuerat. Tum Badius progressus ante stationes, quæ pro porta stabant, euocari Crispinum iussit. quod vbi est Crispino nuntiatum, ratus colloquium amicum ac familiare quæri, manente memoria etiã in dissidio publicorum fœderũ priuati iuris, paulum à cæteris processit. Postquam in conspectum venere, *prouoco te*, inquit *ad pugnam Crispine*, Badius. *cõscẽdamus equos, summotisq; alijs, vter bello melior sit, decernamus.* Ad ea Crispinus, *Nec sibi, nec illi ait hostes deesse, in quibus virtutem ostendãt. se ab eo, etiam si in acie occurrat, declinaturum, ne hospitali cæde dextram violet.* conuersusq; abibat. Enimuero ferocius tum Campanus increpare mollitiem, ignauiamq;, & se digna probra in insontem iacere, hospitalẽ hostẽ appellans, simulantemq; parcere cui sciat parem se non esse. si parum publicis fœderibus ruptis dirempta simul & priuata iura esse putet, Badium Campanum T. Quintio Crispino Romano palam omnibus, duobus exercitibus audientibus, renuntiare hospitium. nihil sibi cum eo consociatum, nihil fœderatum hospiti cum hoste, cuius patriam ac penates publicos priuatosque oppugnatum venisset. si vir esset, cõgrederetur. Diu cunctantem Crispinum perpulere turmales, ne impunè insultare Campanum pateretur. itaque tantum moratus, dum imperatores consuleret, permitterentne sibi extra ordinem in prouocãtem hostem pugnare: permissu eorum arma cepit, equumque conscendit, & Badium nomine compellans, ad pugnã euocauit. Nulla mora à Campano facta est, infestis equis concurrere. Crispinus supra scutum sinistrum humerum Badio hasta transfixit: superque delapsum cum vulnere ex equo desilijt, vt pedes iacentem conficeret. Badius priusquam opprimeretur, parma atque equo relicto, ad suos aufugit. Crispinus equum armaque capta, & cruentam cuspidem insignis spolijs ostentans, cum magna laude & gratulatione militum ad consules est deductus, laudatusque ibi magnifice, & donis donatus.

DE MO-

## DE MONOMACHIA CORBIS ET HORsuæ fratrum patruelium de principatu. XXII.

SCipio Carthaginem ad vota soluenda dijs, munusq; gladiatorium, quod mortis causa patris patruiq; parauerat, edendum redijt. Gladiatorium spectaculum fuit, non ex eo genere hominum, ex quo lanistis comparare mos est, seruorum delectu ac libertorum, qui venalem sanguinem habent. volũtaria omnis & gratuita opera pugnantiũ fuit, nam alij missi ab regulis sunt ad specimen insitæ genti virtutis ostendendũ: alij ipsi professi se pugnaturos in gratiam ducis: alios æmulatio & certamen, vt prouocarent, prouocatiq; haud abnuerent, traxit. quidam quas disceptando controuersias finire nequiuerant, aut noluerant, pacto inter se, vt victorem res sequeretur, ferro decreuerunt. Neque obscuri generis homines, sed clari illustresq;, Corbis & Orsua, patrueles fratres, de principatu ciuitatis quã Ibem vocabant, ambigentes, ferro se certaturos professi sunt. Corbis maior erat ætate. Orsuæ pater princeps proxime fuerat, à fratre maiore post mortẽ eius, principatu accepto. Cum verbis disceptare Scipio vellet, ac sedate iras, negatum id ambo dicere communib. cognatis: nec alium deorum hominúmve, quã Martem se iudicem habituros esse. Robore maior, minor flore ætatis ferox, mortem in certamine, quam vt alter alterius imperio subijceretur, præoptãtes, quod ab tanta rabie dirimi nequirent, insigne spectaculũ exercitui, præbuere, documentumq;, quantum cupiditas imperij malum inter mortales esset Maior vsu armorum & astu facilè stolidas vires minoris superauit. Huic gladiatorum spectaculo ludi funebres additi pro copia, & prouinciali & castrensi apparatu.

## DE MONOMACHIA IONATHÆ IVdæi & Pudentis Romani. XXIII.

IIsdem diebus, quidam ex Iudæis, vir & corpore breuis, & vultu despicabilis, tamq; genere quam rebus alijs vilissimus, Ionathas nomine, progressus ad Ioannis Pontificis monumentum, cum alia multa superbè ad Romanos prolocutus est, tum quem fortissimum haberent ad singulare prœlium prouocauit. At qui contra stetere, multi quidem dedignabãtur: erant aũt inter eos (vt assolet) etiã qui timerent: quosdã verò nõ inconsulta mouebat ratio, cũ mortis cupido non debere confligere. Nam qui de salute desperassent, eos neq; cautos impetus habere, neq; Deũ vereri: & cũ his in discrimẽ venire, quos neq; vincere magnũ sit, & vinci cũ dehonestamẽto periculosum;

losum, non fortitudinis sed ferocitatis videri. Quum autem diu nemo procederet, multumque Iudæus eorum timiditati illuderet, homo arrogans, & superbus, Romanus ex ala equitum nomine Pudens, insolentiam eius exosus, fortasse autem etiam corporis breuitate sublatus, inconsulte prosilijt: & cæteris commissa cum eo pugna risum præbuit, à Fortuna proditus. Lapsum enim Ionathas interfecit: deinde pede supra mortuum posito læua scutum, dextraq; cruentum gladium coruscabat: armisque cum fremitu concussis, exercitui & iacenti insultans, spectantes Romanos increpabat: donec eum tripudiantem & vana iactantem, Priscus centurio sagitta transfixit: eoq; facto, & Iudæorum & Romanorum clamor varius excitatus est. Ille autem dolore in vertiginem tortus, supra corpus hostis incubuit: belliq; felicitatem ratione carentem, quam velox vltio sequeretur ostendit.

## *DE PROVOCATIONE AD DVELLVM Petri Aragonum Regis & Caroli Andegauensis.* *XXIV.*

ANno cIↃ. CC. LXXXII. cum inter se de regno Neapolitano bellum gererent grauesque exercerent inimicitias, Petrus Aragonum Rex, & Carolus Andegauensis; placuit tandem duello rem decidi inter Petrum & Carolum: dictusque ei rei dies ac locus Burdigalæ in Vasconibus, captus etiam iudex, vt rei bellicæ iurisq; equestris & militaris peritissimus fideique incorruptæ & in neutram partem inclinantis, Rex Angliæ. Venit ad condictum vterque, sed vt nunc dicam: Carolus toto fere die instructus armatusque hostem intra septa exspectauit, tandemq; illusum se credens ad sua decessit; Petrus vero eo iã digresso ante solis adhuc occasum aduolat ad designatum pugnæ locum, ibique adstantium fidem appellat, & testatur, per se non stetisse quo minus verba & pacta ad rem collata, & factis exęquata sint. Sed Pontifex maximus ratus ad iniuriam non minus suam quam Caroli Andegauensis pertinere hanc elusionem aut illusionem potius, pronuntiat Petrum regno Neapolitano per vim & nephas potiri, eumque arcet communione ecclesiæ; iudiciumque contra illum dat vt contra clientem ecclesiæ ingratum & rebellem; auito quoque regno Aragonico ei erepto, & Carolo Valesio Comiti fratri regis Galliæ attributo, cum ante subditos sacramenti lege soluisset quod prius regi suo Petro dixerant

*DE MONO-*

## DE MONOMACHIA HERCVLIS Estensis & Galeatij Pandonij.

### XXV.

ERat Herculis Estensis nomen magnum in regia aula Neapolitana; cum quia in omnibus ludis militaribus equestrib. qui tum huic regno familiarissimi & maximè solennes erant magnum virtutis specimen dabat, omniq; armorum genere dexterrimè vtebatur; tum quia iuuenis adhuc Galeatiū Pandonium nobilē Neapolitanū expertæ virtutis virum in harena Neapolitana, siue circo ad monomachias & singulares pugnas strato, armis contra steterat. Erāt aūt tum in Italia plura huiusmodi loca libera, vbi duello cōtrouersiæ quacunq; de re decidebantur: sed q̄ fere omnia initium & exemplū sumerent sumpsissentq; à Neapolitana harena, tota Italia, imo Europa nobilissima. meminit etiam Saxonica historia huiusmodi siue circorum siue harenarum gladiatoriarum, in quibus de vita & capite decernebatur inter duos; vbi narrat Sibaldum cum ad singulare certamen Haldanum quendam prouocasset, secessisse solum cum solo ab oculis vtriusq; exercitus in vicinam siluam, cuiusmodi deinceps loca similib. pugnis idonea habita sint; & præter alia frequētata ac sanguine imbuta fuerint. sed vt ad Herculē & Galeatium redeat oratio, sumpserant hi singuli singulos secum comites, testes futuros certaminis; harenamq; ingressi ex equis suis depugnarunt, pugnam gladiatoriā tantum; confirmante Aequicola victoriam penes Herculem, cuius leuiter vultus perstrictus erat, victoriam fuisse; Pandonio duobus grauib. vulnerib. affecto, cum rex de pugna eorum certior factus, misit subito qui eam dirimerent.

## DE MONOMACHIA CONDICTA Ducis Boemiæ, & Ducis Lanclastriæ.

### XXVI.

ANno cIↃ.CCC. LII. IV. Sept. duello certaturi erant Parisijs præsente Rege Dux Boemiæ & Dux Lanclastriæ Anglus ex prouocatione; qua Boemus Anglo diem & locum eum certaminis designarat; tanquam ei, qui sequius quàm debuisset de eo esset locutus. sed Rex quamuis hostem Anglum, & qui accepto commeatu eo venisset, non est passus tamen cum aduersario congredi, verum cum iam sacramentum solenne huiusmodi pugnis dixisset vterque, & inibi esset res vt congrediendi signum daretur; interposita auctoritate sua negotium sine cæde & sanguine inter partes composuit.

## *DE MONOMACHIA IAQVETI GRISI & Ioannis Carongij* CIↃ.CCC.LXXXVI.
## *XXVII.*

PEr eam tempestatem, duo, ex familia Petri Alenconij ducis, proceres, Iaquetus Grisus, & Ioannes Carongius, singulari certamine Parisijs dimicarunt. Dimicandi hæc causa fuit. Erat Ioannes, eques, multa cognoscendi auidus. Ob id incidit illi animus, peregrinandi. Relicta igitur Argentolij, in Persico, vxore: vt constituerat abijt. Iaquetus autem Grisus, vel quod mulierē, quæ formosa erat, amabat: vel quod Ioanni nocuisse aliquando gauderet: diluculo surgens, Argentolium, mira festinatione, contendit: vbi liberaliter exceptus, dicit, videndę arcis causa aduenisse, quàm longe speciosissimā esse acceperit. Ioānis vxor, amicum viro suo hominem, reserato ostio in arcē sola intromittit. At Grisus, solitudine loci, audacior factus, renitentem fœminam stuprauit: statimq; libidine expleta, abeunti Griso, tu, inquit vxor, fœdissime adulter, stupri pœnas aliquando lues. Flagitium autem in aduentum mariti celauit mulier. Cui tandem reuerso, Iaqueti violentiam, mœrens detexit. Qua re turbatus Ioannes, assumptis secum aliquot ex suis & vxoris amicis, ad Ducem Alenconiū rem omnem defert, petitq; aut adulterum corripi, aut in certamē descendere, pugnæ sortem experturus. Id vbi Dux non admittit, ad regiū Parlamentum querelam retulit. Diem certamini senatus edicit. Carolus Rex, ex edito solio duellū spectauit. Venerat quoq; Ioannis vxor, curru vecta, ad quam vir accedens: *Tu*, inquit, *mulier, vnica testis ades, illati in te stupri, cuius gratia duellum hoc ipse assumo. Dic palam, si iuste adulterum aggredior. Mi vir*, ait vxor, *meæ in te fidei securus accede, nihil tibi mentita sum.* Ad hæc verba, osculo vxori dato, Carongius in duellum procedit. Qui equestri congressu mox in femore vulneratus, nec propterea segnior factus: in pedes desiliens, adulterum humo prosternit, atq; occidit. Quem carnifex ad patibulum tractū, sublime illaqueat: Carongium autem mille Francis: & annuo ducentorum Françorum stipendio Carolus donat. Hac sorte interijt fœdus adulter.

## *DE PVGNA EX PROVOCATIONE INTER Christianos aliquot & Mauros anno* CIↃ.CCC.XC.
## *XXVIII.*

BEllo sacro quo a nostris Aphrodisiū (Africam vulgo vocamus nos, Mauri Mahadiam appellant) obsessum; Saraceni dolētes se, cum triplo plures essent, Christianis tamen pares non esse; constituerunt saltē pauci cū paucis discrimen subire, vt ita alijs animi augerentur. nominatimq; Agadinquorius Oliphernes, Madifer Thunetanus,

netanus, Belinus Maldagius, Brahadinus Dougius, alijq; antesignani Maurorum in hac erant sententia. qui Agadinquorius interprete adsumpto relictis suorum ordinib. prodit in campum mediū, significās nutib. velle se cum aliquo de Christianis loqui; quo animaduerso Affrenalius eques Gallici nominis iussis subsistere socijs ad Maurum adequitat; cui eius interpres; si inquit à stirpe nobilis es, est de quo tecum agamus pluribus. confirmante autem Affrenalio se ingenua & nobili stirpe editum; Ergo, inquit, hic Maurus etiam domi nobilis ꝓuocat te ad singulare certamen, & si alios etiā admittere voles, inuenies decē ex nostris cum totidem vestris paratos de religionis negotio & causæ in hoc bello bonitate armis deceptare: quo audito Affranalius, iube, inquit, conceptis verbis iurare Maurum ab hoc incepto dolum malū absuturum, & intra horas quatuor sistam hic tibi me cum nouem alijs ex nostra nobilitate, paratis eius sociorumq; desiderio satisfacere. Iurat lætus Maurus, atq; ita pugna condicta deceditur; reditq; ad suos Affrenalius; ex quibus Guido & Guilelmus Tremolij intellecta re inter decem nomina sua ꝓfessi sunt, vt & mox Dynasta Thimius, Dynasta Bouciquautius iunior, Helionius Lignacensis, Ioannes Roussclius Anglus, Ioannes Harpedonius, Alanus Boudetus & N. Bouchetus; qui omnes statim arma sumpserunt: dolentib. multis alijs non se ex eo numero quoque esse, qui iustissimum religionis negotium cum summa nominis sui gloria dextris & virtute sua vindicarent. Solus Coucyius dynasta condictum non probabat; nam quid, inquit, necesse est nobilissimos de nostris obijcere Mauris, quos nos scire non possumus cuius sint conditionis, quiq; vel vilissima capita obtrudere poterunt, vt eorum sanguine nostrorum damnum ematur. nihil hic video non temeritatis plenum, p̄sertim cum leuis & infida gens etiam fortasse in insidijs subsederit, nostros ab alijs quā ab antagonistis suis securos obtruncatura. Quidqd huius est, nihil suscipi debuit tale inconsulto Duce Borbonio summo Imperatore nostro, cum quo hoc negotiū iam nunc cōmunicabo, dictum, factum; itur ad tabernaculum Borbonij, vbi iam consederant qui concilio militari interesse debebant & solebant, deliberaturi quid facto opus esset; Re autem intentius examinata, quanquam contra nitente Coucyio, decretum est vt ex condicto pugnaretur; omnisq; exercitus in armis esset, & in aciem educeretur, vt si fraus subesset cœpto Maurorum, occurri ei & resisti in tempore posset. Procedunt igitur Christiani decem Duce Guidone Tremolio, & relictis in acie suis ad pugnam condictam exeunt, sed frustra: Mauri enim videntes fiduciam nostrorum, nullumque locum fraudi relictum, de virtute sua desperantes cōdictum à se potissimum certamen turpiter non obierunt.

## *DE SINGVLARI PAVCORVM CERTAmine in Scotia anno* CIↃ. CCC. XCVI.

## *XXIX.*

DVæ in Scotia potiſſimum familię inſignes inimicitias, inſigni crudelitate, exercebant. Hi cùm, neque iure de controuerſijs deceptare, nec amicorum arbitrio eas committere vellent, miſſi à rege, ad eos pacandos, duo comites, Thomas Dumbarius Morauiæ, & Iacobus Lindeſius, patre defuncto, Crafordiæ, tùm animaduertiſſent, gentem ferocem, neq; voluptatis modo, ſed etiam mortis contemtricem non poſſe domari, ſine magna bonorum virorum ex aduerſo cæde, rem aſtu tractare inſtituūt. Igitur ſeorſum principes eorum allocuti, ante oculos ponunt, quantum vniuerſis periculum, ex mutua inter ipſos cæde, impēderet: nec, ſi altera familia alterā penitus extinxerit, id ſine grauiſſimo vincentiū damno, poſſe euenire: nec, ſi poſſet, ibi certaminum finem fore: quippe, cum victori, multis congreſſibus debilitato, bellandum aduerſus Regem foret: qui quam infeſtus eſſet vtriſque, vel ex eo intelligi poſſe, quod ad vtroſque, adhuc incolumes, delēdos, ipſi cum copijs miſſi ſint. Verum, ſe ſalutis quam ſanguinis eorum cupidiores, ſi audire vellēt, rationem inituros, vt nec inhoneſtè, nec inulti, nec inuito rege, pacificari poſſint. Id cum audire cuperēt, cōditio proponitur, vt ex vtriſq; triceni, enſib. modo armati coram rege decertent: victis, impunitatē præteritorum fore: victoribus, decus, auctoritatem, regis etiam & procerum gratiam. Cum ea conditio ſatis vtriſq; placuiſſet, dies certamini dictus eſt, quo die, cum principes familiarum cum ſuis in aulam conueniſſent, campi ad Septentrionale vrbis Perthi latus pars, foſſis præaltis à reliquo ſecluſa, eis ad congreſſum aſsignatur, ſtructis circa ſpectaculis. Cùm multitudo ingens hominum ibi conſediſſet, mora pugnæ paululum facta eſt, quod ex alteris tricenis, vnus metu latuiſſet, nec pauciores, aduerſus plures decertare vellent: nec reperiretur, qui in abſentis locum ſuccederet: nec ex aduerſa factione quiſquam, eximi ſe numero pugnatorum, pateretur, ne velut à propinquis contemtus, ac reiectus videretur. Tandem ſellularius opifex prodijt, ac, ſe in abſentis locum ſucceſſurum, eſt profeſſus, ſi aurei ſcutati Gallici dimidium repræſentaretur ſibi victori, ac in poſterum, donec viueret, de victu caueretur. Ita, rurſus æquato numero, certamen initur: ac tanta corporum animorumque contentione pugnatur, quantum efficere poterat odium vetus, nouis detrimentis inflammatum, in hominum ferociſsimorum crudelitati aſſuetis ingenijs: & victori, res decusque, victo, mors & ignominia propoſita. Nec minor ſpectātes horror, quam pugnantes furor

tenebat,

tenebat, deformes corporum laniatus, detruncatosq; artus, & in hominis effigie, rabiem ferarum detestantes. Illud autem in primis ab omnibus est animaduersum, quod nemo se omnium fortius gereret, quam suppostitius ille & mercenarius bellator, cuius opera maximè victoriam partam existimant. Superfuerunt enim certamini, ex ea, cui se ille addixerat parte, præter ipsum decem: sed omnes, magnis vulneribus grauiter saucij. Ex altera factione, restabat vnus, qui, cum corpus adhuc ferro haberet intactum, iniquamque certaminis fortunam sibi videret obiectam, in Taum flumen propinquum se coniecit, ac aduersarijs, quo minus eum sequerentur, ob vulnera tardatis, in aduersam ripam euasit. Hac ratione, ferocissimo quoque cæso, multitudo sine ducibus relicta, in multos post annos à tumultuando, regressa, ad agriculturam redijt.

## DE CONDICTO DVELLO INTER COmitem Marescallum, & Comitem Erbyensem. XXX.

ANno cIↃ. CCC. XCVIII. Comes Marescallus accusauit apud Regem Richardum Angliæ, Comitem Erbyensem læsæ maiestatis, oblato neganti duello; quod Erbyensis, cui insignitè iniuria fiebat, à calumniatore Marescallo auidè accepit, multum indignante Rege ausos huc audaciæ descendere proceres sibi subditos & sanguine etiam coniunctos: quibus de concilij sui sententia denuntiari iussit, ne se inconsulto Anglia excederent. Cui mandato cum se parituros illi significassent, Comes Erbyensis datis vadibus patre suo Duce Lanclastrio, patruo Duce Iorchensi, & Comite Northombelandiæ, Londini exspectare negotij eius finem constituit; Comes Marescallus mittitur in arcem Londinensem, quam illi turrim vocant. ibique viuere iubetur; nec segniter tamen interim vterque præparandis ad pugnam necessarijs intendit: nam Erbyensis Comes misit legationem ad Ducem Insubriȩ Galeatium, arma petitum; cui liberaliter dux electionem omnium eorum dedit quæ in armamentario suo habebat; optante pro Comite & designante ea quæ maximè complacuissent quodam Francisco nomine, domestico eius, & inter alios ad hāc rem ad Ducem Mediolanensem misso. vltroq; quatuor homines qui maximam peritiā fabricandorū armorum habere credebantur in Angliam ad comitē misit, vt præsenti ipsorum opera vbi collibuisset vteretur. Ex parte altera Comes Marescallus ablegauit certos homines in Germaniam ad eos à quibus adiuuari se posse existimabat; sed vterque apparatus frustra fuit: nam Rex tandem prudenti vsus consilio

consanguineos proceres Oedipodionio certamine abstinere iussit, & in temeritatis pœnam vtrunq; exilio mulctauit: Erbyensem quidem Comitem decēnali, Marescallum verò perpetuo, & dum viueret. cui sententiæ partes necessario parentes diuersæ in Galliam & Flandriam ex Anglia abierunt.

## DE DVELLO ANTONII MARIÆ & Georgij Gombergij. XXXI.

BEllo quod Sigismundus Austrię Dux cum Venetis gessit, singularis pugna satis celebris & memoranda fuit, duorum ex vtroq; exercitu virorū fortium: qui ex prouocatione in Pratalinis campis circa Athesim permittentib. Imperatorib. in singulare certamē prodiere. Ex Italis Antonius Maria Ruberti Seuerinatis filius, ex Germanis Georgius Gōbergius; ambo militari gloria, & ætate florentes cōcertatores fuerunt. Equestris primum inter eos pugna commissa; qua hastis ex aduerso infestis acerrimè vtriq; cōgressi sunt: mox ex equis desilientes pedestre prœlium capessunt: gladioq; aliquandiu vsi parem virtutem facile ostenderunt. Postremo abiectis gladijs sese consertis manibus complectuntur, amboque post varios conatus, ac pedum, membrorumque laboriosam concertationem in latus concidunt: hic Germanus aliquanto humi depressior pugione quo se in vsum hunc accinxerat, bis infra inguina Seuerinatem improuiso sauciat: confecissetque haud dubiè inermem repetitis ictibus, nisi ferox alioqui iuuenis se victum dolens, frendensque voce declarasset; attollentes itaque se ambo è certamine discedunt: Seuerinasque ad victoris libitum in castra hostium equo sedens perducitur, ac mox in libertatem restitutus ad suos redit.

## DE MONOMACHIIS SCANDERBEGI cum tribus aduersarijs. XXXII.

REuerso Adrianopolim Scāderbego quum foris sublatus esset hostis, domi non defuit, venerat namq; ex Scythia quidam ferox magis & insanus, q̄ fortis bellator, qui familiam omnem Tyranni prouocabat, si quis ferro secum vellet decernere. Genus verò certaminis id proposuerat, vt in angusto loco nudi ambo relicti, singulis tantùm gladijs fortunam experirentur. Ceperat tam stolidum consilium Barbarus, vel quod prodigus vitæ & sanguinis sui esset, vel ea fortasse inani spe, quod nullū tam ancipitē impēdentis periculi sortem petiturum credebat. Indeq; & laudē eam se & pręmia sine certami-

certamine laturum sperabat. Nam proposuerat non indigna quoque munera victori Amurathes, vt illorum saltem spe excitaretur aliquis, quum nudæ tantùm gloriæ fructus segnius alliciat homines. Omnes tamen tam funestum decus, præmiaq; eodem tenore aspernabantur. Sed surgens, stupentibus singulis, plenus animi Epirensis: Non incruentus, inquit, Scytha, hæc præmia laudemq; domum feres, aut honoratior me occiso, & ijs quoq; spolijs onustior ibis. Agedū igitur, accipe tam diu quæsitum hostem. Licet accommodatius feris bestijs hoc certaminis genus, sperni à fortib. viris, saluo pudore, & possit, & debeat: veruntamē liceat semel & mihi hoc corpus cōtemnere, quippe quum par membrorum & sanguinis seruandi ratio tibi esse debuerit: sed nihil vilius est homini quærēti laudē. Donabo proinde hoc & ipse cruoris hodie Amurathi, socijsq;. Scytha nihil territus, ferocioribus adhuc verbis inijcere pauorem ei conabatur, puerum appellās. Adhuc enim in annis pubertatis erat, neq; dū hispida prorsus lanugo grata ora exasperauerat. Tum deducti ad Tyrannum ingēti clamore vulgi sunt, & assignatus, vt petierat Barbarus, certamini locus, deposita ocius ambo veste, vltimisq; tunicis, nudi prosilientes in medium, nouo genere spectaculi omnium oculos hausere. Et quāuis fiduciam ingentē vultu, verbisq; ostenderet Castriotus, ingens tamē cura mixto dolore spectantium animos incessit. Et simul ætas, simul pulchritudo ipsa corporis, ac decor membrorum subiectus oculis, multū & pietatis & fauoris excitauerant. Statura celsa, proceraq;, brachia in homine pulchriora non visa, collum robustum obstipumq;, vt laudatur in Athletis, humerorū mira latitudo, color candidus, latenti velut purpura suffusus. Aspectus oculorū non toruus, non vanus, sed gratissimus. Adiuuabāt hæc multum cæteras virtutes, atq; animi bona augere videbantur. Intrepidi acceptis breuib. gladijs, non enim longiores loci angustia patiebatur, ingressi locū, ac ibi dimissi sunt maximo populi silentio. Nō cōsilio vllo ibi, nō multum animo, sed impigra quadā & veloci dextera agendū erat. Erecti ad ictus ambo, Scytha prior incubuit in hostē, & punctim intēso ferro ilia eius petijt. Scanderbegus toto maxime corpore inflexus, ac velut in arcum deductus, & leua simul apprehendēs barbari dexterā, ictum inhibuit, & adacto cæsim gladio, guttur illi cū singulis arterijs impigre abscidit. Balbutienti adhuc lingua, ille collapsus humi locum fermè totum corporis mole cōpleuit. Sublatus repentè ab his, q spectaculo aderant, & accurrentes regij iuuenē illęsum inuiolatumq; læti ad Amurathem perducunt. Caput cæsi hostis cruentis ipse manibus Tyranno alacer obtulit. Præmia inuitus accepit, quum non argenti aurive causa, sed domestici decoris tuendi, & reprimendæ Barbaricæ arrogantiæ, susceptum sibi id oneris diceret.

Magis

Magis itaque ea modestia acuebat in se studia. Et quod apud sui generis homines plus nimio enitescens virtus parturiebat inuidiæ, liberalitas naturæ & dexteritas ipsa ingenij amouebat.

Haud pigebit referre & illud, quod nihilo minori laude dignum ijsdem animis, armisque edidit: nam profectus cum Amurathe in Bithyniã magis solatij, quàm belli causa, quum in Bursa ciuitate essent, quæ nunc est Asiatici imperij caput, duo ex Perside viri, tum ex more gentis insigni vestimentorum habitu, tum egregia figura corporis, ad Tyrannum aduolarunt, Iaia & Zampsa eorum nomina erant; stipendium ab eo petiere, impudentia magis quadam, quàm fiducia virtutis, agentes alter alterius causam, & facta extollentes sua, ac mutuis se iuuantes testimonijs. Postremò Zampsa minor natu, ne appositis tantummodo inquit ad hoc ipsum verbis, Magne Rex, stipendia tua petituri venisse videamur, & in ea incertitudine rerum inanis aliqua arrogantia in nobis, & sordida temeritas arguatur: En daturi vltrò tibi sumus experimentum cupidorum saltem, ne dicam magnorum animorum. Quotquot homines fortissimos viros inuitamus, vt ferro iudicent nos dignos, indignósve, qui tuis viuamus auspicijs. Equũ tantum, gladium, lanceam, scutumq;, ac reliquum corpus omnib. armorum præsidijs nudatum ostentantes, ita se dimicaturos dixere. Amurathes (vt facilis erat) allocutus benignè homines, promisit, nihil eis apud se defuturum. Deinde circunspectans hinc inde, expectabat, si quis eam prouocationem acciperet. Sed vbi velut obmutuisse omnes vidit, & tacitam præberi à suis confessionem ignauiæ, ignominiam ratus suam, si ita inulta ea Persarum insolentia abiret. Conuersus ad Scanderbegum, non ignorans quæ eius ferocia atque ingentes spiritus erant, licet præcipuam periculi sortem omnino tamen petiturum ratus: Quid expectas, macte virtute, ait, fili? Tua hæc laus, hæc te manent præmia. Age insignem adolescentiam hanc, & inuictam dextram hodierno quoq; spectaculo redde. Nihil moratus Castriotus, deosculatur ex more Principis pedes, equum & arma poscit, eductusq; maximo plausu vulgi in patentem campum, qui destinatus certamini erat, hostes ad se vocatos, intrepidè interrogauit, quem ordinẽ vellent seruare in dimicando. Statutum est, vt Iaia prior experiretur fortunam, qui victor finem certamini faceret, victũ verò socius in quencunque casum sequeretur. conditionem non recusauit Scanderbegus, licet circunfusi regij iniquum dicerent, vt idem, si vicisset, fessus & saucius fortasse, recẽti atque integro subijceretur. Summota postmodum ex loco turba, præco signum dedit, concurrunt concitatis equis viri. Persa infixa scuto hostili cuspide magna vi incumbẽs, vt ex equo illum deijceret, hastam perfregit. Epirensem capiti tantummodo hominis

minis intentum ictus omnis fefellit. Itaque vterque eluſi, gladijs tum demum congreſſuri, hinc inde abibāt. Sed impatiens animi Zampſa, non expectato ſocij euentu, infenſa cuſpide Caſtrioto occurrit. Ille nō ignaua verborum contentione eo periculi tempore perfidiam hoſtis accuſandam ratus, impigre ad nouos ſe ictus accingens, iugulum venientis ſcrutatus lancea transfixit. Vix eo humi collapſo, aduolās Iaia, horrenda voce compellans hoſtem, ſtricto gladio fermè oppreſſit. Victor gyrato ocyus equo ad eum conuerſus, nudato & ipſe ferro impetum venientis excepit. Et dum triplicatis hinc inde ictibus, alter alterius cruorem haurire contendit, Scanderbegus dexterum viri humerum, qui collo iungitur eodem tenore ictus ea vi cæcidit, diuiſitque, vt duplex quaſi domini cadauer ea die infelix traxerit equus. Sic duo fortiſſimi viri ſub vnius manu maximo ſpectantium gaudio cecidere. Sed & ſi eo fato erepti forent, Amurathis certe indignationem nō effugiſſent, qui tam perfide, & proditorum more, militē ſuum circumueniſſent. Ductus ad Regem Caſtriotus eſt, ſicut duplici ouans victoria, ita duplici capite onuſtus. Iam priores res omnes bello geſtæ, Iam recens Scythæ memoria præ noua gloria euanuerat. Rex, purpurati, ac ſocij deinceps omnes varijs donis cumulatiſſimè honeſtarunt, vindicem atque auctorem publici decoris eum appellantes.

## *DE MONOMACHIA CLARAGVSII & Pauli Maneſsi.* XXXIII.

DVm inſtructa acie Caſtriotus immota ſigna, & ſilentio militem contineret, expectans vt ſe hoſtis moueret, Barbarus à reliquis copijs euectus (Claraguſio nomen erat) in medium, quod vacui interiacebat campi prouocationis ſignum dedit. Deinde progreſſus ante ipſas ſtationes, inſigni voce fortiſſimum quenq; popoſcit, qui ſecum ſingulari certamine decerneret. Tenuit ſilentiū primo viros, quippe quos ſicut à detrectando pudor, ita ab accipienda conditione metuendum pugnæ genus impediebat. Non tulit tamen diutius inſultationem Barbari, Paulus Maneſſi, notus equeſtri gloria bellator, quum & ad idipſum omnes ordines ſpectabant, velut potiſſimum illum ea appellaret prouocatio. Sed ſurgens ingenti ferocia, lætitiaq;, ad Scanderbegum, voluntatem eius ſciſcitaturus, ire perrexit, à quo laudatus egregiè eſt, & accenſus grauiorib. ſtimulis irarum ſimul ſpeiq;, Pergeret ſecundis dijs, tum ad priuatum decus petendum, tum ad inſignem ſociorum victoriam, eo prǣclaro facinore auſpicandam, quem cæteri poſtmodū imitentur, & lætus exercitus pulchra recentis eius gloriæ auſpicia ſequatur. Circūfuſi igitur vndiq; turmales, velut

iam inde victorem laudare. Ille tantũ moratus, dum arma, & soliti ad id genus certaminis apparatus expedirentur, mox equum conscẽdit, & in subiectum prouolans campum, expectantẽ hostem infesta voce cõpellat, & ad ictus se parare iubet. Barbarus aũt tantulũ moræ petẽs, dum loqui pauca sibi cum eo liceret: victoriam, inquit, dextera & fortuna decernet, leges ipsæ victoriæ nobis sunt statuendæ. Si gloriam de me hodie tibi ꝓmisere fata, nihil recuso victus belli iure, & opima spolia tibi, & cruentum cadauer auferas. Sin ipse sub manib. meis occumbes, idem iuris seruari mihi in captiuo corpore posco. Idq; ratum habeant duces, ne vel in ipso certaminis ardore, vel post decretũ duellũ, motus aliquis oriatur à stationib. ad adiuuandam alterutrius fortunã. Ad ea Paulus, comprobatã esse eius pugnæ legẽ, quam ipse velut timido desiderio seruari postulet sibi, cedere aperto iure victori reliqua, vbi ferox spiritus cesserit. Pugnaret intrepidè, hostem nisi se tantum habiturum, quẽ vbi spoliasset vita, inulti quoq; cadaueris liberã potestatẽ futuram. Nam vel si ipse concedat eas inanes reliquias militũ lachrymis, non passurum Scanderbegum, vt ignaua mẽbra ad se deferãtur. Mouit Barbarum audax viri responsum, & facilis vitæ cõtemptus, adeo, vt prouocasse fermè pœniteret. Tũ vbi firma omnia & rata sanxere duces, destituti in medio ambo, omnium in se oculos conuerterũt. Defixerat pauor mixta spe homines, qui ad spectaculum aderant, solicitos euentuũ. Pares namq; visu ambo ac specie erãt, media virorũ statura, ętas fermè eadẽ, neq; patiens ignauiæ, neq; iuuenili calore vana. Idem ambob. habitus armorũ, hastæ equestres, clypei laminis ex chalybe in vmbilico distincti, ensis vtriq; de more recuru⁹, & ferrea claua, corpora loricis, & capita galeis tecta. Addebant ꝑterea decorẽ quendã (licet nihil ad victoriã facerent) fulgentes ex serico tunicę. Citatis itaq; ocyssime equis, trucib. oculis simul & animis campum diuersi rapiũt. Et quum infestis cuspidib. concurrissent, Paulus supra scutum, dextrũ oculum rimatus, Barbarum hasta transfixit. Delapsumq; humi cũ vulnere, ex equo desiliens, armis corpus, & capite truncum priuauit, ac cæsi hostis onustus spolijs, equum cõscendens, ad suos redibat, quem effusi vndique ex stationibus milites ingenti gratulatione perducunt ad ducem. Collaudatum eum Scanderbegus mox insigni chlamyde ex auro contexta, ac villa quadam opulenta publicè donauit.

## *DE MONOMACHIA CASTRIOTI ET Feribassæ. XXXIV.*


Eribassa eo insolentior instabat, & crebro ad suos conuersus: Inferte pedẽ, clamabat, socij, vtimini Dijs ꝓpitijs, vtimini victoria, dum torpent hostium gladij, dũ senescunt vires. Petite deuo-

deuota vobis capita Exscindite scelerata ferro pectora. En quã ignaua vndiq; omnia. Vix hostile quidquam aspicimus in hoste. Non vultus hominibus, non vox, non motus aliquis, index animorum apparent. vel protrahunt fortasse in noctem certamẽ tenebris assueti prędones. Vobis aperta luce est vtendum, & è manib. hostium ea consilia extorquenda. Nunc & virtute & numero superamus. Nox expectata, & plurib. pauciores, & ignauos fortib. est æquatura. Sed quid hos increpo? qd insequor? q velut æstus maris subito cessabunt, vbi ꝓcellam sustuleris. Abscindendum caput ipsum, cæterorum sicut vilis, ita facilis sanguis. vbi est nephandus transfuga ille, tot autor malorum? quẽ incruentis vobis, si eum mihi aliqs hodierni prœlij offerat casus, solus conficere cupio, & elatã tantis latrocinijs feram sociorum mactare manibus. Longum hoc desiderium meum, nõ noua aliqua & subita libido certaminis est, milites, iamdudum est qđ hoc cogito, animumq; meũ istud iamdiu solicitat certamẽ, & scelerati hominis suppliciũ, experiri iuuat, an & hoc ferrum nocere possit? An penetrabile corpus illi, vnde ea virium vis, & in quo felix tamdiu bellator iste cęteros superet mortales. Hæc vociferans, minus q̃ ducem decet, perlustrabat passim oculis, sicubi eum conspexisset, & abalienato à reliquis animo, solum manu, solum voce poscebat. Milites non inuiti audiebant hominem, & licet inuicta omnib. ducis nostri virtus videretur, expectabant tamen intenti (vt auidum est vulgus rerum nouarum) tam pulchrum spectaculum cernere, sperãtes ꝑterea alterutrius victoria finem sibi eius diei potius laboris ac sanguinis futurum. Multi tamen, quib. maior rerum cura, & honoris incesserat ratio, lenib. nequicq̃ alloquijs, ne ignauiã tacitè imputarent viro, summo studio singulare illud certamẽ dissuadebant. Perniciosam æque ac nullius exempli rem esse dicentes, vt duces ipsi eius rei ꝓberent spectaculum, cuius deberent esse spectatores. Militares esse eas contentiones, & priuatorũ munia. Imperatoris partes magis in consulendo & imperando, q̃ dimicando sitas esse. Nõ defuturos plures alios (si res ferat) q intrepide id muneris obeant, ne ipse ea ferocia & auiditate periculi, possessum iamiam decus & certã victoriam aleæ cõmitteret. Surdis ad omnia aurib. præfectus, neq; vel tantum salubre consilium ad animum transmittens, vt stolidum ꝓpositum differret, dum signum aliquod bene gerendæ rei à cornib. affulsisset, concitato propere equo, militum stipatus agmine, Scanderbegum clara voce cõpellans, parare se ad pugnam iubet. Ille & si audisset nuper oẽm ferme orationem viri, nihil tamẽ ab incœpto dimicationis ardore auocatus, vel dissimulans regio decore, vel contemnẽs, vix caput cõuertit. Vbi verò & expeditam præ oculis victoriam, & instantem molestius Barbarum vidit, adductis ad eã partẽ militibus, mox &

ipse recenti successu ferocior, ac hostili cruore respersus cõuolauit. Poterat Barbarum is p̄sentis aspectus, poterant fusæ suorum ex laterib. legiones, ac tãta militum iactura cõmouere. Debebat talis fortunæ suæ facies illum perterrere, & extinguere eoipso illi omnem dimicãdi cupiditatẽ. Tamen vel coactus fatis, vel pudore ꝓhibitus à retractando, nihil de pristino animi habitu mutare visus est. Quieuere mox ex omni parte tela, & publicus furor inhibitus à ducibus. Non tumultus, nõ clamor, non hostile quippiam auditum, circumfusi tamen milites ac purpurati circa Castriotum, non precib. modo, sed cõtentione agere, vt manib. suis clamosam beluam illã relinqueret, caput tãtum occisi deberi Imperatori, reliqua omnia sua esse. Magis futurum & ex eius, & Epiroticæ rei dignitate, si sentiat Ottomanus tã pares milites Albanos ducib. suis, q̃ pares Imperatores. Indecorum p̄terea videri tantũ principem eam gloriam rerum gestarum, & tot annorum laudes cum infami Amurathis seruo dimicando in discrimẽ dare, se noui decoris nihil exinde expectare posse, Feribassam illustriorẽ eo facto, q̃ reliqua omni anteacta vita futurũ. Ad ea Scanderbegus mirifice omnium animis ac priuatis in se studijs collaudatis, inter apparandum, q̃ ad id genus certaminis in rem erant: Auertat, inquit, Deus Opt. Max. socij, vt dum hæc dextera ad telum gerendum sufficit, dum viget in corpore tale viriũ robur, extorqueat à me quisquã vestrũ huiusmodi fortunæ euentum, quemcunq; parauerint fata. Seruate in aliud tempus officia isthæc vestra, quũ senem me, & haud satis virib. meis fidentem videbitis. Nunc cauisse potius vos oportet, ne dũ nimio plus salutis meæ anxij estis, laudis videamini inimici. Quid enim, si ad vos (vt poscitis) id periculi trãstulero, dicturus est hostis? nisi tergiuersando apertã timoris dissimulare confessionẽ, quum sentiam me sibi parẽ non esse. Nam (quod ad vos attinet) non priuatorum hæc tantum, sed Imperatorum etiam quandoq; munia esse cõsueuerunt. An pudori Alexandro cum Poro Indorum Rege gloriosa illa dimicatio fuit? An Pyrrho cũ Pantacho duce singulare certamẽ illud vitio dedere veteres? Marcellos hoc in loco, Torquatos, Coruinosq; conticesco, q prouocãtes hostes magna sua ciuiumq; suorũ gloria prostrauerunt. Mea sors hæc, manibus his subeunda, me hostis poscit prodigus minarũ. Me trux belua compellat, ignauus sim, si recusem, ingratꝰ ni tãto hominis desiderio morem geram, satis dignus est, q ferrum hoc sentiat, quem tanto non indignum imperio sensit Amurathes. His dictis, mox vnũ è stationarijs ad Barbarum, vt ad ictus pararet se, mittit. Ipse subinde maximo militum clamore euectus, in destinatum certaminis locũ prorupit. Minus nobile spectaculum fecit, sicut impar hostilis ducis virtus, ita præproperus exitus. Primo nanq; concursu telorũ excepta in faciem cuspide

Feribas-

Feribaſſa, eo ſolo ictu corruens, ſimul & equum & vitã reliquit. Scanderbegus dimiſſo cadauere, ſpolijsque iacentis, ad ſuos reuerſus, inire ocyus omnes pugnam, & inſtaurare vndiq; prœlium iubet.

## DE MONOMACHIA TVRCICI Equitis & Epirotæ cuiuſdam. XXXV.



MOſes, nuſquam interpellato itinere, Dibram inferiorẽ intrauit, iuxtaq; planiciẽ multis prœlijs, Muſtaphea præſertim clade notiſſimam in Epiro cõſedit, nihil quicquam mouens vel ad ſolicitandam, vel deuaſtandam prouinciam, nam & exercitus noſter in propinquo eſſe nunciabatur, & cupienti ſingulari certamine pugnæ auſpicia ſumere, apertiore virtute, & collatis potius ſignis, quã tumultuarie dimicandum cenſebat. Non diu deſideratus Scanderbegus, moxq; ordinata, vt operæprecium erat, acie, & ſtricto quaſi ferro aduolauit, fremebat maximè vulgus, & infrendere dentibus miles audiebatur, vix præ vehementi indignatione, & animi ardore continens ſe intra ſigna. Caſtriotus velut anxius pater, quum inſolẽtem ob oculos filium conſpicit, quem nefaria regnandi libido, & impatiens iugi adoleſcẽtia armauit, percunctatur ſingulos gradus, ſegnius promouet ſigna, & lenibus prius nequicquam verbis depugnare cum filio conatur, ac differt, quo impenſius poteſt, chari ſupplicium capitis, & luctuoſam proprij ſanguinis victoriam. Non ſecus ipſe armatum, & frementem iam Moſen aſpiciens, vrgente pietate, multifariam animum eius interpretabatur. Cupiebat cominus alloqui, & pertrectare aliquantiſper aſſuetum amici ingenium, libenter legatis, libenter pijs conſilijs ageret, ſed neque dignitas imperij, & rigor ipſe militiæ, neque militaris inſolentia, & vibrantes iam gladios turmæ iſthæc fieri patiebantur, dum cõfeſſionem potius ſceleris Deo, quàm timoris hoſti dare malunt. Alia Moſis voluntas, & diuerſa maxime conſilia erant, apparans nanque ſe ad promiſſum Tyranno ſpectaculum, militem iam ad Scanderbegum prouocandum ire iubebat: ſed interpellauit, diſtulitque ducis factum priuata virtus & inſignis Turcæ vnius animus, Ahemaze nomen erat, qui progreſſus ad Dibrenſem: Liceat, inquit, nobis egregie Imperator prius viam tibi eam, quam Dij dederint ad hanc præclaram gloriam aperire, quandoquidem indecorum neſcio quid, & præter ius vſumque militiæ videtur ad ſupremum aciei robur, & caput ipſum belli decurrere, priuſquam leuiore opera auſpicia pugnæ ſint tentata. Acceptus militis animus, & permiſſum vt arma caperet, nunciusque ab alia parte ad Scanderbegum miſſus, qui voluntatem eius ſciſcitaretur, an ſine-

ret,vt priusq̃ ad iactandam totam aleam deueniretur,eo modo virtus vtrinq; & fortuna depromeretur. Viſo nuncio Epirenſis,mutatum (vt optabat) amici ꝓpoſitum putauit,ſed audito demum,abire paulatim ex animo Moſes cœpit,q̃ petita tamen omnia conceſſa. Quin quoſdã ex noſtris militib. reſpondiſſe audio,paratos ſe libenter,ſi mallent, eo dimicationis genere exercitus totos periculo exſoluere. Ita ſimul & nuncius ad ſuos remeabat, & conſurgens hinc impigre miles Zacharias Groppa,veritus fortaſſe,ne quis prior eam ſortem ferret, ad Ducẽ ingenti animo, ac turmalium clamore pergebat. Amplexatus maxime ab eo eſt, & laudata virtus viri. Socij inter armandum non robur maius,non animum illi,nõ ferociorem dexteram, ſed fortunam tantum Maneſij à ſuperis peroptabant. Solitum genus armorũ acceptũ, & alia ſuperne ornamenta, quæ hoſti magis, quàm ipſi animos acuerent. Nulla re inferior Barbarus prior in medium proſiliẽs, quum vix-dum inuẽtum ſibi crederet hoſtem,& armatum, & infeſta iam cuſpide in ſe properantem conſpexit,tum altiore voce compellans virum, & ſatis temporis ad mortem properantib. fore inquiens, peramice ad colloquium inuitauit. Quumq; & nomen & officium militis ſciſcitatus eſſet,demum certamini conditiones ſubnectere ꝑgebat, nõ abſimiles ab his,quas Paulus olim irriſerat. Identidem Zacharias ea velut inania verba ꝓcidens: Optare ſe ait plura capita,quo (ſi ita ſtatuerit fortuna) animum eius cumulatius exaturare queat. His dictis frementes adinuicẽ,& toruis ſe metiti oculis diuerſi abeunt,elongatiq; aliquantum,vt concitari equorum curſus ad ictus acriores poſſent, conuerſa vtrinq; cuſpide effundunt habenas,equorumq; armos calcarib. fodiunt. Neutrum ictus fefellit,effectus tamen vtrinq; inanis fuit: nã lanceæ amborum quum vmbilicos ipſos ſcutorum, quos ferreæ laminæ tegunt,perſtrinxiſſent,ſine vllo hauſtu cruoris ſunt ꝑfractæ. Ipſi quoque eo impetus tenore corporib. ad inuicẽ colliſis,equi,viriq; corruere. Mox illæſi bellatores equis relictis, ſtrictis cominus gladijs acriorẽ ineunt pugnam. Ornare multifariam fortuna id ſpectaculum ſtatuerat,non alteri iniquior magis quàm alteri. Multis nequicquam ſine cruore ingeminatis ictibus, ferrum ambobus è manibus collapſum eſt. Enſium id vitium fortaſſe,qui quum recurui, & graues, equitibus potius parati forent, incommodiores ad pedeſtrem pugnam erant, aut per laſſitudinem forte,vel imprudentiam immodica feriendi cupiditate excuſſi ſunt. Tum abiectis leua ſcutis, velut Athletæ inermes, conſertis manibus, quod ſuper erat virium, exhauriunt. Spectant acies pari lance timoris ſpeique. Vbi vero aliquandiu luctati,certamen interpellaſſent, neque alter alterum loco mouere aut ſternere poſſet,vltimo conatu ad inuicem ſe tollẽtes,ambo eadem ruina corruere. Bar-

re. Barbarus subter resupinus, Albanus in os iacentis pronus incubuit, eductoq; impigre pugione, iugulum rimatus confodit, resolutę tum paulatim manus morientis: Liberq; victor cum ingenti suorũ clamore surgens lętus, ense apprehenso, qui iuxta iacebat, caput spirantis adhuc hostis abstulit, & simul eo, simul reliquis onustus spolijs, pedes ad progressos passim obuiam socios perrexit, nam equi iampridem initio ipso certaminis aufugerant, ambo tamẽ in nostras stationes venerãt, quod lætis animis omen acceperat vulgus. Præmia eadem Zacharias quæ Manesius, à Scanderbego tulit, laudes tamen ab exercitu longè maiores, quod difficultas pugnæ, & varietas ipsa rei augere virtutem viri, & ornare magis victoriæ gloriam videbantur. Interea Moses, licet offendisset spectaculum feroces viri spiritus, & dehortarentur ab ea re ducem, pauentes iam ex socij euentu turmę, citato ocyus equo, in fumantem adhuc sanguine locum prouolans, compellato voce Scanderbego, prouocationis signum dedit. Obstupuere nostri, ac horrore quodam inter homines orto, præ insolentia tam scelerati facti nemo fermè vocem emisit. Nondum omnis à Scanderbego abscesserat pietas, ac reluctatus paulisper secum, domestico fœdare sanguine dexteram nolebat, sed vbi pertinacius instantem, & probra etiam immodice ingerentem vidit, explosum tum omne ius fasq;, & frustra retinentibus suis, atq; transferre in se eam vltionem volentib. plenus irarum in expectantem fertur. Aufugit extemplo Moses, & receptus ad suos, nihil præ verecundia locutus, mouere totius exercitus signa, & apparare ad vltimam dimicationem exercitum cœpit. Scanderbegus cum magna laude, & militum gratulatione reuersus est in castra, neque ingrata omnino ei Mosis fuga. Læta tamen valde regijs fuit, quod imparem eum maxime Castrioto palam dicerent, crederentq;. Ego si initium & insolentiam prouocantis, contraq; fugientis ignauiam, ac exitum rei spectem, credere licet Dibrẽsem, vel promissionis illius pudore commotum, exoluere se eo velut alieno ære voluisse, & præsenti periculo deterritum terga dedisse, vel temeraria & inani quadam ęstimatione id fecisse, putantem nõ egressurum Scanderbegum, id quod ipse postea patriæ restitutus palam confessus est. Nostra quoq; vexilla sine mora vlla promota, & clamor vndique qualis à victore exercitu solet, æditus.

## *DE PVGNA SINGVLARI PAVCORVM Italorum & Gallorum. XXXVI.*



Rdebat, vt si quando antea, pars illa Italiæ graui bello, inter Gallos & Hispanos, auditaq; est interim vox Galli militis insolenter prædicantis, nihil inutilius esse Italo milite, nihil ignauius:

ignauius: quam insignem contumeliam haud sibi ferēdam rati equites Italici nominis, qui cum Hispanis militabant, ad Gallos communi nomine miserunt, qui his significarēt, cupere Italos equites, quando timidi & ignaui essent Gallorum opinione, armis experiri, quid vtriq; alteris virtute præstarent. Responsum est longe aliter Gallos opinari, vt & boni & fortes milites sint Itali, sed si pugnæ cupidi essent, paratos esse cum his conditione certare, vt victor cētum aureos præmiū ferret, victi equitis spolia haberet, & equum quo sederet. Accepit Italus conditionem, lecti sunt vtrinq; tredecim viri fortes, dictusque pugnæ locus inter Adriam & Quadratam. Consaluus Hispanorum dux, peractis sacris, quibus Itali interfuere, sumptoq; modico cibo, euntes in pugnam paucis hortatus est, irent & pro Italo nomine, quod olim maximum fuisset in terris, ac belli gloria maxime inclytum, fortiter dimicarent, futurum vt ea res nō solùm ad communem laudem gentis pertineret, sed ad infringendam etiam Gallorum superbiam, qui omne genus hominum præ se contemnerent. Cum his illi dimissi locum occupant. Processerunt & Galli, sed aliquanto segnius: cæterum quia conditione certabatur, vt quicunq; siue impulsu, siue casu stadij finibus excessisset, pro victo haberetur, eratque locus de industria, ne pugna longius traheretur, breuioribus circumscriptus spacijs: substiterunt Galli primo ingressu, futurum rati, vt si Itali qui in medio steterant campo, temerè in se equos concitassent, suo impetu vltra præscriptum euecti, citra omnem cruorem vincerentur. Sensit Italus inimicorum astum, stetitq; tamdiu immotus, quoad Gallus, longioris moræ impatiens, ex aduerso mouit, tum quia bipertito inde procursum est, Itali & ipsi vtroq; versum concitant equos: breuis & anceps concursus fecit, vt pauci hastas fregerint, quinq; Galli & duo Itali campo exciderunt, equorum impetu metas præteruecti, qui pro victis quieuerunt. Fuit inde atrox pugna, gerebaturq; res gladijs & securibus, cadunt duo ex Italis, equis ab hoste interfectis, attulitq; eiusmodi casus Italo victoriam. Enimuero duo illi quum sese in pedes statuissent, venabulis duobus arreptis, quæ tela in hunc vsum fuerant ab initio illata, momento temporis plures hostium equos vnum post alium confossos sternunt, ex equitibus Gallis vnum interficiunt, tum illi numero & viribus impares facti, victos se clara voce fatentur, duo obstinacius pugnam traxere, fuissentq; haud dubie à pluribus in vestigio cæsi, nisi suorum monitu & hortatione cessissent: perduxerunt Itali captiuos Gallos Barctum ad tubarum & tibiarum cantum pulsumque campani æris, Hispano exercitu prosequente, ciuibus manu & voce fauentibus, testantibusq; præsentem læticiam clamore, Hispani Italiam, Itali Hispaniam clamare, manifesto argumento mutui inter vtramq;

tramq; gentem ſtudij & amoris. Ferũt ex captiuis quoſdam quamdiu apud hoſtes fuere, obmutuiſſe, alios lachrymis tacite manantibus, amentibus & attonitis ſimiles ſediſſe, mille & tercentum aurei nummi bona fide ſunt Italis victoribus repræſentati: fuitq; id certamen prȩſagium verius quam pugna, eorum quæ nõ multo poſt Gallis in eadem Italiæ parte infeliciter acciderunt.

## *DE MONOMACHIA HISPANI ET GALli ad urbem Metenſem anno* CIↃ. IↃ. LII. *XLII.*

EOdem die quo ita acriter velitatum eſt, Hiſpanus quidam ordinum ductor & Legatus Ludouici Dauilȩ, magni vt vocant Commendatoris Alcantharæ, equitum Cȩſareanorum leuis armaturæ magiſtri; homo magni animi & gloriæ cupiditate ardens, cupiens prȩcipuum & eximium ſibi aliquod decus adſtruere, in cuius partem miles non veniret; armis omnibus inſtructus portæ Moſellanæ obequitare cœpit, identidem alta voce quærens, eſſetne in præſidijs illis Gallus aliquis præfectus tam vitæ prodigus qui ſecum haſta concurrere ſuſtineret: ſeſe ecce paratum cum quouis de virtute in certamen ſingulare deſcendere; Quam non ferens quaſi inſultationem Gallicæ gentis quidam regulus Rendanus ex vetuſta & nobili familia Rochefoucaultiorum, impetrata eius faciundi à Duce Guiſio Imperatore ſuo venia, mœnibus ſe effundit. quid multa? concurritur tantis vtrimq; animis, vt præ ſtudio ictu vterq; aberrarit; vnde magis etiam incenſi ira, conuerſis habenis ſecundo equos admittunt; qua coitione etſi equum minus obſequentem haberet Gallus, tanta tamen ipſe dexteritate equi ignauiam ſuppleuit, vt Hiſpani brachium haſta traiecerit, ita vt vſu eius amiſſo Cæſareanus ad ſuos ſe receperit; regio in victoriæ argumentum haſtam aduerſarij in vrbem referente, vbi lætis ab omni multitudine acclamationibus & plauſibus virtus eius celebrata eſt.

## *DE CONGRESSV SINGVLARI EGMVNDANI & Mommorentij, itemq; Lorgij & Valdrai anno* CIↃ.IↃ.XXI. *XXXVII.*

MAſſeriani Cal. Oct. læti ob ſubſidium acceptũ crebrius quàm antea tormenta diſplodere, contrà Cæſariani omnia remiſſius agere, & de expugnando oppido deſperare cœperunt. Verùm ne deficere animo viderentur, miſſo tubicine ab oppidanis petunt num quis illic eſſet qui congredi equeſtri certamine auderet, comitem quidem Egmundum ex ſuis paratum in inſula Maſſeriana fore. Mom-

re. Mommorentius ſe ad hoc certamen offert, ſeq́; præſto fore loco & tempore confirmat. Lorgius ignominioſum eſſe arbitratus, equitem Gallum à Germano prouocari, peditem negligi velut Germano imparem, petit ſitne qui in ſingulare certamen longa haſta velit deſcendere, ſe ad illum excipiendum paratum eſſe: tum ex caſtris Cæſarianis Valdræus cognomento Pulcher conditionem accipit. Mommorencius equo inſidens, lanceam in procinctu habens locum deſignatum petit, Lorgius item cũ haſta longa: vbi aduerſarios paratos inueniunt. Mommorencius & Egmundus infeſtis equis concurrunt. Mommorencius loricam aduerſarij aſſecutus traijcit, ſed lancea fracta nihil amplius nocet. Egmundus ſiue equi vitio, ſiue alia de cauſa, aberrat, aut leuiter certè attigit. Lorgius & Valdræus ſeſe mutuo haſtarum ictibus quot conuenerant, petunt, ſic tamen vt neuter altero ſuperior eſſet: poſtea ſe vtrique ad ſuos recipiunt.

## *DE PVGNA EX PROVOCATIOne quatuor Bituricenſium.*

## *XXXVIII.*

INter hęc dirimitur controuerſia, inter quatuor nobiles Bituricenſes pridem exorta, Turrianum, Sarzæum, Venerium & Galcurium. Primus accerſitur Sarzæus, à quo controuerſiæ initium naſcebatur: rogatur num dixiſſet Turrianum è pugna Papiẽſi aufugiſſe. Aſſentitur ille, & à Galcurio ſe accepiſſe addit. Accerſitũ Galcurium rogat Sarzæus an ne ſibi dixiſſet Turrianum è pugna fuga exceſſiſſe. Galcurius nec agnoſcit, nec inficiatur, ſed, ipſe mihi, inquit, narraſti hoc te de Venerio audiſſe. Confeſtim Sarzæus, Hoc, inquit, etiamnum aio, & confirmo, Venerium mihi narraſſe. Tum Galcurius, Quando, inquit, iudices, ipſemet Venerium autorem profert, nihil neceſſe eſt, me reſpondere. His dictis Galcurius mittitur, Venerius accerſitus negat ſe dixiſſe, & Sarzæum mendacij reum agit. Vt rei veritas illuſtraretur, & calumniæ autor cognoſci poſſet, ſtatuitur vt ſingulari certamine loco cancellis ſepto pugnarent. Regi duellum præſcribendi hæc cauſa fuit, quod tres illi delatores prœlio aberant, ſeque domi molliter & quiete eo tempore tractabant, vt quis in pugna fuiſſet, difficile illis eſſet iudicare. Venerius arma præſcribit, thoracem cum longis femoralibus, manicas loricatas, maniculas militares, caſſidem, gladium præacutum manu dextera, & alium læua. His armis inſtructi à fideiuſſoribus in certamen traducti, & ſuis vterque neceſſarijs ſtipati pro-

ti prodeunt. Venerij Bonouallanus fideiussor erat, Sarzæi Villabonus, propterea quòd Bosius aberat. Post publicam promulgationem, iusiurandum aliasq; ceremonias, certaturi dimittũtur. Summa virtute binis ensibus diu dimicant: sed quum huic pugnæ generi parum assueuissent, tandem illis abiectis se inuicem corpore prehendunt. Venerius iam pugionem manu tenebat, Sarzæus suum vicissim vestigabat, quum Rex, quòd progredi eos nollet, bacillum proijcit: atque adeò à præfectis duelli (ij erant Connestablius, comes Sampaulius, dux Totouillanus, Ludouicus dux Niuernensis, & Mareschallus Annobaldus) dirimũtur, & in suam sedem vterq; reducitur. Regis iudicium tale est, vt inter duellatores pax componeretur, Turriano honor sartus tectus seruaretur, quem Rex confirmat conspectum non procul à se fuisse, quum strenue prœliaretur.

## *DE MONOMACHIA TRIVM HIspanorum & totidem Italorum.*
## *XXXIX.*

BEllo Italico nulli per otium dies acti sunt, nam vtrinq; equites & pedites leuia certamina committebãt. Vnum fuit memorabile, tres Hispani pedites elati animi, Italos ad certamen prouocarunt, nulla quidem priuata simultate: sed vt si essent aliqui Romanæ indolis in Veneto exercitu, contra progrederentur, & paribus armis pro gloria decertarent. Liuianus, quum ea vox à militibus alacriter excepta fuisset, multiq; certatim eas partes deposcerent, totidem manipularios expertæ virtutis emisit: qui breui vno è tribus Hispanis interfecto, cæteris sauciatis & captis, victoriam cum plausu & gratulatione militum retulerunt.

## *DE SINGVLARIBVS ALIIS PVgnis Gallorum & Italorum.*
## *XL.*

ETiam sępe per lusum extra ordinem, interposita fide ab binis vel ternis vtrinq; certabatur, vt tum accidit, cum inducijs vt tuto omnes spectaculo interessent, quatuor nobilissimi ijdẽ atq; omnium longe fortissimi Galli equites, inter quos Ambra peditũ præfectus excellenti virtute iuuenis erat, totidem ex hostibus prouocarunt. Pręferebatur certamini titulus: si qui in vrbe equestri gloria illustres essent, qui pro adamata muliere decurrere, atq; hastã ferro prępilatam infringere vellent, hos contra in stadio parẽ ad numerum sta-

turos Gallos, & suæ atq; alienæ virtutis sine fraude periculum esse facturos. Prodiere Gurlottus Rhauennas, Summontius Neapolitanus, & duo Hispani Vascus Cunnius atq; Guinnea, concursumq; est infestis hastis magno ardore, summis vtrinq; viribus, adeo vt pari virtute, pariq; periculo cõtendisse omnes iudicarent. Summa tamẽ laus haud obscure Cæsarianis cessit: nam cum Summontius, & Vascus superiores euasissent, & Guinnea ephippio fuisset excussus, Gurlottusque & Ambra mutuo ictu penetratis vsq; ad interulam tunicam solidissimis thoracibus, cum vi, tum constantia pares extitissent, nulli dubium erat, si res ad gladios deducta fuisset, duobus in Gallis pessime affectis, qui tum afflicti super stratis & morientibus equis iacebant, victoriam ad Cæsarianos fuisse redituram. Sed statim dirempta est pugna, ne tantæ virtutis homines, qui non hostili rabie, sed ingenuo quodam corporis atque animi vigore concurrerant, postquam primum & maximum vitæ periculum euitassent, non gloriæ, sed fati casibus se obiectare viderentur.

## *DE QVATVOR FLORENTINORVM certamine. XLI.*

NEc multos post dies ab insigni generosoq; certamine Florentinorum quatuor iuuenum inexpectatæ celebritatis spectaculum est editum, quum Ludouicus Martellius inter ciues nobilitate insigni, ac corporis & animi vigore florentissimus, Ioannẽ Bandinum pari virium ac ingenij robore præstantem, quod in castris apud hostes esset, ex prouocatorio libello hostem communis patriæ compellasset, proptereaque eum ad singulare certamen deuocasset in arenam, vt vbi Marte iudice vter ipsorum honestiorem causam tueretur, ostenderet. Conditionem non abnuit Bandinus, dixitq; ei si Martellius sibi ascisceret in eam dimicationem socium, ei se parem hisdẽ instructum armis in stadium producturum, atq; ita Martellius Danthem Castellionum præferocem ex tota iuuentute virum delegit, cui à Bandino oppositus est Albertinus Aldobrandus vixdum pubescens immoderati spiritus iuuenis. Aurantius iuxta castra locum eis sub publica fide funibus circumseptum, triumq; gẽtium præsidio vallatum certantibus præbuit, quum pari numero è Germanis, Hispanisque & Italis delectæ cohortes, pugnantes simul & spectantes ab omni iniuria defenderent. Arma fuere singulis singuli militares gladij, neque aliud tegumentum prçter vnam in dextris ex lorica ferrea chirotecam. Dantes cui sorte ducta par Aldobrandus obuenerat, quanquam circa brachij dextri neruos primo congressu graue vulnus accepisset, hostem in se insano procursu ruentem ea impauidi animi firmitate sustinuit,

nuit, vt ambabus manibus gladium prætendens, in os incumbentis insereret, eumq; euomentem cum sanguine animam extemplo conficeret. Contrario euentu pugnabat Bandinus: nam alternante fortuna Martellio supra oculum vulnus inflixerat, admirabiliq; iudicio & gladiatoriæ artis peritia hostem eludẽs, adacto supra costas gladij mucrone victum & deditum fateri coegerat Sed Martellium relatum intra vrbem vsq; adeo grauis ex aduersa sorte certaminis occupauit dolor, vt angore potius animi quam vulnerum dolore mortem accersisse crederetur. Id certamen sicuti eximiam virilis constantiæ laudem Bandino peperit, ita Danti par fere decus attulisse videbatur, quanquã ille detractis spolijs, planeq; integer & omnis expers vulneris gloriosius victoriæ suæ trophęum pręferret, & spectatores præclarum totius belli omen acciperent, quod victis pariter atq; victoribus non omnino lætum finem futurum arbitrarentur.

## *DE SINGVLARI PVGNA TVRcæ & Poloni.*

## *XLIII.*

INter hæc effudit se quidam è suorum grege Turca hastatus, more militari aliquem è nostris ad monomachiam prouocans. Vix hæc effatus erat, & ecce aduolat à latere cũ venabulo Stanislaus Vistempus exigui quidem corporis, sed (vt tales sunt) pectoris impauidi: quo venabulo Turcam vno ictu transuerberat. Accurrunt Turcæ subsidio prouocatori animam agenti: nostri item Vistempo triumphanti. Fit mediocre certamen; in quo Zebro Polonus centuriæ Lanczcoronskianæ occubuit.

## *DE ALIA PVGNA INTER TVRcam & Polonum.*

## *XLIV.*

POstera luce, nostros Chocimum tendentes magna phalanx Turcarum insequuta est: vbi rursum alius Stanislaum Ciolcũ armis habituq;, qui luteus erat, inter cæteros fulgentẽ, ad singularẽ pugnã euocat. His auditis currit ad Voiuodam Ciolcus, ac vt ipsum in sui honorẽ tanto cũ viro hasta certare ꝑmittat, etiam atq; etiã orat & obsecrat. Cui is; Ego vero, inqt, non sinã vt quisq̃ vestrũ, q diuitiores habemini, tali barbarico certamini & periculo se exponat. E re magis vestra futurũ est, si iũctis animis dextrisq;, hostẽ, vbi necesse erit, aggrediamini. Dolẽter hęc Ciolc⁹ tulit: hoste in ꝓuocatione ꝑstãte, &

lingua Sclauonica, veste, pennisq; nitentem prouocante, rogat ergo, si hoc sibi non liceret, saltem ex famulis aliquis cum barbaro in harenam descēdere permitteretur, ne impune prophanus hostis Christianis insultare videretur. Data facultate statim contra illum cum hasta proruit Paulus Chauzovvkius: nec id segnius Turça fecit; sed vterque cursu irrito. Tum Paulus manu promptus iuuenis, districtum subito ensem fronti hostis infigit: adhæc vulneratum, & ferrum hærēs extrahentem, brachijs corripit. Visa longiuscula luctatione, decurrunt ad commilitonē Stanislaus Visga, & Stanislaus Niegoczkius: hic Bavvorovvsky, ille Herburti minister. Turca manibus Pauli elapsus, recipit se ad suos: qui subito letali cognito vulnere, cōplures adorti illos tres, egregie se à vi magna defendentes, vndiq; petunt. Laborantibus subueniunt suis cum turmis Herburtus & Volskius: fit cędes magno strepitu, sospitat Christus prœlium Christianis; barbari in fugam vertuntur, quos ij cædentes acriter persequuntur.

## *DVELLVM AGNERI ET BIARbonis Procerum Danicorum.*
## *XLV.*

AGnerus ex primorib. vnus, Rutam regis germanam, meruit vxorem. Conuiuio per regium luxum apparato, pugiles intererant: ortoq; lasciuiore ioco, ossa inuicem volant: sed quū per errorem, seuerioris cuiusdam viri Biarbonis capiti impactum os, & vulnus & contumeliā irrogasset, impatiens iræ, iacientis caput corripiens, obuertit frontem in terga, rixaque cum tumultu ingrauescit. Sponsus interueniēs, graui increpatione obiurgat Biarbonem, quòd conuiuium turbasset. Et quum ille virium fiducia durius obiurganti responderet, prouocatio fit inuicem in duellum: ibiq; vidit Agnerus, sponsaliorum lætitiam verti in mœstitudinem. Sed Biarbo præcipuis fortitudinis operib. emeruit, vt in tantum regi commēdaretur, quod victor victi sponsam mereretur. Fortiterq; impensa opera, talem se vlterius gerebat, vt regem affinitatis suæ non pœniteret.

## *DVELLVM ALRICI REGIS SVECIÆ, ET ERICI Noruegici, bello clari, & Alrici in regno mox successoris.*
## *XLVI.*

ERicus magnī agminis ductor, primò mouit in Gunthionum Alrici filium, qui Vuermis præerat Solongisq; : quem prœlio aggressum superatumq; Ericus oppressit. Pater occisi filij nuncium accipiens, mœrore insigni afficitur, sublato cui bellū gerebatur,

&cui amplum pararetur imperium. Attamen mœroris victor exercitum perarmat,ducitque in hoſtem. Pugnatur aliquandiu æquis viribus variante fortuna. Vbi verò æqua manu digreſſum eſt, iam vitæ faſtidium ſubit Alricum Sueonum regem,quòd chariſſimo affectu ſpoliatus eſſet.Igitur Geſtiblindum Gothorum regem vocat in duellum: in æquo conſtituens, victor an victus eſſet, quem iam vitæ ſuæ pertæderet.Ericus intercepit euocationem,iniquum ratus, vt vir pro ætate viribus defectus,integro opponeretur. Se illi vicarium opponit, Alrico,ſi illi videbitur,occurſurus:non indignum iudicans, ſi pro illo cui militaret, vitæ ſubeat periculum. Accepit conditionem Alricus, & in pugnam perarmatur. Vbi ventum eſt in circum, magnis vtrinque viribus concurritur. Sed tandem Alricus ceſſit ceciditque, ac regnum Sueciæ ſine rege permanſit. Accidere hæc circa Auguſti tempora.

## *DVELLVM ATISLI REGIS SVECIÆ & Ducis Sleſuuici Frouuini.*
## *XLVII.*

PRocerum conſentiens voluntas,legitimo ſucceſſore poſthabito,regnum Atiſlo deferebat.Sciebat ille bellum ſibi ex Dania oriturum. Sed ne imparatus opprimeretur, comparatis armis & exercitibus, quum primum finitimis ſe prœlijs acuiſſet, enauigauit in Daniam : Iutiamque prior bello eſt aggreſſus, ea parte qua Teutoniæ proxima eſt,ad vicum Sleſvvici. Occurrit illi præfectus loci cum non contemnenda manu: quem ducem pro noſtra ætate appellamus.Diu fortiterque vtrinque pugnatur: & vtrinque multis cadentibus,contigit ipſos duces fieri in prœlio obuios. Incidit vtrique calor pugnæ:& alter ad alterum,viſne, inquit prior, vt ambo manibus noſtris,duorum exercituum laborem ſuſtollamus? Et vtroque ſimili alacritate ad duellum inhiante cedunt acies, circus deſcribitur, deſcendunt in pugnam athletæ paribus armis, Ibi Slesvvici dux à rege Sueciæ opprimitur. Diuerſis animorum motibus exercitus diducuntur. Victores Sueci nauigationem in regnum ſuum inſtituunt.

## *DVELLVM EIVSDEM ATISLI CVM KEtone & Vuigone Frouuini Ducis Sleſuuici filijs.*
## *XLVIII.*

FEcerat ſibi rex conſuetudinem exeundi vel ſine comitatu, apricandi gratia. Fratres illi obſeruato tempore, vbi ſine famulitio cernunt egredientem, velut comitaturi regem arma corripiunt, quibus etiam ipſum cernunt inſtructum.Sequuntur in auia: ac iam ſolum nacti, verbis his aggrediuntur : Nuper

ſollicitè

ſollicitè perquiſiſti de nece Frovuini, iactabundusq́, dexteram extuliſti. Ecce aſtamus in conſpectu tuo gemini fratres, eius filij quem peremiſti. Ad hoc tantum emenſi ſumus itineris, vt vindices in te paternæ necis ſimus, aut occumbamus. Vtraq; nobis ſors æqua eſt, cædere aut cadere. Interritus rex, Parcite, inquit, adoleſcẽtes ſanguini veſtro, parcite annis ad vitam integris. Nihil me vana verba cõturbant, quædam me veſtri tãgit miſeratio: vita dignos iudico, quos dolor in vindictam paternæ necis armauit. Aeris non contemnendam ſummã accipite: & proprij lucrum ſanguinis, militia mea in reliquum vſuri, accepto ferte. Fruſtra, inquit Keto, iſta verba iactas: morituri venimus, aut de te pœnã ſumpturi. Quando, inquit ille, ea ſententia animo ſedet, iunctis viribus concurrite. Indecorum eſt his annis atq; viribus, vtrique viciſſim concurrere. Abſit, inquiunt, dedecus & generis & patriæ, vt vni duo concurramus. Si quid tibi virium eſt, ait Keto, exere, ſpectator frater aſſiſtat: aut ſi illum mauis excipere, me pugnæ ſpõdeo ſpectatorẽ. At rex, Prodigos ſanguinis iuuenes haud probo: vna, ſi ſapitis, concurrite. Vana, inquit Keto, verba nectis: ad arma veniatur. Itaque congreſſi, circum deſignant. Rex diſſimulanter pugnam conſerit, vmbonem aduerberans. Keto ſummis adnixus viribus regem inuadit. At ille ictus deuitãs, ludificando magis pugnam extrahit, fratrem ad arma deuocans, vt plenis vti virib. poſſit in hoſtem. Vbi vero Keto pertinacius regem vrget, increſcunt altius iræ regi: ſublataq; dextera, magno impetu galeam Ketonis decuſſit, vulnusq́; cruento pariter capiti inflixit. Mouit VVigonem conſpectus germani cruor: oblitus decoris, oblitus promiſſi, in pugnam ruit violentus. Inuecti vnà regi fratres, virum opprimunt, ſpoliatumq́ue capite truncum linquunt corpus. Ad proximos progreſſi ruricolas, regis caput perferunt, teſtati, Ketonem atq; VVigonem, germanos fratres, Frovuini patris, ab Atiſlo rege cæſi, peregiſſe manu vltionem: rogantesq́; vt idipſum per omne regnum diuulgetur. Stupefacti homines hærent, diu ſecum deliberantes, ſileant teſtenturue. Interea illi dilabuntur, ad regem ſuum regreſſi VVermundum: à quo fortis vindictæ præmia magna retulerunt, quòd gemino functi viderentur officio: priuatim quidem, quòd patrios manes vindicaſſent: publicè autem, quòd acerrimum Danici regni hoſtem tuliſſent de medio.

## *DVELLVM COLLERI NORVAGIÆ REGIS ET Horvuendilli Iutiæ præfecti. XLIX.*


TRanſierunt hoc in rerum ſtatu anni plurimi, vt nihil magni in gente ea ageretur: donec Collerus rex Noruagiam regno teneret, ea tempeſtate quũ apud Danos Roricus regno præeſſet.

esset.Præfectus autē Iutiæ,Horvuendillus, relicto fratre in cura agrorum,piraticæ sibi operam desumpsit.Erat ea tempestate non inhonorum militiæ genus,insidiari per mare transeuntibus: quasi rebus quas dicūt fortunę,in medio collocatis,qui virib.pstaret,eas tolleret,victoriæq; præmium haberet.Sed rex Noruagiæ Collerus non est passus hominem impunè digrassari: probrosum sibi existimans, si alius se potentior in mari videretur: simul gloriæ suæ plurimum accessurum, si tam latè nominatim maris dominatorem superatum castigaret. Armatur classis,& expedito milite completur.Diu quæsitū in mari,multis maris finibus perscrutatis,non reperit.Sunt insulæ multę mari Baltico,sunt plures Britannico.harum vnam petit Collerus classe, quòd fidam præberet stationem nauibus.Eandem fortè alio in portu petebat aut tenuit Horvuendillus. Erat opacum in medio nemus. Dulce visum viris diu salo iactatis, apricari in nemore. diuerso lustra itinere perquirunt varia. Profunda sylua casus obuium tulit Collerum Horvuendillo,quem nulla prius potuit diligentia indagare. Soli solus occurrens, arma tamen quisq; sua ferebat. Sciscitantur alterna inuicem nomina:redduntur.Lætus rex,quod obuiam haberet quem diu quæsisset.Sed illum Horvuendillus præueniēs,Quo,inquit,pugnę genere mecum decertas?Nam duellum viribus probandis maximè idoneum censeo.Non detrectat rex:nam id genus & audaciæ promptius, & victoriæ propius dinoscitur.Quandoquidem,ait Collerus,mihi pugnę permittis arbitrium,illud ipsum quod laudas accipio. Sed sit hæc lex duorum,vt victor victum tumulo dignetur.Nam etsi animi nobis æmulatio intercedat:naturæ tamen communio nos iungit.Illud quoque inter nos conuenerit,si victoria citra mortem,in solo vulnere aut membri truncatione constiterit: quando membrorū vsu mulctatus, perpetuum sentiet fortunæ detrimentū; accedat illi solatio,vt denis auri talentis à victore muneretur.Acceptis conditionibus initur conflictus. Horvuendillus iuuenis ferox, non tam sui cautus muniendi, quàm cædendi auidus,clypeum contempsit: gladium vtraque manu distrinxit.Regis scutum facilè discussit: fortiterque repugnantem, ac diu æquis viribus confligentem, pede desecto mutilauit: secutusque geminato vulnere extinxit. Extinctum,regio tumulo, ad conuentas prius conditiones,sepeliuit.

Ttt DVEL-

## *DVELLVM EMVNDI REGIS DANIÆ & Noruagiæ cum duobus ordinum ductoribus.*

### *L.*

EMundus plurimis vndecunque cumulatus victorijs, quum Noruagiã sibi ex cõiuge commendatã pacasset, occisa Rusla virgine bellatrice, duo ex ducib. feminę bello superstites, qui iam viuenti dominæ fidem astrinxerant, vlturos necem eius, si superessent: audito quòd Emundi opera cecidisset, Regẽ prouocant in duellum. Diu restitere proceres, non posse duobus vnum, & Regem popularibus opponi. Sed peruicit Regis voluntas, effecitque, ne quis, quod ipse cuperet, tentaret impedire. Cõgressus vtrique, alterum ex his occidit, alterum vita & præfectura gentis donauit.

## *DVELLVM FRIDLEVI REGIS DAniæ cum Ducibus Hallandicis.*

### *L I.*

FRidleuus cognomẽto Celer, post Dan peruenit ad regnum: quo tempore Hallandiæ Princeps Danis fœderatus Noruagiam infestabat. Principatus ille ad coronam Daniæ ab initio vsque in hunc diem pertinuit, sed ea tempestate se à suo rege diuelli satius putabat. Quamdiu autem Danorum fœdere fretus, Noruagiam impugnabat, felicib. augebatur successibus. Quippe prouinciam, quæ etiam puellas nutriebat pugnatrices, primùm infestam deinde subiectam cœpit habere: tum versus in superbiam, Danorum amicitiam posthabere cœpit. Ex simultate odium, ex illo apertũ oritur bellum. Tantis vtrinque viribus, tantisque odijs concursum est, vt die integro extractum prœlium, vires vtriusque agminis ita consciderit, vt incertum, quo loco victoria constiterit, haberetur. Nox prœlium diremit. Tum verò nonnulli se ex Hallandiæ principis parte subduxere, pugnam futuræ lucis extimescentes. Qua reddita, quum Fridleuus Danorum rex, recensitis suorum ordinibus, prioris pugnę sortem miseraretur, ducibus aduersi agminis duellum offert, pari numero capitum congressuris. Illi non detrectant. Venitur in locum pugnæ metatum. Ibi Danorum rex inuicta fortitudine strauit aduersarios. Erat in eis, qui ferro inuiolabilis haberetur: hunc capuli nodique repetitis ictibus per multos contudit labores. Eo victor prœlio Hyberniam instructa classe bello petit.

*DVEL-*

## *DVELLVM FRIDLEVI II. DANIÆ REGIS & Hiarni qui per absentiam eius idem Danicum regnum carmine epitaphio meruerat.* L I I.

PRoceres regnũ Hiarni adimendũ, Fridleuo tradẽdum decernunt. Refriguit charitas honorati Regis in poeta, vt viuũ eius exemplar contemplantur: iam satis pmij consecutũ arbitrantes, quòd honorem regiũ tamdiu tulisset. Sed quàm difficulter ascenditur in culmen, tam illibenter apprehensum dimittitur. Itaq; Hiarni armis tueri se parat, & minas Fridleui & decreta procerum vno tenore contemnens. Armantur in inuicem, ac congrediuntur. victa pars Hiarni, fuga sibi consulit. Renouato bello rursus concurrunt: non dissimilis priori exitus. Igitur virib. diffisus, ad ingenium conuertitur, insidijs Regem perempturus. Vbi in obliuionem venisse creditus est, mutat habitum, ora detorquet, famulitio se Regis inserit, salis coctorem professus: nouissimus cubabat, ne interno sceretur. Ante omnia verò lauãdi corporis operã fugitabat, ne à quouis nosceretur. Animaduersum, q̃ corpus nudare vereretur: igitur cogunt posita veste nudari. Ibi primùm corpus cicatricib. discissum apparuit. Vultũ inde diligentius intuentur. Agnoscitur Hiarni, Regique detegitur: Age, Rex inquit, improbe latro, si me ad tua vota teneres, quo genere mortis absumeres? Duello inquit ille. At Fridleuus, id tibi genus pugnæ denuncio. Sumptis igitur vestibus & armis, conserunt manus. Ibi cadit Hiarni, hoc secum referens mortis decus, quòd regia manu caderet.

## *DVELLVM FROTONIS DANIÆ REGIS cum prouocante nescio quo.* L I I I.

VIctores in Daniam reuehuntur. Ibi Froto Rex ab amico quodam in conuiuium accipitur: varij (vt fit) sermones feruntur, iactat quisq; à se magnificè gesta. Inuẽtus est qui per ebrietatem regi duellum offert. Ille mox accipit: egressusq; conuiuio prouocantem sternit. Alius commilitonis necẽ vlturus, idem prœlium subit: additur & ille socio: Rex redit in conuiuium. Dum autem Regnero Sueciæ Regi bellum infert, in ipso apparatu, militari labore contracto morbo, non simulata, at verã morte vitam finiuit.

## *DVELLVM FROTONIS II. DANIÆ Regis, & Frogeri Noruagiæ Regis.* L I V.

FRogerus Noruagiæ regno præerat per id tempus, quo Froto cognomẽto Vegetus, Danis regnaret. Incessere vtrisq;, incertum quibus ex causis, bella: quę Noruagię Rex satis initio ha-

buit per duces adminiſtrare. Sed fortuna ſemper Danorum regi inclinabat. Decem enim Noruagiæ duces diuerſis prœlijs fudit, quoſdam vna pugna concurrentes, nonnullos etiam diuerſis agminibus regi Danorum ſe opponentes. Pertentare ſtatuit ipſe fortunam: ſi fortè ſuis auſpicijs, ad eam diem inuictus Danorum rex, vinci poſſet. Magnis Noruagiæ viribus bellum inſtruitur: omnib. quas potuit copijs eductis mouere conſtituit in Frotonē. Multa prius leuia prœlia peraguntur. Sed toto regni robore fuit decertandum. Indicitur conuentus in inſulam: vbi contractis vtrinq; viribus, prœlium videbatur ineūdum. Placuit rem cōpendio finire. Grandæuus Noruagiæ rex Frogerus, parcendum ratus multitudini, quòd plurimum iam ſanguinis fuſum eſſet, quodq; athleticæ illi fideret arti, & deorum ſuorum fauore nō minimo inniteretur. Ferunt enim illum hoc à ſuis numinibus impetratū tuliſſe, vt à nemine vinceretur, quam qui certaminis tempore, ſubiectum pedibus eius puluerem (quod factu difficillimū putabatur) manu conuelleret. His fiſus pręſidijs duellum indixit Frotoni. Turpe erat recuſare. Iam tamen ſciens Froto qua ſpe duellum iniret ſenex in iuuenem, ab induſtria mutuatur, vt falleret, quem aliàs ſternere non poſſet. Venitur in circum quadrato ſignatum puluere. Vbi conſtiterant, Froto arma mutanda obtulit Frogero. Nec difficile fuit impetrare: ꝙ aurata omnia Frotonis eſſent Gladium, loricam, galeam permutant. Tum locum quoq; permutādum Froto ait, quòd ibi potiſſimum dolos ſtrueret: qui vt laterent, de alijs permutandis præmiſit. Quādo, inquit, omnia commutata ſunt, ęquum eſt, & loci fieri permutationem. Non diſſentit ſenex. Vbi diſceſſit, Froto veſtigium ſignatum in puluere calcibus Frogeri, manu collegit, ac perinde fatum viri complet. Spe certus prœlium committit vterq;. Ibi Frogerus iam numinum ſuorū fauore deſtitutus, vincitur: & Noruagiam Danorum rex iure victoriæ conſequitur: non tamen diu tenuit. Quippe morte defectus quum paruulum liquiſſet filium, ætatis contemptu ſe Normanni facilè in libertatem vendicarunt.

## *DVELLVM GRAM REGIS DANIÆ & Suarini Gothiæ præfecti, &c.*

## *LV.*


Ppreſſo rege nec dum plena Danis parta erat victoria. Nam erat Gothiæ præfectus Suarinus, regiæ dignitati ſecundus: vt quem nos ducem, illi præfectum eo loci habuerint. Nec Romanis ea dignitas incognita eſt. Diu enim ſub Imperatorib. præfecti prætorio proximā purpuræ poteſtatem habebāt: & præfecti vrbis longè ducibus eminebant. Sed tū (vt dicere cœpi) qui in regno Suecię pręfectu-

fectura Gothiæ gerebat, extincto rege, administrandi regni partes accepit, Dano victori se obijciens. Piguit regem, quod post regem victũ, alius se opponeret victori. Igitur exasperatus euocat hominẽ in duellum, ferro litem dirimere, & vnius potius periculo capitis, quàm magnorum exercituum sanguine rem secernere meditatus. Nõ erat liberum euocato pugnam detrectare. Ea tum fuit hominum existimatio, vt pro victo haberetur qui sortem pugnę recusaret. Procedunt armati in pugnam, campus metatur in circo: rex ducem prosternit. Sed neq; sic plenam victoriam assequitur. Fratres erant septem prostrati ducis, qui se singulos obtulerunt duello. Regi victori creuerat animus ex gemina quam peregit victoria. Nam cedere nescia virtus, illum in repetendam pugnam deuocauit. Iunxit fratrem fratri: succedit proximus per ætatem pugnæ. Iniquum videri poterat vnum toties in plures fatigari. At inuicta virtus omnium per vices fratrum victorem se erexit. Vbi omnes vno exitu strauit: toto agmine victor, additis octonis duellis, celebri vndique fama extollitur; Sueci volentes, cum Gothis colla victori submittunt.

## *DVELLVM STARCVTERI INVICTI bello viri & Principis cuiusdam Dani, &c. LVI.*

HElgo deinde sceptris Noruagiæ successit: cuius apud exteros nomen per occasionem nuptiarum innotuit. Ea tum regib. prima bellandi causa fuit. Vt n. quisq; virib. poterat, nuptias sibi ex sententia nõ sine armis conciliabat. Fridleuus Daniæ rex: geminas cum filijs totidem filias reliquit. Harum natu maiorẽ rex Noruagiæ sibi poscebat vxorem: nec eam interposita legatione poscendã putabat, sed ipse sibi nuncius ibat, negocia sua procuraturus ex sentẽtia. Sic enim fortium virorum tum consuetudo ferebat, vt viderent viderenturq;. Regiam nauem, qua Daniam petebat, tanto luxu instruxerat, vt picto velo, rudentib. purpureis, malo etiam inaurato nauigaret. Regemq; Danorum adiens, suus sibi nuncius ad rem perficiendã erat. Ingellus (id erat regi nomẽ) placere sibi regium illius schema ait: cæterum nemini permittendam filiam, nisi qui inito certamine magnum aliquod fortitudinis specimen præbuisset. Interritus Helgo nihil tale formidabat. Erat ex procerib. regni, qui eandem puellam procaretur, certamenq; offerret Helgoni Normanno. Sed is octo fratrũ fretus auxilio, nonus ipse in certamen erat descẽsurus. Quod quũ Helgo nulla pactionis interuẽtione discussisset, recusare nõ posse videbatur: igitur partim verecundia recusationis, partim fiducia viriũ conditionẽ accipit. Puella aũt miseratione sortis iniquę cõmota, Helgonẽ ad se vocat,

q̃ se tanto immisceret discrimini seuerius increpat: consilium tamen adhibet. Esse apud Sueciæ Regem virum pugilem, Starcuterum inuictum, olim patri suo militantem Frotoni: sed nunc fratris Ingelli mores & mollitiem ac ventris curam detestatum, reliquisse illum. Hunc suadet auxilio inuocandum: non defuturum, si per patris sui Frotonis amorem imploretur. Accepit ille consilium, profectus in Sueciam, vt Starcuterũ conueniat. Quumq; amantissimi regis sui Frotonis nomẽ legationi suæ prætenderet, omnia se pro voto cõsecuturum sperabat. Propinquabat autem Bircæ oppido, vbi agebat: & præmisit, qui Starcuterum ad filię Frotonis nuptias inuitaret. Indignatus vir seuerus ait, Nisi amantissimi mihi olim cultissimiq; semper viri nomen obtenderes, malè mulctatum perderem, q̃ me alienæ culinæ sectatorem arbitratus, ad nidorẽ gulæ deuocaueris. Erat enim vir continentissimæ sobrietatis. Quod quũ Helgoni renunciaretur, ingressus hominem hac voce salutat, Frotonis te filia mittit oratũ, vt iniquæ sorte pugnæ pressum, quẽ optat maritum, præsidio tuearis. Edoctumq; quid ageretur orauit, opem ferret. Ille precantem iussit bonã fouere spem, reuertiq; per viam qua venerat: se opportuno in tempore affuturum. Nec fefellit promissor: aderat enim tempore & loco quę à pugnaturo didicerat Helgone. Intereà parantur Helgoni nuptiæ: regius enim iuuenis etiã ante expletam pugnam votis potitur. Dabant id sanguini eius, dabãt fiduciæ, certi nihil moraturum, quo pugna impleretur. Starcuterus adest. Lacessitus à conuiuantibus, quum latratus ederent, verbis compescuit. Sed illi conuicijs non pepercere, senem irridentes, qui iuuenibus se opponeret. Pugnę postera lux pręstituitur. Starcuterus excubias etiam promisso adiecit, vt beneficium suum redderet cumulatius. Nã foribus nuptialis thalami se obiecit, ne qua vis fieret Helgoni aut puellæ. Helgo ante lucem expergefactus, non potuit non esse anxius tanto imminente periculo. Sed sopor, qui etiam merentibus surrepit, illum oppressit in lucem vsq;. Ingressus cubiculum iam orta luce Starcuterus, vbi dulci sopore fusum vidit: noua gaudia interrumpere non passus, quietem permisit. Egressusque solus locum pugnæ petiuit, demoratus aduersarios. Hybernum frigus erat, quo etiam durandum ventis corpus obiecit. Nouem fratres secuti & ipsi mõtem petunt, incertum habentes, quando aduersarij sint affuturi. Mittunt ex suis in verticem, qui specularetur venientes. Missus speculator, vidit ex obliquo considere senem, rogat quid ibi demoretur: vbi sint qui pugnam eo die & loco constitutam obeant. Senex eius rei causa se adesse affirmat. Quod vbi accepit ille, renunciat nouem fratribus, præstolari senem vnum in vertice, qui ad pugnam se diceret exisse obeundam. Alacres illi consurgunt, in montem tendentes. Et vbi sedenti proximant,

mant,per contemptum rogant, ſingulos malit,an omnes vna pugna excipere Ille refert:quoties canes adlatrẽt, ſolere ſe omnes vnà quotquot circumſtent,abigere. Igitur congreſſos pariter omnes paulatim ſternit,aliquot etiam inter pugnandum (quod neceſſe fuit) vulneribus acceptis. Victor in regiam,grauiter licet vulneratus,redijt,Helgoni nuptias ſe conſeruaſſe lætatus.

## DVELLVM ANONIS ET BIORNI PVGILVM. LVII.

ERant ea tempeſtate inſignes pugiles, Ano Noruagicus, Biorn Danorum ſanguine. Ano inſignis ſagittarius, cognomen inde tulit. Is aduerſario congreſſurus, vt artem illi oſtentaret,aptanti arcum telum iniecit, chordæq; caput vulnerauit. Alterum deinde iaciens,digitorum intercapedinem trãſiuit. Tertio ſagittam vulnerauit artis peritia deterrere volens aduerſarium. Sed ille nihil motus congreditur. Ambo inuicti mutuis vulneribus exceſſere. Quoties renouata eſt pugna,ſimilis exitus ſemper erat. Ambos ergo pares Rex ſibi deuinxit, Anonem coniugio concubinę donans;ex qua iam filium Olauum ſuſtulit. Nec mulier eius coniugium refugit, honoratiores nuptias viri robore compenſans.

## DVELLVM HALDANI ET HILdegeri fratrum vterinorum. LVIII.

ERant vterini fratres Hildegerus & Haldanus. Id cum Hildegerus natu maior compertum haberet, Haldanus minor ignorabat. Is cum vbique laudis materiam perquireret, audiens, Ruſſos premi Suecorum armis, eo ſe contulit, Ruſſis militaturus. Quumque prœlia aliquot leuia varia eſſent fortuna peracta, proceſſit Hildegerus Suetici ordinis armiger, quemlibet ex Ruſſis in duellum prouocans. Dum autem illi muſſitarent, circumſpicientes quem opponerent, Haldanus ſe vltroneum obtulit. Hildegerus fratrem agnoſcens, reſtitit: indignum teſtatus, quod cum ipſe LXX. pugilum victoria ſit clarus, cum homine parum ſpectatæ virtutis cõgredi, inglorium ſit. Eam cauſam præferebat, abſcondens quod cõmunis ſanguinis reſpectu pugnã detrectaret. Haldanus verò iactabundus aliũ ſibi depoſcit, quãdo ille metu recuſet. Obijcitur ex grege vnus, quem facile ſuperat: deinde duos vnà congredientes pariter obtruncat: ternis etiam

etiam euocatis eundem fecit exitum. Ita paulatim gliſcente calore vſque ad XI. vnà pugna ſublatos paulatim aſcendens peruenit. Iam videns Hildegerus fraterna decora, ſuis æquata numero, diutius pugnã detrectare duxit inglorium: nec tamen ſe quis eſſet aperuit Haldano. Pugnabant in eo gemini affectus. Nam quod patrem ſuum Haldani pater ſuſtuliſſet, paternæ necis vindicem præferebat: ſed hũc affectum ſuperabat in eo materni vteri commune conceptaculum: vt recuſaret, donec per ęquatam iam virtutem, diutius detrectare pugnam formidini deputaretur. Callebat autem hebetandi artem ferri Hildegerus, & ea ſæpe in periculo vſui ei fuit. Nec tamen defuit hoſti cõſilium vbi ſenſit aduerſam calliditatem. Siquidem vbi comperit enſi ſuo vim abeſſe, panniculo texit: & perinde vim illi ſuã (vt ferunt) reſtituit, vulnusque intulit Hildegero lethale. Quo excepto, innuens hoſti exceſſit duello, iam ſe fratri aperiens quis eſſet. Ibi lamentum non vulgare ex Haldano perſonuit. Cur, inquit, germane, tã diu latuiſti, donec ſceleratam dexteram tuo tingerem cruore? Infelicem me. Quando alterum ex nobis cadere in fatis fuit, ego pro te quã vellem excepiſſe vulnus. Neq; te frater integro in fratrem officio functum arbitror, quod non ante prodideris. Ille hoc ſuppreſſiſſe teſtatur, ne per ignauiam ſe retraxiſſe putaretur à periculo. Hæc dicens extinguitur. Haldanus pro mercede inuictæ vbique fortitudinis, vnicam Daniæ regis filiam cum regno promeretur vxorem.

## *DVELLVM HALDANI REGIS SVECIÆ cum Siuualdo primario viro, &c. itemque cum Piratarum Principe quodam.*

## *LIX.*

AVctis deinde copijs, terra mariq; ducit in hoſtem. Sed coniurati vbi vident regem in ſe magnis venire viribus, armis ſuis diffidentes (quod imparem longe militũ numerum habuere conſcriptum) in ducem factionis ac conſpirationis reſpexere. Ille vbi ſe ſignari omnium oculis intelligit, Haldano regi mandat per nuntiũ; Si tibi, inquit, virium aliquid eſt, famã exæquare curato: duellum offero cum filijs. Detrectare quidem verecundum erat, etſi iniqua conditio proponeretur: quod rex, inferioris ordinis viro, vnus octonis occurreret. Tanta tamen erat in rege animi vis, vt non recuſaret. Improperanti tamen iniquam conditionem, quod timidi animi videretur non fidere pectori, vt vnus vni occurreret. Siuualdus reiecit, Quid ergo iactas vires? Hæc vnius viri ſunt oſſa quæ cernis. Sparſi vires in liberos: partitas illas ęque in duellum contraho. Si tu frigido hactenus toro cubaſti, tibi refer detrimentum. Pater & filij vna ſunt caro: tergiuerſari

sari tibi non licet. His atque similibus verbis prouocatum in duellum regem extraxit. Exorta verò pugna, victor Haldanus patrem cum filijs vno exitu cõsumpsit, seq; reddit regno suo ad pristinam stabilitatem. Inde verò iam temporum tranquillitate gaudẽs, cum audiret Vnguinum Gotthorum regulum, filiam vnicæ pulchritudinis despondisse cuidam piratarum principi, vi magis adactum, quam suapte voluntate: indignatus Haldanus tantam in regno iniuriam fieri, quod vir plebeius, solis furtis & piratica insignis, regio se sanguini miscere conaretur; & (quod indignius est) etiam metu impulsum adigere patrem ad impares nuptias: nõ tulit rei indignitatem, sed secretius per nuntium admonito Vnguino quid pararet, diem nuptiarum vbi audiuit esse, quum regio luxu feruerent omnia, proximusq́ue piratarum princeps regi accumberet, spõsus (vt sperabat ille) regię puellę, ingressus regiam Haldanus ignoto habitu oreq; parumper distorto, ac per industriam contracto, quis sponsus haberetur ad nuptias, libera voce percunctatur. Qui, inquiunt, regi proximus accumbit. Ergo conuersus in eum, Tu, inquit, regium sanguinẽ toro deposcis? Quibus oro meritis? quibus patrum stemmatibus? Si quid tibi virium est, exurge mecum in duellum. Nocturnum, ille respondet, bellum laruarum est, non hominum. Haldanus subinde, Tenebras queri non potes, quum sublustri luce luna diem nobis repræsentet. Rubor adegit hominem assurgere in duellum: victus autem, ex nuptijs funus habuit. Hunc exitum habuit vir pirata, quod supra fortunam suam nuptias sequeretur. Haldanus puella traducta, Hasmundum ex illa sustulit filium, succrescentibus annis Noruagiæ regem.


*DVELLVM HADDINGI DANIÆ REgis & Tossonis cuiusdam ex Iutia.*

*L X.*


Tossanus cũ exercitu par regi esse non posset, ex prouocatione duellum offert. Recusare rex poterat, ob imparitatem conditionis: sed indecorum sibi ratus cuiusquam arma vitare, descendit in campum, prouocatoremq́; extinxit superatum.


*DVELLVM OLONIS DANIÆ Regis & duorum aliorum.*

*L X I.*


INde vbi audiuit pugiles insigni nomine, Vuermorum regis filiam deposcere, aut regem ipsum duello prouocare (iam diximus, morte grauiorem genti extitisse ruborẽ recusandi certaminis) Olo patrijs Noruagiæ finibus adhuc demoratus, aduolat, re-

giamq; petit: quam comperit luctu & mœrore plenam. Percunctatus quid timerent, regis filius rem aperit, esse pugiles magni nominis, qui germanam deposcerent, aut duellum offerrēt, quod nemo fidat subire. Ibi iussit omnes bene sperare: quid tamen præmij victori esset, rogat. Filius consulto patre refert ipsam puellam victori constitutā mercedem. Quumque virgo diligentius aduenæ hospitis oculos intueretur, non passa fulgorē, concidit. Ab ipso amanter erecta, quid formidaret rogatur. Fulgorem, inquit, luminum insolitum deprēdi. Ille verò vbi conuiuio excipitur, decoram pandit faciem, cæsarie venustam. Sed sciens quo luminum esset terrore, verecundius illa submisit. Ingressi regiam pugiles, ipsam puellam, aut eius loco congressorem deposcunt. Olo verò, Modestius, inquit, agendum cum rege. Num gremio abducere natam aduenistis? Illi perstant alterum deposcere. Bene, inquit, habet: pugnam poscentibus pugna dabitur. Egressusq; in campum de more metatum, ambos conficit: satellites etiam auxilio dominis subeūtes prosternit. Partā victoria puellam accepit vxorem: ex qua filium sustulit Emundū, regno Daniæ post patrē præsidentem.

## *REGNERI DANIÆ REGIS CVM FILIIS & Sueci cuiusdam cum suis item filijs pugna.*
## *LXII.*



Egnerus conscripto in militiam grandi exercitu, assumptisq; tribus in societatem expeditionis filijs, qui iam per ætatem ferendis armis videbātur idonei, mouit in hostem. Vbi autem ex propinquo reges castra sunt metati, prior Sorlus, suæ partis insignē septem cum filijs pugilem, iubet aduersis ex castris prouocare vel regem, vel alium quemlibet totidem filiorum auxilio præditum. Sic enim comparatum est apud veteres huius nationis homines, vt parens cum filijs vna persona cēseretur. Quod idem Imperatorum nostrorū leges non refugiunt. Regnerus Daniæ rex, magno vir animo, octonis congredi quartus ipse tū recusauit. Attamen indecorū reputans, si vlla conditione Suecis concederet. animis auctus, pugnę sortē subijt, quatuor octonis obijciens. Sic enim cōuenerat, vt cuius partis pugiles superarentur, is rex victus censeretur. Duabus rebus Suetici regis ius excellere putabatur: qđ nō ipse pugnę sortē subijt, rex aduersus regē pugnaturus, sed aliū submisit: Daniæ rege in persona decertāte. Deinde, ꝙ octo aduersus quatuor cōfligere videbātur. Regnerus tamen interritus, assumptis trib. filijs, descendit in cāpum iam metatū, Suetico pugile cum septem filijs occurrente. Ibi pro victoria proque vita acriter certatur. Omnes qui prœlio interfuere, grauiter vulnerati sunt, præter vnum

vnũm Regneri filium Biornem: qui ex ea re nomen accepit, vt Ferrei lateris diceretur. Igitur victor illo certamine Regnerus, nõ ſolum oblatos pugiles oppreſſit, verum exercitu aduocato, totis viribus conflixit cum Sorlo: eiusq; copias cum ipſo ad internecionem deleuit.

## DVELLVM SKIOLDI REGIS DANIÆ & Scati ſatrapæ Alemanni. LXIII.

PRecurrebat Skioldus virium complementum animi maturitate: conflictusq; geſſit, quorum vix ſpectator ob teneritudinem ætatis eſſe poterat. In quo annorum virtutisq; procurſu, ob Abuldam puellam (quã ſummæ pulchritudinis intuitu coniugem poſtulabat) cum Scato Alemanniæ ſatrapa, eiuſdem puellæ competitore, Teutonum Danorumq; exercitu inſpectante, ex prouocatione dimicauit: interfectoq; eo Alemannorum gentẽ perinde ac ducis ſui interitu debellatam, tributaria ditione perdomuit.

## DVELLVM STARCVTERI ET Hamæ pugilum. LXIV.

SAxones pertæſi ſubiectionis ac tributorum, quia totis agminibus pares regi eſſe non poterant, mittunt qui regi duellum offerret, cuius detrectandi nemini tum erat fiducia: hoc ordine regem Frotonem ſuis ceruicibus abigere ſperantes; quod Starcuterus (vt compertum habebant) cuius etiam formidoloſa virtus eſſet, longe peregrinaretur: regem non auſum ſe credere Marti reputabant. Quumque rex prouocaretur, nihil motus, breue tempus dandi reſponſi exegit. Aderat Starcuterus: iniquam ſortem ſubire regem nõ eſt paſſus. Regibus enim aduerſus reges, non plebeios, pugnam ineundam. Si quid auſint Saxones, adeſſe curẽt qui Starcutero occurrat. Regreſſi Saxones, ſuis ea regulis reportant, Starcuterum depoſcere pugilem qualemcunque. Erat in Saxonum gente Hama præcipuis viribus & induſtria pugil. Hunc magno ære appreciatum Starcutero deligunt opponere. Accepit conditionem Hama, pugnæ ſe parat, viribus fidẽs: quod integra eſſet ætate, quum aduerſarius illi vetulus videretur. Aggreſſi pugnam paribus animis: Hama medium amplexurus Starcuterum accurrit, luctæ quam pugnę malens ſe credere, ſtrauiſſetq; ſenem flexuoſus, ni præueniens ſenior, pugno illum deieciſſet, vt genibus niteretur. Vbi exurgere parabat, medium cõſtringit Starcuterus, opprimitque violentè. Pugnæ pretium, ſexaginta iugera agri, totidemque mancipia promeruit à rege.

## *DVELLVM VALARIS GOTHI & Artanadis Armenij.*

## *LXV.*


Rat ante aciem Totilæ vir Gothus, nomine Valaris: qui equo insigni vectus, ipse quoq; insigniter armatus, in singulare certamen omnes prouocabat. Aduersus hunc, cæteris desidentibus, Artanades Armenius prodijt: spectantibusq; vtrimque aciebus concurrerunt, infestis sese cuspidibus petentes. Armenius Gothum dextro latere hasta transfixum occidit: ipse vero in hastã interfecti, casu hærentem solo, vi atq; impetu adactus, cuspide transfigitur: ruptoque thorace vulneratur: ex quo vulnere mox die tertio interijt.

## *DVELLVM VVANDALI CVIusdam & duorum Danorum.*

## *LXVI.*


Xercitus qui in aperto tendebat, ignarus suas iam copias oppressas, miratùr quid Roricum detineat, vt non in aciem deducat. Animus auctus, quod hostilem interpretaretur timorem, adnauigat Danorum exercitui, pugnamq; ingerit. Attamen præueniens quidam ex VVandalorum turma, Licet, inquit, compendio rem tantam peragere. Ego me de meorum principũ voluntate in hãc sortem offero duello. Si vicero, tributorum nobis inmunitas proueniat: at si vincar, vt ante soluendis constringamur. Mussitant Dani, nihil sibi victoria cedere, præter id quod iam tenuere · dedecorosum tamen habitum est, pugnæ sortem recusare. Inuentus est vir animo quã viribus maior, qui circumspicienti regi suo, Quid, inquit, victori promittitur? At rex, vt manu gessit, senas nexili nodo cohęrentes armillas victori proponit. Ille refert, pulchram, inquit, victoriæ mercedem, aut dedecorosam (quę fortibus morte grauior est) vitæ conditionẽ reportabit. Attamen patriæ impendere vitam, quam donauit, etiã sine mercede pulchrum censeri debet. Hæc dicens, in campum descendit, & pugnam iniens superatur. Alium victor dari poposcit. Cunctantibus Danis, ille in suorum castra lętus inuehitur. Sufficere poterat fortè, patriæ libertatem meruisse: at insolentia viri, maius aliquid molita, Danis cœpit insultare, quod neminem arbitraretur in pugnã exiturum, fortissimo eorum pugile prostrato. Mouit exprobratio virum in exercitu Danico præcipuum Vbbonem. Non sinam, inquit, dedecus hoc inuri genti nostræ, vt nemo ausit in duellum prodire. Sed tuum erit ô rex, præmia vincenti decernere, quo alacrius in pugnam prodierit. Vidisti,

disti, inquit rex, armillas iam ante præmio decretas. Quid erit, ait ille, si te rei pœniteat, tuaq; dona in alium cōferas? Quo certior sis, inquit rex, en præmia tua. Et proiecit, vt manu caperet. Quumq; nauium intercapedinem vis iacientis minime superaret, excepit vnda donū proiectum. Tum Vbbo, Etiam nunc alacrior, pugnam ineo, quando tua rex perspecta liberalitate, ipse non mercenarius pugil, sed spontaneus conspicior. Et hoc dicens desilit in campum: circūfunditur turba spectatrix. Ibi VVandalus, prius victor, occubuit cum cōsorte: credo procurante fortuna ne alter alterius exitio gloriam voluptatemque perciperet.

## *DVELLVM VFFONIS DANIÆ REgis filij cum filio regis Saxoniæ, &c. LXVII.*


Vm per ætatem VVermundus oculis esset captus, superbam legationem Saxoniæ regis accepit, trium optionem proponi Danorum regi ab suo principe: aut regno cedat, per ætatem & cæcitatem inutilis, Saxonibusque iura permittat imperij: aut si illud grauius videatur, filium opponat Saxonum regis filio ex prouocatione pugnaturo: cui cesserit victoria, sceptra illi vtriusque regni permittantur. Tertium esse, si priora detrectet, vt totis agminib. pugnaturus, prœlium hac voce exspectet denuntiatum. Indignationem extorsit regi tam superba legatio: modestius agendum cum eo quē fracta ætas oculis cepisset. Ne tamen vsq; quaq; Danorū regem virib. defectum arbitrarētur, si illorū regi pugna cordi esset, illū se duello excepturum. Ad quod legati ꝑ contēptum respondere, cōpertum sibi esse, regē suum nō cōgressurum cæco; ludibrium.n. non prœlium videri: ęquius esse, vtriusq; regis pignorib. decertare. Stupefactis q̄ aderāt proceribus, Vffo regis filius indignatione plenus, à patre loquēdi veniam deposcit. Rogat rex, quis sit q̄ loquēdi flagitet arbitrium. Qui astitere, filium esse regis testantur. Tum pater ductis ab alto suspirijs, satis sibi ait oneris esse cæcitatem suā, vt nō etiā astantium risu excipiatur: quid sibi velit ludibrium transuersi per irrisionem responsi? Illi quam sanctè affirmant, Vffonem esse qui postulet. Fari iubet. Tum ille; Quandoquidem Saxonicus fastus superba legatione Daniæ regnum infestat, scire illos par sit, esse regi filium, qui non modo regiæ soboli occurrat, sed etiam assumpto ex suis fortissimo, geminis vnus duellum offerat. Risere legati, vt erant fastu pleni. Sed ille risum eorum in lacrimas affirmat exiturum. Quid multa? pugnæ locus tempusque instituitur. Stupor affecit adstātes, insuetā virtutē ore facundo sonuisse ex illo, qui hactenus socors & elinguis haberetur. Abeuntibus legatis,

 pater

pater propius assistere iubet filium, manib. exploraturus quod oculis nō licuit, si verè sit filius quem dixere. Vbi grandia membra manibus circumtrectauit, fidem affirmantibus esse filium, cœpit habere. Quid est, inquit, dulcissime, cur tam diu elinguem te præstiteris? & cur tantam animo virtutem condidisti? Qua verò fretus fiducia, duos vnus in pugnam prouocasti? Ad ea filius, Quamdiu pater, te sensib. vigentem & viribus regem suspeximus, paterna defensione cōtentus in te conquieui: vbi verò ætatis defectionem hostes ludibrio vertunt, tempus esse ratus sum proloquendi, teque parentem ab iniuria superborum Saxonum inmunem prestandi. Quod duos vnus prouocaui, detergere volui maculam huic nostræ nationi nuper iniectam, quod duo in Suecia Leuiri Atislum regem pugna congressum oppressere: quā culpam non aliter putaui detergendam, quam si duobus ego vnus depugnem. Collaudatum filium, iubet pugnam armis exercere. Sed non facile fuit arma inuenire, quæ tam grandibus membris aptarentur: nam pectus magnitudine loricarum nexus explicuit. Multis reiectis, cum paterna quoque imparia viderentur, iubet ex læuo latere discindi, fibulaque resarciri: non magnum iudicans, si pars clypeo contecta armis vacet. Gladius exquiritur illis aptandus digitis. Quem pater in secretissimis habuerat ensis, exquiritur, filio traditur: illo, aut nullo vmquam alio victor futurus putabatur. Enses quidem alij in manibus Vffonis districti ventilatique, sola vibratione confracti perierunt. Rogat an hunc quoque aliorum exemplo probare debeat. Tum mœstus pater, Si hunc confregeris, non est alius illi par viribus quo depugnes. Igitur ex condicto locus petitur, quem fluuius Eydora, vtriusq; ditionis, Danicæ atque Saxonicę limes, ita totum complectitur, vt insulam faciat. Pons instruitur, per quem fit aditus pugnaturis. Procedit Saxonum filius, comitatus athleta instructissimo: solus Vffo opponitur. Pater Vuermundus etsi oculis captus, non tamen abesse sustinet à certamine; locum sibi iubet instrui in ponte, vt auribus hauriat quod oculis cernere non poterat. Ita se aptauit præcipitio; vt si quid triste de filio renuntiaretur, vnum cum illo exitum sortiretur, sponte desiliens in subiectum amnem. Procedunt in pugnam, Vffo vicissim prouocat vtrunq;. Tu, inquit, qui regio stemmate gloriaris, prior manum confer, generis dignitatem factis fortibus exequere: contende. Quin potius tu, quem ex tot millibus delegit dominus, præsumptā viriū tuarum audaciam exere: ostēde si quid in te virtutis. Accedit ille propius, priorq; gladium distringit: sed non diu cunctatur Vffo, caput instantis, altius ense sublato, mediū dissecuit. Pater ensis sui sonitum agnoscere testatus, rogat quo ictu hostem affecerit. Quum prostratum audisset, spem capit, iam pugna exæquata. Inde vero regis filium hostem super-

ſuperſtitem aggreſſus, facile proturbat. Quo audito, pater in lætitiam ſoluitur, victorem filium lætus amplectitur.

## *DVELLVM DVORVM DANORVM de Reginæ ſuæ pudicitia.*

## *LXVIII.*

HAbuit vxorem Rodoaldus puta Daniæ rex Gundbergam, filiam optimæ reginæ Tendelindæ, quæ caſtiſſimis moribus matrem repræſentabat. Auſa eſt tamen perfida quorundam lingua pudiciſſimæ fœminę famam attentare, maritoq; deferre quod lapſa eſſet amore peregrino. Territa innocens mulier procaci mendacio, quod diceret non habebat: ſed more fœmineo lacrimis teſtata eſt dolorem. Viderat ex famulitio quidam lacrimantem dominam, nec ignorabat quæ res vreret pudiciſſimam fœminam: preſumptione certiſſima innocentiam eius teſtatus, duellum offerebat delatori. Ille pugnam excipiens, corruit. Ita vir fortis dominæ ſuæ famam & integritatem, marito probans, apud omnes reſtituit.

INDEX

# INDEX DVCVM, PRINCIPVM, MARCHIONVM, &c. QVORVM IN HOC TOMO II. PANDECTARVM

triumphalium est mentio; in quo vt & in cæteris sequentibus, l. librum, c. caput, f. folium, b. auersam eiusdem folij faciem significat.



Xxx Mersbur-

## INDEX COMITVM ET BARONVM, QVORVM *in hoc secundo tomo Pandect. triumph. est mentio.*

A.

# INDEX FAMILIARVM EQVESTRIS ORDInis *& nobilitatis in primis per Germaniam.*



Birge-

Fevver-

G.



H.

I.



K.




L.

Schnebe-

IMPRESSVM FRANCOFVRTI AD MOENVM APVD IOHANNEM FEYRABEND, impensis Sigismundi Feyrabendij.




Anno M. D. LXXXVI.



2°: $*^{6}$, a–nnn$^{4}$, A–Yyy$^{4}$ (last blank)

